
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, ETRVRIAE, VMBRIAE, SABINORVM ET LATII.

TOMI OCTAVI PARS QVARTA.



THESAURUS ANTIQUITATUM ET HISTORIARUM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

ETRURIAE, UMBRIAE, SABINORUM, LATII,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae quam, aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CUM PRAEFATIONIBUS

PETRI BURMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI OCTAVI PARS QUARTA.



LUGDUNI BATAVORUM,

Excudit PETRUS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXIII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

DOMINICI BARNABÆ MATTHÆI MEMORIÆ HISTORICÆ TUSCULI ANTIQUI,

Quod nunc dicitur

FRASCATI;

Ad Illustrissimos Dominos, Dominos Conservatores Consiliariosque ejusdem Civitatis.

Ex Italico *vertit* Latine, *Præfationem atque Indices adjecit*

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS LECTORI S. D.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Opusculum hoc, multa utilia & scitu digna, non tantum ad *Tusculum* Vetus, sed & Medii, quam vocant, Ævi Historiam complectens, in lucem editum fuerat *Romæ*, apud *Jo. Franciscum Buagni*, anno MDCCXI. & licet satis recens, tamen propter singularem utilitatem & Doctrinam omitti a nobis non potuit. Editio illa, quæ *Itale* tantum prodiit, a nobis *Latina* induta veste, numeros paginarum veterum habet ad margines, Notulas, seu Auctores, ex quibus sua Auctor hausit, in extrema pagina (non, ut ibi, ad marginem) substratos, Nummos & Ruinas veteres ordine in Tabulis æreis collocatas, Indices denique vel novos, vel auctiores.

Urbs hæc, cujus, proch dolor! miserabilem ruinam in fine Opusculi Auctor describit, nunc *Frascati* vocatur, locus, propter Viridaria sua, Hortos, Fontesque, longe amœnissimus atque celeberrimus. Promisit Auctor in Præfatione sua Duos porro Libros de Nova Urbe seu Restaurata, locisque ejus atque viris sacris aliisque, quod an præstiterit, nescimus, quum nondum ad oculos nostros iidem pervenerint. Cæterum ad incuriosos harum deliciarum, canæque Vetustatis contemtores, respondemus *Ciceronis* in *Oratore* suo verbis, quibus ultimam Editionis Veteris paginam exornatam voluerat Auctor: *Nescire, quid, antequam natus sis, acciderit, est, semper esse puerum.* Vale.



DEDICATIO AUCTORIS
Ad Ill. Dom. Dom. Conservatores Consiliariosque Urbis *Frascati*, seu *Tusculi Antiqui.*

VIRI ILLUSTRISSIMI,


fficium meum & amor in patriam, ut & Fortunæ erga me violentia, pari incedere passu visæ sunt: Sicut enim illi quidem semper memet exstimularunt ad demonstrandam publice gratum aliquod erga eandem testimonium; ita hæc quidem semper impeditum me tenuit, inque medio opere absistere exorta tela coëgit. Nihil itaque hactenus, præter sterilem obtuli voluntatem bene merendi. Sed tandem, quum omnia hæc iniquæ sortis obstacula vicerint eadem desideria mea, fœcundum hunc amorem meum inveni, & licet par patriæ magnitudini fœtus hic meus nequaquam sit, respectu tamen devotionis offerentis, patri par est.

Cernite igitur hunc meum animum, atque hanc voluntatem meam, testatam in hac Patriæ Urbis Historia, libello, mole quidem parvo, labore tamen collecto haud exiguo; nam si quis vel defectum Historiarum consideret medii ejus Ævi, vel incuriam hominum, tum temporis viventium, inveniet magni esse laboris ex Antiquitatum hæc eruere tenebris.

Et quum vel hoc solum Patriæ meæ displicere non possit studium meum, tum tanto magis animo meo spes hæc obversatur, fore, ut me Doctiores paratioresque excitentur, qui felicioribus fatis majorique cum laude NOBILITATEM DOMINATIONUM VESTRARUM ILLUSTRISSIMARUM sint celebraturi. Vobis itaque me in paucis hisce consecrans totum pagellis, permaneo

DOM. VESTR. ILLUSTR.

Devotissimus & obligatus maxime servus & civis

Romæ 1. Maji MDCCXI.

D. DOMINICUS BARNABAS MATTHÆUS.

AUCTORIS PRÆFATIO.
ERUDITO LECTORI SALUTEM.


nimi magis affectum quam plumam calamumve Auctorem hæc Historia mea agnoscit; Filia quippe amoris, quo teneor, Patriæ. Quin & ipsi illam magis, quam aliis conscribo. Cujus rei rationem testatam publice jam si dederim, isti magis quam mihi laus deputanda erit.

Primo igitur dederim, ut intelligas, non spem gloriæ, cupiditatem lucri, aut alterius commodi, me ad hæc tentanda impulisse, id quod elucere facillime poterit ex simplici, qua utor, dictione; quippe sine ullo elegantiarum & phrasium artificio libellus hic prodit; imo patebit idem ex candore narrationum mearum veridicarum, ab omni partium studio remotarum. Feres ipse idem judicium, ubi videris, me nihil scripsisse ad lubitum, verum ad omnia, de quibus dissero, adduxisse fideliter auctoritatem testium & fidem scriptorum. Ambitionem omnem ipsa excludit brevitas, quum enim docere te voluerim ulterius progrediendo semper, verbis & pompa dictionis retardare nolui, itaque ex professo (ut videbis) in magnum (quod potueram) volumen deducere librum nolui.

Secundo loco meum est, te admonere, ex mea quidem constitutione nondum totum absolvi opus, quum decreverim illi reliquas duas partes addere, in scedulis meis jam delineatas, quæ in sese comprehendent TUSCULUM RESTAURATUM IN NOVO FRASCATI, ubi acturus sum de Infeudatione ejusdem, de Privilegiis & Prærogativis, illi ab hodiernis Pontificibus concessis, Villisque in eodem existentibus. Comprehendent quoque TUSCULUM ECCLESIASTICUM, ubi inquiram in omnes ejusdem Episcopos, Ecclesias & loca sacra.

Hisce (ubi æquum Te Labori huic meo expertus fuero, favoremque & applausum ex benignitate tua tulero) donare Te constitui.

Valeas atque agas Feliciter.



AL

A L S I G N O R
D. DOMENICO BARNABA MATTEI,
Per le Memorie Istoriche dell' Antico *TUSCOLO*, raccolte dal Medesimo nella presente Opera.

S O N E T T O.

D'*Auguste Moli sovra i marmi infranti*
Sedea Donna Real, pallida, incolta,
E mesta in viso, e in neri panni avvolta
Spargea sospiri, e disfaceasi in pianti.

Per man del Veglio alato a lei davanti
Cadea nel proprio cenere sepolta
La sua grandezza; & Ella indi rivolta
Gl'occhi si ricoprìa co' foschi ammanti.

Quando mirò repente la sua Gloria
Da que' marmi risorta spander l'ale
Ad eternar l'antica sua memoria:

Sì che i lumi si terse, e in van m'assale
Il tempo, disse, or che tua dotta Istoria
Il mio nome, o MATTEI, rende immortale.

Del Sig. Antonio Baldani Romano.

All' Autore.

S O N E T T O.

Da sconvolti Edifici, e incolti Campi
Le MEMORIE del TUSCOLO già sparte
Rintracciasti, o MATTEI, di parte in parte,
Ed ora dall'oblìo le togli, e scampi.

Sù le ruine sue tua gloria stampi
Con bei sudori ad eternar le Carte;
E da gli avanzi dell' irato Marte
Sorger ne fai d'antico pregio i lampi.

Se il Tempo ingordo alfin quaggiù divora
Anche l'opre più altere, e più ammirande,
Le MEMORIE, che scrivi, oggi egli adora;

L'adora sì, perchè ti scorge Grande
Ad illustrar tua Patria, onde ad ogn'ora
Ella per Te immortale il nome spande.

Del Sig. Stefano Serangeli da Monte Fortino,
Accademico Infecondo.

Al Medesimo.

S O N E T T O.

E*cco risorto il TUSCOLO guerriero,*
Della gloria di Roma Emolo audace.
Miralo in questi fogli, o Passaggiero,
Pieni d'un bel terror, che alletta, e piace.

Avanzi illustri del Romano Impero,
Più da Lui non temete o ferro, o face.
Placido a voi ritorna, e messaggiero
Di guerra nò, mà d'amicizia, e pace.

Ben previdi, Egli dice, e ben sapea,
Allorche cessi a la virtù Latina,
Che in un chiaro MIO FIGLIO Io risorgea:

E che senza ottener la mia ruina
Roma non era Roma, e non potea
Esser del Mondo la Città Reina.

Del Sig. D. Odoardo Alidoro Romano,
Accademico Infecondo.

Nel Medesimo Soggetto.

S O N E T T O.

Cadde il TUSCOLO altiér, Città pregiata
Sovra ogn'altra del Lazio, e di sua gloria
Dal Romano furore altra memoria,
Che le ruine sue, non fù lasciata

Pur contra questa armò la destra irata
Il Tempo per averne empia vittoria.
Gli si oppose il MATTEI con dotta Istoria,
E dell'Invido ad onta ella è eternata.

Indi per fargli oltraggio anco maggiore
Cangia gl'infranti marmi in belli trofei,
E ne forma alla Patria archi d'onore.

TUSCOLO fortunato; orche il MATTEI
Diede al cenere tuo vita, e splendore,
Qual Fenice, immortal reso tù sei.

Del Sig. Alessandro Ramagini Lucchese.

Nello stesso Soggetto.

S O N E T T O.

T*USCOLO, già del Lazio onore, e gloria,*
Di Telegono parto a terra andasti
Oppresso dal destin, e non lasciasti
De le grandezza tue segno, o memoria.

Il tuo Figlio MATTEI forma un' Istoria
De gl' Edifici tuoi superbi, e guasti,
Con le sparse reliquie; e con tai fasti
Spera del tempo riportar vittoria.

Vantar ti puoi, che doppia vita avesti
E da un Padre, e da un Figlio; e al tuo natale
S'impegnarono a gara, e quegli, e questi.

Hanno però frà lor sorte ineguale:
Quell', è ver, ti fondò, mà al fin cadesti;
Ti ravviva quest' altro, e fà immortale.

Del Sig. Silvestro Ramagini Lucchese.



INDEX AUCTORUM,

Qui citantur, notantur, aut illustrantur.

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiss. P. Magist. Sac. Pal. Apostol.

Dominicus de Zaulis *Archiepisc. Theodosiæ Vicesg.*


Admodum Rev. D. *Dominici Barnabæ de Mattheis Historiam Tusculanam*, demandante Reverendissimo Patre Fr. *Paulino Bernardinio* Magistro Sacri Palatii Apostolici, legi; nihilque in ea umbræ inveni; sed cùm omnia *Christianæ* pietati, atque Auctoris moribus consona, Patriæque suæ gloriæ esse cognoverim, publico rei literariæ bono quam primùm edi possunt, & debent.

Romæ Sept. Idus Januarii 1711.

Joannes Baptista Vacondius J. V. D.

Imprimatur.

Fr. Jo. Baptista Cards *Mag. Rev. P.* Paulini Bernardinii *Sac. Apostol. Pal. Mag. Soc. Ord. Præd.*



D O-

1 DOMINICI BARNABÆ MATTHÆI
MEMORIÆ HISTORICÆ
ANTIQUI TUSCULI,
Quod nunc dicitur
FRASCATI.

TUSCULUM, quatenus ex gravibus Auctoribus, tam *Græcis* quam *Latinis* colligitur, fuit una ex primariis Civitatibus *Latii*, & aliquando insuper istius regionis caput. [1] Ejus origo communiter adscribitur *Telegono* ex [2] *Ulysse* & *Circe* prognato, quatuor circiter ab incendio *Trojano* annis. Fama insuper vult, istum fundasse *Tusculum*, [3] postquam *Ithaca* erat reversus, quo, nondum completis tribus lustris, se contulerat, eo fine, ut suum genitorem ibi reperiret, quem, non cognoscens, inscius occidit: unde *Horatius* dixit *Lib.* III. *Od.* XXIX.

> *Ne semper udum* Tibur *&* Æsulæ
> *Declive contempleris arvum &*
> Telegoni *juga parricidæ.*

Similiter *Ovidius Fast.* Lib. III.

> *Factaque* Telegoni *mœnia celsa manu.*

Et *Propertius* Lib. II.

> *Nam quid* Prænæstis *dubias, o* Cynthia, *sortes.*
> *Quid petis* Ææi *mœnia* Telegoni?

Et *Silius* Lib. VII.

> *Quod peperere decus* Circæo Tuscula *dorso;*
> *Mœnia* Laërtæ *quondam regnata nepoti.*

[4] Commoratus autem *Telegonus* simul cum fratre suo *Telemacho Ithacæ* fuit spatio unius & dimidii anni: post quod tempus, ad insulam *Æolidem* est reversus, ubi Mater ejus regnabat, quæ paullulum adhuc supervixit: unde in regnum ejus succedens, sexaginta illud tenuit annis, atque ubi septuaginta sex annos cum dimidio implevisset, regnum cum vita finivit.

Unde clarissime patet, fundationem *Tusculi* viginti circiter annis post incendium *Trojanum*, initium sumsisse, diu scilicet ante fundationem Urbis *Romæ*, aut ad minimum antequam *Romulus* eam mœnibus cinxit, anno nono Regni [5] *Ascanii*, filii *Æneæ*, decimo octavo anno post fundationem *Lavinii*, & duodecim annis antequam prædictus *Ascanius Albam Longam* exstruxit, quæ annis quadringentis octoginta sex integre conservata, sed postea diruta fuit.

Et ubi numerare incipimus a *Romulo*, procul dubio *Tusculum* quadringentis decem annis antequam *Roma* ab ipso *Romulo* erat amplificata, fuit fundatum; Detractis scilicet de quadringentis triginta annis (qui inter incendium *Trojanum* & urbis *Romæ* amplificationem intercessêre, juxta *Paterculi* & *Varronis* calculum) annis viginti, qui a *Troja* ad *Telegonum* effluxerunt, ut supra jam demonstravimus. Licet *Dionysius Antiq. Rom.* Lib.
E II. numeret quadringentos triginta duos, *Solinus*
A vero *Polyhistor.* Cap. II. quadringentos triginta tres, quod non constituit magnum discrimen.

Quod hactenus dictum est, nititur sententia o- 3
mnium fere Historicorum, quos inter *Gilibertus* [6] narrat, multas *Italiæ* Civitates post destructionem *Trojæ* fuisse ædificatas. Etiam *Eusebius Cæsariensis* & Divus *Hieronymus* asserunt, *Telegonum* quadringentis circiter annis ante *Romulum* vixisse.

Quod si velimus computum instituere a fundatione *Albæ*, non dissimilis est sententia *Sexti Aurelii Victoris*, [7] licet temporis respectu discrepare videatur: forsan ex eo, quod error quis in interpretatione ejus sententiæ inter duos *Syl-*
B *vios*, *Albæ* reges, occurrat: [8] quorum unus *Latinus Sylvius* dictus, *Æneæ Sylvii* filius, quinque annis post Bellum *Trojanum* regnare incœpit: Et de hoc, ut sentio, sermonem instituere non proposuit *Sextus*, quippe hoc casu [9] *Telegonus* non fuisset Fundator *Tusculi*; nam solummodo Annos septuaginta sex cum dimidio vixit, uti superius dictum; sed de alio *Sylvio*, qui *Postumus* dicebatur, filio *Æneæ Trojani* & *Laviniæ*, qui viginti quinque annis post incendium *Trojanum* in Regno successit, [10] a cujus Nomine postea omnes *Albæ* successores dicti fuere *Sylvii*. Et tali modo opinio *Sexti* non multum abit ab
C Auctoribus supradictis. Quandoquidem detractis quadraginta quinque annis, qui intercesserunt inter destructionem *Trojæ* & Regnum *Postumi*, de quadringentis triginta tribus, qui inter deflagrationem *Trojæ* & *Romæ* amplificationem intervenê-
re, *Tusculum* originem suam tercentis octoginta 4
annis ante ipsam *Romam* habuit.

[11] Hoc insuper ex aliorum quorundam opinione probatur, qui volunt *Sextum* de quodam fuisse locutum *Latino*, qui a *Fauno* descendit, sub quo *Troja* in cinerem fuit redacta, & cui *Æneas* in regno *Albæ* successit, postquam prius in Matrimonium sumsisset *Laviniam*, prædicti *Latini*
D filiam. Hæc opinio *Philippum Cluverium* [12] movit, ut crederet, *Telegonum* fuisse quendam ex primis *Pelasgis*, qui simul cum [13] *Aboriginibus*, sive *Arcadibus*, (erant autem populi, quorum prior a *Chetim*, posterior a *Dodanim*, pronepote *Noë*, *Gen.* X: originem traxerant, qui postea uniti, unico vocabulo fuere dicti *Latini*, & *Latio* nomen dederunt) tribus ante Bellum *Trojanum* seculis expulerunt *Siculos*, in insulam *Trinacriam*, a quibus eadem *Siciliæ* nomen accepit, manentibus illis interea Dominis *Latii*, eodemque tempore *Te-*

---

1. *Æschinard. Agr. Rom.*
2. *Conrad. Gesner. Onom.*
3. *Guido Colonn. de bell. Trojan.*
4. *Guid. Colonn. bell. Trojan.* Lib. XXXV. Cap. ult.
5. *Dionys. Petav. Ration. temp.* Vol. II. Lib. XII.
6. *Chronic.* Tom. I.
7. *De Orig. Gent. Roman.*
8. *Cafer. Sinth. Vetust.*
9. *Sansov. Chronolog.*
10. *Dion. Halicarn.* Lib. I.
11. *Dionys. ubi supra*
12. *Ital. antiq.* Lib. III.
13. *Ughel. Ital. Sacr.* Tom. I. *Majol. de Dieb. Can. Coll.* IV. *Th.* V. *Par.* 2. *Dion. Antiq. Rom.* Lib. III.

Telegonum ibi fundasse *Tusculum* : * *A primis igitur Latinis, id est* Aboriginibus, *atque* Pelasgis, *tribus ferme seculis ante Bellum* Trojanum, *pulsis ex his* Siculis, *conditum fuisse* Tusculum *liquet.*

Unde sequeretur, *Tusculum* non solum antiquitate restaurationem & amplificationem *Romæ* a
5 *Romulo* factæ antecedere, sed & primæ ejus fundationi esse contemporaneum : quo pacto sequenda esset opinio quorundam Auctorum, qui aliis, non *Romulo* veram originem primæ Fundationis *Romæ* tribuunt. Hæc differentia centum esset annorum, quoniam tres ætates ante supradictam destructionem, juxta computum *Dionysii*, idem valent quod octoginta Anni nostri, quibus si viginti annos juxta priorem supra recensitam opinionem addamus, scilicet quod *Tusculum* fuerit fundatum viginti annis post Bellum *Trojanum*, simul constituunt seculum. Et tali modo *Tusculum* principium suum numeraret quingentis decem, aut potius quingentis tredecim annis antequam *Romulus Romam* restaurasset, Anno Secundo Regni *Fauni*, mille ducentis circiter annis ante nativitatem Redemptoris Mundi.

Confirmat, quod hactenus dictum, *Martinus Polonus* * testimonio *Methodii* scriptoris antiquissimi, qui ita scriptum reliquit : *Anno autem* CCCCXXII. *destructionis* Trojæ, Romulus Priami Trojanorum *Regis sanguine natus, fratre suo jam mortuo, ætatis suæ Anno* XXII. xv. Kal. Maji, *omnes Civitates prædictas muro cingere cœpit, & perfecit : ex suo nomine* Romam *nominavit, & in eam* Sabinenses, Albanenses, & Tusculanenses *convenerunt, ibi habituri.*

Quale fundamentum & vires opiniones hactenus adductæ habeant, quivis eruditus lector per sese cognoscere poterit. Unica res animadversione digna mihi videtur, quod in negotio, antiquitate & scriptorum penuria, obscurissimo, omnes pariter opiniones unanimi consensu concordent, scilicet a *Telegono* (& multo ante fundatio-
6 nem & amplificationem *Romæ*,) *Tusculum* originem suam arcessere : quemadmodum insuper testatur [15] *Ovidius*, ubi, adventum *Græcorum* in *Latium* describens, asserit istos modo illic fundatas reperisse civitates *Tusculum* & *Tybur*.

Et jam Telegoni, *jam Mœnia* Tyburis *udi*
Stabant, Argolicæ *quæ posuere manus.*

Nihilominus credo omne dubium tolli, circa illud quod ipsa [16] *Tusculi* Fundatio *Telegono* adscribenda sit, ex quibusdam Nummis antiquis Familiæ *Mamiliæ*, e quorum Hieroglyphis hoc clarissime dilucidatur; inter istos Nummos maxime considerandus est ille, cui ab una parte videtur insculpta effigies *Ulyssis* cum pileo, quo ornatus fuit a *Nicomacho*, uti narrat *Plinius*, Lib. xxxv. Cap. x. & observat Sanctus *Hieronymus* scribens ad *Fabiolam*, & cum cane ad pedes, ubi in circuitu legitur:

C. MAMILIUS. LIMETAN.

Ab altera parte effigies *Mercurii* cum antiquo pileo in capite, supra verò est caduceus cum charactere A̅. unde manifestissimum deducitur
7 argumentum habitæ venerationis ab hac familia *Ulyssi* & *Mercurio*, ut qui per Nummos à superstitiosis ethnicis adorabantur : [18] nam prædicta *Mamiliorum* familia, inter quos *Cajus Mamilius*
A *Limetanus*, juxta *Sextum Pompejum* originem suam trahebat à *Mamilia*, quæ nata fuit *Tusculi* ex *Telogono* filio *Ulyssis*, ut tradunt *Livius* Lib. I. *Salustius*, & *Valerius Maximus* Lib. I. Cap. VIII. (à quibus non discedit *Dionysius*) qui de *Octavio Mamilio*, socero *Tarquinii Superbi*, loquentes, ipsum *Tusculo* oriundum dicunt : Octavius Mamilius *Oriundus a* [19] Telegono Ulyssis & Circes *Filio*, Tusculum *incolens.* Et *Sextus Pompeus* * sic de prædicta familia scripsit : Mamiliorum *Familia progenita fuit* a Mamilia Telegoni *Filia*, *quam* Tusculi *procreaverat.*

Non desunt [20] magni Auctores, asserentes fa-
B miliam *Mamiliorum* Originem suam habuisse a *Laërte*, Rege *Ithacæ*, Patre *Ulyssis*, qui duas habuit uxores, *Penelopen* scilicet, quæ peperit *Telemachum* ; & *Circen*, ex qua natus *Telegonus*, pater Mamiliæ, ex ipsa vero *Octavius Mamilius*, de quo loquitur *Dionysius*. Prout & ab eo descendit *Octavianus Augustus*, & *Tertullus Patricius Tusculanus*, a quo sunt celebres *Tusculani* Comites, ut infra suo loco demonstrabitur. Unde non alia ratione credo *Mamilium* in Nummo posuisse effigiem *Ulyssis*, nisi quod fuerit insigne Familiæ *Mamiliæ* : & adjunxisse Hieroglyphica *Mercurii* & Canis, ut priori scilicet symbolo subtilitatem
C *Ulyssis* denotaret, altero autem agnitum eundem per canem, postquam reversus fuerat ad *Penelopen.*

Ipsæ Nummorum figuræ expressæ cernuntur 8
in *Fig.* numero I. signatis.

Hinc mihi videtur omnis dubitatio, circa veram & primam originem *Tusculi*, vulgo attributam *Telegono*, esse sublata, idque sufficienti probatione ex auctoritate Scriptorum citatorum & rerum circumstantiis, quæ proposito nostro apte accommodantur. Non tam facilis erit adinventio & certæ rationis applicatio circa veram etymologiam vocis *Tusculum*, & unde, & qua occasione
D sic nominaverint Primi ejus Fundatores. Variæ, respectu hujus, sunt opiniones : sed ut quodammodo satisfaciam curiositati Lectoris, quasdam ex iis breviter jam adducam.

[21] Quibusdam placet hoc vocabulum ortum esse a *Tusis Glebis* vel a voce Latina *Tus*, cujus usus in sacris cœremoniis adhibebatur ; forsitan inde, quod *Tusculani* primi fuerint in *Latio*, qui Ture utebantur : quia juxta mentem *Arnobii* Lib. VII. apud *Romanos* & *Latinos* non fuerit in usu, nisi quadringentis annis postquam *Alba* fuit ædificata, quando *Tuscani* id adinvenerunt. [22] Hæc opinio postea a multis fuit recepta, qui tamen
E non animadvertebant, *Tusculum* denominationem accipere non potuisse a voce Tus, quum *Tusculum* quadringentis duodecim annis initium habuerit prius quam *Latini* ejus notitiam fuerant 9
adepti; si tamen istius loco in sacrificiis suis non adhibuerint aliud quoddam genus gummi, quod similiter eodem nomine insigniverint. [23] Alii voluerunt *Tusculum* sic fuisse appellatum a difficultate adscendendi in [24] montem *Tusculanum* ; quippe *Tusculum Græce* idem significat quod in nostro Idiomate *fatigare* vel *divexare*. [25] Rursus alii crediderunt, sic denominatum a *Tusculo* filio *Her-*
F *culis.*

In-

* *Cluver. Ital. Antiq.* Lib. III.
14. *in Chronico.*
15. *Fast.* Lib. IV.
16. *Fulv. Ursin. de Famil. Rom.*
17. *Abraham Gorlæus in Thesaur. Numism. Rom. Joan. Viallant. Tab.* LXXXIX. XC. *Num.* FAM. ROM. *Richer. Lat. Vet. & Nov.*
18. *Hieron. ab Alex. Tabul. Marmor. Nigr. in Monument. Mamil.*

19. *Dionys.* Lib. IV.
* *De Origin. Gen. Rom.*
20. *Siles. Genealog Hieron. Henning. Genealog. Chron. Cassin.* Anno *Dom.* 1117 *Vivion. Lign. vitæ. Franc. Zazzer* Tom II. *M. Dion. Geneal. Dom Conti. Kircher. in Histor. Eusta. Mar.*
21. *Jo. Vossius in Etymol. Ant. Nebrissens. in Lexico.*
22. *Macrob. Saturn. Corradin. Lat. Vetus.*
23. *Nicol. Perott Cornucop.*
24. *Leand. Albert. Italia.*
25, *Fest. de Orig. gent. Theatr. Ling. Latin.*

Pag. 4



Fig. 1.





Fig. 1.





Fig. 1.






Fig. 2.
Pag. 10.



Fig. 1.





Fig. 3.
Pag. 15.



Fig. 4.
Pag. 26.



Fig. 5.
Pag. 33.



Fig. 6.





Pag. 38.



Fig. 7.
Pag. 38.





Fig. 8.
Pag. 38.



Inter has Opiniones ego istam ut probabilio-
rem amplecterer, quæ deducit denominationem
vocis *Tusculum* [26] a *tusis glebis:* siquidem res certa
est, Habitatores ejus peculiari modo suæ supersti-
tiosæ religioni deditos fuisse. Unde ex frequenti
consuetudine secandi sacras arbores huic vel illi
Numini, [27] quod sacerdotibus solum & sacrifi-
ciorum Ministris erat licitum, verisimile videtur,
illi regioni hanc specialem *Tusculi* denominatio-
nem attributam fuisse: quum interea non desint
alia exempla, quæ supradictam opinionem confir-
ment, quippe ad ejus imitationem fundatam aliam
eodem nomine civitatem reperimus ad Fluvium
Salo [28] super Fluminis cujusdam crepidine, quæ
10 a Religione, ob frequentiam sacrificiorum, quæ
in dicto loco fiebant, *Tusculanum* fuit appellata.
Et in hoc conveniunt *Joannes Antonius Magini* &
Zacharias Lilius, a quibus appellatur non *Tuscu-
lum* [29] sed *Turix*, quasi turea aut *Turicrema* civi-
tas, eodem a sacris cœremoniis argumento, quæ
in isto loco exercebantur, tanto magis, quia ejus
fundator *Telegonus* primus fuit, qui in *Latium*
Divinationem & Auguria introduxit.

Ubi porro præcise Urbs hæc antiqua sita fue-
rit, sat difficile est, ut asseratur, & quasi ἀδύνατον.
quum hodie non reperiamus (ob totam ejus de-
structionem) ullum vestigium, unde aliqua certa
deduci possit notitia. Imo inde fit, ut etiam
pauci ii scriptores, qui ejus mentionem faciunt,
in assignando Urbis situ multum discrepent: quo-
rum omnium sententias enarrabimus, easque di-
ligenter examinantes, istam eligemus, quæ ve-
ritati magis erit consona.

Incipiemus autem a [30] *Strabone*, ut omnium an-
tiquissimo, qui temporibus *Augusti* & *Tiberii* florens,
sic scribit: *In* Romæ *vero conspectu sunt* Tybur,
Præneste, *&* Tusculum*: ex Orientali* Romæ *regione
dictæ urbes exstant. Interius vero ad montanum il-
larum tractum alterum tergum est, vallem in medio
relinquens ad* Algidum, *sublime sane ad* Albanum
usque Collem: super eo quidem situm est Tusculum,
11 *civitas egregiis ornamentis insignis, quam vineta coro-
nant, tectaque magnifica, ex ea præsertim regione,
quæ in* Romanum *descendit adspectum. Isto in loco* Tu-
sculanum *est jugum, irriguum & terris fertile, quieto
surgens adscensu, ubi videre licet Villas, variis de-
coratas apparatibus.* Quæ verba concludunt, ur-
bem *Tusculum* a parte Orientali *Romæ* in altum
tendere, ad frontem ejus plane eodem modo uti *Tibur*
& *Præneste*, id quod exactissime supra dictus Au-
ctor demonstrat, dicere pergens, in circuitu di-
ctarum urbium per tractum quorundam mon-
tium, super quibus erant ædificatæ, in sublime
ferri aliud dorsum, quod vallem in medio, *Algi-
dum* versus, relinquebat, idque tam sublime, ut se
usque ad Montem *Albanum* extenderet, & quod
super dictum dorsum collocatum fuit *Tusculum*,
urbs (ut subjungit) quæ ornamentis suis urbanis,
vineis, & sumtuosis ædificiis, quæ in circuitu
eam coronabant, se celebrem reddidit: & in eo
ipso loco asserit fuisse Collem *Tusculanum*, per
adjacentes ipsi terras maxime fertilem; quæ ta-
men non esset aspera, sed adscendenti commoda;
præterquam quod ibi insuper plurima fuerint deli-
ciosa oblectamenta ac maxima aquæ copia. Fuisse
autem revera a *Roma* remotam centum stadiis, con-
firmat *Dionysius Halicarnasseus* Lib. x. dicens: *No-
cturno itinere pervenerunt* Tusculum, Latini *nomi-*

A *nis urbem, a* Roma *centesimo ferme stadio dissitum:*
& *Flavius*, [31] qui de ea loquitur, iter *Tiberii* de- 12
scribens: Tiberius *a* Capreis *venit* Tusculanum,
stadia circiter centum a Roma *dissitum.*

Cluverius porro traditionem vulgarem sequens,
asserit, [32] *Tusculum* supra montem quendam fuisse
ædificatum, cujus nomen hodie *Tusculanum.*
Ejusdem sententiæ est *Kircherus*, [33] & *Fabrettus*
illi consentit, dicens [34]: *Munitionis veteris* Tusculi
*vestigium haud leve apparet in Rupe, pluribus in
locis, sed præcipue, qua parte Septentriones respicit,
manufacto opere ad perpendiculum cæsa, & summi*
B *illius verticis complanatione; quæ tantæ molitiones in
solo saxoso, & omnem culturam respuente, non
privatam aliquam, sed publicam tuto, atque oppor-
tuno loco urbis condendæ curam præ se ferunt.* Et
paulo post subjungit: *Via etiam* Tusculana *a* La-
tina *deflectens, supernum nostrum* Tusculum, *su-
pra cœnobium* Camaldulensium, *ubi* Furiorum *Se-
pulchrum recens inventum fuit, indubie petit, ejus-
que situm proinde indicat.*

[34] *Holstenius*, *Gronovius*, *Baudrandus*, *Hof-
mannus*, eruditus *Montfalconius*, *Ferrarius*, & *Hie-
ronymus Ferrucci* in Adjectis ad *Andream Fulvium*,
sese supradictis Auctoribus opponunt, volunt-
C que collocatum fuisse, ubi jam *Frascati*, aut non pro-
cul inde: „Non autem in summo montis jugo, ubi
„rudera & vestigia maximorum ædificiorum
„conspiciuntur, ubi vulgo vetus *Tusculum* fuisse
„creditur, quam opinionem *Cluverius* etiam am-
„plectitur: sed si locum ipsum propius inspexis-
„set, aliter sane judicasset. Nam ego diligenti
„perlustratione comperi, villam privatam eo lo-
„co fuisse, non oppidum. Tum situs ipse re- 13
„pugnat; nam locus ille quamvis & *Romam*, &
„vallem *Albanam* prospiciat, magis tamen in
„hanc partem vergit, ubi ingentium fornicum
„substructiones visuntur. *Romam* versus exstat
„Theatrum; sed & illud privatum potius quam
D „publicum, ut ex magnitudine apparet. Tum
„vero distantia, & intervallum repugnat: nam
„distantia illa non XII. sed XV. ut minimum,
„vel XVI. M. P. absunt ab urbe *Roma*. Tum
„*Strabonis* descriptioni situs ille repugnat, quippe
„cui ex proximo cacumen montis saxosum, &
„adspectu horridum imminet; neque vero copia
„aquarum huic loco convenit, sed ipsi oppido
„*Frascati*: unde facile apparet, hunc levem &
„popularem esse errorem, non veram, & proba-
„bilem sententiam.„

Ut igitur facilius maxime probabilem prædi-
ctarum opinionum adinveniamus, necessarium
E erit, spatio milliarium duodecim cum dimidio a
Româ per antiquam viam *Tusculanam* recurrere:
quam unam eandemque cum *Latina* fuisse *Cluve-
rius* sentit; hac in parte se illi, quod de *Corio-
lano Dionysius* scripsit, accommodans; quando 14
castra prope dictam viam, quatuor milliari-
bus a *Roma* distantem, posuit: [35] *Trigesimo fer-
me stadio ab Urbe in* Tusculana *via, castra posuit.*
Quod si esset verum, inde sequeretur, (quum via
Latina sit inter urbem *Tusculum* & Montem *Alba-
num*) non potuisse eodem loci situm habere *Tuscu-
lum*, ubi hodie *Frascati*; quoniam tunc quam longis-
sime a dicta via *Latina* distaret, quum sic illam
F describat *Strabo*, Lib. v. *Geograph. Inter has me-
dia Latina est* (scilicet inter *Appiam* & *Valeriam*)
quæ ad Casinum *oppidum conjungitur* Appiæ, *ab*
Ca-

26. *Fest. & Interpr. Horat. Carm.* L. III. *Od.* 29.
27. *Corradin. Lat. Vet.* L. I. C 27. *Nic. Perr. Corn. Cop.*
28. *Leand. Alb. Ital. Baudr. Geogr. Grattarol. Hist. Flum. di Salò.*
29. *Octav. Ross Hist. Mem. di Bresc. Magin. in Geogr. Ptol. Zach. Lil. Descr. Mund. Suid.* de Augur.
30. Lib. v. *Geograph.*

31. *Antiquit. Jud.* L. XVIIII. C. 8.
32. *Ital. Antiq.* Lib. II.
33. In Latio & Fabret. in Grunnov.
34. *Fabret. contra Grunnov. Gronovius* in *Tit. Livium. Baudrand. Lexic. Geograph. Hofman. Dictionar. Holsten. Annot.* ad *Claver.*
35. *Dionys.* Lib. VIII.

Capua XIX. *distans stadiis: Appiæ viæ principium ex ipsa sinistrorsum est prope* Romam *deflectens; dehinc per* Tusculanos *transiens Montes, inter oppidum* Tusculanum, *&* Albanos *ducitur Montes, ad oppidulum descendens* Algidum *&* Pictas.

In hac via, ut varii testantur scriptores, juxta ordinem suum loca infrascripta reperiebantur, scilicet:

[36] Simulacrum *Fortunæ* muliebris, *Romanas* Fœminas alloquens.

Fossæ *Cluiliæ* sive *Cliviæ*, sic a *Cluilio* Rege *Albæ* denominatæ.

Templum *Herculis*, a *Domitiano* exstructum.

Decimus Lapis Milliarius, nominatus ab *Antonino* in suo *Itinerario*.

Civitas *Tusculana*.

[37] *Roboraria*, nomen a veteribus impositum omnibus Ædificiis Tabularum *Roborariorum*, quibus includebantur Varia Animalium genera in usum Sacrificiorum.

15 Et tandem *Algidum*, exiguum Castellum inter *Latinos* & *Æquos*.

Et quoniam prope supradicta loca per *Latinam*, (*Tusculanam* hodie dictam,) viam iter tenditur, inde deducitur sequens *Itinerarium*.

Romà per Viam *Latinam* usque ad Templum *Fortunæ* Muliebris milliaria quatuor. —— —— 4.
Ab isto ad Fossas *Cluilias* milliare unum. — 1.
A prædictis Fossis ad Templum *Herculis* milliaria tria. —— —— —— —— —— —— —— 3.
A dicto Temple ad decimum Terminum milliaria duo. —— —— —— —— —— —— —— 2.
A decimo Termino ad *Tusculum* Urbem milliaria duo & dimidium. —— —— —— —— —— 2½.
A *Tusculo* ad *Roboraria* dimidium milliare. ½.
A *Roborariis* ad *Algidum* Castellum milliaria duo. —— —— —— —— —— —— —— —— 2.
Suntque in universum milliaria quindecim. —— —— —— —— —— —— 15.

16 Ex hoc Itinerario facile delineare poterimus, ubi *Tusculum* fuerit collocatum: Licet Via *Tusculana* quibusdam distinguatur a Via *Latina*, qui ad id hisce [38] *Tibulli* versibus fuêre adducti.

Nec taceat monumenta viæ, quæ Tuscula *Tellus,*
Candidaque antiquo detinet Alba *lare.*
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic apta jungitur arte silex.

Quibus versibus *Panvinius* [39] fuit inductus ad dicendum, viam *Tusculanam* a *Marco Messala* restauratam, exitum habuisse a porta *Cœlimontana*, hodie *S. Joannis* dicta, aut non longe ab ea; viam *Latinam* vero a propria sua porta. Unde aperte demonstratur, viam antiquam *Tusculanam* fuisse diversam a *Latina* ad minimum spatio quatuor milliarium a *Roma*, quod & *Nardinus* [40] affirmat, dicens, viam *Campanam* fuisse eandem cum illa, quæ initium sortiebatur a porta *Cœlimontana*: quemadmodum insuper commonstrat Inscriptio superne posita, estque sequens:

17 GREGORIVS XIII. P. MAX.
PVBLICAE VTILITATI, ET VRBIS
ORNAMENTO, VIAM CAM-
PANAM CONSTRAVIT, POR-
TAM EXSTRVXIT ANNO MDLXXIV.
PONT. III.

Non desunt tamen quidam hodierni Antiquarii, qui, non obstante dicta Inscriptione, putent, istam non esse Viam *Campanam*; forsitan persuasi

A ex eo quod dicit *Vitruvius*, *Archit.* Lib. VIII. Cap. III. ubi lacunam quandam describit in Campestribus *Corneti* sitam, quam proxime Viam *Campanam* fuisse asserit, serpentibus quibusdam repletam, quorum ossa suo tempore adhuc conspiciebantur.

Hæc Via distenditur a *Flaminia* intra *Burgetum* (*Borghetto*) & Sylvam ad Castrum *Campanile*, & conducit directè ad locum ubi hoc tempore cernis Conventum Patrum *Capucinorum* de *Riano*; & se sub Castellum novum extendens, rursus exitum sortitur ad *Campos de Leprignano*; uti ex *Instrumento Confiniorum* inter *Rianum* & *Castrum novum* colligi-
B tur; ut & ex *Inventario* Bonorum ad Monachos *Sancti Pauli* pertinentium, & *Capitulum S. Eustachii Romæ*, quæ in eorumdem Archivis inveniuntur, & in illo *Castri novi*: Cujus rei insuper distincta fit mentio in Diplomate *Innocentii III.* dato Anno MCCLXXXX. impresso Tom. II. *Diplom. Cassinens. Constitut.* CCXXXIV.

Sed supradicti versiculi *Tibulli*, in quos [41] *Paterculus* fuit commentatus, omnem auferent difficultatem: iste enim interpretatur Viam, a *Messala* propriis sumtibus silice stratam, fuisse quandam plateam, quæ a *Tusculo* ad *Albam* conducebat, & non a *Roma* ad *Tusculanum*: Unde di- 18
C versa poterit esse a *Latina*, quæ, ut credibile, illam intersecabat, sese a *Tusculo* ad *Albam* extendens. Quod si velimus opinionem *Holstenii* amplecti, scilicet *Tusculum* fuisse, ubi jam *Frascati*; fragmentum quoddam residuum plateæ antiquæ, grandibus & latis silicibus constratæ (hodie vulgo *delle Petre Liscie* dicitur) supra Hortum sive Villam *Odescalchiam*, ultra confinia Jurisdictionis *Frascatinorum*, idque per Viam ad *Marinum* tendentem, videtur idem fuisse cum illa, quam nominavit *Tibullus*: Ast si istius situs accuratissime observetur, non proprie de ista loqui vo-
D luit, quandoquidem illa ipsa de novo conspicitur in loco, qui dicitur *Pedica*, paululum supra Villam Dominorum *Cavalletti*, in Via, quæ flectitur versus Rupem *Priora*, & plus ultra adscendens ad *Latinam*, extenditur, ubi exstat *Fossa Latronum*, sed & aliorsum extenditur per Viam, quæ ad Rupem *Papæ* ducit: Unde probabile videtur, hanc venisse a *Tiburte*, & *Latinam* oblique intersecando, adscendisse ad Montem *Albanum*; unde rursus descenderit ad *Albam*: [42] *Pius II.* Pontifex, pergens in adscensu istius montis per Viam silice stratam, eodem modo ut *Appia*, operarium quendam increpavit, qui quas- 19
E dam silices ex eadem Via desumptas findebat; & [43] Cardinali *Columnæ* injunxit, inposterum non permitteret talem injuriam fieri Antiquitati istius Viæ, quæ ad curam Pontificis pertineret. *Alexander Septimus* videns tam bene stratam, eam restaurari curavit a parte lacum versus, & per istam se pilento vehi fecit usque ad cacumen dicti montis, ad conspicienda rudera Templi *Jovis Latialis*, ubi [44] celebrabantur *Feriæ Latinæ*, & ubi quocunque anno viva voce determinabatur à Magistratibus & Sacerdotibus illarum Feriarum Dies.

F Scribit [45] *Julius Obsequens*, [46] quum aliquando *Latini* in dicto Templo sacrificarent, ex digito sive pollice simulacri *Jovis* scaturisse sanguinem, Anno Urbis DCCVII. Consulibus M. *Lepido* & L. *Munatio Planco*. Ex eodem Auctore habemus, [46] An-

36. *Livius* Lib. II. *Dionys.* Lib. VIII. *Plutarch. in Coriolano. Martial Epigramm.* Lib. IX. *Strabo* Lib. V.
37. *Aul. Gel. Noct. Att.* Lib. II. Cap. XX. *Anton. Itiner. Strabo* ubi sup.
38. *Tibull.* Lib. I. Eleg. VII.
39. De *Via Cœlimontana.*
40. *Rom. Antiq.*

41. *Patercul. Tibul.* Eleg. VII.
42. *Æneas Sylv.*
43. *Agro Roman. dell' Eschinardi.*
44. *Dionys. Antiq. Rom.* Lib. IV.
45. *Prodig.* CXXXIX.

[46] Anno DXXXIX. M. *Valerio Lævino*, & *Claudio Marcello* quarta vice Consulibus, natum fuisse in *Tusculo* agnellum cum mammis lacte repletis; & Anno DLIX. Consulibus L. *Scipione*, & L. *Lælio* cecidisse in *Tusculo* magnam terrestris pluviæ copiam.

Ego vero ex Auctoritate multorum scriptorum affirmo, *Tibullum* fuisse locutum de Via *Tusculana*; nec aliter *Panvinius* supradictum Poëtam interpretatur, asserens, illam plateam exiisse ex propria sua porta, quæ paulo erat subtus *Cælimontanam*, fuitque dicta *Asinaria*, forsitan ab Hortis
20 *Asinii*, Patricii *Romani*, qui Horti paullulum ab ista distabant: in qua sententia confirmor à *Dionysio*, quando de *Coriolano* loquens, testatur, istum in via *Tusculana* quatuor milliaribus fere a *Roma* distante posuisse castra sua, uti jam supra dictum; & illam *Latinæ* fuisse rursùs unitam, non procul a Templo *Fortunæ Muliebris* in Valle *Egeria*, hodie vulgo *Caffarella*, ubi illam intersecans, protenditur usque ad Viam *Appiam*, quæ ducebat ad *Albam*.

Observavit *Fabrettus* [47] alias duas plateas dividi a sinistra *Latinæ*; quarum prior fuit milliari super intersectionem *Asinariæ* (quæ directe ad Mausoleum *Alexandri Severi* ducebat, & quæ hodie alio nomine *Mons Grani* appellatur) habuitque suum exitum prope Urnam *Helenæ Augustæ*, matris *Constantini*, in loco, qui vulgo *Torre Pignattara* dicitur: Secunda prope *Centronem*, unde protenditur ad usque *Frascati*, & inde ad Montem *Tusculanum*; hujus adhuc supersunt vestigia, quæ videntur prope Vineam Patrum *Jesuitarum*, & sub mœnibus *Frascati* prope Palatium Dominorum *Accorambonum*. *Philippus Ferrarius* in suo *Lexico Geographico* appellat hanc plateam *Tusculanam*; & *Ametus* ut talem expressit in *Mappa* sua *Topographica Latii* Anno MDCXCIII., & *Pater de Matthæis* illam conjungit *Latinæ* prope *Osteriam*, quæ dicitur *Turris mediæ Viæ Frascati*.

21 Unde cognoscitur, Viam *Tusculanam* initium sumere sub duobus collibus *Esquilino* & *Cœlio*, quatuor stadiis, & tertiam partem inferius Porta *Asinaria*; hæc sua porta foras exiens, protendebatur usque ad quartum fere Milliare, ubi intrabat in *Latinam*; & inde usque ad *Centrones* erat Communis simul & *Latina* & *Tusculana*: hic postea bivium formans, protendebatur cum ambobus ramis Montem *Tusculanum* versus. Prima harum platearum, sese directe infra *Tusculum* & Montem *Albanum* extendens, fuit appellata *Latina*, & alia quæ conjungebatur loco, ubi hodie *Frascati*, & inde per montem revertebatur ad *Latinam*, *Tusculana* fuit dicta.

Hac ratione certum est, quod *Tusculanos* versus arctiorem exitum Via *Latina* sortita fuerit, si *Tusculum* revera fuisset super Montem, usque ad *Asinariam*: quippe progrediendo per istam, in urbe *Roma* multo prius coivissent, quam fuissent conjuncti, quando perrexissent per *Latinam*; siquidem ante *Aurelianum* portæ *Asinaria* & *Cœlimontana* fuerint collocatæ, ubi hodie extant; & si *Latina* fuerit posita milliari & dimidio
22 plus infrà. Si præterea *Tusculum* fuisset collocatum ubi hodie *Frascati*, tali casu exitum haberet ipsis commodiorem & breviorem ista Via, quam diximus dividi a *Latina* ad *Centrones*, quoniam inde per *Latinam* rursus intraret in *Asinariam*; unde non mirum supradictas plateas a veteribus etiam fuisse dictas *Tusculanas*.

Sed majoris illustrationis gratia apponam earum delineationem, prout a *Nardino* in sua *Antiqua Roma* Lib. III. Cap. III. designatur, idque sequenti modo, ut *Fig.* 2. cerni potest. 22

HIB.	*Via Tusculana*
CIN.	*Latina*
HIM.	*Asinaria*
DO.	*Appia*
GE.	*Ardeatina*
A.	*Cœlimontana* vel *Campana*
IMOH.	*Vallis Ægeriæ*
FL.	*Almon flumen*

Ad dextram *Centronum* conspicitur *Casale di Morena*, quod pertinet ad Dominos *Cencos*, ubi 23
Antiqua Villa *Lucii Murenæ* fuisse creditur: quin & ibi ab *Holstenio*, *Fabretto*, & *Matthæo*, ponitur antiqua *Columnula Milliaria*, dicta *Antonino* Imp. *ad Decimum*. *Eschinardus* credidit istam Columnam fuisse eandem, quæ ante quosdam annos reperta fuit non procul a Sacello dedicato *Divo Andreæ* in Vinea Dominorum *Ciampinorum*, in cujus Inscriptione, jam mox subjungenda, deest numerus, qui distantiam a *Roma* ad locum quendam denotare solebat: unde credidit ibi fuisse Notam X. Sed *Fabrettus* [49] vult ibi fuisse Notas X. & I. & terminasse undecimum Milliare.

D. N. IMP.
MARCO AVRELIO VALERIO
AVG. MILLIARIVS.
. . . .

Sed quoniam sæpe nominavimus supradictum *Centronem*, ut simul Curioso Lectori satisfaciamus, jam hic breviter ejus rei dabo notitiam. Huic loco, juxta *Blaudrandum* in *Lexico Geographico*, talem denominationem dedere *Batavi Centrones*, qui ejus fuere Possessores. Non quidem dissentio ab ista opinione; sed poterit tamen æque dici, hanc Fabricam fuisse Villam *Centronum*, aut potius *Centronii Pisani*, qui & insuper [50] aliam Villam in territorio *Tiburtinorum* possedit, eodem loco, quem *Tiburtini* appellabant *Centronem*, quæ pulchritudine Templum *Herculis* & *Fortunæ*, quæ ibi erant, superabat. Vixit prædictus *Centronius* temporibus *Domitiani*, qui, quemadmodum diximus, *Herculi* prope viam *Latinam* fabricavit Templum: licet dicta fabrica non tam celebris sit apud antiquos scriptores, quam quidem illa *Cordiani* in via *Prænestina*, quippe ista fuit hominis consularis; quod non miror; quum etiam *Constans* Imperator apud *Ammianum*, postquam conspexerat villas *Romanas*, maxima admiratione adductus lamentabatur, Famam, utpote quæ in omnibus aliis rebus solita sit semper accrementum dare vero, fuisse tam avaram & parcam in celebratione supradictarum villarum. 24

Partes supradictæ fabricæ sunt diversa penetralia, quæ more veteri recipiebant lumen ex parte superiori, & ab uno latere habebant longum aditum. Penetralia subterranea longa sunt palmos ducentos, alta palmos viginti, & totidem in latitudinem extensa: in isto autem penetrali, quod medium locum occupat, in altitudinem palmorum quadraginta sex, & latitudinem sexcentorum se extendente, invenitur stagnum, in quo aqua est præstantissima. Et sane ista fabrica admiratione digna occurret ei, qui ejus structuram bene consideraverit. Quidam [52] istam crediderunt fuisse villam *Luculli*,

46. *Thom. Lydiat. Chronolog. Julius Obseq. Prodig.* XXXVII. & LV.
47. *De Aquis & Aquæductibus.*
48. *Raph. Fabrett. de Aquis & Aq. ductib.*
49. *Inscript. Antiq. N.* 354.
50. *Juven. Satyr.* XIV.
51. *Anton. Regii Antiq. Tiburtin. C. V. P.* 2. *Corn. Tac.* Lib. IV.
52. *Kircher. Latium.*

li, alii majore ratione moti judicarunt, *Centronium*, vel *Patavos* usos fuisse hisce penetralibus subterraneis pro Ergastulis, ad retinendos ibi ejus nationis milites, qui Imperatorem custodire solebant. Cujus rei testimonium nobis præ-
25 bent duæ * inscriptiones sequentes:

TI. CLAVDIVS
CHLOREVS
NERONIS. CLAVDI
CAESARIS. AVG.
CORPORIS. CVSTOS
DEC. SPICVLI
NATIONE BATAVS
VIX. ANN. XLII. POSVERVNT
TI CLAVDIVS. DIADVMENVS. ET
CENSOR. DEC. SPICVLI
HAEREDES EJVS EX
COLLEGIO. GERMANORVM

ALCIMACHVS
NERONIS. CLAVD
CAISAR. AVG. GER-
CORPOR. CVST.
DEC. ALBANI
NAT. BATAVS
VIX. ANN. XXXV
H. S. E. POSVIT
BATAVVS. DEC. MONTANI
HER. EIVS. EX COLL. GER.

Ejusdem sententiæ videtur fuisse *Blondus* in *Roma*
26 *Restaurata*, ut & *Leander Alberti* in sua *Italia*, quando dicit: *Intra Cryptam* Ferratam & Marinum *apparent multa vestigia maximorum fundamentorum magnorum murorum*, *& fornices latæ*, *tali modo ut videantur longæ & latæ speluncæ*, *ubi multi homines habitare possint*; *& tam multæ conspiciuntur*, *ut simul reunitæ ad magnitudinem mediocris castelli adscenderent*. *Cluverius* [53] vult hunc locum usque ad nonum milliare distare a *Roma*; *Fabrettus* vero ad undecimum.

Postquam illud intervallum inter *Casale di Morena* & Castellum *Borghetti* per viam *Latinam* emensus fueram, reperi ejus longitudinem fere stadiorum esse sedecim, quæ sunt milliaria duo: unde probabile videtur aut hîc, aut non procul a supradicto Castello potuisse supranominatam *Robor ariam* situm suum habuisse, & non alibi quam ubi est *Osteria della Molara*, sic appellata a diruto parvo Castello non procul inde dissito, ad dextram viæ *Latinæ*, quondam a Familia *Annibaldorum* possesso: quum a Castello *Borghetti* ad istam *Osteriam* decurratur mensura quadraginta quatuor & dimidii stadiorum, quæ superant quinque milliaria & dimidium: unde quum illa situm suum obtineat sub dicto Monte *Tusculano* ad sinistram viæ *Latinæ*, non procul a ruderibus, quæ antiqui *Tusculi* fuisse creduntur, hæc a *Roma* centum sexaginta stadiis distaret, quod & accuratissime observavit *Holstenius*, qui ideo hoc loco fuisse non credidit.

27 Idem postea opinionem *Cluverii* rejiciens censuit, quod Decimus ibi fuerit, ubi jam *Borghettum* sunt & *Roboraria* ad *Osteriam* Della *Molara*: ita ut plane ab hac ad illam reperiatur distantia quinque & plurium Milliarium; & rudera antiqui *Tusculi* plus sedecim milliaribus absint a *Roma*, per viam *Tusculanam* sive *Latinam*, quod non convenit cum distantia ab *Halicarnasseo* ipsi attributa, ut & a *Flavio*, inter *Tusculum* scilicet & *Romam*; multo minus cum illa quam ei *Procopius* [54] assignavit, qui ad decimum quintum milliare posuit Castellum *Algidum*, non vero *Tusculum*.

Et licet aliquis collocaret decimam colu-
A mellam milliariam Castellum *Borghetti* versus, ubi illam collocare *Cluverio* placuit; & *Robor ariam* prope *Osteriam Fici*; *Tusculum* versus *Frascati*, & *Algidum* ad rudera *Molaræ* proxime *Rupem Papæ*, ubi tum *Alberti* [55] tum *Volaterranus* [56] illud credidere (quamvis hic initium capiant Sylva *Algidi*, quæ a nobis corrupte vocatur *dell' Aglio*, & *Aqua Julia*, quam nos *Angelosa da Algidosa* appellamus) facile tamen conciliaret aliquis supradictas opiniones & respectu situs & respectu distantiarum; & insuper verisimilius videretur talis opinio, quatenus etiam magis videtur approbare *Dionysius Halicarnasseus* Lib. x. qui narrat, *Quinctum Fabium*,
B interea temporis quum *Tusculi* cum suis Militibus moraretur, ibique de motu quem *Æqui* & *Volsci* ex *Algido* faciebant certiorem factum, subito & eadem nocte discessisse *Tusculo*; tota nocte ambulasse, & diluculo e regione Hostes invenisse. Et si jam 28
admittamus istam noctem fuisse brevissimam anni sub hac altitudine Poli Borealis, brevior esse non potuit octo horis & minutis quinquaginta sex; inde ablato crepusculo verspertino, ut & diluculo matutino, istius noctis iter fuit horarum quatuor & dimidiæ: & si supponamus dimidii milliaris iter spatio horæ unius absolvi, uti testatur Dominus *Bonaventura Teoli* [57]; tali modo *Tusculum* di-
C staret ab *Algido* ad minimum Milliaria duo cum dimidio. Cum hac verò mensura non posset conciliari Dictum *Livii* Lib. IV. C. XXVII. Decade I. qui asserit *Quinctium Roma* cum exercitu circa occasum solis discessisse; & media nocte *Algidum* pervenisse; & conveniret cum dicto Auctore solummodo *Fabrettus* [58], qui *Algidum* prope *Osteriam Cavæ* sub Rupe *Priora* collocat, licet non audeam hac de re certum reddere Lectorem.

Præterea si admittamus urbes *Tibur* & *Præneste* eodem tempore fuisse ædificatas, quo *Tusculum*; & insuper fundatas esse ad latus montis, non in cacumine, credibile erit *Tusculum* consimilem
D obtinuisse situm. Ex tam multis circumstantiis clarissime liquet, antiquum *Tusculum* situm suum non obtinuisse in cacumine istius collis, qui hodie appellatur *Tusculanus*, & ubi antiquarum Fabricarum magna copia conspicitur, quemadmodum & sic vulgaris opinio tenet: sed in extremitatibus dicti montis, in isto scilicet colle, ubi jam invenitur *Frascati*.

Ad quod multum confert, si sciamus ab hac parte versus radices supradicti montis initium ce- 29
pisse campos *Lavicanos*, qui ab altera parte extendebantur eatenus ubi hodie situm suum obtinet *Valmonto*: ita ut amplitudine eorumdem
E camporum plane etiam incertus maneat verus *Lavici* situs, qui ab antiquis scriptoribus magna [59] dissensione in diversis constituitur locis. Hoc tempore vero apparet è medio istud dubium tolli per quendam Lapidem marmoreum prope Prædium *Columnæ* in vinea *Lazarina* effossum, ubi muro immissus conspicitur super portam *Cellæ* (sive *Tinelli*,) illi vero insculpta legitur sequens inscriptio:

DIIS MANIBVS
PARTERIO ARCARIO REIPVBLICAE
LAVICANORVM QVINTANNENSIVM.

F Præterea *Lavicum* idem est quod *ad Quintanas*, & sic illud nominavit *Antoninus* in suo *Itinerario*, in quo dicit, dissitum fuisse a *Roma* quindecim Mil-

* *Fabrett. Inscript. Antiq.* Lib. x. Num. 97. 98.
53. *Ital. Antiqua.*

54. *De Bell. Gothor.* L. III. C. XXII.
55. In *Italia.*
56. *Geograph.* Lib. VI.
* *Nardin. Rom. Antiq.*
57. *Histor. Velletr.*
58. *Apolog.* ad *Grun.* cit.
† *Innocent. Matth. Chart. Topogr. Lat.* II.

Milliaribus: istud insuper approbant *Strabo*, *Cicero*, & *Silius*, idque contra sententiam *Livii*, *Suetonii*, *Isidori* [60], aliorumque, qui intellexerunt per vocem *Quintana* partem quandam habi-
30 tationum, vel locum commeatui militum assignatum.

Ex hoc loco profectus *Annibal*, ut adiret *Algidum*, supradictos Agros *Lavicanos* peragrans inde ad portam Orientalem *Tusculi* se contulit, ubi postquam ingressus ipsi prohibitus, dextram versus revertens, per dictos Agros descendit *Gabium*, quod erat collocatum trans Flumen *Osam*, prope Lacum *Gabinum*, sic a vicinia *Gabiorum* denominatum. Iste Lacus insuper adhuc dicitur Lacus *Castilionis*, ut & Lacus di *Sancta Pressede Blondo* [62] & *Volaterrano*, qui non per istum intellexêre *il Regillo*; sed quidem illum qui non procul a *Monte Falcone* abest (ut observat *Fabrettus* de *Aquis* & *Aquæductibus*) unde Originem trahit *Aqua Felix*, sic denominata a nomine Cardinalis *Felicis Perretti*, qui postea fuit *Sixtus* V. [63] qui tempore Pontificatus sui eam conducere fecit *Romam*. Usque ad dictam aquam extendebatur Sylva *Algidi*, ut affirmat *Blondus* [64], sed & observatur delineata in Mappa topographica agri *Romani* Anno MDXIII. sub pontificatu *Leonis Decimi* impressa.

Pars hujus Sylvæ ad Cameram Apostolicam pertinebat, & Populus *Frascati* ibi obtinebat jus pascendi & lignandi per herbam æstate progerminantem, ut & cujuscunque generis ligna demortua & infructifera a fossa *Formicæ* sub eremo *Camaldulorum* ad eam vallem quæ inter *Frascatum*, & Montem *Porcium*, usque ad fossam antiquam, quæ confinia viæ *Coloniæ* extra Vicum *Sancti Marci* attingebat. Sed postquam Cardina-
31 lis *Scipio Burghesius* illam Anno MDCXIV. acquisiverat, paulo post istam cædi [65] curavit, & in emphyteusi multis privatis hominibus *Frascati* territorium concessit, retinetque adhuc hodie Nomen istius Sylvæ. Æstimavi me bene egisse, quod hanc digressionem respectu supradicti lacus fecerim, ut eorum opinionem debilem esse convincerem, qui eundem credidere fuisse Lacum *Regillum*.

Ut autem revertamur ad *Gabios*, fundati fuerunt à *Siculis* in medio loco inter *Romam* & *Præneste*, quo iter suum instituit *Annibal*, quando discedebat à *Tusculo*, inde transeuns *Pupinam*, cujus situs ubi hodie *Osteriæ* turris novæ juxta *Kircherum*, (in *Latio*) secundum *Fabrettum* vero inter Flumen *Anienem*, & fossam *Aquæ nigræ*. *Varro* & *Valerius Maximus* volunt territorium *Pupinæ* fuisse adeo sterile, ut nec vites neque herbæ ibi progerminaverint.

Hac ratione convenit tollere istud dubium, quod facile posset oriri, si aliquis putarit, milliaria veterum non fuisse æqualia nostris hodiernis. *Lucas Pætus* [66] & *Daniel Angelocrator* [67] testantur hæc esse uniformia & similia milliaribus *Latinis* & antiquis *Græcis*: & quincunque hoc vellet impugnare coactus esset confiteri, ut *Kir-*
32 *cherus* [68], hæc esse longiora illis: quum locus veteris *Pupinæ*, juxta hunc *Scriptorem*, hodie a *Roma* distet milliaribus sex, qui antiquitus non distabat nisi octo; & *Præneste*, quod antea distabat milliaribus viginti tribus, hodie solummodo viginti a *Roma* abiit. Unde sequeretur, si *Tuscu-*

60. Annot. in *Sex. Pomp. Fest. Suet.* in *Nerva* T. *Liv.* Lib. XII.
61. *Isidor.* Lib. XV. *Liv.* Lib. VI. Dec. III.
62. *Flav. Blond. Rom. Restaur. Volaterr. Geogr.* L. VI.
63. *Ciaccon.* in *Sixto* V.
64. In *Rom. restaur.*
65. Ex *instrum.*
66. *De Ponderib. & Mensur.*
67. *De Mensur.*

A *lum* abfuisset a *Roma* milliaribus duodecim & dimidio, nunc ejusdem ruinæ & rudera debere distare fere milliaribus decem & non olim milliaribus sedecim, quatenus distant; Quod *Holstenium* [69] ejusque sequaces movit, ut crederent *Tusculum* fuisse ubi hodie *Frascatum*, aut paullo longinquius a dicto loco remotum; & ad latus, non in cacumine montis: & sic plane ibi esset eadem distantia Milliarium sedecim, si dimetiantur (juxta viam hodiernam, non juxta antiquam) illi ipsi, qui eam habuere pro via *Tusculana*: interim centum stadia, non ultra *Frascatum* extenderetur, si incipiamus metiri a *Columella Milliaria*, quæ sub Ca-
B pitolio erat, e regione Arcûs *Septimii Severi*.

Si observemus diligenter illud examen, quod hucusque respectu antiquarum viarum & locorum *Tusculo* vicinorum est factum, patet satis superque esse probatum, verum situm ejus fuisse, ubi jam *Frascatum*, aut paulo remotiorem; sed non quemadmodum vulgus credidit, in Cacumine montis *Tusculani*.

Superest adhuc ut omne istud comprobetur observatione quadam subtili ex superstite multitudine antiquarum fabricarum tam in summitate prædicti monti, quam in latere & planitie ejus: 33
quod tamen non adeo facile fit, quum non possit
C ex iis conjecturari, num sint reliquiæ mœnium urbis, aut potius rupis fortissimæ, quæ illam tuebatur, quale studium etiam hîc adhibuerunt *Holstenius*, *Ferrerius*, *Ferruccius*; qui volunt ista rudera esse quædam vestigia Palatii cujusdam villæ urbanæ (cujusmodi erant in summitate dicti montis) & reliquias aliarum consimilium villarum, quæ alibi conspiciuntur.

Prospectus dictarum Maceriarum, quæ in cacumine montis reperiuntur, directe tendens ad *Garbinum*, fere passibus quadraginta in longitudinem protenditur, & hodie a civibus, veterem traditionem sequentibus, habetur pro Exedra,
D hoc est Schola sive Academia *Ciceronis*. Fuisse vero ejusmodi hoc deducunt ex muro quodam, formam cathedræ exhibente, qui in cubiculo mediano existit; estque ista cathedra similis uni istorum sedilium, in quo consistere quondam [70] solebant viri quidam Consulares, qui certis vicibus coram Imperatoribus & toto Senatu, more philosophico cum tam magno Oratore disputarunt de officiis aulicis, & bonis moribus, qui in animis nobilibus inveniri necesse sunt; qui & sæpe, ut idem ille ipse *Cicero* narrat, ad naturæ secreta scrutanda progrediebantur. Ego autem si hoc tali modo deberem asserere, quum plus una vice locum hunc viderim,
E inde concipere deberem & in animum inducere ejusdem *Tullii* frugale receptaculum, ut & situm loci elegantissimum; Balneum cum Labris iis- 34
que magis commodis quam sumptuosis, sic insuper cœnacula, & aditus Bibliothecæ: quum vero hæc omnia hodie a temporis injuria penitus sint deformata, dubito num vere fuerit idem receptaculum, idque tam propter murorum ruditatem, solummodo silicibus forma reticulata coöpertorum, quam quod ibi nullum eorum appareat ornamentorum, quibus veteres habitacula sua nobilitare & adornare solebant. Et quod pejus, fru-
F stra omnis adhibetur cura & diligentia in istis requirendis, quippe omnia terra contecta, aquis attrita, & spinis cooperta sunt.

Ast si velimus fidem adhibere *Æschinardo*, ille asserit [71], in omnibus ædificiis istorum temporum, locum fuisse consimilem, disputationibus &

68. In *Latio*.
69. Lib. II. C. X.
70. *M. T. Cicer. Tuscul. quæst.*
71. *Agro Rom. Pallad. Archit.*

& conferentiis destinatum. Ego autem teneo ibidem loci fuisse Theatrum: quum supradicta, quæ adhuc supersunt habitacula, maximam partem sint uniformia istis, quæ habentur in Theatro *Polæ* in *Dalmatia*, a *Serlio* Libro III. Architecturæ designata: ubi legitur, scalis non esse opus ad adscendendum illud Theatrum, quum mons commoditatem illud adscendendi præstaret, eo modo uti in Scena, & quod solummodo Gradus ibi essent necessarii, quorum multi hodie ab hac parte dispersi observantur hac figura qua cernis exsculptos *fig.* 3.

35 Ubi postea transimus ad considerandum Hippodromum, vel forsan locum equos tractandi & domandi, qui a parte *Romam* versus deprehenditur, nil aliud ex forma & situ ejus conjecturare possumus, nisi quod fuerit (ut *Holstenius* [72] ex Auctoritate *Plinii Secundi* [73] dicit) alia quædam villa urbana ad quendam hominem privatum pertinens: quum vero mensurabatur ad contemplandum, an ejus longitudo adscenderet ad octavam partem milliaris unius, latitudo ejus reperta fuit cannarum triginta quinque, altitudo vero viginti octo, insuper formam suam ellipticam retinens.

36 An porro fuerit Hippodromus aut aliud quid, quum valde sit collapsum & in Cannetum redactum, ex sola structura certum judicium formari nequit: tanto magis quod excavando ibidem non sciam, an inscriptio ulla aut monumentum aliquid cujuscunque generis fuerit repertum. *Kircherus* illud sumsit pro Amphitheatro, licet nil aliud ibi observem ipse, nisi muros in orbem ambientes, cujus diameter palmorum est viginti & centum.

Ad dextram ejusdem, ubi itur versus montem, hodie sunt grandes Saxifodinæ in situ suo naturali jacentes: quod argumentum certissimum, sitam ibi non fuisse urbem: idque eo magis, quod ibi non supersit spatium satis amplum, in quo populus consistere potuerit ad contemplandos ludos & agones, qui ibi soliti fuerunt fieri.

Sed quum occasio sic tulerit, ut de Silicibus ageremus, non extra scopum erit, si referamus quid de *Tusculanis* scripserit *Plinius* Lib. XXXV. Cap. XVIII. quod de iisdem testatur *Agricola* [74], naturam rerum fossilium describens: ubi rationem reddit, quare silices *Tusculanæ* igne findantur; dicit enim in se multum salis nitri continere; quo differant ab aliis di *Massa* de *Carara* dictis, quæ Serra dissecantur. Hoc tempore multæ istiusmodi Saxifodinæ reperiuntur in agro *Tusculano* & prætertim in Villa *Odescalchia* prope fontem Aquæ *Tepulæ*, ad Molam *Grotta Ferrata* dictam,

37 ut & proxime Villam Dominorum *Boncampagni*; ut etiam ad exitum Patrum *Jesuitarum* in Villa Dominorum *Piscatorum*, & alibi. Valde autem defatigatus fui, quando ibi inquisivi quandam cretam, quam *Plinius* Lib. II. C. XCVI. tam tenacis qualitatis esse asserit, ut si aliquis ibi affigat lignum quoddam, illud postea inde extrahere non possit, nisi vi maxima; plane similis qualitatis cum illa, quæ reperiebatur in Sylva *Ciminia*, & ad Aras *Murcias* infra *Vejentum*, quæ, ut puto, conficiendis lateribus inserviebat, aliisque ad fabricas necessariis operibus: quum *Varro* de *Re Rustica* Lib. I. testetur, in agris *Tusculanis* prædia lateribus ex terra cocta confectis circumdari, idque propter magnam abundantiam ejusdem Cretæ, quibus maxime *Tusculani* abundabant: nec mihi quacunque etiam adhibita diligentia, erat possibile reperire præcise istum locum, ubi prædicta Creta produceretur: hinc facile persuadeor & adducor, ut credam, progressu temporis, fuisse a-

72. Adnotat, *Cluv.*
73. Lib. V. Epist. VI.
74. Lib. VIII. de *Reb. Fossil.*

A liæ materiæ permistam, & alia terra conspersam, aut potius introrsum quandam fabricam recentiorem fuisse compactam. Verum quidem est, ante quosdam annos quandam coloris albi cretam fuisse repertam in vinea quàdam non procul distante a Villa *Montis Draconis*, in loco *Sylva* dicto; sicut etiam prope terram Montis, vulgo *Compatri*, aliam coloris rubidi fuisse inventam; ex qua fingebantur Vasa, respectu coloris & bonitatis ista *di Bassanello* æquantia: ubi vero dicta Creta defecit, labor etiam intermissus fuit.

Sed ut ad propositum revertamur, præter supra adductas notitias alias majoris momenti nobis

B præbet idem *Plinius* Lib. XVII. Cap. XLIV.; testatus supra montem *Cornu*, aut *Corniculum* fuisse quoddam nemus a Gentibus *Dianæ* consecratum; 38 nec dubito, quin ibi insuper fuerit Templum, quum & aliud ipsa pariter habuerit in Sylva *Aricina*, quod appellabatur *Artemisium*, maximopere celebre ex concursu Matronarum *Romanarum*, quæ urbem egredi solebant, & prædictum locum adire, ad satisfaciendum votis suis, idque decimo tertio *Augusti*; manibus gestantes faculas ardentes; cujus rei mentionem faciunt tum *Propertius* in persona *Cynthiæ* suæ, tum *Ovidius* in *Fastis*. Hisce temporibus eo concurrunt fideles, non amplius

C ad visitandum Templum falsi cujusdam Numinis, sed miraculis clarentis imaginis Dei Matris, (quod vulgo dicitur *di Galloro*) secundo Pentecostalis Festivitatis die, indeque gratias innumerabiles obtinent.

In dicta Sylva *Cornu* erat celebris [75] Platanus *Passieni Crispi*, *Neronis* Vitrici, quem ipse vino rigabat, ut majori vigore cresceret: & hoc facere sæpius solebant veteres, quippe sub amœnitate quarundam arborum, delectationis gratia, jacebant, ut *Plato* in suo *Phædro* demonstrat, & *Tullius* de *Crasso Scævola*, *Antonino Costa*, & *Sulpitio* in suis Comessationibus, quibus subminis-

D strabatur statio ab arbore umbra ista gratissima.

In ea ipsa Sylva erat quidam celebris [76] Ilex cujus trunci crassities; ambitu suo, in gyrum triginta quinque pedum se extendebat: nec illud videri debet res hyperbolica, quum ille ipse *Plinius*, loquens de Platano *Lyciæ*, dicat in ejus trunco 39 fuisse excavatam speluncam pedes octoginta & unum latam, ramosque ejus præbuisse receptaculum *Licinio Muciano*, umbramque delectabilem, nec illi tantum, sed etiam ejus sociis numero decem & octo, quorum unusquisque spatium habebat sat commodum & amplum. Idem

E de *Cajo* testatur *Plinius* [47], istum sub consimili planta, quam habebat in sua villa *Velletri*, quindecim suis charissimis Amicis lautam apposuisse mensam. Quidam [48] voluere supradictum montem *Cornu* fuisse eundem, ubi situm suum obtinebat *Monticelli*, locus in *Sabina*, & omnes vicinos colles appellatos fuisse *Corniculos*, quemadmodum revera demonstravit sequens in marmore Inscriptio, paucis ante annis reperta in dicto loco *Monticelli*.

[79] SERVIO TVLLIO
EX CORNICVLO
ROMANORVM REGI
NUMINI, MAJESTATIQVE EJVS
DEVOTVS
F POPVLVS CORNICVLVS

Hoc non obstante, aliis [80] placuit, montem *Cor-*

75. *Plin.* ubi sup.
76. *Plin.* Lib. XII.
77. *Plin.* ubi sup.
78. *Kircher.* in *Latio.*
79. Abb. *Piazza Gerarchia Eccl.* fol. 267.
80. *Kirch.* in *Latio. Plin.* Lib. XVII.

Cornu fuisse quendam monticulum parvum à monte *Tusculano* remotum, in cujus summitate erat collocata villa Dominorum *Cavallettorum;* ad hoc vero credendum fuerunt impulsi a multis ruinis, quæ in isto inveniebantur. Et quoniam
40 annis præterlapsis in quadam Vinea quidam muri fuerunt detecti, qui in modum Templi adstringebantur, ideo vestigia Templi *Dianæ* credebantur, a *Plinio* [81] commemorati, quod & a *Kirchero* affirmatur in *Latio* suo; licet hoc nulla alia ex re comprobetur, nisi ex Sylva, quæ ibidem est, pertinetque ad Abbatiam *di Grotta Ferrata.*

Sed omnia hæc, quæ juxta citatum Auctorem inveniri debent in circuitu *Tusculi*, nulli nobis Fundamento sunt, neque movent, ut assignemus hoc pacto verum ejus situm; quum quædam ex illis, quæ adhuc hodie ibi reperiantur, tam prope sint *Tusculano* & *Frascati*, ut nos adhuc in eodem dubio priori relinquant: aliæ èatenus sunt remotæ, ut nullo modo inserviant ad probandum nostrum propositum: Itaque ego judico necessario recurrendum esse ad res magis particulares & speciales, certiores & evidentiores.

In eum finem considerari possent cavitates *Sperone*, quæ in summitate Montis versus Orientem reperiuntur, quæ subministrarunt & etiamnum subministrant lapides multos in usum Civitatis *Frascati*, ut & Villarum & Castellorum circumjacentium: quippe Anno MDCXVI inde extracta fuit maxima copia ad Fabricam eximii prospectus Ecclesiæ Cathedralis, & prius etiam in usum novæ portæ Urbis, & Ecclesiæ Parochialis in Monte *Porcio*, sicut & in usum Ecclesiæ *Sancti Silvestri* Patrum *Carmelitarum Discalceatorum* in Monte
41 *Algido:* sed quum tamen neque *Strabo*, neque *Plinius* aliquam dictarum cavitatum mentionem faciant, & solus *Vitruvius* [82] generaliter de iis loqui videatur; nulla inde notitia aut consequentia firma deduci potest. Et solummodo supradicti Auctores de quibusdam rebus, in dicto loco, & ejus confinio exsistentibus, loquuntur, quemadmodum de Arboribus, de Creta, de Silicibus, & multis aliis minoris momenti rebus; de quibus facere mentionem non fuisset promptum, si *Tusculum* ibi non prope adjacuisset: quemadmodum in usu [83] habuere in descriptione urbis *Vejorum*, *Lunorum* aliorumque locorum, ubi similes erant Cavitates: nec aliud dicunt respectu propositi nostri, nisi quod *Tusculum* sumptuosis ædificiis & villis fuerit circumdatum; præprimis ab illa parte, quæ *Romam* respiciebat; & quod ejus collis fuerit fructiferus, & aquis abundans, situsque ejus amœnus, & *Romanis* [84] maximo oblectamento: unde a *Martiale* & aliis celebrari meruit; imo *Marco Varroni* [85] in tantum placuit, ut a *Pisone* ibi emi sibi voluerit ejusdem villam, in qua, præter alia oblectationis loca, erat vivarium diversis animalibus repletum.

Erant istæ Villæ in *Tusculo*, locisque aliis, permagnæ, diciturque illa Imperatoris *Hadriani*, in *Tibure* [86], longa fuisse fere tribus milliaribus, lata vero quintam partem dicti spatii, istius autem circuitum fuisse ajunt milliarium fere sex: quin & ipse *Varro* narrat, suo tempore dictas vil-
42 las fuisse factas magis ad pompam, quam in alium certum usum: & ideo tam magnificæ & pretiosæ erant, ut ipsa earum pavimenta & muri rarissimis & subtilissimis marmoribus variegati es-
A sent & incrustati, insuper picturis & sculpturis varii generis exornati. [87] Unaquæque dictarum villarum Atrium suum ante Palatium, cum columnis marmoreis similiter pretiosis & raris habebat, dein Porticum, [88] ad instar circuli rotundum, in ejusque medio exiguam areolam cum atriolo, quod ad illam aditum præbebat. In Palatio plura erant conclavia cum tricliniis & cœnaculis, ut & quibusdam Tabulatis, ut tempore hyberno, ibi cœnarent: solebat ibi insuper esse Bibliotheca, habitatio custodis villæ; præterquam quod hic stationem suam haberet ille, qui totius villæ supremam gerebat curam, quemadmodum patet ex se-
B quenti Inscriptione, quam *Gruterus* [89] nobis affert, & quæ in quadam vinea territorii *Tusculani* reperta est.

GAVIE
HELPIDI
UXORI SANCTISSIMAE
T. FLAVIVS AVG. L.
E. P. AP. HR. A.
PROC VILLARUM
TVSCVLANARVM

Erat ibi præterea habitatio operariorum, Granarium, & Pistrinum, vel locus destinatus molæ manuariæ dictæ Pilum, quæ inserviebat farinæ 43
C conficiendæ; erant & alia penetralia conservationi instrumentorum in usum villæ necessariorum: insuper aderat Hippodromus, inserviens pro cursu, vel vehiculorum vel equorum & stadium, in quo viri currebant, ubi veteres se tali modo ad conservandam sanitatem & agilitatem corporis exercebant: erat ibi Xystus, hoc est Porticus tecta in modum semicirculi, in quo Athletæ sub tecto se exercebant; & consistorium, ubi pulvere adspergebantur. Præterea hîc erant Theatrum, Vivarium, Piscinæ, Thermæ, Bal-
D nea frigida, Sacella, varia Ambulacra, Pomarium, Vinea, Prata, & Horti, ex quorum Lauris, Buxis, & Myrtis varie complicatis & intertextis componebantur Topiaria amœna, quò tempestate calida se recipere poterant; & in medio sub Dio erat Impluvium, quod nos cisternam appellamus, quo aquæ pluviæ confluebant, quæ è Domorum tectis per subgrundia decidebant.

Omnes suprà dictæ partes primariæ in bene ordinata villa inveniri solebant; quod si quædam earum deesset, Patronus ejusdem eo nomine re-
E prehendebatur: quemadmodum in *Lucio Licinio Lucullo* accidit [90], qui à Censoribus notatus fuit, eo, quod in sua Villa *Tusculana* plus erat ad purgandum, quam ad arandum; quippe terra carebat, & maximam partem, magnificis Palatiis consistebat. Sed omnes partes requisitas, aliaque plura,
credo quod habuerint in *Tusculano* celebres Villæ 44
[91] *Galbæ*, *Coccejorum*, & *Lucii Cornelii Syllæ* Dictatoris, cui tempore belli *Marsici* donata fuit villa ab Exercitu, & forsan à Legione G. *Ferrata*, postquam [92] eum corona graminea coronaverat: unde postea, ut ipse testatur, hunc honorem, & ceremoniam depingi curavit in parietibus ejusdem Villæ, quæ adhuc hodie nomen dictæ le-
F gionis retinet. Vendidit illam postea rursus *Marco Tullio Ciceroni*, qui pro ea quinquaginta mille Scutatos solvit, uti narrat *Budæus*, [94] præter illud, quod supradictus *Cicero* ibi impendit, quando illam

81. Lib. XVII. C. XLIV.
82. *Archit.* L. II. C. VII.
83. *Blond. Rom. Triumph.*
84. *Strabo.* Lib. V.
85. *De Re Rustic.*
86. *Del Re Histor. Tibur.*

87. *Pallad. Archit.* Lib. III.
88. *Blond. Rom. Triumph.*
89. *Jan. Grut. Inscr.*
90. *Plin.* Lib. XVIII. Cap. VI.
91. *Cicer. de Arcano Cæs.* ad *Q. Fratr.* Lib. II.
92. *Plin.* XXII. C. VI. & L. XXXVI. C. XV.
93. *Anton. de Effect. Suburb. Rom.*
94. *De Asse* Lib. III.

D. B. Matthæus. B

lam restaurabat ex incendio, quod paulo ante Odio *Servorum* erat passa; quo incendio ibi absumpti & in cineres redacti insuêre tapetes & picturæ, quarum valor ad mille sestertium adscendebat. Alia vice paullo post ignem fuit passa, à *Clodio* Hoste aperto *Tullii*, subjectum, quum interea is in *Arpino* moraretur: sed *Cicero* non intermisit de novo maximis impensis eam secundis resarcire curis.

Magnam insuper famam obtinuit illa *Valerii Catonis* [95], Grammatici *Galli* celeberrimi: quæ elegantissimis picturis adornata fuit, cuique extrema patroni sui ætate a Creditoribus injecta manus fuit & publice venum proposita: unde cecinit *Bibaculus* [96]:

45 *Catonis modo, Galle, Tusculanum*
Tota Creditor urbe venditabat.

Similes istis respectu magnificentiæ fuere [97] *Acilia*, *Aurelia*, & aliæ, quæ dicebantur *Cornelia*, *Cenonia*, *Cornuficia*, *Crispa*, *Flavia*, & *Fortunata*, præter fabricas sumptuosas ibidem ædificatas a *Papyriis*, *Liciniis*, *Meneniis*, *Planciis*, & *Populiis*, nihil cedentes tam magnitudine quam pulchritudine iis Familiarum, *Cornutæ*, *Marciæ*, *Valeriæ* & *Cincinnatæ*; nec istis quæ erant *Pomponii Attici*, *Lucii Murænæ*, *Marii Marci Bæbii* Dictatoris, *Caji Asinii Pollionis* Poëtæ & magni nominis Oratoris, (qui ad ætatem decrepitam vergens in dicta sua villa vitam finire volebat) & aliorum Patritiorum *Romanorum*: Hinc *Strabo* [99] commotus est ut diceret, *Tusculum* pulcherrimis & elegantissimis villis fuisse adornatum, illudque ipsum splendore istarum Fabricarum tanquam corona circumvallatum fuisse.

Quod ad situm, & locum præcisum earundem villarum attinet, *Pyrrhus Ligorius* dicit [100] se monumenta quarundam vidisse, affirmans *Planciam* eodem loci constitisse, ubi suo tempore villam habebat *Cardinalis Ranuccius Farnesius*, paullulum vero sub eadem collocatam fuisse istam *Pomponii Attici*. Asserit insuper, *Porciam* fuisse magis versus *Tusculum*; *Liciniam* è regione Lacûs *Regilli*, super altitudinem tumuli cujusdam; *Lucullanam*, ubi hodie *Frascati*; & ad finistram hujus *Flacciam*, ubi (ut ille ipse narrat) villam habebat *Alexander Ruffinus*; cui non adstipulatur *Laurentius Begerus* [1] auctoritate *Molineti*, qui
46 hanc villam *Ruffinam* habent pro structura quadam Pontificis *Pauli* III., ut infra narrat *Leander Alberti* [2], qui vivente dicto Pontifice scripsit, cujus verba sunt hæc: *Hic prope* Frascatum *hodiernus Papa* Paulus III. *exædificavit elegantia & venusta ædificia, quo sæpius* Roma *se conferebat ad recreationem mentis ærumnosæ.* Et illud confirmant tum *Jodocus Hondius* [3], tum *Cluverius* [4] dicentes: Frascati *olim* Tusculum, *prædia hodie habet magnifica, in quibus illud, quod erat* Pauli Tertii, *elegantissimum est.* Quæ obscura verba dubium relinquunt, utrum intelligi debeat in loco supra assignato fuisse prædictum villam *Ruffinam*, aut potius istam *Aldrobandinorum*, quæ vulgo appellatur *Belvedere*: quippe ista elegantior est & magnificentior, non solum *Ruffinâ* sed & omnibus aliis. Et quoniam insuper *Li-*

A *gorius* vult dictam villam *Ruffinam* fuisse eodem loci, ubi *Plancia*; *Begerus* vero & *Molinetus* volunt, ubi erat *Flaccia*; dubium sane non exiguum superest: utrum villa *Ruffina* revera fuerit illa, quam fabricare fecerat dictus Pontifex, an vero quædam alia. Ex eadem ratione valde anceps est, quis fuerit verus situs villarum *Planciæ* & *Flacciæ*, ut & omnium illarum, quarum locum assignare *Ligorius* studet, nisi in posterum aliqua inscriptio aut alia memoria illud dilucidet, eo magis, quod ex sequentibus versibus, in Fonte dictæ villæ adscriptis, nil aliud deducatur, nisi quod a Domino *Ruffino* fuerit confecta:

B RVPE SVB HAC VAGA LYMPHA FVI SINE NOMINE; SED NVNC 47
RVFFINA E DOMINI NOMINE LYMPHA VOCOR,
ILLE ETENIM SPARSOS LATICES COLLEGIT, ET VNDAS
AVXIT, ET EXSTRVCTO FORNICE CLAVSIT AQVAS.

Probabilius conjici posset situs quarundam aliarum ex nominum Etymologia, quæ nomina hodie adhuc quædam loca circumvicina *Tusculana* retinent: quæ commode quibusdam antiquarum Familiarum nominibus adaptantur & accommodantur, quemadmodum nomen *Coccejorum* accom-
C modatur cuidam loco qui hodie *Coccejanus* dicitur: unde etiam dici potest, Domum *Maræ* provenisse a *Mariis*, *Murænam* a *Murænis*, vallem *Marcianam* a Familia *Marcia*, & *Prataporcias* fuisse dictas a Pratis *Porcii Catonis*, & *Cornufellam* a *Cornuficiis* fuisse possessam: quæ villæ & prædia, supposito tali situ, omnia supersunt ab illa parte, quæ *Romam* respiciebat, respectu habito ad *Tusculanam* Urbem.

Sed hic aliquis se posset opponere & dicere, si omnes villæ supra nominatæ fuissent collocatæ in parte illa *Romam* versus, (si scilicet supponamus istam *Luculli* fuisse, ubi hodie est
D *Frascati*,) hoc modo ibi antiquum *Tusculum* situm suum obtinere nequivisse: quum insuper majoris speciminis gratia pro argumento possit adduci auctoritas *Guntheri Ligurini*, & Abbatis *Uspergensis*, 48
qui seculo undecimo florebant, hoc est fere mille & ducentis annis post *Strabonem*; quandoquidem alter [5] in describendo iter *Barbarossæ* versus *Tusculum*, hoc modo dicit:

Inde petens celsam, quæ Tuscula *dicitur, urbem*
Mœnibus excelsis, tutaque in parte resedit.

Alter [6] vero, in describenda destructione istius civitatis, hæc scripta reliquit: *Erat autem* Tusculorum *firma Civitas, ultra* Romam, *in montibus*
E *sita*, quo simul nobis demonstratur, non in latere, sed in cacumine montis antiquum *Tusculum* suum obtinuisse situm.

Tali objectione sufficienter satisfieri credo responsione sequente: scilicet, ex loquutione obscura & poëtica supradictorum scriptorum non posse deduci consequentiam quam volunt: quia sive *Tusculum* fuerit in latere, sive in summitate, semper tamen firmum manet, inveniri in montibus. Præterea si *Tusculum* animadvertatur ab infimo situ *Romæ*, unde *Barbarossa* & *Romanorum* exercitus fuere profecti, hinc appareret, in loco montoso & eminenti obtinuisse situm, idque vel
F in extremitate montis, vel in monte ipso, prout accidit. Inde illud, quod etiam *Virgilius*, more poëtico, situm *Prænestes* in Monte describit, dum canit *Æneid.* Lib. VII. versu 682.

Quique altum Præneste colunt. 49
ut & *Juvenalis*, qui ita de *Præneste* atque *Tibure*

95. *C. Sueton. Tranq. de Ill. Gramm.*
96. *Volat. Antrop.* Lib. XIV.
97. *Pyrr. Ligor.* MS: vol. XIX.
98. *Fulv. Ursin. Elog. Vir. Illustr.*
99. *Geograph.* Lib V.
100. Dict. vol. XIX.
1. *Numism. Pontif.*
2. In *Italia.*
3. *Descript. Ital.*
4. *Geograph.*

5. *Gunther. Ligur. in Vit Frid. I.* Lib. I.
6. *Conr. Usperg. Chron.* ann. MCLXXXX.

bure loquitur *Satyr.* XIV.

— — *Summa nunc* Tiburis *Arce*
Nunc Prænestinis *in Montibus &c.*

[7] Neque aliud quid in summitate Montis præter *Prænesten* fuit, *Tibur* vero ad ejusdem radices, non in summitate situm fuit.

Atque hic quidem tacere non possum: maxime mirum mihi videri, quod *Virgilius*, qui passim in Carminibus suis conspicuas maxime Civitates *Latii* enumerat, nullam plane mentionem faciat *Tusculi*, quum non solum celebris fuerit Urbs, atque vicina, verum ipsius *Augusti* progenitorum patria.

Silentium hoc quidam adscribunt Poëtæ privatæ iræ, quæ causa etiam fuerit, cur non meminerit *Nolæ*, Urbis tantopere celebris in *Campania Felice*. Quum enim ipse deliciosam valde haberet Villam prope dictam Urbem, velletque ad majorem commoditatem suam aquam illuc derivare, id a *Nolanis* obtinere non potuit, quare Carmine suo nomen illud Urbis *Nolæ* exclusit, proque eo *Oram* Lib. *Georg.* II. versu 224. posuit, prout testatur *Aulus Gellius*, cujus in *Noctibus Atticis* Lib.
50 VII. cap. XX. hæc sunt verba: *Scriptum in quodam Commentario reperi, versus istos à* Virgilio *ità primùm esse recitatos, atque editos:*

Capua, *&* *vicina* Vesævo
Nola *Jugo:*

Postea Virgilium *petiisse à* Nolanis *aquam, ut duceret in propinquum Rus*; Nolanos *beneficium petitum non fecisse: Poëtam offensum, nomen Urbis eorum, quasi ex hominum memoria, ex carmine suo derasisse,* Oraque *pro* Nola *mutasse; atque ità reliquisse:*

Et vicina Vesævo
Ora *Jugo.*

Similem huic historiam narrat *Servius* ad Librum *Æneid.* VII. versu 740.

Et quos maliferæ despectant mœnia Bellæ

ubi pro *Bella* scripsisse quondam *Nolam* afferit idem *Servius*, sed iratum postea ob negatum ho-
51 spitium mutasse. Verba *Servii: Multi* Nolam *volunt intelligi, & dicunt iratum* Virgilium *nomen ejus mutasse propter sibi negatum hospitium, & ità apertè noluisse dicere, sed ostendere per Periphrasim; nàm illic* Punica *Mala nascuntur.* Verum ego non puto hac de causa vel simili *Tusculum* a Poëta nostro silentio fuisse involutum, verum ut *Augusto* potius adularetur *Mœcenati* suo, unde neque *Velitras* ejusdem Patriam nominavit, cœlestis enim Imperatorem fecit originis Lib. *Æn.* VI. versu 792.

Augustus Cæsar *Divum Genus, aurea condet*
Sæcula qui rursus Latio.

Numen eundem appellat Ecloga I. versu 6.

O Melibæe, *Deus nobis hæc otia fecit,*
Namque erit ille mihi semper Deus.

Quem & inter Deos collocat *Georg.* Lib. I. versu 24.

Tuque adeò, quem mox quæ sint habitura Deorum
52 *Concilia incertum est; Urbesne invisere,* Cæsar,
Terrarumque velis curam.
An Deus immensi venias maris, ac tua Nautæ
Numina sola colant.
An nè novum tardis sydus te mensibus addas
Quà locus Erigonen *inter, chelasque sequentes*
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & Cœli justa plus parte relinquit.

Nec aliam ob causam investigare atque enumerare Patriam & progenitores ejusdem mortales voluit, ad *Messallæ Corvini* exemplum, qui in Li-

A bro de *Progenie Augusti* Antiquitatem ejusdem ostendens, stirpem Patriam nequaquam nominat. Eodem modo (ne *Augustum* offenderet, *Perusiam*, nobilissimam licet Urbem, præteriit: affirmante Patre *Felice Ciatti* Parad. I. de Patria *Propertii*, fecisse id *Virgilium*, ne *Octavii* offenderet aures, qui immortali odio *Perusinos* prosequebatur, miserabilemque victimam trecentos ejusdem Urbis cives fecerat.

Existimabam ego clariorem quamdam veri situs 53
Antiqui *Tusculi* memet inventurum notitiam penes *Flavium Blondum*, accuratum Antiquitatum *Latii* scriptorem; verum ubi inspexi, inveni cum iisdem mecum luctari difficultatibus, isto quidem in lo-
B co, ubi a *Strabone* Antiquum *Tusculum* describitur. Lubet autem ipsa ejus verba ponere; scribit itaque *Reg.* III. *Rom. Instaur.* hoc pacto: *Maximam Regiæ, aut magnificentissimi, ut* Strabo *dicit, Apparatus fundamenta esse non dubitamus, quæ proximis pariter* Cryptæ, *&* Marino *locis, Fornices, & manufactas Cavernas habere videmus, Oppidi unius Populum in habitationem, & quidem commodam, admissuras.* Quæ verba ab *Italo* interprete ita concepta sunt: *I fondamenti del Palaggio Reale, che vi asserisce ancora* Strabone, *credesi, fossero appresso* Grotta Ferrata, *e* Marino, *là dove oggi ancora si vedono altissime volte d'Archi, e di Fabriche, e gran*
C *Caverne, nelle quali potria commodamente abitare un buon numero di Popolo*; Neque ibidem mentionem facit ullam Ruinarum, quæ supra Montem *Tusculanum* sunt, quæ probabiliter capi possunt de isto Palatio, si quidem in summo Monte olim fuisset *Tusculum*, quo casu mediam occupasset Urbis partem: Veruntamen omnino (ut & alias diximus) verosimilius est, eo loci olim fuisse *Tusculum*, ubi nunc ipsum *Frascati* est, vel haud longe ab eodem Oppido.

Hujus meæ opinionis fuit etiam *Leander Alberti*, qui ruinam hujus Urbis describens, ita loquitur in *Italia* sua: *Remansit postea longo tempo-* 54
D *re destructa ita atque non habitata; & licet denique sensim incolis & ædificiis aucta sit, nequaquam tamen ad pristinum splendorem resurrexit.* Hinc concludere licet Antiquum fuisse *Tusculum*, ubi nunc est *Frascati*, non vero in summo Montis, ubi sane ne ullum quidem apparet vestigium reædificationis vel in universum, vel in parte.

Ubicunque vero fuerit, positum certe fuit inter quintum sextumque Clima, quod temperatissimum judicat *Avervoës Colloq.* II. Cap. ult. & *Menander* Lib. VI. Epist. VII. in Quarta *Italiæ* regione, ubi Mundi axis super Horizontem tollitur gradibus XLI. & minutis XLV. a *Canaria* distans, respectu Æ-
E quatoris, gradibus XXXVI. & min. L. ut observant *Ptolemæus*[8], *Appianus*, *Maginus*, aliique Geographi.

Latii nomen hæc Regio obtinuit ab occultato seu latente ibidem (ut quidam volunt) nepote *Noachi*, Regem *Assyriæ* fugiente *Ninum*, verum alii nomen illud à Rege [9] *Latino* deducunt. Primos ab Oriente [10] terminos habet *Ufentem* Fluvium, nunc *Portatore* dictum; dein *Lirim*, seu *Garglianum*, cum Montibus *Circeis*, quibus a *Campania Felice* dividitur: A Meridie autem Maris *Thusci* littora, *Inferi* scilicet & *Mediterranei*: Ab Occidente *Ti-* 55 *berim*, quo a *Thuscia* dividitur: Ab Aquilone *Anienem Tyberinum*, quo a *Sabinis* discernitur atque
F *Garbinorum* agro: Ab Oriente quoque *Apenninum* habet, qui illi pro pomœrio fervit contra [11] *Samnites*, clausa hoc pacto quatuor satis magnis Flumi-

---

7. *Suares. Prænest. Antiq.* Lib. I. Cap. V. *Florus* Lib. I. Cap. XVIII. *Strabo* Lib. V.

8. *Ptolem. Geogr. Magin. Ital. App. Geogr. Colombon. Gnomon.*
9. *Jul. Solin. Polyb.* Cap. VII. *Virg. Æn.* Lib. VIII. *Ovid. Fast.* Lib. I.
10. *Cluver. Geogr.*
11. *Alberti Italia.*

minibus, altissimis Montibus & Pelago.

[12] *Noachus* hanc terram *Japheto* filio suo in divisione Orbis Terrarum assignavit, qui gratia adjutus Divina sobolem latè ibidem propagavit; orti enim ab illo sunt *Siculi*, *Aborigines*, *Arcades*, qui deinde una appellatione *Latini* dicti sunt, vel a terris in quibus consederant, vel (quod verosimilius videtur) a quodam Principe suo.

[13] Veri *Latini* confinia sua habuerunt juncta *Sabinis*, *Hetruscis*, *Volscis*, *Hernicis* & *Rutulis*, qui licet eodem prognati capite, varia tamen nacti sunt nomina, quia in complures divisi populos nomina sua derivarunt [14] vel a situ & natura regionis, vel a coloniæ suæ ductore & Principe. [15] Reipublicæ *Romanæ* vero tempore, *Latinæ* Reipublicæ membra erant omnes Populi *Thusci*, *Albani*, *Tiburtini*, *Prænestini*, *Laurentes*, *Lavicani* seu *Labicani*, *Lavini*, *Gabini*, & *Nomentani*. Quum vero postea commune regionibus istis *Latii* factum nomen est, multi Populi [16] *Latini* dicti sunt, qui tales revera ante non exstiterant.

56 Situs itaque *Tusculi* longè fuit amœnissimus, agerque ejus extendit sese (juxta *Strabonem* Lib. v. *Geogr.* ab Occidente quidem Mare usque; ab Aquilone junctus Agro *Tiburtino* & *Prænestino*; ab Oriente *Gabiorum*, *Pedanorum*que; a Meridie Montibus terminabatur. Abundans omnibus victu necessariis, temperatissimo, præ reliquis in vicinia locis, aëre gaudebat, prout & ipse *Livius* Decade I. Lib. VIII. confirmat, ubi narrat atroci peste vexata *Roma*, Urbeque simul a *Volscis* & *Æquis* obsessa (extinctis paullo ante morbo esto Epidemico Consulibus ambobus) consternatione maxima captos fuisse Cives, sollicitosque de exitu obsidionis, atque de victoria, quam antea animo præsumserant, desperantes, consilium cepisse relinquendi loci pestiferi, atque recipiendi sese in Agrum *Tusculanum*, ubi (ut ibidem dicunt) saluberrimus esset aër, atque rerum omnium abundantia præ omnibus aliis quidem locis, quod & paullo post fecere.

[17] Regio præterea *Tusculana* aquis ibidem scaturientibus abundavit, inque Planis ibidem locis Myrtus & [18] Fagi ingenti inveniebantur copia; sicut in Montanis Abietes & Pinus immensæ altitudinis atque densitatis, navibus utiles construendis, ut constare ex *Theophrasto* potest; Aquæductus etenim [19] *Aquæ Juliæ*, *Virginis*, *Appiæ*, *Tepulæ* & *Crabræ* hujus rei sunt testimonium, quorum hodieque reliquiæ apparent ductæ ab Agro *Tusculano Romam* versus.

57 Pratorum quoque varietate insigniter amœnus ager *Tusculanus* fuit, omnis generis flores magna producens copia, inter quos singulari encomio Rosas celebrat *Martialis* Lib. IX. *Plinius* quoque Lib. XXI. Cap. VI. Violam flavam laudat, quam *Marinam* vocat, *Tusculanam*que a magnitudine foliorum atque singulari pulcritudine celebrat; licet vero aliis minus odorata sit: nihilominus magni propter pulcritudinem suam æstimatur.

Inter Arborum fructus, quæ his locis nascuntur, Ficus laudat *Macrobius* Lib. III. *Saturnal.* quæ, ob singularem forsan aeris temperiem, summæ sunt bonitatis. Amat enim tales locos Arbor

12. *Gen.* Cap. v. *Majol. Dies Canic.* Tom. v. Par. 2.
13. *Magin Ital. P. Innocent. Matthæi Descr. Agri Rom.*
14. *Dionys. Halic.* Lib. I. *Antiq. Rom. Campel. Hist. Spoleti.* P. I.
15. *Halic.* Lib. I. *Liv.* Lib. VIII. Dec. I. *L. Flori Epitome.*
16. *Eschinard. Ager Rom.*
17. *Strabo Geogr.* Lib. VII.
18. *Theophr. Hist. Plant.* Lib. v. Cap. IX. *Dodon.* Lib. IV. Cap. II.
19. *Nardin. Rom. Antiq.* P. 514.

A ista, in frigidioribus enim ramos fructusque non producit sufficientes, & in calidioribus ad maturitatem æquam non pervenit; quoniam succo rami arentes destituuntur, & ficus dicidunt. Dignum quoque (quoad Ficus) memoratu est, quod de *Xerxe* Rege *Persarum* narrat *Michaël Zapullius*, Hist. *Rom. Neap.* &c. p. 22. illum *Græciam* bello esse adortum, quum audivisset præstantissimi saporis ibidem Ficus gigni, atque adeo colligeret inde aërem ibidem esse temperatissimum.

[20] Vineæ *Tusculanæ* præstantissima quoque vina producunt, *Albanis* haud inferiora, quæ laudant *Horatius*, *Plinius*, *Martialis*, *Juvenalis*, aliique.

B Amœnitas Villarum, quibus nobilissimus hic locus exstitit, antiquos *Romanos* complures pellexit, ut hic rusticarentur, atque otio indulgerent; unde & *Tarquinium Superbum*, Regno dejectum, huc se contulisse affirmat *Livius* Lib. II. una cum uxore atque liberis (erat autem illi nupta *Octavii Mamilii Tusculani* Principis filia) atque per quatuordedicim vixisse annos. Idem ex *Livio* refert de *Gestis Roman.* Lib. I. *Eutropius.* Hic & *Galbam* plurimum otio lætatum fuisse amœno scribunt *Plutarchus* & *Suetonius* in vita ejusdem, ubi &, juxta posteriorem, *Fortunæ* in honore habuit simulacrum, a qua illi & Imperium & fatum prædictum fuit. *Cato* uterque, ut & *Cincinnati* plurimum hic vixerunt. [21] *Marcus Tullius Cicero*, ut & *L. Lucullus* magnam hic anni partem triverunt, atque *Lucullanæ* Bibliothecæ beneficio complurima Orator ille hic composuit opuscula, *Tusculanas* præsertim *Quæstiones*, & Disputationes habuit Doctissimas. 58

C Plurimum hæc Civitas a Nobilitate *Romana* frequentata fuit, præsertim ab illis, quorum ibidem erant villæ, ibidem enim amicos suos invitabant & hilariter cum illis degebant, lautissimeque cœnabant. Narrat enim *Plutarchus* in Cœnaculo, cui *Apollinis* nomen dederat, exceptum fuisse a *Lucullo* sumtuosissima cœna *Ciceronem*, quæ *Lucullo* scilicet constiterit (juxta *Dionem* Historicum) decem millibus scutatorum, tantis enim impensis in isto cœnaculo cœnam solebat celebrare. Et hinc *Seneca*, de sui temporis agens Conviviis, *Lucullum* affirmat singulis talibus cœnis abligurivisse tantam (qualem superius diximus) pecuniæ summam, quæque census solebat esse Equistris.

D *Metellum* insuper, Pontifem Maximum magnopere *Tusculano* hoc recessu fuisse delectatum narrat *Valer. Maxim.* Lib. I. cap. de *Auspiciis.* Hunc aliquando illuc vadentem ominoso corvorum duorum volatu & stridore volunt impeditum fuisse, quo minus pergeret, atque *Romam* regressum, eripuisse *Palladium* ex penetralibus *Vestæ*, cujus Ædem nocte proxima ignis invaserat, prout cerni potest apud *Plinium* Lib. VII. cap. XLIII. 59

E *Passienus* quoque, & ejusdem privignus *Claudius Nero*, deliciosas suas villas *Tibure* habuerunt, prout ex [22] *Tacito* constat; & ipse *Tiberius* captavit sæpe agri ejusdem amœnitates, in loco, sito inter *Albanum* & *Tusculum*, ubi fortassis Villam quoque habuit. Ipsos enim Imperatores ibi rusticatos postea fuisse docent *Martialis*, [23] *Plinius*, F & *Symmachus*, qui sub Rege *Theodorico* floruit. Habuit ibidem & nobilem villam *Domitianus*, quam putant sitam fuisse, ubi nunc est villa Domi-

20. *Strab.* Lib. v. *Juvenal. Sat.* IV.
21. Lib. III. *de Finibus. Henning. Genealog.* Tom. IV. Part. I.
22. Lib. XIV. Cap. III.
23. *Plin. Secund.* Lib. v. Epist. VI. *Symmach.* Lib. I. Epist. II.

minorum *Cremonæ*. ante duos enim annos ibi inventæ fuerunt statuæ *Domitiæ* & *Domitiani*, in propriis suis nidis seu ædiculis, occasione ea, quod excavaretur terra & in vineam redigeretur ager Domini *Mutii de Maximis*. Statuas hasce coëmit Dominus *Franciscus Ficoroni*, atque collocavit in nobili Porticu seu Galleria Dominæ Ducis *Rospigliosi*. Quam rara in Monumentis Antiquis *Do-*
60 *mitiæ* effigies sit, omnes norunt Antiquarii, quantoque rariora Marmora sint ipsius *Domitiani*, docet *Suetonius*, ubi narrat propter omnium erga illum odium dejectas statuas & abolitas fuisse Memorias omnes.

Sed & Pontifices quoque *Romani* delicias amaverunt *Tusculanas*. Namque [24] *Eugenius III*. ex *Tusculano* Capitulationes Pacis *Romanis* misit anno MCXLIII. quas suo loco afferemus. Ibi & easdem recepit *Ludovicus VII. Galliarum* Rex, indeque literas dedit ad *Romanorum* Regem *Conradum*, subnotatas die XXIV. Julii anno MCXLIX. *Roma* quoque *Tusculum* sese recepit *Adrianus* IV. ibique asylum contra *Romanorum* persecutionem quæsivit. Multa negotia confecit in illo loco *Alexander* III. ad varios scripsit Principes, varias Bullas confecit, tempore quo Pontificatum ejus impugnabat *Calixtus* III. congregatique ibidem Senatores *Romani* plurimis vicibus (ut *Baronius* in *Annalib. Ecclesiast*. narrat) fuerunt, pro componendis rebus, de quibus intercesserat controversia; sicut & Regis *Angliæ* Legati ibidem venerunt pro Rege suo excusando a Martyrio, quod perpessus fuerat *S. Thomas*, Episcopus *Cantabrigiensis* anno MCLXXIX. post Natalem *Christi* diem quintum. Ibidem die XXIX. Augusti, anno MCLXXVII. (prout multi asserunt Scriptores) renunciavit juri suo & prætensionibus *Calixtus*, sedemque *Petri* liberam reliquit *Alexandro*, qui deinde promotionem ibidem peregit Cardinalium mense Decembri anni MCLXXVIII. Indeque postea Cardinales Legatos misit in *Angliam*, atque stabilivit ibidem Concordiam Populi *Romani* ejusque Capitulationes, prout videre est in *Carri. Chronol. Pontificum*.

Ex supradictis jam clarissime apparet, *Tusculum*, præter insignes istas (quibus semper abunda-
61 vit) delicias, quibusque ab initio usque nunc celeberrimum semper exstitit, gavisum fuisse Principibus nobilissimis maximæque in Republica auctoritatis, virisque literis atque armis celeberrimis, prout inferius (ubi de Familiis aliquot Illustrioribus dicturi sumus) demonstrabimus.

Et quoniam tot jam celeberrimarum Villarum facta a nobis mentio est, pro ornatu Veteris *Tusculi* opportunum erit & conveniens, Loca indigitare, ubi creduntur vulgo quædam ex illis sitæ fuisse; quod faciendum erit nobis ad exiguam illam lucem, quam subministrant fracta Marmora & Veteres Inscriptiones, quæ recentioribus sæculis inventæ sunt, præteritis enim illis parvi penderunt residua hæc vetustatis sacrosanctæ Monumenta, quæ perire passim inter ruinas passi sunt.

Inchoaturis itaque celeberrima in fronte Operis illa *Luculli* occurrit Villa, cujus memoriæ ergo affert nobis *Kircherus* in *Latio Veteri*, repertum fuisse Marmor, inscriptum.

L. LVCVL. LVC. F.

Ex quibus probare annititur fuisse hoc in loco *Luculli* illius villam. Confirmant idem *Frascatani* cives residuo isto lapidum congestu, valde antiquo, figuræ conicæ, qui ab illis habetur pro ipsius *Luculli* Monumento sepulcrali, quod illi juxta *Plutarchum*, in ejusdem Vita, exstruxit frater *Marcus Lucullus*.

Moles hæc Lapidea cernitur non longe ab ista Villa prope muros Urbis *Frascati*, in Suburbio, ad partem dextram Portæ Novæ, in platea, quæ ducit ad *Capucinos*; spoliata autem ornatu suo fuit circa annum MDXCVIII. quum lapidibus ejus uteretur Civitas in exstruenda Nova Cathredrali; verum Antiquitates & Ornamenta pretiosiora a variis Nobilibus *Romam* deportata sunt ad Porticus suas exornandas. Non constat vero ullam ibi tum pro affirmanda rei veritate inventam fuisse Inscriptionem; licet in excavationibus quibusdam nostris temporibus factis, remoto inde paullum loco inventæ fuerint multæ tegulæ terræ coctæ, quæ inservierunt contegendis ossibus quorundam, ut creditur, conditionis Libertinæ, qui ibidem sepulti fuerint. 62

Omnibus suis elegantiis spoliatum tanquam nudum cadaver & informis truncus stat Monumentum hoc, imo inclusum magna parte ædibus quibusdam privatis, ita ut modo pars quædam ejus conspici possit, quam accurate delineatam cerneri licet *Fig*. 3.

Duo pariter alia sepulcralia Monumenta ejusdem structuræ residua manserunt hodieque *Tusculi*, verum pariter omnibus suis spoliata ornamentis. Horum alterum est sub Ponte *Grottæ Ferratæ*, ad ingressum Sylvæ, alterum autem inter Castellum Suburbioli dirutum & Villam *Ciampinam*. 63

Hæc autem ad quosnam sint referenda, nescitur; quoniam certa nulla nobis superest notitia, neque vulgari opponere me opinioni volo, dicenti illud (de quo egimus) *Lucii* esse *Luculli* sepulcrum, non vero ultima seu postrema hæc duo, unumve ex illis, utpote nimis vicinis Viæ *Latinæ*; licet tres simul hæ Moles eidem inservire rei potuerint, si quidem (ut in *Latio* suo vult *Kircherus*) eo usque sese *Lucculliana* Villa exstenderit.

Antiquos autem in Agris & Possessionibus, seu Villis suis sepulcra sua constituisse, firmat *Kirchmannus* in Libello de *Funeribus Ant. qu*. Lib. II. cap. XXII. docens ex auctoritate *Lucii Suetonii*, locos fuisse privatos, quos singuli sepulchris suis destinabant; Antiquos enim solitos fuisse in Hortis, Campis atque Villis suis eadem exstruere.

Extra Civitatem hæc sepulcra erant, & plurima talia in Via *Appia* conspiciuntur, ut & in *Flaminia*. Non licebat loco eadem movere vel ullo modo violare, Inscriptionesve mutilare aut delere absque permissu eorum, ad quos pertinebant.

Lubet autem hoc loco adducere unum ex similis generis antiquis Diplomatibus, quæ ista occasione fieri solebant, quod occurrit inter Epigrammata *Romana* Antiqua pag. 132.

CVM ANTE HOS DIES CONIVGEM, ET FILIVM AMISERIM, ET PRESSVS NECESSITATE CORPORA EORVM FICTILI SARCOFAGO COMMENDAVERIM, DONEC IS LOCVS, QVEM EMERAM, ÆDIFICARETVR VIA FLAMINIA INTER MILLIAR. II. ET III. EVNTIBVS AB VRBE PARTE LÆVA, CVSTODIA MONVMENTI FLATHVMELES AMESOLA. M. SELI ORCILI; ROGO DOMINE PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOFAGO, QVEM MIHI MODO COMPARAVI, EA CORPORA COLLIGERE, VT QVANDO ME EGO ESSE DESIERO, PARITER CVM EIS PONAR. DECRETVM FIERI PLACET. JVBENTIVS CELSVS PROMAGISTER SVBSCRIPSI III. NON. NOEMB. ANTIO POLIONE, ET OPIMIANO COS. ORDINALIS SEVERO, ET SABINIANO COS. 64

Neque impedimento *Thuscis* lex erat *Romana*: *Hominem in Urbe ne sepelito*. Cum enim *Tusculum* esset Municipium (ut videre est apud *P. M. Corradi* in *Latio*) suis vivebat legibus, privatisque gaudebat ritibus, prout *Varro* & *Macrobius* testantur

24. *Platin. Vit. Pont. Ciaccon. Vit. Pont.*

tur Lib. v. *de L. L.* & *Saturn.* Lib. I. Cap. XII. *Apud* Tusculanos *lege cautum erat, nè quis novum vinum, antequam vinalia colerentur, in Urbem inveheret.*

Apparet etiam Tusculanos *suos ordinasse Fastos &c.* Tusculi *Privignos ducere Novercas consuevisse, & iis, qui Viros interfecissent, eorum Viduas desponsare licuisse &c.*

Parvæ quædam remansere in Villa *Ludovisia* cameræ, figuræ quadratæ, fornicibus tectæ, quarum parietes lapillis reticulato opere contectæ
65 sunt. Octodecim hæ sunt numero, atque altæ palmos XV. latæ XIV. longæ XVIII. atque Pila inter utramque est magna palmos septem cum dimidio. Inde supra structuram Aquæductus itur, ubi an alia fuerit fabrica, cognosci jam non potest. Putant quidam servorum ibi fuisse domicilium, alii reliquias esse Ambulacrorum *Luculli* existimant. Thermarum alii, quum vestigia quædam supersint, quæ non male conveniant illis *Decii*, quarum Cameræ hisce penitus sunt similes, duplici ordine atque saxo operis reticulati. Pater *Bernardinus Montfauconius, Benedictinus,* [25] Fornices tantum existimat fuisse Antiqui *Tusculi*, ita describens: *De Villis in Tusculano agro sitis, nihil, nisi tritum, & ab aliis observatum succurrit; Unum libet in transcursu tangere, in extremo* Ludovisiorum *Hortorum proximè* Tusculum *novum, jam nunc* Frascati *a frigiditate, amænitateque loci vulgari usu vocitatum, est series Fornicum octodecim, quales superiùs descripsimus, popularique voce, & fama traditur fuisse olim* [26] *Aviarium* Luculli; *æstimarem ego* Tusculi *veteris Tabernas, & Apothecas fuisse: qua de re pluribus suprà.* Loquitur dein de Ilicibus, quæ in Muris altæ admodum virent: *In convexa Fornicum superficie, ubi nullus humor, spontè adnatæ suspiciuntur miræ sublimitatis Ilices, quales tam proceras nusquam vidimus, quæ in commissuris lapidum radices posuere.*

Multas alias Cameras dictus observat scriptor ejusdem structuræ *Romæ*, prope *Lateranensem*
66 Ecclesiam, in SS. *Joanne* & *Paulo*, atque in Thermis *Antoninianis*, ubi plus quàm viginti, altera post alteram, inveniuntur. Ut & in Villa *Quirinali*, inter villam *Chigiam* atque Thermas *Diocletianas*, in Radicibus Montis *Palatini*, variisque aliis in locis. Ex multitudine itaque tanta illarum hanc deducit conjecturam: *Nè multum, nihil in Urbe vulgarius fuit hoc ædificii genere; Quia verò in frequentioribus Urbis partibus magno numero sunt, non video quid aliud, quàm Apothecæ, sivè Tabernæ fuerint.*

Abire a sententia hujus scriptoris animadvertitur Dominus *Franciscus Ficoroni*, hujus ætatis Antiquarius, qui in *Observationibus* suis pag. 15. §. 3. ita loquitur: „Arcus cum Fornicibus, qui re„stant in villa *Altieri*, nihil aliud sunt quam re„liquiæ Balneorum, prout colligitur ex plum„beis tubulis & vaporariis, quæ ibidem excavando „detecta sunt; similiter in vestigiis Thermarum „*Diocletiani* res sese habet *delle Olympiadi nel Vi*„*minale verso S. Vitale*; in illis *Caracallæ*, reliquis„que Porticuum inter Circum atque Palatium Im„peratoris, ad radices Mortis *Palatini*, ut & aliis „ruinis, quæ adhuc exstant in Villa *Ludovisiana* „in *Frascati*.

Vivarium seu Piscina Villæ istius *Lucullanæ* creditur fuisse, ubi hodie vetus & Cathedralis Ecclesia, dedicata Beatissimæ Virgini in Cœlos assumtæ. Et ideo [27] Pontifex *Innocentius VIII.* in

A Indulgentiæ Bulla, data in ejusdem Ecclesiæ favorem die XXII. *Martii*, Anno MCCCCXCI. illam nominat *S. Mariam del Vivario.* [28] Episcopus etiam *Ascoli* in *Apulia Josephus* prima vice eandem 67
consecrans primo *Maji* die, Anno MCCCCXCV. eodem appellavit nomine. Sequenti tempore, usque ad Annum MDCLVI. communiter *S. Rochi* habuit nomen, ab Sancti scilicet ejus ibidem Imagine, ut & S. *Sebastiani*, qui miraculoso quodam modo in pariete quodam ejus apparuit, quum *Romam* ejusque loca vicina pestis affligeret.

Exstat in hac Ecclesia Marmor, Aræ habens fi-
B guram, Antiquum, in quo sequens Inscriptio magnis pulcrisque literis, ante aliquot annos lecta fuit:

D. M
FABIAE
ANTHUSAE
SEXONUSSANIUS
SEX. FI.
NEPOTIANUS
MARITUS FEC.

Ara hæc in restauratione ejusdem Ecclesiæ, facta Anno MDCCIV. translata fuit prope Oratorium Societatis *SS. Sacramenti*, ubi hodieque
C cernitur.

Aquæ collectio seu receptaculum pro tanto Vivario erat olim sub parva Arca Arcis, ubi Nundi- 68
næ fiunt, inventusque is locus ab illis fuit, qui Arcem restituerunt. Receptaculum hoc ad Scalæ pedes os habuit, quod apertum aquam immittebat versus Portam Magnam, quæ inferius erat, ut ita in cisternæ esset vicem, verum in præsenti non nisi rarus ejusdem usus est, propter aquæ magnam satis copiam, qua gaudet Urbs *Frascati*.

Ab hoc Vivario seu Piscina itur ad Balnea, quæ non longe inde abfuerunt, eoque forsan in
D loco, qui hodie *la Bagnara* dicitur, estque ad dextram manum, si tendas ad Conventum PP. Reformatorum; licet enim id colligere ex Muris, Castellis, & Aquæductibus ex coctis lateribus quadratis atque rotundis, non longo abhinc tempore ibidem inventis, per quos scilicet labebatur aqua ad Balnea tam Frigida quam Calida & *Laconica*.

Anno MDCXCV. Domuncula quædam vetus, quæ prope illud Vivarium fuit, ruinâ corruit, stabat vero in parte Orientem versus, eratque Muris ejusdem insertum Marmor quoddam arietis referens caput. Quum autem dominus ejusdem
E reædificare eandem vellet, in excavandis fundamentis varia invenit Columnarum Capitula, incrustata fragmenta, aliaque similia, cum quibusdam pavimentis antiquis artificiose constructis; estque fama, magnum ibidem effossum fuisse thesaurum, variaque magni pretii Marmora, Lapides Lazuli &c. Ipse etiam, quum in fundamenta ista descendissem, inveni ibidem varios exiguos lapides bene & cum arte satisque pulcre cœlatos. Hinc conjicio antiquitus ibidem fuisse
Templum aliquod, aliudve ædificium sumtuo- 69
sum, quod & confirmat Murus ibidem Antiquus, qui Villam *Vainam* usque excurrit, ubi
F multæ Speluncæ sunt subterraneæ cum nidis seu ædiculis amplissimis, ubi & multæ Statuæ & Marmora ejusdem Ædificii residua inventa fuerunt.

Hinc permotus & *Jovius* est in Vita Cardinalis *Columnæ*, uti crederet *Luculli* ibi olim fuisse Villam, ubi nunc est *Frascati*, vultque Pater *Athanasius Kircherus* in *Latio Veteri* & *Novo*, sese plurimum ex-

25. *Montfaucon Itiner. Italic.* Cap. XXII.
26. *Varro de re Rust.* Lib. III. Cap. III
27. Ex *Bulla.*

28. *Ex memor. script. in pergameno.*

extendere, atque in sese comprehendere Speluncam *Centronis*, *Locum Novum*, Villam, quæ Cardinalis *Bevilacque* quondam fuit, illam *Testi*, *Rocci* & *Varesi*, imo & *Ludovisianam*, *Falconeriam*, Vivarium *Burghesianum*, *Coccianum*que, per multas magnasque perpetuatas fabricas, illis in locis inventas. Monumenta nihilominus, quæ post Scriptorem illum detecta sunt, contrarium docuerunt, ut jam superius ostendi.

Villa hæc *Luculliana* (quod & alias diximus) repræhensa a *Plinio* [29] fuit, ut tota quanta sumtuosis constans ædificiis, qualia in Urbe bene ædificata inveniuntur, quum Nemore, Vineis, similibusque, [30] quæ in Villa requiruntur, non esset instructa. *Plutarchus* quoque in ejusdem *Luculli Vita* adnotat illum in *Tusculano* Villam habuisse cum cameris spatiosis locisque ornatissimis.

Atque hæc sufficiant de famosa illa *Luculli* Villa, cujus immensa magnitudo comprehendi potest ex sequenti quadam Memoria, quam MS.
70 servo exaratam circa Annum MCCCC. una cum Epitaphio quodam, quod inferius in Ruinis ejusdem Villæ adferam.

Hic tibi surgebant celebres, Luculle, Penates.
Pro quibus, heu, Vasta mole Ruina jacet!
Ipse tamen paries priscæ vestigia formæ
Servat, & eversum grande superbit Opus.
Omnia quæ diro confirmant dente, parabant
Exitium saxis Tempora, Fama negat.

Transeamus jam ad Villam *Ciceronis*, non minus celebrem ipsa *Luculliana*; Hanc ego non dubito affirmare fuisse ubi nunc est *Grotta Ferrata*. Anno etenim MXX. Monachi *Basiliani* Monasterium suum ibidem atque Ecclesiam amplificantes, sub terra octo invenerunt Columnas, quæ olim ad illam spectabant Fabricam, atque hoc in loco etiamnum cerni possunt; suntque eædem, quas ipse celebrat *Cicero* in Epistola ad *Quintum* fratrem. Anno MDC. iidem Monachi in Horto suo invenerunt Tabulam seu Mensam prope Fontem
71 Larvatum, seu *del Mascherone* dictum. Erat eadem ex candidissimo Marmore, viginti in circumferentia palmorum, cernebanturque exsculpti in eadem omnes Veterum Dii, tanto quidem artificio, ut ipsis sculptoribus ætatis nostræ admirationi fuerit. Possidet Tabulam hanc Dominus Princeps *Pamphili*, qui transferri curavit in Villam suam extra Portam Urbis *Romæ*, quæ *S. Pancratii* dicitur, Viâ *Æmyliâ*, estque ea ipsa, quam laudat *Cicero* in Epistola ad *Marcum Fabium Gallum*, atque *Trapezopharon* appellat.

Abundavit Villa hæc aquarum copia, præsertim vero aqua *Crabra*, alio nomine *Tepula*, vel *Damnata* dicta, quæ & adhucdum eandem pertransit Villam, quamque adhibuit Cardinalis *Alexander Farnesius* pro pulcherrimo atque commodissimo Fonte prope Pontem *Squarciarelli*, posita ibidem hac Inscriptione:

ALEXANDER CARD.
FARNESIVS.

AQVAM TEPVLAM
AD PVBLICVM VSVM
HOC EXTRVCTO VASE COLLEGIT
ANNO MDLVII.

Quum autem postea aqua eadem dilapsa esset, restitutum fuit opus a Cardinale *Barberini*, qui & hanc addidit Inscriptionem:

CAROLVS BARBERINVS 72
CARDINALIS ABBAS
COMMENDATARIVS.

AQVAM TEPVLAM ITERVM DILAPSAM, INSTAVRATIS, AMPLIFICATIS, AVCTIS DVCTIBVS PVBLICAE VTILITATI, ET PRIVATIS VSIBVS MONASTERII, ET AERARIAE COPIOSIOREM RESTITVIT ANNO MDCLXXXVIII.

Sæpius hujus Aquæ mentionem in Epistolis suis facit *Tullius*. Credit *Fabrettus* [31], aliique ante illum, antiquitus eandem lapsam fuisse prope *Centroni* in istam Cataractam, in quam sese hodie præcipitat atque occultat illa, quæ *la Marana* dicitur, quæ ubi satis longo tractu per vias lapsa est subterraneas, resilit super terras prope cauponam Vici.

Paucis ab hinc annis prope Pontem *di Grotta Ferrata*, in Sylvæ extremo, ad dextram manum, ubi Antiquum exstat Sepulcrum, duo Busta marmorea, sed sine capitibus, inventa sunt. Alterum erat *M. Tullii Ciceronis*, alterum *M. Catonis*, prout liquebat ex insculptis nominibus.

Sunt & ibidem aliæ duæ inventæ statuæ, Viri- 73
lis & Muliebris, Lauro coronatæ. Harum unam coëmit Cardinalis *de Maximis*, [32] altera autem data fuit Cardinali *Barberini*, Abbati tunc Commendatario, una cum tribus Tabulis hisce insculptis Inscriptionibus:

[33] DIS MANIBVS
SACRVM
HERBASIAE
CLYMENES
SEX. HERBASIVS
NAVTILVS SIBI, ET CONIVGI SVAE
SANCTISSIMAE FEC.
IN FR. P. XVIII. IN AGR. P. XVIII.

M. TVLL. CICERO
. . . HARE . . .
ET TVTERTIA
ANTECONIA

IO. METEGENIO 74
VENALIC.
PACILIVS SOLVIT.
. . . . SARE
AVG. IIII.
COSS. LENTVL. COSS. L.
F. COSS.
C. I. CAESAR.
M. TVLLIO CICERONI. M. F.
ROMANAE FACVNDIAE PRINCIPI.
QVAEST. AED. COS. PROCOS
IMPERATORI.
PP. ARPINATES.

Inventus ibidem & fuit puerulus cum duobus pulcherrimis Anaglyphis, quæ inde *Romam* translata fuerunt.

Detectus quoque in eorundem Monachorum Horto fuit Anaglyphum, quod hodie insertum est Muro seu fronti Impluvii dictæ Parochialis supra portam, sub quo sequens legitur Inscriptio:

CON-

29. *Plin.* Lib. VIII. Cap. VI.
30. *Varro* de *R. R.* Lib. I. Cap. XVI. & III. Cap. IV.

31. *Fabrettus* de *Aq.* & *Aquæ Duct.*
32. *Lucius Maurus* in *Antiq. Romæ.*
33. *Jos. Castalis* in V. L.
34. *L. Mauri* in *Antiq. Romæ.*

CONJICIENT POSTERI, QVAE, ET QVANTA FVERINT TVSCVLANAM VILLAM EXORNANTIA SIGNA, MENSAE, ALIAQVE MONVMENTA, QVAE TEMPORVM INIVRIA SVBLATA, QVAE NVCERIVM A FRIDERICO II TRANSLATA, EX HAC VNA TABVLA VELUT E NAVFRAGIO RELICTA, QVAM CONSERVARI CVRAVIT FRANCISCVS CARDINALIS BARBERINVS S. R. E. VICECANCELLARIVS.

75 Facile deprehendi ex Monumentis hisce potest, quantis divitiis atque elegantiis hæc *Ciceronis* Villa abundaverit [35], quod solam illam inter reliquas quindecim laudaverit in Epistolis ad *Quintum* Fratrem.

Furii deliciosas suas Villas habuerunt, ubi nunc Eremus est PP. *Camaldolesi* in Monte *Corona*. Anno siquidem MDCLXV. in Claustro illorum detectum eorundem Sepulcrale fuit Monumentum, exornatum variis Urnis Marmoreis atque Figulinis, cum Inscriptionibus atque Cineribus. In media Urna continebantur Cineres *Caji Furii*, qui mortuus fuit anno Urbis Conditæ CCCLXXIV.

Ichnographiam Monumenti, atque delineationem Urnarum harum dedit *Kircherus* in *Latio* suo, atque accurate ære expressit in *Sepulcris Antiquis* suis *Petrus Sanctus Bartolus*, apud quos cerni possunt. Ego jam contentus ero attulisse Lapides duos sepulcrales *Popiliorum*, qui alia occasione in eodem Claustro inventi fuerunt, atque adjiciam ejusdem Familiæ Inscriptiones aliis in locis inventas.

C. POPILIO
TAYRO
LIBERTO
CARISSIMO
POPILIUS
PIDOC.

76 C. POPILIUS C. L.
PHILEROS ACQUITAS
UNGUENTARIUS

D. M.
POPILIÆ C. F.
SATURNINÆ
C. SEPTIMIUS ALEXANDER CONJUGI
B. M. FEC.
CUM QUA VIXIT.
SINE QUERELLA
ANN. XLV.
ET SIBI, ET SUIS LIBERTIS, LIBERTABVSQVE SUIS
POSTERISQUE EORUM
IN FRON. P. VIII.
IN AGRO P. III.

Sequentes duæ inventæ fuerunt in ædificanda Villa *Montis Draconis*.

MARCO BEBIO
BRIX.
DICTATORE.

A dextra parte

77 [36] IMP. CÆS. M. AVRELIO AN
TONINO PIO FELICI AVG.
PRINCIPI JVVENTVTIS NV
MINI PRÆSENTI RESTITV
TORI, ET CONSERVATORI
SEMPER VITÆ ATQVE
DIGNITATIS SVÆ DE
VOTISSIMVS NVMI
NI EJVS.

M. AVRELIVS MACER. FAVSTINIA
U. C.

A sinistra parte

DEDIC XVIII, KAL.
SEPTEM A
C. ATIO SABINO ET CORNE
LIO ANVLINO COS.

35. *Blond. Rom. Triumphant.*
36. *Fabrett. Inscript. Antiq.* Lib. x. num. 70.

Alius Lapis ex Atheridum genere inventus fuit novissime prope Montem *Tusculanum*, in Agris Dominorum *Meloni*, jussu Senatus hisce inscriptus literis:

M. DVRMIVS. 78
C. CAELIVS. C. F.
EX. S. C.

Anno MDCCIV. quum aqua ibidem defuisset pro Eremi usu, dicti Patres, ut eandem recuperarent, excavantes, varias antiquas invenerunt concamerationes sub Monte *Tusculano*, & inter illas unam valde candidam & subtilissima calce incrustatam, opere fornicato, latam septem palmos cum dimidio. Ambulari satis commode in illa poterat, utrimque vero in loco illo ductus apparebat, ubi aqua conjuncta fuerat, satis alto atque visibili relicto sulco. Media eadem erat inter duas alias in topho excavatas, intus quas recipiebatur ex Monte diffluens aquarum copia. Per singula spatia quadratam habebat locus aperturam, quæ superne in lucem cum muratione sua exibat, os formans in plano terræ, ut inde hunc in locum aditus pateret; cernitur quoque ibidem certa quædam fissura, quæ perpendiculariter facta esse pro dimittendo fune apparet, prout in nostris observatur puteis; ibidemque variis in locis frusta inveniuntur vasculorum ex terra figulina, opere satis subtili atque nobili, quibus veteres usi fuerunt pro avehenda ex istis locis aqua. Murum vero (qui læsus est & sulcis quasi exaratus) a funis retractatione vulnus ibidem accepisse non reor, verum ab extrahenda ex locis illis (ut usu venire solet) illuvie.

Ad ejusdem sinistrum latus ruptura quædam est, 79
per quam descensus patet in varias stationes sub ipso Monte excavatas, altas palmos circiter quadraginta, in summitate in acutum desinentes angulum, cum variis ad latera receptaculis, per quæ collecta ibidem aqua descendebat omnis, reducebaturque in duos parvos, tubos seu canales, in pavimento prope parietes; iturque indè in Cameram subterraneam pariter ex topho exstructam, quorsum & ex reliquis omnibus stationibus conveniunt aquæ, quarum ibidem satis magna (quum adessem) erat copia, ipse vero degustans, valde frigidas inveni & limpidas.

Ex hac Camera deinde a Patribus deducti sumus ad Cellam, quæ aquam ex Fonte recipit, illisque insignem præbet utilitatem; prima etenim aqua parcè labitur & æstate tantum non deficit.

Et quoniam parvam hanc fecimus Digressionem circa Antiquitates *Tusculanas*, adferemus huc aliquot Marmora atque Inscriptiones variis temporibus in Agro *Tusculano* inventas. Exstat itaque in Conventu PP. *Carmelitanorum* Discalceatorum Urnula Sepulchralis, quæ hodieque Sacristiæ inservit, in qua Inscriptio hæc *Latina*, sed *Græcis* exarata literis, legitur:

Δ Μ. 80
ΣΠΙΡΙΤΒ
ΦΛΑΒΙΑΙ, ΛΑΒΙΝΑΙ
Λ. Π. ΦΙΛΙΑΙ, ΚΟΜΜΕ
ΝΔΑΤΟ
ΚΙΝΕΡΕΣ
ΑΡΚΑ, ΚΟΝΔΟ
Α. Β. Κ. Φ. Λ. Δ.

Ab alio *Tusculani* Montis latere; in Pineto Dominorum *Sachetti*, supra *Rufinellam* (ubi *Kircherus* vult aliam quandam *Ciceronis* fuisse Villam, præter illam, cujus superius mentionem fecimus, a *Sul-*

a *Sulla* coëmtam) alia Inscriptio, in hæc verba concepta, reperta fuit. A

[35*] D. M.
SEX. COC CE
IO. SEM NO. LI BER.
TO. IN COM PA RA
BI LI.

Subtus autem locum illum, in Villa *Rufina*, Dominorum *Falconieri*, lapis iste inventus fuit:

[36*] M CVSINIVS. M. F. VEL.
AED. PL. AERARIO PRAEF. PR.
M. CVSINIVS... VEL. PATER.
FICTORIA. C. F. MATER
CVSINIA. M. F. SOROR.

81 Ut & sequens hæc Inscriptio: B

SOSIMO
STRVCTORI
LOCVS DENVO
POSVIT CONS.
[37] V. A. XXIII.

Prope parvam Capellam S. *Francisci Xaverii*, *Vermicini*, in civis cujusdam Vinea, sequens lapis inventus fuit:

[37*] RHANIDI SVLPICIÆ. L.
DELICIO,
NATA BREVI SPATIO, PARTV-
SVBIECTA NEC ANTE
TESTATVR BVSTO TRISTIA
FATA RHANOS.
NAMQVE BIS OCTONOS
NONDVM COMPLEVERAT ANNOS, C
82 ET RAPTA EST VITÆ, RAPTA PVERPE-
RIO.
PRAENTIS (sic) TVMVLVS DVO
FVNERA CORPORE IN VNO,
EXEQVIAS GEMINAS NVNC CI-
NIS VNVS HABET.

Ab alio Lapidis latere scriptum erat:

SVLPICIA TRIONIS L.
RHANIS.

Cernitur & alia in Vinea Possessionis S. *Matthæi* dicta, hoc pacto sese habens: D

[38] EX HISPANIA VLTERIORE PROVINCIA
BAETICA MVNICIPIVM CONCORDIA
JVLIA NERTOBRIGENSES PVBLICE

Sequens ibidem inventum fuit Epitaphium lapideæ capsæ incisum, longæ palmos tredecim, latæ quatuor, cum vacuo intus pro recipiendo cadavere:

83 [39] D. O. M.
JOVE NEQVE GENIO
VTARIS NISI
LOTA MA-
NU E

Fragmentum item hoc non procul inde fuit inventum:

I. O. M.
MONTVNATES
VICANI LOVANIUS
V. S. L. M.

In villa *Roccia*, sequens legitur Inscriptio, in cujus lapidis imo figura humana sculpitur decumbentis ritu: F

[40] DIS . MANIBVS
M. PVBLICI. M. S. VNIONIS
TE. ROGO. PRÆTERIENS. FAC.
MORA, ET PERLEGE. VERSVS. QVOS. EGO.
DICTAVI. ET IVSSI. SCRIBERE. QVENDAM 84
EST. MIHI. TERRA. LEVIS. MERITO.
SED QVIESCO

MARMORE. CLAVSVS. REDDIDI. DEPOSITVM

COAGLAVI. (sic) SEMPER. AMICOS. NVL-
LIVS THALAMOS

TVRBAVI. NEMO. QVERITVR. CONIVNS KARA

MIHI. MECVM. BENE. VIXIT
SEMPER HONESTE.
PRESTITI QVOD POTVI SEMPER·
SINE LITE RECESSI.
VNVS. AMICVS. ERAT. TANTVM. MIHI. QVI.
PRÆSTITIT OMNIA SEMPER HONESTE.

T. FL. HERMES V̄. Q.
TVNC. MEVS. ASSIDVE. SEMPER. BENE. 85
LVXIT. AMICE. FOCVS.
FECIT VNIO SIBI, ET GALLIÆ TYCHE

OPTIMÆ CONIVGI; ET ÆMILIO
ISIDORO VERNÆ SVO, ET POSTERISQ.
SVORVM, ET CONIVGI SVÆ,
ET ISIDORI, ET EORVM POSTERISQ. ET
M. PVBLICIO FELICI ALVMNO SVO.

Erat & sequens eodem in loco Memoria:

[41] P. LICINIVS. P. T. P. LICINIVS. P. L.
PHILONICVS DEMETRIVS PATRONO

Quæ infra scribitur ex *Pyrrhi Ligorii* MSS. Volumine XIX. est.

DIIS, DEAB. PATR. SACR.
M. TRIVINVS M. F. PAL. LIMITANVS. 7. COH. IV.
PRÆTORIÆ PRÆF. FABR. TVSCVLAN. QVINQVENN. II.
D. D. D. D.

In loco quodam, qui *Coccianum* dicitur, quum Monticulus quidam cultus redderetur ager, non longe a via, quæ *Torrettam* versus ducit, cellæ quædam subterraneæ inventæ sunt cum variis tubis ex tegulis bene conjunctis coagmentatisque, quibus superioribus inferioribusque Cameris calor communicari olim solebat. 86

Longiuscule inde, in Vinea dicta PP. *Camaldolesi*, in loco quodam, qui *Spinettæ* nomen a præcipuo quodam domino suo traxit, multæ Antiquæ Fabricæ ruinæ sunt, inque illis septum quoddam, Piscinæ quasi forma, ubi varia ex terris Anaglypha extracta sunt, atque inter illa quoddam trilaterum, atque in medio perforatum, quod applicatum cernitur Portæ cellæ Culinariæ.

In Vinea quadam paullum inferiore, quæ illi conjungitur versus Aquilonem, ipse educi subsequentem feci Aram, quam in principio dixi inventam fuisse, ubi ingentes illæ saxorum sunt congeries, communiter *Quadrucci* dictæ a quadrilatera forma sua.

Alta Ara hæc est palmos tres cum dimidio, lata unum & uncias quinque cum dimidia in fronte, densa palmum unum atque uncias quinque cum dimidia, ex Marmore candido. *Verrius* quidam Patri suo erexisse ex parvis & incomtis colligitur literis. Ad latera patera cum urceolo agnoscitur, quæ Pontificalia sunt instrumenta; unde conjicio hoc in loco Villam istius fuisse *Verrii*, quæ ab una sua parte juncta fuerit illi *Coccejorum*. 78
Estque in loco illo via silice strata antiqua, lata palmos decem. Inscriptio prædictæ Aræ hæc est:

D. M.

35.* *Fabrettus* p. 375. Cap. v. n. 178.
36.* *Fabrettus* pag. 240. Cap. III. n. 642.
37. Sub his literis ligo duplex erat, vide *Fig.* 5.
37.* *Fabrettus* pag. 44. Cap. I. n. 251.
38. *Fabrettus* pag. 105. Cap. II. num. 247.
39. Credo potius Lavacrum fuisse, quam Monumentum sepulcrale.
40. *Fabrettus* pag. 283. Lib. IV. n. 184.
41. *Fabrettus* Cap. VI. pag. 477. n. 143.

D. M.
VERRIVS FRON-
TO VERRIO MAR-
CIANO PATRI DVLCISSIMO
ET VARRI-
AE SVRERE SORORI
DVLCISSIMÆ Q. VI-
XIT ANNIS XVIIII. ME-
NSIBVS VIIII. PATER VI-
XIT ANNIS XCI. MEN-
SIBVS III. FECIT.

Eodem in loco sequens Marmor repertum fuit, ab altera parte diruptum, majoribus exsculptum literis, bene cœlatis, atque tertiam palmi partem altis:

88 C. JVLIO EROTI
MYRSINI
AMMIAE. NVTRI....
JVLIAE HELPI.....
AREC......

Alia in Vinea, quæ paullum inde abest, ubi multæ Antiquæ Fabricæ Monumenta inventa fuerunt, anno MDCLXXXII. Antiquum Templi cujusdam Pavimentum detectum fuit, Musivo totum opere elaboratum, in cujus medio Ara consistebat, atque in quatuor ejusdem angulis quatuor ex ære Arietum capita non admodum magna, quæ ipse a dictæ vineæ domino tum coëmi; sed quum satis juvenili adhucdum essem ætate, non attendi inquirere, a quo ædificata fuerit, vel cui Deo erecta eadem Ara, seu Templum; nec ipsas quidem conservavi Inscriptiones, quæ ibidem erant, una cùm tegula trium palmorum, quadrata, cui insculptum erat nomen *Lucillæ*, matris *Marci Antonini Philosophi*, hoc pacto:

FAVOR
LVCILLAE

89 Ab eodem latere, in Vinea quadam juxta Prædium S. *Crucis*, multæ Antiquæ sunt Ruinæ, cum aquarum Thermis & Munitionibus pro aquæ collectionibus, cum operibus ibidem Musivis elegantissimis. Inventa in loco isto anno MDCLXI. sequens fuit Inscriptio, quæ nunc inserta spectatur muro supra Prædium quoddam *Tusculanum*:

[42] D. M.
EVHEMER
TRYPHOSÆ
CONIVGI
B. M.
FECIT

In Villa, quæ Dominorum *Vespignani* quondam fuit, nunc vero est PP. S. *Mariæ in Campitelli di Roma*, non longe a Balneis *Lucullanis*, cernuntur Speluncæ quædam fornicato opere constructæ, cum magnis Pilis lapidis antiqui, calce subtili illitis, (aqua plenæ eædem sunt), quæ pro cisterna seu aquarum receptaculo inserviebant, perque plumbeos canales pergebant versus
90 aquarum congeries, quæ erant sub ista Villa ad ingressum sylvæ *della Sterpara*, quæ spectat jam ad *Frascati* Communitatem, prout concludi potest ex frusto tubi plumbei, inventi anno MDCCV. in Vinea civis cujusdam, ubi illæ Thermæ quadruplici serie spectantur, ita ut singulæ ex illis longitudinem habuerint palmorum LXXX. altitudinem XXV. quantum hodieque ex ruinis colligere licet.

In memorato frusto tubi, satis ampli atque præstantis operis, plumbeis atque exstantibus alte lite-

A ris hæc legabatur Inscriptio:

FELIX. AR. IMP.
SER. GALBA V. G.

Unde concludo fuisse nobilem ibidem *Sergii Galbæ* Villam, cujus mentionem facit *Suetonius*, commemorans repositum ibidem *Fortunæ* fuisse Simulacrum. Quare ibidem & debuit esse Templum, in cujus limine somniavit idem sese Deam istam videre sine Monili gemmato, quod ipsi pro sua ad Imperium evectione adornaverat. *Monile enim margaritis* (scribit in ejusdem Vita *Suetonius* Cap. XVIII.) *gemmisque consertum, ad ornandum Fortunam suam Tusculanam, ex omni gaza secreverat &c. proxi-*
B *ma nocte somniavit speciem Fortunæ querentis fraudatam se dono destinato, &c. Cumque exterritus luce prima ad expiandum somnium, præmissis qui rem divinam appararent, Tusculum excurrisset, nihil invenit, præter tepidam in Ara favillam.*

Credo autem extendisse sese Villam eandem longo tractu, ubi nunc dicta ista sylva est, namque, paucis abhinc annis, quum Communitas
nostra ibidem excavari faceret, Statua inventa 91
fuit viri sine capite, heroice vestiti, quam *Galbæ* fuisse credimus, licet certo affirmari non possit, quum caput defuerit. Inventa ibidem pariter sine capite & altera fuit, togata, unde li-
C quet, Consulis vel Senatoris cujusdam *Romani* fuisse. Cernuntur hodieque istæ duæ Statuæ *Frascati* ad scalas Palatii Conservatorum.

In superiore ejusdem Vineæ parte, prope Cancella, Ara spectatur Marmorea, quartam palmi partem alta, ipsa uncias decem, lata palmum unum cum dimidio, Soli dedicata, in cujus fronte hæc legitur Inscriptio:

ARA
SOLIS

Ad Aquæ Cisternam hanc Inscriptionem posuit Dominus *Vespignani*

D CVRIOSO ANTIQVITATIS STVDIO 92
RECEPTACVLVM AQVARVM
AD TVSCVLANAS OLIM
TERMAS INTROSPICITVR.
ANNO DIRÆ LUIS MDCLVI.

Sunt & in Ædibus ejusdem Vineæ Anaglypha quædam muris inserta, artificiosa satis, in fragmento autem ibidem Marmoreo utrimque inscripto, legitur,

In altera parte:

. . IT. MANIBVS. TVMVLI. DVLCISS. . . .
. . ETIOSA. TVOS BVSTA. TEGVNT. O . . .
E . . . . DSI. SACRATVS. LACRIMI . . . .
. . . . . HAVSIT . . . . .
QVAM FAMA. TAMEN. CVM TITVL. . . . .
. . . . IAM. MORITV. . . . .

In altera parte:

QVI VIXIT ANN. LXVII DEP. D. KAL.
VILISARI. VC.

Aliud simile Fragmentum inventum fuit prope 93
Sepulcrum *Neronis*, a *Josepho Catani*, Sculptore, in quo pulcherrimis characteribus hæc exstabat Scriptura:

F . . . CON . . .
. . . . XVMENSI . . . .
. . . . C. VILISARI. . . . .

SÆX. NAEVIVS
SEX. L. L. PHILEMO.
. . . . TVSCVLA. . . .

In Fron. P. XV.
In Agr. P. XIX.

In Atrio Villæ *Boncompagni* pulchra Marmorea est Tabella candida, hisce insculpta literis:

M. VER-

42. *Fabrettus* pag. 309. Lib. IV. n. 328.

M. VERGILIVS. M. L. | ANTIOCHVS VNGVENT
VERGILIA. M. L. | HELENA
M. VERGILIVS. M. L. | HILARIVS MAIOR HILARVS
M. VERGILIVS. M. L. | LVCVLLVS

94 In Villa Dominorum *Piſcatorum* Ara quædam parva eſt, in Vinea quondam Domini *Ciampini* inventa, in qua hoc legitur Epitaphium:

D. M.
MANSVETI
SITERTINI. QVARTI
A. MANV
CARPVS FRATRI

Eſt ibidem & ſequens Inſcriptio, prope Villam *Galbæ* inventa:

. . . . RNELI. M. F. PVB.
MAMVLLAI
EPPVLEI. A. F. VXORIS.

In Libro quodam MS. anni circiter MCCCC. (prout ex ſcripturæ genere colligere licet) hanc inveni Inſcriptionem, iſtis temporibus in Agro Tuſculano inventam:

95 *In Ædibus collapſis* Luculli *in* Tuſculano.

HIC SITVS EST CAELI QVONDAM PARS MAXIMA PHOEBVS:
AFFECTVS OMNES POSSIDET ISTE LAPIS,
VIX CONSVMAVIT SEPTEM QVINQVENNIA LVSTRI,
OSCVLA FERVENTEM NEC TENVERE ANIMAM.
QVOD SI MVTARI POTVISSENT FILA SORORVM,
GAVDERET CONDI MAXIMVS HOC TVMVLO.

Non extendam nunc memet amplius in diſcribendis Antiquitatibus *Tuſculanis*, & Villis ibidem non minus amœnis quam magnificis, quoniam certa illarum notitia ulterius haberi nequit, non aſſervatis recte Memoriis, quæ colligi potuerunt ex detectis continuis temporibus ſpeluncis aliisque Ædificiis ſubterraneis; quoniam neque meum inſtitutum eſt longius divagari in illo, quod integrum ſibi poſceret alias librum ſatisque denſum volumen. Sufficiet itaque dediſſe Lectori guſtum illarum rerum, atque talem, unde comprehendere queat, quam amœnus atque felix *Tuſculi* Veteris ſitus fuerit, quod ſumtuoſis tot ædi-
96 ficiis quaſi ſpectabile Pulchritudinis Theatrum exſiſtere voluerunt.

Neque aliquis, quoad ſitum, inferat *Tuſculum* vetus eo in loco non fuiſſe, ubi nunc *Fraſcati* eſt, quum utique nihil mirari oporteat, quod, quum olim & in ipſo *Fraſcati* & in ambitu ejus exteriore ſitum fuerit *Tuſculum*, ibidem tot exſtiterint Thermæ, Villæque, quarum hodieque Ruinæ ſuſpiciuntur; nam & *Romæ* muris incluſi fuerunt Horti *Diocletiani* atque *Maximiani*, *Scipionis*, *Luculli*, *Aſinii Pollionis* & *Mæcenatis*, ut & *Conſtantis* atque *Agrippæ*, *Antonini*que *Thermæ*, illæ item *Alexandri*, Hippodromus *Neronis*, Circus *Agonalis* & *Flavius*, aliaque, quæ commemorant *Nardinus* in *Roma Antiqua*, atque *Pyrrhus Ligorius* in *Romæ Antiquæ Ichnographia*.

Ex adductis hactenus Notitiis Fabricarum *Tuſculanarum* quivis facile intelligere poteſt, easdem ipſi *Romæ* pulchritudine nihil ceſſiſſe, ut nec ornamentis atque ſuppellectile, quum pretioſiora quæque tam ipſi *Tuſculani*, quam *Romani*, in hiſce Villis ſuis collocare ſoliti fuerint. Cujus rei exemplum præbere poteſt, quod exſtat apud [43] *Volaterranum*, Pictoris celeberrimi *Cidiæ* tabellam ſeſtertiis CXLIV. comparaſſe *Hortenſium* Oratorem, pro adornanda Villa ſua *Tuſculana*. Scribit etiam *Varro* in Lib. de *R. R.* multos iviſſe 97
ad Villam *Lucii Luculli*, pro videndis ibidem pulcherrimis picturis, inſtrumentisque argenteis aureisque, aliisque deliciis; ſi itaque tam opulentæ Villæ fuerint, divitem etiam ipſam Urbem fuiſſe, credibile eſt, atque omni more ſumtuoſe atque pulchre ædificatam. Quantum itaque potero, conabor notitiam ejus rei ſubminiſtrare, atque conquirere omnia, ex quibus intelligetur, accurato ſingularique modo, Antiqua, Nobilis, atque Spectabilis fuiſſe.

Magno in pretio *Romani* Antiquum *Tuſculum* habuerunt, non tantum propter claritatem & nobilitatem Familiarum inde ortarum, verum & propter Aſyli ibidem ſecuritatem, quod illuc refugientes, iſto in loco inveniebant, unde fœdus icturi ad illum ſeſe ſæpe conferebant locum, atque utilitatem ejus atque gratiam captabant.

Apud varios Auctores, atque in [44] *Chronicis* Antiquiſſimis, legitur Urbs hæc Mœnibus validis circumdata fuiſſe, atque validis munita Turribus. Porta ejus Major Occidentem verſus ordine *Dorico* conſtructa fuit, Turrim altam habens ſuperpoſitam, unde e longinquo hoſtis adventus conſpici poſſet. Orientem verſus alteram habuit, atque ab altera ad alteram Portam tendentem plateam rectam, ad cujus latera juſto ordine erant Domus, *Baſilicæ* atque alia Ædificia.

Ita rem ſeſe jam Antiquitus habuiſſe ex aureo quodam Nummo colligere licet, quem in *Fam. Rom.* apportat *Fulvius Urſinus*. Percuſſus idem 98
eſt Anno u. c. CCLXXXII. juxta *Lydiathi* Chronologiam & *Livium* Lib. VI. quum *Lucius Servilius Ruffus*, Tribunus Militum *Tuſculum* eriperet *Velletranis*, qui Urbem, Arce excepta, occupaverant, quam ipſam quum adorirentur armis, a ſupervenientibus *L. Quintio Cincinnato*, atque *Servio Sulpicio*, occiſi fuerunt.

Nummus autem ipſe, a *Fulvio Urſino* in Familia *Sulpicia* adductus, cernitur *Fig.* 6.

An jam revera ſitus *Tuſculi* talis fuerit, qualis ex adducta moneta concludere licet, an vero qualem in *Latio* ſuo *Antiquo* depingit *Kircherus*, erudito Lectori dijudicandum relinquo; Puto tamen potius Nummo fidem habendam eſſe, quum & talem Urbi bene ædificatæ figuram *Plato* aſſignaverit. Diameter ejus difficulter inveſtigari poteſt, eſtque quidem aliquod in medio ſignum, verum tam exiguum, & a reliquis tantum di- 99
ſtans fabricis, ut dubium ſit, an ad ipſam pertineat Urbem, an Arcem, an aliud quoddam diverſum plane ædificium. Confer *Fig.* 7.

Kircherus in *Latio* ſuo Urbi huic aſſignat longitudinem paſſuum centum & viginti, latitudinem vero ultra ducentos extendit paſſus, in parte ſcilicet latiore, in contractiore vero centum, incluſo intus Hippodromo, quem velut in medio ejusdem conſtituit, eodem ſcilicet planiſſime loco ubi Montis eſt Planicies. Picturam ejus cernas *Fig.* 8. 100
ubi deſignatur per literam A. Hippodromus.

Diximus jam ſuperius de Hippodromo, Circo, 101
Theatris, Villisque, neque negari poteſt pro loci & habitantium conditione magnificas ibidem ædes fuiſſe. Celebris certe Populus *Tuſculanus* fuit, & ſingularis in Religionis ſuæ Cœremoniis, quod certum eſt argumentum, variis ibidem Numinibus erecta Templa fuiſſe, ut & ſua habuiſſe Sacerdotia & Flamines, peculiaresque Sacrorum ritus.

43. *Volaterran Anthropolog.* Lib. IV.
44. *Gunther. Ligurin.* Lib. I. *Chron. Di Foſſa Nova. Chron. Abb. Usperg.*

ritus. Quod quum ex variis liquere possit Scriptoribus, tum & Marmora complura testantur.

45 SODALITIVM
SACRORVM
TVSCVLANORVM

46 C. VALERIO C. F. PAP.
MARIANO
HONORES OMNES
ADEPTO TRIDENT.
FLAMINI ROM. ET AVG.
PRÆFECT. QVINQ. AVGVR.
ADLECTO. ANNON. LEG. III.
ITALICI. SODALI. SACROR.
TVSCVLANORVM. JVDICI
SELECTO. DECVR. TRID.
DECVRIONI BRIXIÆ
CVRATORI REIP. MANT.
EQVO PVBL. PRÆF. FABR.
PATRONO COLON
PVBLICE.

47 IMP. CAES. L. SEPTIMIO SEVERO
PIO PERTINACI AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. VI. IMP. XII. COS. II. PP.
MARCVS AVRELIVS MENOPHILVS
ORNATVS JVDICIO EJVS
EQVO PVBLI. SACERDOS
102 TVSCOLANORVM AEDIL POLAE
CVM MENOPHILO PATRE.
LIB. AVG. NN EXPROCVRAT.
INDVLGENTISSIMO
L. D. D. D.

Peculiares vero in Sacris Cœremonias apud *Tusculanos* obtinuisse ex variis constat Scriptoribus. Ita Deos in Fœdere testes advocabant, imprecabanturque malum illis qui fregissent; prout legere est apud *Livium* Lib. VI. ubi Dictator *Cincinnatus*, gloria atque honor *Tusculani* soli, ante aciem exercitus hostilis *Prænestinorum*, hanc facit imprecationem: *Adeste Dei testes Fœderis, & excipite pœnas debitas simul vobis violatis, nobisque per vestrum Numen deceptis.*

103 Inter complura itaque celebria ibidem Templa fuit & illud, quod dedicatum fuit (ut adstruit *Suetonius* in *Vita Galbæ* Cap. XVIII.) Deæ *Fortunæ*, cujus paullo superius mentionem fecimus. *Plinius* etiam Lib. II. Cap. XCVI. Aram commemorat Deæ *Murtiæ* dedicatam, Templumque *Dianæ* Sacrum in Agro *Tusculano*, locumque illi præcisum Lib. XV. Cap. XIX. assignat ad Collem *Corne*, his verbis: *Ad Aras* Murtias *in Vejente apud* Tusculanum —— Tusculi *in suburbano quodam agri Colle, quem* Corne *appellabant, Templum* Dianæ &c. Erat quoque *Tusculi* Templum 48 *Jovis Maximi*, quod primitivi *Christiani* commutarunt in illud *Sanctissimi Servatoris*, venerati ibidem Imaginem ejusdem a *S. Luca* depictam, quæ postea *Tibur* translata fuit in Ecclesiam Cathedralem, ubi hodie invenitur, una cum hac Inscriptione:

CHRISTO SERVATORI
MEMORIAEQVE PERENNI

HOC IN SACELLO SALVATORIS NOSTRI EFFIGIES A B. LVCA DEPICTA, VENERATIONE TAM DEBITA, QVAM DEVOTA CVSTODITVR, IN EODEMQVE CORPVS B. QVIRINI SERVATVR, CVIVS, PRAETER CAETERA, MEMORIA CERNITVR IN LAPIDE IN INGRESSV A DEXTRIS. HVC TAMEN MVLIERIBVS INGREDI NEFAS EST, NISI VNICO DIE DEDI-
104 CATIONIS DVMTAXAT EIVSDEM, QVOD A GREGORIO NONO CONSECRATVM EX-

45. *Fabrettus Inscript. Ant.* p. 341. litt. F. *Grut.* p. 479. n. 6.
46. *Panvin. Comm. in Reip. Rom.* p. 356.
47. *Inscript. Antiq. Grut.* p. 263. *Ligorii* MSS. Vol. XIX. p. 190. *Panvin. de Rep. Rom. & Sacerd. Deorum.*
48. *Perott. in Cornucop. L. L.*

A TITIT ANNO A S. DEIPARAE VIRGINIS PARTV MCCXXXIV. XIII. KAL. IVLII.

Majoris nomen Templum illud habuit (secundum dictum *Perottum*) a magnitudine (ut quidam volunt) atque amplitudine sua, vel (ut alii) a mense *Majo*, quo, ut asserit *Macrobius* Lib. I *Saturn.* Cap. XI. *Tusculani* soliti fuerunt sacrificium isti Numini facere. Volunt alii a *Maja*, matre *Mercurii*, ita dictum fuisse, cui illo in Templo Sacra facta fuerint.

Dubitari autem non potest, Templum hoc *Jovis* in *Tusculo* fuisse, testatur enim illud ipse *Livius* Lib. II. Decadis I. narratque Lib. VII. Decad. III.
B grave damnum passum fuisse a fulmine ejusdem culmen. Fuêre & Aræ ibidem erectæ, ex quibus hanc commemorat *Ligorius* in Inscript. Antiq. MSS. Volumine XIX.

T. RAMIVS T. F. RVFVS
VETERANVS EX CHO-
VII. PRAETORIAE 7 VIRI MAXIMO
IOVI TVSCVLAN CONSERVATORI
SACRVM

V. S. L. M.
L. D. D. D.

C Testatur idem *Ligorius* in Volumine eodem, 105
in Fragmento quodam ita legi:

PRO SALVTE RAMIAE AMANATAE VXORI
SVAE IOVI OPT. MAX.
T. RAMIVS T. F. P. RVFVS
VETERANVS.

V. S. L. M.

Junonem præterea suum in *Tusculo* habuisse Templum, patet ex Ara sequente, quam Deæ huic dedicavit *Lucius Valerius Tusculanus*, quæ duobus abhinc annis una cum pulcherrimis duabus Statuis
D inventa fuit in agro Domini *Mutii de Maximis*, a rustico quodam, qui clam *Romam* deportavit, atque vendidit Domino *Ficoroni*, qui easdem in Museo suo asservat:

IVNONI
SACRVM
L. VALERIVS L. F. M. N.
TVSCVLAN.
D. S. P.
D. D.

Inscriptionem quoque hanc commemorat *Ligo-* 106
rius in MSS. Volumine XIX.


E C. ANCARIO C. F. PALAT.
FLACCIAN.......
AED CVR PATRONO MVN-
TVSCVLAN... ET....
ANCARIAE VALE-
RIAE CLARISS. FEMINAE
Q. ANCARIVS C. F. LATINVS
EQ. R. FAC. CVR.
D. D. D. D.

Exstruxerunt & *Tusculani* aliud superbum Templum *Telegono*, conditori suo, prout in *Latio* suo narrat Dominus *Marcellinus Corradinus* his verbis: *Apud* Tusculum Telegonus, Ulyssis & Circes
F *Filius, Ædem sacram & Festa meruit.* Patet praeterea ex *Macrobio* Lib. I. *Saturn.* Cap. XII. annuatim Calendis *Majis* solemne Festum a *Tusculanis* celebratum fuisse 49 *Castori* & *Polluci*, qui ibidem Templum suum habuerunt, cujus & *Marcus Tullius* mentionem fecit Lib. I. de *Divinat. Et Cœlo tactæ Ædes* Castoris & Pollucis *Tusculi.*

Tu-


49. *Perott. Cornucop. L. L. Fest.* Lib. XVII. verb. *Stroppus.*

Fig. 9.




Pag. 41.

Fig. 10.



Pag. 41.

Fig. 10.




Pag. 55.

Fig. 11.



Pag. 55.



107 *Tusculum* hodiernum, in Antiquæ Urbis æmulationem eundem diem gloriosis duobus Apostolis *Philippo* & *Jacobo* dedicavit, hosce enim Patronos sibi elegit, illorumque festa celebrat.

Mercurius quoque cum *Venere*, sub *Hermaphroditi* figura *Tusculi* celebrati fuerunt, eorundemque simul statuam a discipulis suis collocari fecit *Cicero* in *Academia* sua *Tusculana*, prout testatur Lib. I. ad *Attic.* Ep. III. & *Farnab.* ad *Cic.* Lib. VIII. Cap. XIV. *Saturnus* præterea & *Hercules*, qui in universo *Latio* pro Diis culti sunt, ibidem Templa sua habuerunt atque Aras. Unde & in Vinea quadam in Agro *Tusculano* hæc Ara inventa fuit:

[50] HERCVLI IN-
VICTO SACR.
M. AVRELIVS
VOTO POSVIT.

Credidit *Kircherus* in *Latio* suo, Antiquum illud Mausoleum, quod plane adhuc integrum est, figuræ rotundæ, atque exstat in Vinea, quondam Dominorum *Rocci*, nunc vero Domini Cardinalis *Spadæ*, Antiquum fuisse Templum Numini cuidam dedicatum, suntque hæc ejusdem verba:

108 *Non procùl hinc, versus* Tusculum, *ad viam, quæ* Romam *tendit, aliud Fanum occurrit, figura rotundum, ex lapidibus quadris raræ magnitudinis extructum: Cuinam verò Numini consecratum fuerit, apud Auctores non reperio.* Confer *Fig.* 9.

Huic *Kircheri* sententiæ si velimus acquiescere, dicere possumus, *Herculis* olim fuisse Templum, seu alterius cujusdam Numinis, cui soliti fuerint Antiqui Templa extra Urbem ædificare. Verum
109 ego non credo fuisse Templum, quoniam in media Villa est exstructum, ubi Antiqui sepulchra potius exstruebant quam Templa. Præterea forma ejusdem atque fabrica valde similis est pluribus similibus Nobilium *Romanorum* sepulturis, quæ ab illis in Agro *Romano* exstructæ sunt, præsertim vero sepulcro *Metelli*. Credibile itaque est Molem hanc *Luculli* fuisse ipsius, cujus sepulcrum in *Tusculano* exstare asserit *Plutarchus*; atque ipse *Kircherus* de locis istis agens, ita disserit Libro citato: *Tertia Villa amplissima & magnificentissima fuit, eo in loco, ubi hodie Villa* Rocciorum *&* Varesiorum *visitur.* Agnoscit ibidem Balnea, Piscinam, atque Ædes ejusdem *Luculli*.

Ante viginti præterea annos in medio hujus Mausolei inventa fuit Urna sepulcralis cum paucis cineribus, ex Granito facta, cujus operculum plumbo tectum erat, una cum inscriptionibus quibusdam, quæ tunc temporis neglectæ fuerunt; unde adhuc cognoscere non licuit, cujus hæc sepultura fuerit, verum id testari possum, paucos ante annos, quum in ejusdem circuitu excavarent, cadavera quædam inventa fuisse inclusa capsis lapidis cocti, una cum lacrymatoriis vitreis; ut & alia quædam Marmori candido inclusa, quæ fuisse Libertorum credo ejus, qui intus in Mausoleo isto sepultus fuit. [51] Fig. 10.

110 *A. Aquæductus. B. Murus adversus. C. M. Porticus Ambulatoriæ. D. I. Receptacula. E. Balnea. F. L. Fenestræ. G. Columnatio. H. Porta Columnationis. K. Porta grandis.*

111 Quando postea *Tusculum* Lucis Evangelicæ radios excepit, primitivi *Christiani* Fabricam hanc mutarunt in Ecclesiam, quam consecrarunt sanctissimæ Redemtoris *Cruci*, atque nomen *Hierosolymitanæ* illi superaddiderunt, forsan ex particula ejusdem Crucis ibi asservata.

Quo vero tempore quisve tanto munere cælesti Fidei Evangelicæ *Tusculum* beaverit, nec certa notitia est, nec Traditio aliqua asserit. Supponit *Ughellius*, id vel per S. *Petri* aut *Pauli* contigisse ministerium, utpote qui *Romæ* & vicinis locis Evangelium prædicarunt, vel per eorundem Alumnos atque Discipulos. Verba ejus in *Italia Sacra* Tom. I. de *Episc. Tuscul.* hæc sunt: *Quandò autem, aut a quibus* Tusculum *lucem hauserit Evangelii, haud mihi facile fuit investigare: Sane non me valdè conjectura fallet, si dixero, vel ab ipsis Apostolis, vel ab eorum Alumnis, qui illùc missi* Christianæ *Pietatis extendêre confinia:*

Piam hanc *Ughellii* conjecturam *Nicolaus de Lyra* confirmat, exponens enim cum ordinaria Glossa secundam S. *Pauli* ad *Corinthios* Epistolam Cap. I. per populos adjacentes, vicinas *Romæ* Urbes intelligit, ut & *Salmasius* in *Eucharist.* & Bibliothecarius *Anastasius* Lib. I. Cap. XXI. qui *Civitates* nominant *Suburbanas*.

Pertinet cura istius Ecclesiæ ad Monachos Ordinis S. *Benedicti*, quibus una cum aliis Ecclesiis atque Monasteriis intus atque extra *Tusculum*, donata fuit a *Gregorio*, Comite *Tusculano*, circa Annum ML. prout *Petrus Diaconus* in *Chronico Cassinensi* Lib. III. affirmat his verbis: *Monasterium Sancti* Angeli de Algido *Territorio* Tuscolano, *Ecclesia Sancti* Petri in Pelago, *S.* Felicitatis, *S.* Luciæ, *S.* Antonini in Monte Porculo *Territorio* Tuscolano, *Monasterium S.* Agathæ *subtùs Civitatem* Tusculanam, *Ecclesia S.* Salvatoris *in eadem Civitate* Tusculana, *Ecclesia S.* Mariæ *cognomento ad Vineas Territorio* Tusculanensi; *Has omnes* Gregorius, *Consul* Romanorum, *Beato* Benedicto *obtulit, juxtà tenorem, qui in Chartula oblationis continetur.* 112

Supradictus *Gregorius*, simulque ejus filius *Ptolemæus*, postea donationem hanc confirmarunt Monachis Monasterii *Montis Cassini*, quum molestia illis creata fuisset a Comite *Petro*, fratre ejusdem *Gregorii*, prout adnotatum est in supradicto *Chronico* Lib. III. Cap. LIX. & LX. his verbis: Gregorius *Illustris ob maximam devotionem, quam in Patre* Benedicto, *& per eum in loco isto habebat, cum supradicto filio suo* Ptolemeo, *&c. obtulit B.* Benedicto *Ecclesiam, quæ dicitur S.* Hyerusalem, *cum Universis Pertinentiis suis, sitam in Territorio* Tuscolano, *juxtà tenorem scilicet, quo anteà Monasterium S.* Agathæ, *S.* Luciæ, *S.* Felicitatis, *S.* Petri *in* Pelago, *S.* Salvatoris in Tuscolano, *& S.* Mariæ *in* Vineis, *huic* Cassinen. *Cœnobio concesserat, & firmaverat.*

Monachi itaque *Benedictini* Ecclesias has atque hæc Monasteria per longos annos retinuerunt, prout constat ex Confirmatione accepta a *Calixto* II. Anno MCXXIII. atque *Innocentio* II. anno MCXXXVII. atque invenitur registratum Tomo I. & II. Bullarii *Cassinensis* Constit. XII. & CLXII. atque probabile est conservasse usque ad ipsius *Tusculi* destructionem. 113

In supradicta S. *Agathæ* Ecclesia venerabatur populus Matrem Dei depictam manu S. *Lucæ*, quæ anno MCLXXXVII. quum regnavit *Gregorius* VIII. atque secundum alias anno MCCXXX. quum ejusdem nominis IX. *Gregorius* Comes esset *Tusculi*, translata fuit in Ecclesiam *di Grotta Ferrata*, atque restituta Monachis *Basilidianis*, qui ante *Benedictinos*, atque usque ad annum CCCLXXX. eandem possederant Ecclesiam atque Monasterium S. *Agathæ*, atque ibidem conservabant alias multas nobiles Reliquias, & inter illas Caputium Patriarchæ sui S. *Basilii*, usque ex *Cappadocia* a S. *Gregorio Nazianzeno* missum ad *Joannem*, Abba-

C 3 tem

50. *Jo. Vignola de Columna Antoniniana.*

51. Quorsum hæc Figura hoc in loco pertineat, non recte capio, quantum tamen conjicio, describuntur loci cavi sub Monte *Tusculano*.

tem dicti Monasterii, paulo post ipsius Sancti mortem.

Habitavit in loco isto S. *Nilus*, primus Abbas, atque fundator Monasterii Ecclesiæque *di Grotta Ferrata*, circa Annum MIII. quum abiit a *Serpari*, ut in Vita ejusdem Sancti legitur, atque docet nos sequens Inscriptio appensa a Monachis *Benedictinis* prope Sacrarium Reliquiarum, in Ecclesia sua Sanctæ *Scolasticæ di Subiaco*, comprobans etiam illud, quod superius de Ecclesia atque Monasterio S. *Agathæ* narravimus. Inscriptio autem hæc est:

114 DIVI BASILII MAGNI CAPVTIVM, QVOD
IN SACRARIO EST, POST EJVS OBITVM,
QVI CONTIGIT ANNO CCCLXXVIII. SVB
DAMASO PAPA, D. GREGORIVS NAZIAN-
ZENVS, SANCTI ILLIVS MONACHORVM
ORIENTALIVM PARENTIS COÆVVS, ET
AMICISSIMVS, EX CAPPADOCIA IN ITA-
LIAM JOANNI CAPPADOCI, CRYPTÆ FER-
RATÆ IN TVSCVLANO ABBATI, TRANS-
MISIT, QVOD DEINDE ANNO MCLIII.
NORMANNIS, GERMANISQVE ITALIAM
DEVASTANTIBVS, PRÆDICTI MONASTE-
RII MONACI, SE SE A BELLI TVMVLTI-
BVS, PERICVLISQVE RECIPIENTES, IN SA-
CRVM HOC S. SCHOLASTICÆ MONASTE-
RIVM (IN QVO IMMORARVNT DIV, MOR-
TVIQVE FVERE) VNA CVM PRÆGRANDI
ÆNEA, AVROQVE OBLITA CRVCE, SAN-
CTORVM PLENA RELIQVIIS, ET VNA
ETIAM EX SERVATORIS NOSTRI SPINIS,
INSIGNIQVE IN HOC SITVM SACRARIO SE-
PARATIM IN CHRISTALLINA THÆCA SE-
CVM VENIENTES ATTVLERE, ATQVE HIC
VITA DECEDENTES RELIQVERE.

Non capio autem, quomodo Anno CCCLXXX. *Joannes* Monachus *Græcus* Abbas potuerit esse Monasterii
115 *Grottæ Ferratæ*, quum pateat Anno MV. a *Gregorio*, Comite *Tusculi* donatum fuisse S. *Nilo*, qui habitabat in Monasterio S. *Agathæ*, atque ad *Grottam Ferratam* commigravit, ut ibidem [52] Ecclesiam conderet. Verum quidem est *Paullum Æmylium Santorium* stare pro dicta Inscriptione, Ecclesiam *Agathæ* collocans, ubi *Grotta Ferrata* est, non vero apud *Tusculum*; verum *Bartholomæus* Abbas atque S. *Nili* Discipulus, in Vita Sancti ejusdem, quam *Græce* conscripsit, sed quam *Latine* versam habemus Studio Domini *Caryophili*, Episcopi *Iconensis*, vult Ecclesiam istam S. *Agathæ* distare tribus a *Grotta Ferrata* milliaribus. Addit dein, quum diem supremum idem obiisset Sanctus, antequam consummata fuisset eadem fabrica, Monachos, qui una cum illo in Claustro S. *Agathæ* fuerant, Corpus ejus transtulisse in Ecclesiam *Grottæ Ferratæ*, atque juxta supremam defuncti voluntatem ibidem sepelivisse. In Novum illud Monasterium pariter omnes *Græci* sese receperunt Monachi, qui in *Latio* tunc atque *Campania* habitabant, relictis Monasteriis suis, *Serpari* quidem *Cajetæ*, S. *Agathæ* autem in *Tusculano*, unde (sicut superius diximus) dono *Benedictinis* dedit Comes *Gregorius*.

Alias insuper Ecclesias in Agro *Tusculano* extitisse invenio: Ecclesiam scilicet & Monasterium S. *Benedicti*, dictum *Gangria di Grotta Ferrata*,
116 cujus fit mentio in Bulla *Gregorii IX.* data anno MCCXXXIII. septimo Pontificatus sui: quæ ita orditur: *Apostolicum convenit*; [53] Ecclesiam præterea S. *Leonardi*, ut & illam S. *Sylvestri*, quas ambas *Innocentius III.* Archihospitali S. *Spiritus*, quod *Romæ* est, dedit, confirmataque possessio est per Bullam *Bonifacii VIII.*

Sed præter Ædium pulchritudinem habuit etiam Familias multas *Tusculum* Illustres, quibus inter *Latii* præcipuas nobilitate civium floruit. Harum maxime insignis illa fuit *Mamiliorum*, quæ genus suum refert ad *Telegonum*, atque vetustissimos *Romanorum* Reges. Adscripta eadem Senatorio fuit Ordini Anno *Romæ* CLIV. ut computat *Thomas Lydiathus* in *Chronologia* sua; eo scilicet tempore, quo *Tarquinius Priscus* victor *Latinorum* Triumphum egit, ad *Tulli Hostilii* imitationem, qui, destructa *Alba*, ducentas Nobiles Familias, tam *Albanas* quam *Romanas*, inter Patricios adlegit, & centum Senatoriis *Romæ* jam a *Romulo* stabilitis, addidit, primos eorum *Patres Conscriptos* appellans, eorumque filios *Patricios*.

Servius Tullus, alter *Romanorum* Rex, propter veterem cum *Mamilia* Gente necessitudinem, eandem inter Patricios adlegit, voluitque honorari tanquam & ipsi a primis Senatoribus a *Romulo* stabilitis, descendissent.

Servio in Regno *Tarquinius Superbus* successit, ut *Livius* testatur Lib. I. & II. qui *Roma* pulsus *Tusculum* sese recepit ad *Octavium Mamilium*, qui inito cum *Porsenna*, Rege *Hetruriæ* fœdere, armata manu conatus fuit restituere *Tarquinium* in 117
Regnum suum. Irrito autem id accidit eventu, licet ipse *Mamilius* & manu esset strenuus & viribus potens, utpote *Tusculo* aliisque Urbibus *Latii* imperans. Idem tamen adjungens sese *Superbi* filio *Sexto Tarquinio*, grave bellum *Romanis* fecit, quadraginta peditum millibus, tribusque equitum, in aciem eductis, dicitisque in commune cum *Sexto* fœdus triginta *Latinorum* Oppidis.

Hoc tam valido exercitu *Romanos* violente vexavit per quindecim pluresve annos. Tandem vero Anno V. C. CCLVIII. Julii die XXV. [54] prope *Rhegillum* Lacum, in Agro *Tusculano*, atrox atque sanguinolentum prælium fuit commissum, in quo *Octavius* noster ancipitem diu Martem belli fecit; verum (ut narrat *Valerius Maximus* Lib. I. Cap. VIII. (quum procedente prælio duo visi essent juvenes albis equis atque vestimentis (*Castor*ii & *Pollux* erant) properantes ad *Romanorum* defensionem) tanta alacritate (ut notat Lib. II. *Livius*) pugnam redintegrarunt milites *Romani*, ut *Tusculanos* in fugam conjecerint, cecideritque ibidem ipse Dux *Octavius Mamilius*, confossus a *Tito Herminio*, Dictatore exsistente *Aulo Postumio Albino*, qui Magistrum Equitum creaverat (ut notat Lib. VI. *Dionysius*) *Tiberium Æbucium Albinum*. Atque hæc clades mortem præ ægritudine acceleravit *Tarquinio Superbo*, qui ætate & curis gravis, ut in tutum locum, *Tusculum* sese recepe-
rat. [55] Sunt & qui dicant *Puteolos* sese recepisse, 118
atque ibi, filiis atque spe omni orbatum, diem obiisse supremum anno insequenti.

Morte hac *Octavii Mamilii*, atque internecione ejusdem exercitus, sub potestatem *Romanorum* venerunt *Tusculani*; filii autem *Mamilii* exsulatum per *Latium* abierunt. [56] Atque ita in varios ramos dispersa est Gens *Mamilia*, ortaque nova ex ea *Octaviorum*, ex patris *Octavii Mamilii* nomine, familia; verum ex residuo, qui *Tusculi* manserat, ramo, descendit postea *Titus Æmylius Mamilius*, qui Consul fuit Anno U. C. CCLXXXIV.

[57] Atque ab hoc *Tito* ortus fuit *Titus Lucius Mamilius*, qui Dictator exsistens *Tusculanorum* Anno CCXCIII. una cum civibus suis atque militibus ad Urbem sese contulit, ut Capitolium liberaret, obsidione cinctum ab *Appio Herdonio Latino*, atque

52. *Historia Monast. Carbonensis.*
53. *Petrus Saulinierus* Canonicus Ord. *S. Spiritus*, in *Saxia* in Hist. sui ordinis p. 135.

54. *Lydiat. Chronol.*
55. *Fr. Lud Contaren. Antiq. Roman.*
56. *Franciscus Zazzera Nobilit. Italic.*
57. *Liv. Lib. III.*

atque ob tantum beneficium a Republica tribus post annis Civitate *Romana* fuit donatus una cum omnibus *Tusculanis*, Consulibus *Valerio Poplicola* & *Claudio Sabino*.

Fuit & alius *Lucius Mamilius Sabinus*, dictus *Vitellius*, qui Consul (ut computat *Lydiathus in Chronologia*) fuit Anno U. C. CDLXXXIV. cùm *Q. Fabio Gurgite*; alter item *Q. Mamilius*, pariter *Vitellius* dictus, Collega in Consulatu *L. Postumii Megelli* anno U. C. CDLXXXVII. cui successit *Cajus Mamilius Turinus*, qui simul cum *Valerio Falto* isto honore gavisus fuit anno DX.

119 Noscitur dein *Cajus Mamilius Limetanus*, dictus ita (notante *Livio* Lib. IV.) *ob latam legem de limitibus*. Hic anno U. C. DL. Pro-Prætore fuit *Hispaniæ*, sub *Cassio*, & præterea Tribunus Plebis, putaturque idem [58] *Tusculanus* vocatus fuisse, subacta enim regione ista Ovationem meruit, quæ Minoris Triumphi erat species, concedebaturque Ducibus, qui sine magno periculo hostes vicerant. Hac occasione Triumphans Civitatem pedes est ingressus, secutusque illum sine exercitu est Senatus. Primus vero, qui hoc more Triumphavit, fuit *Postumius Tubertus* Consul, qui de *Sabinis* Ovationem meruit, & postea *Marcellus*, qui *Siciliam* subegit.

Multæ aliæ præterea *Mamiliorum* Familiæ ex Nobilissima hac Gente ortæ sunt, quas præterire necesse est, quoniam nescitur, an nominis similitudine tantum conveniant, qui ita vocati occurrunt, an adoptione ad eandem transierint, unde & in *Marmoribus Felsineis* Sect. V. Cap. XIII. confusio forte illa accidit in Scriptura *Mamiliorum*, *Maniliorum*, *Manliorum*, & *Mamulajorum*; atque his missis conferemus nos ad illam Gentis hujus Familiam, quæ a Principe *Octavio* nomen *Octaviorum* nacta fuit.

[59] Genus suum hæc refert ad *Octavii Mamilii* filios *Gneum* & *Cajum*, quorum prior post patris mortem in patriam suam *Tusculum* sese recepit, posterior *Velletros* concessit, cujus Urbis ipse fuit Princeps. A *Gneo*, qui *Tusculi* habitavit, descendit *Gneus Octavius*, qui Ædilis *Romæ* fuit
120 anno DXLIII. atque *Carthaginensibus* interfuit bellis. Hujus filius exstitit *Gneus Octavius* Secundus, qui ad Decemviratum pervenit in locum *Marci Marcelli*, atque postea Consul exstitit una cum *Tito Manlio* anno U. C. DLXXXIV. Legationem deinde in *Syria* obiit, ubi Regis *Antiochi* opera *Laodiceæ* fuit interfectus, licet alii velint a *Leptine* occisum, Consulibus *Marco* & *Scipione*.

Filius, *Gneus Octavius* Tertius, Collegam in Consulatu habuit *Titum Annium Ruffum*, anno U. C. DCXXI. juxta *Lydiathi Chronologiam*) ex quo Quartus ejusdem nominis natus est *Octavius*, qui una cum *Lucio Cornelio Cinna* Consul fuit anno DCLXII. atque occisus fuit a factione *Mariana*, quatuor relinquens filios, *Lucium*, qui Consul fuit una cum *Cajo Aurelio Cotta*, anno DCLXXIV. atque deinde etiam Prætor exstitit; *Gneum*, pariter Consulem cum *Cajo Scribonio* anno DCLXXIII. quique una cum fratre *Cajo* ex Senatus Decreto Libros conquisivit *Sibyllinos*, *Romam* (ubi inventi fuissent) deportandos; *Marcum* denique, cujus quidem, an dignitatem honoremve publicum obtinuerit, nulla certa exstat notitia.

Cajus (cujus modo meminimus) *Velletris* vixit, ibique, procul ab appetendis honoribus, Equestri
121 dignitate contentus fuit, prout in *Augusti Vita* testatur *Suetonius*. Ab hoc descendit *Cajus*, qui Tribunus *Militum* exstitit Bello *Punico* sub *Æmylii Pappi* ductu. Descendit & ab eodem *Cajus* alter, *Augusti* avus, qui Municipales tantum obiit dignitates, & quiete vixit lato gaudens patrimonio.

Natus ex hoc *Cajus* fuit, *Augusti* pater, quique primus, ubi rursus Familiam suam ad Patritios transtulisset, Legis *Cassiæ* potestate Ædilis creatus est. Senator postea factus, celebris exstitit rebus in *Macedonia* gestis, ubi & diem supremum obiit relinquens tres liberos, *Octaviam* Majorem ex *Ancharia* (hæc postea *Cajo Marcello* nupsit) *Octaviam* Minorem, & *Cajum Octavium*, ex *Accia*, filia *Accii Aricini* Prætoris, atque *Juliæ*, sororis *Caji Julii Cæsaris*.

[60] Natus fuit hic *Cajus Octavius* anno U. C. DCLXXXVI. Septembris die XXIII. Consulibus *M. Tullio Cicerone* atque *Cajo Antonio*, adoptatusque fuit ab avunculo suo *Cajo Julio* ex testamento, qui secundum hæredem scripserat *Marcum Brutum* ex *Servilia* filia *Catonis* natum; unde multi crediderunt ipsius *Julii Cæsaris* filium fuisse *Cajum Octavium*. Annos natus novendecim Magister Equitum factus est, licet per ætatem nondum liceret, quinto autem vix lustro impleto ad Imperium vocatus est. Anno Imperii ejus [61] circiter XL. natus Redemptor Humani Generis est 122
Christus, Consulibus *L. Ælio Lamia* atque *M. Servilio Geminio*.

Ex hac tam nobili *Octaviorum* Gente originem duxit [62] Familia *Anicia*, ut & *Pierleonia*, atque *Frangipana*, ex quibus provenere Comites *Tusculani*, qui vocati fuerunt Comites *Galeræ*, *Segni*, *Anagni*, & S. *Eustachii*, [63] prout ex auctentico testimonio liquet Marmoris, quod positum est in Capitolio *Romano*, in quo scriptum legitur:

ANICIA, EX QVA PIERLEONIA, FRANGIPANA, ET COMITVM FAMILIÆ EXIERVNT.

Insigne, seu Stemma Natalitium Comitum horum *Tusculanorum* Aquila fuit, Nigra tota, in Campo Rubro; Comitum vero *Segni*, Aquila Aurea Nigro distincta in simili Campo; Comitum autem *Ceccani* pariter Aquila, sed divisa coloribus inæqualiter, superiori parte Argentea in Campo Rubeo, inferiore Rubea in Campo Argenteo, unde patet, ex uno derivari omnes capite.

Ex horum Comitum Familiis multi Summi Pontifices orti sunt, videlicet *Sergius III. Joannes XI. Joannes XII. Benedictus VII. Benedictus VIII. Joannes XIX. Benedictus IX. Innocentius III.* 123
Gregorius IX. Alexander IV. aliique, quos inter [64] quidam numerant S. *Cornelium I. Adrianum III.* duos præterea Anti-Papas, *Benedictum* scilicet X. & *Victorem VI.* Cardinales XXVII. Archiepiscopos II. Episcopos VII. Abbates VIII. Præfectos VII. Senatoresque *Romanos*; Magistros S. Hospitii V. Generales S. Ecclesiæ, seu Colonellos XIV.

Familiæ *Mamiliæ* Memoriæ adhuc quædam exstant in antiqua pulchraque Turri, quæ visitur in *Rione della Suburra*, exstructa forsan ibidem a *Lucio Mamilio* Patricio. Ne vero hæc talis periret memoria, anno MCCXI. (prout narrant *Famianus Nardinus* atque M. *Dionysius* in Genealogia Domus *Conti*, seu *Comitum*) restituta Turris illa fuit a *Petro Conti*, filio *Thrasymundi*, fratris *Innocentii III.* qui consensit ad ædificationem, pro deprimenda *Romanorum* superbia, qui elato erant animo propter afflictum *Tusculum*; atque ideo ex ipsius *Tusculi* ruinis illam reædificari fecit.

Familiæ *Mamiliæ* variæ inveniuntur Inscriptiones, quas recensent *Janus Gruterus*, *Thomas Reinec-*

58. *Hirtius* Lib. VII. *Dio* Lib XLI.
59. *Kircher. in Hist. Eustach. Mariana*, & *Franc. Zazzera* in *Nob. Ital.*

60. *Lydiathus Chron.*
61. *Lydiath.* in *Chron.*
62. *Ciaccon.* in *Vitis Pontif.*
63. *Arnold. Vivion. Lign. Vit.*
64. *Arnold. Vivion. Lign. Vit.*

nesius, Comes *Carolus Malvasia*, suntque hæ infrascriptæ:

[65] L. MAMILIVS
L. L. FAVSTVS SEV. AVG.
124 L. MAMILIO L. F. ARN. MODESTO
SELECTO ET DECVRIONI
VIVOS SIBI ET LIBERTIS SVIS FECIT
L. MAMILIO EPINICO SEVIR. AVG.
L. MAMILIO ACTIO
CALLITYCHENI
L. MAMILIO FAVSTO
L. MAMILIO EVTYCHO
MAMILIAE PYRALLIDI

[66] D. M.

MAMILIAE
GN. FIL.
LOCHIMAE
RVFVS PATER
FILIAE
DVLCISSIMAE

125 [67] A. MAMILIA
CHARITHONIS
CALPVRNIAE
Ↄ. L. HILARÆ
A. MAMILIAE
CERDONIS ET
LIBER LIBERTAB.

In Fr. P. XII.
In Agr. P. XVI.

[68] L. NVMERIA
L. F. FELICI
7. LEG. VII G. P.
7. LEG. XX VICT.
7. LEG. XXII P. R.
7. LEG. III CYR.
7. LEG. III. ITAL.
MAMILIA
PRISCA MARITO
OPTIMO

[69] T. MAMILIO
126 SILONIS FIL. QVIR.
PRAE-BENTI
TRITIENS MEGALE
OMNIB. HONORIB.
IN R. P. S. FVNCT.
DECVRIALI ALLEC.
CAVSATO A. DIVO
PIO FLAMINI P. A. C.
C. P. A.

Invenitur eorundem *Mamiliorum* notitia in quinque Denariis seu Nummis antiquis, qui ab ipsis percussi esse ex inscriptionibus agnoscuntur.

In primo *Justitiæ* cernitur Caput solito diademate seu fascia revinctum atque hac nota S. C. Ab
altera parte est sella Curulis, & desuper aratrum
cum lauri ad latus ramusculo atque Virgis seu Fasci-
127 bus Consularibus: nullis enim nisi illis uti Eburnea
sella, seu Curuli atque Fascibus licitum erat. In
iis autem secures non inveniuntur, utpote (prout
in *Valerio Poplicola* scribit *Plutarchus*) inde eductæ
pro minori terrore plebis. Signatus hic denarius
fuit anno U. C. DXCIV. Prætore *Cajo Mamilio*

A filio *Lucii Turrini*, cum hac Epigraphe C. MAMILIVS. Q. F. TVRRINVS.

In secundo Denario, cuso isto tempore, quo Provincialis Quæstor erat *Cajus Mamilius* anno U. C. DCXIV. *Mercurii* cernitur caput pileolo alato exornatum; ab altera vero parte *Ulysses* visitur pileo, scipione atque pallio instructus, de quo superius jam actum est, cum hac Epigraphe, CAIVS MAMILIVS LIMETANVS.

Tertius Nummus *Mercurii* exhibet Caput galero pennato pariter tectum, atque pariter in aversa parte *Ulyssem*, verum in circuitu hæc est In-
scriptio CAESAR TRAIANVS GER. DAC.
B P. P. RESTITVIT. atque in imo, CAIVS MAMILIVS LIMETANVS.

In quarto Caput Bustumque est *Dianæ* cum arcu atque pharetra ad lævum humerum, fronte lu-
nata. In imo nota S. C. in aversa *Ulyssis* rursus
figura cum cane atque literis CAIVS MAMILI- 128
VS LIMETANVS. Signatus hic Denarius fuit anno U. C. DCXXII. quum ipse Prætor esset Urbanus.

In quinto Caput Libertatis Velatum exstat, cum literis L. CENSORIN. In aversa legitur CAIVS LIMETANVS. atque experimitur *Libertatis* ty-
pus in biga, pileo tectæ, habenas manibus tenentis.
C Signatus fuit anno U. C. DCL. Qui omnes Nummi cerni possunt apud *Vaillantium* pag. 85. & seqq. Tomi II. ut & superius Fig. I.

Ad Familiam jam transeamus [70] *Cincinnatorum*, quam invenio eodem fere tempore *Tusculi* floruisse. Agnomen illud nacta est a *L. Quintio Cincinnato*, duræ vitæ viro atque neglectos alente capillorum cincinnos. Quo pacto & nomen *Ciceronis* a *ciceribus* est deductum, & a *fabis* illud *Fabiorum*, a *lentibus eximiè cultis* illud *Lentulorum*, a *Torque* autem *Torquatorum*. Huc alludit *Dantes Aligerius* in Carmine VI. *Paradisi* his verbis:

Onde Torquato, e Quintio, che dal Cirro
Negletto fù nomato.

D Filius hic fuit *Lucii*, atque ab aratro ad Dicta-
turam vocatus, verum deposita eadem, die XVI.
ad aratrum laureatus reversus est. Viginti post
annis iterum gessit Dictaturam, atque *Servilio* cæ-
dem *Spurii Melii* Regnum affectantis commisit. 129
Consul autem electus in locum *Publii Valerii Poplicolæ*, Magistrum Equitum creavit *Lucium Tarquinium*, ex plebe licet & pauperem. Mortuus tandem est post liberatum ab obsidione *L. Mamilii* Capitolium, anno U. C. CCXCIII.

Magistratum eundem obtinuit filius ejusdem
L. Quintius, Dictatore *M. Æmylio Mamerco*, &
E postea secunda vice Tribunus fuit factus anno U. C. CCCXXVIII.

Post *Lucium* hunc sequitur *Titus Quintius Cincinnatus*, qui in primo suo Consulatu Collegam habuit *Cajum Julium Mentionem* anno U. C. CCCXXII. atque in secundo Consulatu *Aulum Cassium* anno U. C. CCCXXV. qui pariter bis Tribunus fuit Militum, successive, annis U. C. CCCXXVII. & CCCXXXIII.

Titus Quintius Cincinnatus, primi illius nepos, ipse etiam Tribunus evasit militum anno CCCXXXVIII. filiusque ejus dictus *L. Quin-*
F *tius*, eandem consecutus est dignitatem anno CCCXLVIII. & CCCLXVII. tertia etiam vice anno CCCLXXVI. Collegas nactus *Cajum Quintium Cincinnatum*, & *Servium Sulpitium Prætextatum*, quo tempore (ut narrat *Livius* Lib. VI.) recuperavit patriam suam *Tu-*

65. *Reinef.* Cl. IV. n. 113.
66. *Grut.* Pag. 694. n. 12.
67. *Marm Felsinea* pag. 22.
68. *Grut.* Pag. 555. n. 1.
69. *Grut.* Pag. 434. n. 5.

70. *Liv.* in *Hist. Rom. Hieron. Henning* in *Geneal. Glandorpius* in *Lexico Gen. Rich. Strenius* in *Lexico Gen. Fulv. Urs.* de *Fam. Rom. Car. Sigon. Chronol. Thom. L diath. Chron Onuphr. Pan. Chron.*

Tusculum, a *Latinis* occupatam. Huic successit *Titus Quintus Cincinnatus*, qui & ipse Tribunus Militum fuit anno U. C. CCCLXV. Postea ex-
130 stitit Dictator anno CCCLXXIII. anno enim præcedente (teste *Livio* Lib. VI.) de *Prænestinis* Triumphum egit, hujusque viri gratia *Tusculani* a *Romanis* in *Fidem & Civitatem* recepti fuerunt.

Exstitit post hunc alius *Titus Quintius Cincinnatus*, pariter Tribunus Militum anno U. C. CCCXXXIII. aliusque insuper ejusdem nominis, dictus insuper *Capitolinus*, qui Magister Equitum fuit anno CCCLXXXV. anno autem deinde CCCXCVIII. ad Consulatum pervenit.

Successit denique huic alius adhuc *Titus Quintius Cincinnatus Capitolinus*, qui una cum *Penno Crispo* Consul fuit anno CCCXCVIII. iterumque anno CDI. cum *Cajo Sulpicio*. Divisa autem hæc Familia in tres ramos fuit, de quorum primo tantum prolixitatis evitandi gratia egimus.

Familia etiam *Valeria* fuit *Tusculana*, prout constat ex duabus Inscriptionibus alibi a nobis prolatis, *Lucii* scilicet *Valerii* & *Caji Ancarii*, quoniam vero *Lucii* illius cognomen seu agnomen non exprimitur, distingui haud potest, an ad *Barbatos*, an vero ad *Acifcolos* pertineat, an ad *Flaccos* denique, an ad *Levinos*. Inscriptionem illustrat *Aristides Milesius*, scribens: *Valeria Tusculanaria ob iram Veneris Valerium patrem deperibat*: subjun-
131 git *Hieronymus Columna* & *Faunum* editum ex nefario *Valerii Tusculani* cum filia incæstu.

Meminit & aliarum Familiarum Nobilium *Tusculanarum* cum laude *M. Tullius* in Oratione pro *Gneo Plancio*, affirmat insuper abundasse *Tusculum* Familiis Consularibus plus quam ullum aliud Municipium. Verba ejus hæc sunt: -- *Tu es ex Municipio antiquissimo* Tusculano, *ex quo plurimæ familiæ sunt Consulares, in quibus est etiam* Juventia, *quot è reliquis Municipiis omnibus non sunt* ** *Num aliquandò vides* Tusculanum *aliquem de* Marco Catone *illo in omni virtute Principe, nùm de Tito* Coruncanio *Municipe suo, nùm de tot* Fabiis *gloriari?*

Quantum vero pertinet ad *Catonum* Familiam, sciendum est, primum ex illa fuisse *M. Porcium*, alterius *Marci* filium, qui *Tusculi* natus est a. U. C. DXVII. atque *Major* (ut a nepotibus suis distingueretur) fuit appellatus. Magnus hic vir & in plurimo fuit honore. Dedere illi inter alia Sapientis titulum, ut ex *Cicerone* constat, cujus verba in Libro *de Legibus* hæc sunt: *Sapienti illi* Catoni *fuit patria non* Roma, *sed* Tusculum. *Cato* hic Augur fuit, Quæstor, & Censuræ præfectus, quam severè exercuit contra *Q. Flaminium*, a U. C. DLXV.

Prætor idem missus in *Sardiniam*, subjugavit illam Insulam. Consul quoque profectus in *Hispanias* Triumphum inde meruit. Ejus opera *Antiochum* in *Græcia* vicit *Attilius Glabiso*. Senatu movit *L. Quintium*, atque a severitate morum
132 *Censorius* vocari meruit. Calendarii denique *Romani* auctor exstitit, quod exinde *Catonianum* dictum fuit. Magnitudine animi insigni, summus Orator, Imperator, atque Senator fuit habitus, ipsique in Senatorum conventu Statua erecta fuit cum hac Inscriptione:

MARCO CATONI CENSORI,
QVOD MORIBVS OPTIMIS,
LEGIBVS SANCTISSIMIS,
PRÆCEPTIS SAPIENTISSIMIS
DISCIPLINAM POPVLI ROMANI
LABENTEM RESTITVIT.

Legiturque etiamnum in Marmore Antiquo sub Capitolio:

MARCVS PORCIVS CENSORINVS.

Diu vixit, mortuus ferè jam centenarius. Uxo-


A res habuit duas, *Sicimam* & *Saloninam*; ex prima filium *M. Catonem* sustulit, qui Præturam una cum *Quintio Marcio Rege* gessit, a. U. C. DCXXXI. Juris Consultus valde celebris fuit, uxoremque habuit *Lucii Paulli* filiam *Æmyliam*. Patre vivo 133
adhuc mortuus filios *Cajum* & *Marcum* reliquit.

Ex hisce Consul factus est *Cajus Cato* cum *Mamilio Acilio Balbo* a. U. C. DCXXXV. *Marcus* autem, adepto pariter Consulatus honore, filium pariter *Marcum*, qui & ipse Consul postea exstitit, reliquit.

Ex secunda uxore *Salonina* alium filium sustulit *Porcius*, nomine *Marcum*, qui & ex matris no-
B mine *Salonianus* dictus fuit. Ab hoc descendit *Lucius Porcius Cato*, qui Consul fuit cum *Gneo Pompejo Strabone* a. U. C. DCLX. frater autem ejusdem *Marcus* Tribunatum Plebis gessit, atque uxorem habuit *Liviam*, filiam *Drusi*, ex qua illi *Porcia* nata est, quæ nupsit *Lucio Domitio*, ut & *Marcus Porcius*, qui Prætor fuit, atque uxorem duxit *Lucii Philippi* filiam *Marciam*, ut & *Serviliam*, quæ credita fuit ex consuetudine *Caji Julii Cæsaris* suscepisse filium *Marcum Brutum*, & propter quam inimicitiæ inter *Cæsarem* atque *Catones* tam acres fuerunt.

Dictus ille *Marcus Porcius* Prætor idem exstitit,
C qui in defensionem *Uticæ* pro *Pompeji* stetit partibus, quique Regnum *Cypri* pro Populo *Romano* acquisivit. In Bellis Civilibus Reipublicæ atque *Pompeji* partes in *Africa* sustinuit contra *Cæsarem*, 134
& tandem, ut libere obiret, nec servire videret patriam, seipsum occidit a. U. C. DCCVIII. liberos post se relinquens *Marciam*, *Marcum*, & *Porciam* Ex his *Marcus* uxorem duxit *Lepidam* *Porcia* autem primum *Bibulo*, dein *Marco Bruto*, uni ex conjuratis in *Julium Cæsarem* nupsit. *Brutum* autem post cædem *Cæsaris* tantum sui ipsius
D cepit odium, ut tradito servo suo gladio, transfigi ab eodem sese curaverit. Hujus uxor *Porcia* doloris impatiens prunis ardentibus deglutitis periit.

Hujus Familiæ complures meminêre Scriptores, utpote quæ valde fuit nobilis propter Antiquitatem, & eximie celebris propter præclaras res gestas; quæ diffuse videri possunt apud *Livium*, *Plutarchum*, *Florum*, *Halicarnasseum* aliosque.



Sed & serioribus multo temporibus Nobilitate multa gavisum fuit *Tusculum*. Horum vero no-
E mina, licet nobilium & illustrium factorum defuerit occasio, celebrantur tamen apud plurimos Scriptores, multique illorum continuata temporum serie laudantur in MS. vocato *Historia Rerum Notabilium Romæ*, *Joannis Scriniarii*, *Civis Romani*: ut & apud *Andream Pauli Alexium*, in Libro suo, quem inscripsit *Origines Familiarum Romanarum*, ubi inter Illustrissimos nomen occupant *Alberini* seu *Ilperini*, ut & *Alberici*, *Gargani*, *de Nigris*, ut & *de' i Capranica*, qui antea *Cyparissi* dicti fuêre. *Nobiles* de Capranica (inquit Auctor iste) *à Castro* Sabinorum Capra- 135
nica *deveniunt*, *qui gestant tres Cupressus*, *quibus*
F *alligata est anchora in Armis*; *Istorum Familia à* Tusculo *descendit*, *& antiquo tempore fuit nobilissima*, *& potens*, *& tempore* Clementis Quinti Romæ *cœperunt habitare* ** Aurelius Alberini *in favorem Ecclesiæ militavit Dux mille peditum in Cruciata contrà* Fridericum *secundum Imperatorem*, *in aliquibus scripturis vocatus* Ilperini.

Ciacconius quoque de eadem agens Familia, ita scribit: Petrus Alberinus, *Monachus* Cassinensis, *Ordinis* S. Benedicti, *Vir Doctissimus & Presbyter Cardinalis* &c. *Ughellius* in *Italia Sacra* Tomo I. nominat *Lucam Alberinum* Episcopum *Aquitaniæ*. Supersunt & alii apud alios Auctores,

D. B. Matthæus. D ve-

verum sufficit nobis hosce nominasse, ut ostendamus Lectori & Antiquissimis pariter & Recentioribus Temporibus Nobiles fuisse *Tusculanos* cives; quantaque hujus Civitatis fuerit gloria, non tantum propter Doctrinam, prudentiam, atque virtutem incolarum suorum, sed & scientiam pariter militarem atque bellica opera. Id quod & ex *Dionysio Halicarnasseo* patet, qui testatur *Romanos* desperantes succursum a sociis in Capitolii defensione, adjutos a *Tusculanis* fuisse Duce *Lucio Mamilio*. Verba Historici Libro X. hæc sunt: *Extremum autem auxilium a solis* Tuscula-
136 nis *venit in tempore, eadem nocte adductum a Dictatore ejus Populi* L. Mamilio *viro impigro; hosque solos in partem periculi assumpsit* Valerius, *ususque est egregia eorum opera in recipiendo Capitolio.*

Cognoscitur & *Tusculanorum* bellica fortitudo ex crudo isto prælio, quod *Dionysius* Lib. v. & *Livius* Lib. II. narrant, una cum aliis *Latini* nominis Populis, pugnatum contra *Romanos* fuisse prope Lacum *Regillum*, cujus superius jam mentionem injecimus; aliisque permultis in bellis vario ab iisdem tempore gestis, & contra varios, sub clarissimorum Ducum auspiciis, quæ omnia brevitatis causa non attingemus, quum diffuse penes varios Scriptores legi possint.

Hinc haud mirari oportet tam gratos *Romano* nomini *Tusculanos* fuisse, & meruisse, ut in fidei testimonium non semel in amicitiam atque Civitatis communionem reciperentur, atque talia acciperent privilegia, qualia nullis *Latii* Urbibus eo tempore concedebantur. Per multos enim annos Reipublicæ pulcro nomine gavisum est *Tusculum*, suisque legibus & sub proprio Magistratu vixêre ejusdem cives; peculiaribus ritibus Deos suos colentes Patrios. Præfuit eadem Urbs multis variisque *Latii* Urbibus, populos varios sibi habens subjectos, unde lubenti animo connubia & fœdera cum *Tusculanis* conjunxerunt *Romani*, eosque in fidem & amicitiam receperunt.

137 Illud autem verum esse, quod diximus, longo tempore suis legibus atque Magistratibus rectum fuisse *Tusculum*, apparere potest ex Antiqua hac Inscriptione, inventa in Agro *Tiburtino*, atque ab *Aldo Manutio* adducta; in qua mentio fit *Lucii Cesonii* cujusdam, cui inter alios titulos & honores illud Curatoris Reipublicæ *Tusculanæ* adscribitur. Inscriptio hæc est:

[71] L. CESONIVS C F. QVIRINA LVCILLVS
MACER RVFINIANVS CONSVL FRATER
ARVALIS
PRAEFECTVS VRBI ELECTVS AD CO-
GNOSCENDAS VICES CAESARIS
COGNITIONES PROCOS. PROV. AFRICAE
INTER XX. VIROS EX SENATVS
CONSVLTO
R. P. CVRANDAE CVRATOR AQVAR.
ET MINICIAE
CVR. ALBEI TIBERIS ET CLOACARVM
VRBIS LEGATVS PROV. AFRICÆ EODEM
TEMPORE VICE PROCONSVLIS
CVRATOR.
R. P. TVSCVLANORVM CVRATOR
R. P. SVESSANORVM
PRAETOR KANDIDATVS QVAESTOR
KANDIDAT.
ELECTVS IN FAMILIAM PATRICIAM
X. VIR. STILITIBVS IVDICANDIS.

138 Respublica vero cum existeret *Tusculum*, satis magna ejusdem fuit potentia; illuc etenim, ut ad [72] Asylum securissimum recepêre sese, qui *Romæ* aliisque in Urbibus *Latii* satis securi haud erant; sacer enim locus & immunis habebatur, propter Templorum ibidem multitudinem, atque sacrorum multiplicem Cœrimoniam.

Postquam vero sub dominium venit *Romanorum*, in tanto semper apud illos honore fuit, ut præter nomen Reipublicæ mutasse nihil videretur. [73] Suis enim (ut ante) sub legibus atque Magistratibus vivere perrexerunt, ad honores præterea, civibus *Romanis* competentes, admissi. Fuit vero, inter alia hoc peculiare *Tusculi* privilegium, quod nunquam in Coloniam fuerit redactum, verum semper Municipii nomine gavisum sit, licet legantur apud *Sextum Aurelium* ista: *Regnante quippe* Latino Sylvio, Alba *deductæ sunt Coloniæ* - - - Præneste, Gabii, Tusculum, Cora &c. Erroneè enim illud ab *Sexto* dictum puto, *Tullius* enim, de *Laterensibus* agens, in Oratione pro *Gneo Plancio* dicit: *Tu es ex antiquissimo Municipio* Tusculano. *Julius* etiam *Frontinus* in Libro de *Coloniis*, quem scripsit tempore *Nervæ* Imperatoris, agens de *Præneste*, non vocat *Coloniam*, sed *Oppidum*. Et neque *Panvinius*, nec alii recentiores Auctores, *Tusculum* inter Colonias, verum inter Municipia numerarunt. Inter quæ ponit etiam 139
Philippus Ferrarius in *Lexico* suo *Geographico*, atque *Andreas Pauli Alexius* in Familiarum *Romanarum* Originis Historia, ubi ita scribit: Alberini, *seu* Ilperini, *illustres*, *& antiqui sunt*, *& ex Municipio* Tusculano *descendunt* - - Gargani *nobiles*, *& antiqui*, *& venerunt ex* Tusculano *Municipio*, *tempore* Gothorum - - *Nobiles* de Nigris *antiqui*, *& illustres sunt*, *& à Municipio* Tusculano *descendunt*

Comprobatur idem sequenti Inscriptione ex Marmore Antiquo, quod adduxit *Pyrrhus Ligorius*, ut & *Janus Gruterus*:

C. ANCARIO C. F. PALAT.
FLACCIAN.....
AED. CAR. PATRONO MVN......
TVSCVLAN..... ET
ANCARIAE VALE-
RIAE CLARISS. FOEMINAE
Q. ANCARIVS C. F. LATINVS
EQ. R. FAC. CVR.
D. D. D. D.

Thomas Reinesius, in *Inscriptionibus Antiquis* Class. VI. n. 29. similem aliam apportat; hanc scilicet

C. COPONI. CRESCENTIS
DEC. THVSCVLANENSIVM 140
QVAEST. R. P. VETER. AVG.
LEG. XIV. GEMIN. SIGNIFER.
R. M. FECERVNT
C. CAVIVS. PRISCVS. FIL.
SCRIB. RESTITVTVS. HER.
V. A. L.

Hac prærogativa, aliis Urbibus haud concessa quantumvis Illustribus, immunis semper *Tusculum* fuit ab alienis legibus, suisque tantum obedivit, suosque ex se rectores habuit. [74] Urbes enim, quæ Municipia dicebantur, *Romanis* non erant subjectæ, sed agnoscebantur confœderatæ, civesque earundem ad omnium honorum, ut in Urbe, gradus admittebantur, prout de Urbe *Tusculo* specialiter legitur apud plurimos Scriptores. *Plinius* etiam Libro VII. Cap. XLIII. de *Lucio Furio Tusculano* dicit, quod quum Consulari dignitate in Patria sua fungeretur, *Romæ* itidem ad Consulatum evectus fuerit, & utrumque Consulatum eodem anno gesserit. Adjungit *Titus Livius* Lib. VI. *Tusculanos* primos inter multos alios populos pacem & Civitatem a Senatu obtinuisse; quod & *Mar-*

71. *Grut.* p. 381. n. 3.
72. *Liv.* I. *Serv.* in *Virg.* *Act.* *Apost.* Cap. XVII. *Theoph.* in *Just.*

73. *Sigon.* de *Antiq.* *Jure Italiæ.*
74. *Fest.* *Pomp.* *Servius.* *Aulus Gellius.* *Ulpianus* *Cœlius.* Lib. IV. Cap. XIII. *Sigon.* de *Jure Latii* *Panvin.* *Imp.* *Rom.*

Marcus Tullius in Oratione sua pro *Gn. Plancio* affirmat, ubi in ortum atque causas expetitæ istius A
141 Civitatis *Romanæ* inquirit.

Erat hoc Privilegium satis decorum atque utile; qui enim jure isto Civitatis *Romanæ* gaudebant, admittebantur ad publica & privata Comitia, ubi suffragia sua distribuendis Muneribus ferre poterant, etiamsi *Romæ* non habitarent; Militaribusque adscribi Dignitatibus & merere inter cives poterant, ubi belli administrandi ratio colligi exercitum expeteret. [75] Admittebantur præterea ad jus Hæreditatis & legatorum a civibus *Romanis* ipsis adsignatorum. Majorum præterea suorum legibus & Institutis vivebant, liberique censu erant & vectigalibus, quæ Populo *Romano* B
aliæ Gentes solvere cogebantur, singulisque modo annis certam pendebant pensionem, quæ [76] *Jus Latii* appellabatur.

[77] *Tusculum* autem ipsum varios successive Dominos expertum, per longam descendentium & hæredum seriem pervenit ad *Tertullum*, Patricium *Romanum*, nobilitate generis clarissimum, verum clariorem longe *Christiana* pietate, quæ clarissime in illo resplendebat. Hic anno a N. C. DXXI. Domino sub disciplina S. *Benedicti* filium sacravit suum *Placidum* dictum, qui quidem eo usque pietate morum & sanctitate invaluit, ut & C
multa patraverit miracula, & Martyrii tandem coronam adeptus fuerit, participantibus ejus gloriæ
142 consanguineis *Eutychio*, *Victorino* & *Flavia*, sub *Saracenorum* duce *Mammuca*, prout *Kircherus* affirmat, qui & contigisse narrat V. Octobris anni N. C. DXLI. quem diem festum habent Monachi *Cœlestini*, Hymnum cantantes cujus initium est:

Placidus *Stirpe natus* Octavia
Cum Fratribus & Flavia,

Baronius scribit in *Annal. Ecclesiast.* ad Annum DCCXII. *Mammucam* istum Piratarum fuisse D
Ducem, non vero *Saracenorum* seu *Hagarenorum*, *Hispaniam* etenim hosce non intrasse ante annum DCCXIV. neque adsentitur illis, qui volunt Sanctum istum trucidatum fuisse sub *Abdalla*, Rege *Saracenorum*; neminem enim ejus nominis regnasse inter illos, istis locis, ante annum DCCLXXVI. quo imperium tenuit *Abdalla II. Primi* ejus nominis filius.

Præter filium suum, Parochiali S. *Benedicti* Ecclesiæ multas quoque Urbes, Oppida, Vicos, Villas & Possessiones dedit *Tertullus*, quibus ipsam Urbem *Tusculum* cum omnibus Pertinentiis suis inclusit; prout testatur Memoria istius Donationis, insculpta Columnis duabus in Atrio Monasterii S. *Scolasticæ* in *Subiaco*, in quarum altera hæc E
leguntur verba:

ABBATIA SVBLACENSIS, QVÆ JAM INDE AB ORTV, HOC EST A TEMPORE DI-
143 VI PATRIS BENEDICTI, DOMINIO CASTRI SVBLACI, TVSCVLI CIVITATIS, PLVRIVMQVE INSIGNIVM CASTRORVM DITATA FVIT EX DONATIONE TERTVLLI CONSVLIS ROMANI, S. PLACIDI GENITORIS, DCCC. ET AMPLIVS ANNOS CVM MERI MIXTIQVE VSV, IN MANIBVS FVIT MONACHORVM NATVRALIVM DOMINORVM &c.

F
Alteræ Columnæ alphabetico ordine nomina inscribuntur omnium locorum a *Tertullo* isto Parochiali isti Ecclesiæ concessorum, inter quæ & *Tusculum* locum habet, prout ex sequentibus colligi potest:

TREBANA CIVITAS, TVCCIANELLVM, TVSCVLANVM CIVITAS, TVRPINIANVM, TVRRIANVM, TRELLANVM &c.

Omnes hæ Donationes confirmatæ fuerunt, primo quidem ab Imperatore *Justiniano*, deinde & ab uxore ejus *Theodora*, quæ arcto propinquitatis gradu contingebant *Tertullum*, qui mortuus est die XIV. Julii anno DXXXVI. atque sepultus fuit in Ecclesia *Montis Casini*, quam munificentia sua magnificentissime semper foverat.

Sylvia Proba, & ipsa *Tertulli* hujus filia, nupta fuit *Ilduino Martio*, Duci *Mediolanensi* (prout vult *Thomas Porcacchi* Lib. III. de Familia *Malaspinarum*) mater autem fuit *Anci Martii*, qui relicto *Martii* cognomine, illud *Malaspinæ* assumsit.

[78] S. *Gregorius Magnus*, Pontifex, affinitate dicto *Tertullo* pariter junctus, LIV post mortem ejus annis rursus confirmavit donationem istam Monasterii *di Subiaco*, legiturque Confirmatio ista in 144
Codice Antiquissimo Privilegiorum istius Ecclesiæ *Longobardicis* exarato literis, hisce verbis: *Et confirmo Chartulam, quam fecit* Tertullus, *Patricius* de Tusculano, & de Sublacu. S. *Gregorio* autem mortuo, Anno DCXI. *Romam* cepit *Stilico*, atque omnia vicina loca afflixit, & inter illa *Tusculum.* Verum intervallo deinde temporis aliquo ad Domum rediit *Octaviorum*, qui successive ibidem dominati sunt, usquedum sub potestatem Ecclesiæ *Romanæ* iste locus venit, ut inferius demonstrabimus. Advenit autem id nova concessione seu infeudatione, *Octaviis* iisdem oblata per Abbatem dicti Monasterii *Montis Cassini*, quum mos istis esset temporibus restituere per investituram priscis possessoribus seu Familiis eorum nepotibusque bona, prius ab illis possessa, & Ecclesiis hisce Monasteriisve ab iisdem donata.

Ab illis itaque per varios legitimos descendentes Dominium *Tusculi* pervenit ad [79] *Theodorum*, Ducem atque Principem Nobilissimum, & ab illo ad *Albertum* filium, qui Marchio fuit *Tusciæ*, & frater Pontificis *Adriani I.* Ab *Alberto* isto pervenit ad *Benedictum* & *Albericum*, qui & *Albertus* dictus fuit, Magnos utrosque *Tusculi* Comites, quorum prior pater fuit *Sergii III.* Pontificis, posterior *Agabiti*, qui Papalem deinde dignitatem obtinuit sub nomine *Adriani III.* Hic *Albericus* una cum fratre aliisque *Italiæ* Principibus sese opposuit electioni *Caroli Calvi* pro restituenda Imperatoria Dignitate & Corona *Italo* Principi, nihil curans brutum fulmen Pontificis *Joannis VIII.* 145
qui propter [80] muliebrem vultum morumque mollitiem a quibusdam fœmina fuisse creditur.

Post mortem hujus Papæ *Albericus*, una cum aliis Comitibus *Tusculanis*, Pontificatum *Marino* procuravit, qui deinde ipsum inflicta a *Joanne* dicto censura liberavit, prout *Aphonsus Ciacconius* ad annum DCCCLXXXIV in *Marini* II. Vita testatur hisce verbis: *Mortuo* Joanne VIII. Tusculanorum *Comitum factio ad novum Pontificem pro arbitrio suo creandum omni ope incubuit*, & Marinum *sublegavit: is in ipso natalitio die consecratus*, Albertum, *seu* Albericum *Comitem* Tusculanum, & *Cæteros a* Joanne *damnatos restituit.*

Dominus Abbas *Vignoli* in Tractatu suo de *Monetis* Pontificiis quandam quoque adfert Comitum *Tusculanorum*, qualem expressam cernere li-

75. *Valer. Max.* Lib. IX. Cap. X. *Panv. Imp. Rom.*
76. *Sigon.* de *Jure Latii.*
77. *Kircher. Histor. Eustach. Marian. Franc. Zaccera Nobilitas Italiæ.*

78. *Arnold. Vivion. Lign. Vit. Petr. Diac. Chron. Cassin.*
79. *Francisc. Zacc. Nob. Ital. Kirch.* in *Hist. Eust. Mariana.*
80. *Leo Allat.* de *Jo. Papissa.*

146 licet *Figura* 10 Thomas etiam *Porcacchi* in Familia *Malaspini*, nummum ipsius istius *Alberici* adducit, quem depingi curavimus *Fig.* 11

Alberico huic I. successit *Albericus* II. ejus filius ex *Marozia* Senatoria *Romæ* dignitate. Exstitit vero Princeps *Romæ* atque Consul. Duas habuit uxores, prima fuit *Alda*, Regis *Italiæ Hugonis*, ipsius *Alberici* vitrici, filia; secunda fuit *Stephania*, & ipsa Senatoria *Romæ* dignitate. Quæ restaurari Columnationem in Ecclesia S. *Eustachii Romæ* fecit, Sanctus enim iste ex familia mariti sui erat, unde in zophoro istius Columnationis, secundum *Kircherum* & *Zacceram* hæc insculpta legitur Inscriptio:

EGO STEPHANIA PRO ANIMA MEA, ET VIRI MEI, ET FILIORVM, HAS DVAS COLVMNAS ERIGERE FECI.

[81] *Albericum* II. excepit *Constantinus*, qui uxorem duxit *Suburram*, ex qua *Agabitum* procreavit, qui ante patrem est extinctus & *Æmyliam*, quæ nupta fuit Duci *Stephano Columnæ*, atque Dotis nomine attulit Urbem *Præneste* cum multis aliis Civitatis & Comitatus *Tusculani* membris.

147 A dicto hoc *Constantino* transiit Dominatus *Tusculi* ad *Deodatum*, dictum etiam *Lambertum*, qui *Constantini* ejusdem erat frater, ut & *Joannis XII.* Pontificis. Natus fuit ex *Deodato* hoc *Benedictus VII.* cum *Gregorio* Comite *Tusculano*, qui pater fuit *Benedicti VIII.* & *Joannis XIX.* Pontificum, ut & *Alberici III.* Magni Comitis *Tusculi* & Consulis *Romani*, qui uxorem duxit sororem Papæ *Joannis XV.*

Albericus multos habuit filios, & inter illos *Petrus* fuere & *Gregorius II. Petrus* procreavit *Agabiti IV.* patrem *Othonem*, ante parentem suum exstincti; unde factum est ejus morte, ut multæ aliæ Familiæ *Romanæ* titulum acquisiverint Comitum Status *Tusculani*; præsertim quum duæ ejusdem *Agabiti* filiæ nuptæ fuerint nobilissimis quoque Familiis; altera *Frangipanis*, pro dote apportans *Nemi*, *Marinum* atque alia loca vicina; altera *Annibaldis*, pro dote pariter afferens *Castellum Hierosolymitanum*, *Monte Compatri*, atque alia Comitatus *Tusculani* loca.

Quam grande Dominium habuerint, & quam potentes fuerint Marchiones hi *Tusci* in Urbe *Roma* atque vicinis locis, fusius docent *Luitprandus*, *Sigonius*, *Platina*, *Ciacconius* multique alii, qui Res *Italas* conscripserunt & Vitas Pontificum *Romanorum*. Sufficiet nobis dixisse solummodo apud quosnam hæc legi possint.

148 Anno etenim (juxta *Baronium* in *Annalib. Ecclesiast. Platinam* in *Vitis Pontif. Ciacconium* in iisdem, ut & *Carrierium*) CMIV. eligi curarunt Pontificem *Sergium III.* filium *Benedicti*, Comitis *Tusculani*. Anno CMXXX. pariter procurarunt electionem *Joannis*, filii dicti Pontificis, coacto *Stephano VIII.* absistere Papatu. Anno CMLVI. vi in sedem *Petri* intruserunt *Joannem XII.* filium Principis, tam juvenem adhuc, ut nondum quartum implevisset lustrum; primusque idem exstitit (prout multi testantur Scriptores) qui una cum permutatione Status Nomen mutavit. Auctores quoque fuerunt electionis *Benedicti VII.* anno CMLXXV. *Benedicti VII.* anno MXII. *Joannis XIX. Benedicti IX.* aliorumque. Nos vero receptui jam canentes conferemus nos ad *Gregorium* dicti *Alberici* filium.

[82] Hic anno circiter MV. S. *Nilo* dono dedit prædium *Grottæ Ferratæ*, ubi exstructum fuit Monasterium cum Ecclesia in honorem *Mariæ Sem-*

81. *Franc. Zacc. Nob. Ital. Kircher.* Lib. citato.
82. *Monolog. Græc. Abbatiæ* de *Grotta Ferrata.*

A *per-Virginis*, quæ postea consecrata fuit a Papa *Joanne XIX.* filio dicti *Gregorii*, die XVII. Decembris anno MXXV.

[83] *Gregorius* idem post *Stephani* Pontificis mortem, anno MLVIII. opere *Gerardi* Comitis *Galeræ* in S. *Petri* Sedem intrusit *Joannem*, *Mincium* dictum, filium *Guidonis* & *Valeriæ*, Comitum *Galeræ*; qui sese nuncupari fecit *Benedictum X.* quumque eo tempore *Tusculi* Episcopus esset [84] *Petrus*, 149 latenter idem *Roma* discessit, ne cogeretur præsens adesse isti electioni. Cumque iidem postea Comites vi *Joannem* istum in Sede Pontificia confirmare vellent, versus Cardinalium atque Popu-

B li voluntatem, contra Urbem *Romam* adduxerunt *Prænestinos*, *Tusculanos* & *Nomentanos*, qui rejecti fuerunt opera *Roberti Guiscardi* Ducis *Calabriæ*, qui ab hac expeditione *Nomentanus* dictus fuit, prout docet *Ciacconius* in *Nicolao II.* his verbis: *His pactionibus initis Pontifex, ut ditionem Ecclesiasticam reciperet, magno ex fœderis formula à* Roberto *exercitu accepto, ad Urbem rediit; Prænestinos*, Tusculanos, Tiburtinos, *&* Nomentanos, Romanæ *Ecclesiæ Rebelles, in deditionem accepit; Tyberique trajecto*, Galeriam, *& alia* Gerardi *Comitis oppida diripuit &c.*

C Dicto *Gregorio* filius successit pariter *Gregorius* dictus, *Laterani* Comes, qui simul cum filio *Ptolemæo* multa bona *Benedictinis* dedit, & inter illa Ecclesiam S. *Hierosolymorum* in Agro *Tusculano*, prout legi potest Libro III. *Chronicæ Cassinensis* Capitulo XXIX. LIX. & LX. Hic (narrante *Flavio Blando* in *Historiis*) adjutore *Petro Columna* Abbate *Farfæ*, & Vicario Imperatoris, consanguinei sui, Oppidum *della Cava* adortus, illud S. Ecclesiæ eripuit, quod & ipsum eripuerat illi antea *Urbanus II.* Quum vero nullo modo ad Pontificis monita illud vellet reddere, armata mana ereptum 150 illi fuit *Zagarolum* & *Columna*. Qua re magis adhuc exasperatus *Farfæ* Abbas, anno MCVIII.

D una cum dicto *Ptolemæo* ad arma suscitavit *Tusculanos*, *Tiburtinos*, *Anagninos*, *Pænestinos*, *Segninos*, *Albanenses*, aliosque *Sabinæ* Populos, qui unita vi damna quædam intulerunt Statui Ecclesiastico, verum Papa opera & auxilio *Petri Pierleonii*, & *Richardi Caietani*, Domini *Nepi*, omnia ista loca ad obedientiam reduxit.

Mortuo postea anno MCXV. *Petro Pierleonio de Frangipanis*, qui Præfectus erat *Romæ*, & fautor *Cæsaris*, amici ejusdem & consanguinei multique alii filium ejusdem Præfectum salutarunt, decem annorum puerum, cui quidem dignitatem hanc Papa, sæpe licet sollicitatus & magna vi,

E nequaquam confirmare voluit; verum in locum *Petri* istius *Pierleonii* (cujus Epitaphium in Ecclesia S. *Pauli* visitur *Romæ*) suarum ipse partium ut & sedis Apostolicæ fautorem quendam creavit. Qui itaque diversas fovebant partes, multa vi usi sunt, Papamque coëgerunt *Albanum* sese recipere apud *Ptolemæum*, cui Præfecto a sese creato defensionem permisit, qui quoque pro retinenda dignitate *Ptolemæo* dedit *Ariciam*, & grande pondus auri atque argenti aliis Nobilibus *Romanis.*

Accedit interim, ut pugna inter utramque partem *Romæ* conserta fuerit, in qua victi sunt *Fran-* 151

F *gipani*; atque cum cognatis quibusdam & fautoribus capti, jussu Pontificis ad Castellum quoddam Ecclesiæ translati fuerunt, ut arcta ibidem custodia asservarentur. Verum accidit, ut dum illuc ducerentur, obviam venerit *Ptolemæus*, qui vi

83. *Annal. Eccl. Baron. Carol. Sigon. de Regno Italiæ.*
84. *Petrus Diacon. Chron. Cassinense.*

vi captivos istos liberavit, secumque liberos *Ariciam* duxit, ubi una cum iis *Sermonetam*, *Nympham*, & *Tiberiam* contra Pontificem rebellare fecit.

Venit postea *Romam* anno MCXVII. Imperator *Henricus IV.* &, quibusdam punitis rebellibus, *Frangipanos* Summo Pontifici reconciliavit, restitutis utrimque locis quibusdam, quæ injuste possessoribus erepta erant. Uxorem insuper *Ptolemæo* filio dedit filiam suam, illique *Tusculi* Dominium confirmavit, prout testatur *Petrus Diaconus* Cap. LXI. *Chronici Cassinensis*, hisce verbis: *Intereà Imperator Urbem ingressus, cùm Pontificem discessisse cognosceret; Consules, Senatores, & Proceres, partim donis, partim promissis ad se trahens;* Ptolemæo *illustri* Octavia *gente progenito*, Ptolemæi *magnificentissimi* Romanorum *Consulis filii*, Bertam *filiam* 152 *suam in matrimonio injunxit; eique oblatis pluribus donis, quicquid Avus ejus* Gregorius, *aliique parentes habuerant, sive determinaverant, ipsi, ejusque hæredibus authoritate sua in perpetuum donavit.*

Paullo post supradictus *Ptolemæus* (ut narrat *Flavius Blondus* in *Historia Romana*) Imperatore adjuvante, ut & Præfecto *Romæ*, *Petro Columna*, *Joanne* quodam, Nobili *Romano*, superavit *Normannos*, qui ex *Latio* venerant, captataque occasione ista, Castella aliquot Pontifici extorsit, quæ postea anno MCXXVIII. ab Ecclesia recuperata fuerunt.

[85] Anno MCXXX. *Tusculani*, *Prænestini*, *Tiburtini*, & *Albani* simul conjuncti, abnuerunt pensionem dictam *de' Dazi*, impositam a Populo *Romano* in favorem Cameræ *Capitolinæ;* dicentes soli Pontifici velle obedire non vero sub Senatu stare. Hinc varii orti sunt tumultus in Urbe *Roma*, quum ipse Senatus suspicionem haberet Rebellionem a Pontifice foveri, atque in istis tumultibus novi quidam introducti fuere Magistratus atque Senatores, qui Jurisdictionem *Romæ* exercuerunt juxta morem antiquum, quod (prout affirmat Diarium quoddam M.S. Antiquum) occasionem præbuit, ut anno MCXXXVII. Dux *Stephanus Columna* venerit in *Tusculanorum* auxilium, una cum mille & quingentis equitibus, qui cum *Romanis* pugnarunt, multasque ex illis occiderunt; sicut patet ex *Cypriani Manentis* Historia. Atque ita per spatium annorum decem assidue 153 agros & possessiones *Romanorum* depopulati sunt, & præcipue anno MCXL. quum *Joannes dell' Anguillara* occuparat [86] *Sutri*, & *Nepi*, loca Ecclesiæ. *Nepesini* quoque, *Tiburtini*, *Tusculani* & *Albani* negarunt obedire jussis Pontificis *Innocentii*, unde solemniter ab ipso excommunicati fuerunt. Factum inde est, ut *Tusculani*, *Prænestini*, & *Albani* ultro Papæ sese permiserint; verum *Tiburtini*, censuram istam parvi pendentes, obstinate resistere ausi sunt; verum anno MCXLII. coacti fuerunt armorum vi, pacem a *Romanis* exposcere, qui ista conditione concesserunt, ut diruta Civitate *Tiburtina* alio commigrarent, quod tamen a Pontifice minime approbatum fuit; unde accidit, ut furorem, quo *Tiburtinos* hactenus persecuti fuerant, in ipsum Papam verterint, quem potestate in Temporalibus privare conati sunt, eligendo novos Consules, quibus jam multis annis caruerant, quapropter iratus *Innocentius* eosdem excommunicavit, atque comitiis seu suffragiis pro eligendo novo Pontifice privavit, ut & aliis Privilegiis, quibus in Temporalibus hactenus gavisi fuerant.

---

85. *Carol. Sigon. Regno Italiæ. Platina* de *Vitis Pontif.* ut & *Ciaccon.* in iisdem.

86 *Platina* de *Vit. Pont. Ciacc.* de *Vit. Pontif. Carrier* de *Vit. Pontif. Cypriani Monumenta Historica.*

A Patet illud ex hisce *Carrieri* in Vita *Innocentii II.* verbis: Innocentius II. Romanos, *a quibus injuriis affectus fuerat, compescendos censuit: tunc primùm populus à Pontificis comitiis rejectus, paulatim ad solos S. R. E. Cardinales, primoribus Cleri prætermissis, vel Cardinalitia dignitate decoratis, Pontificis Maximi electio revocata est.* Eadem scripserunt 154 *Platina* aliique in Vita dicti Pontificis ejusque successorum.

Mortuo paullo post *Innocentio*, a Cardinalibus, excluso Populo *Romano*, electus fuit *Cœlestinus II.* leguntur enim hæc apud citatos Auctores: Cœlestinus II. *primus sine Populi interventu Summum Pontificatum adeptus est:* idemque adnotant citati B Auctores & *Genebrardus*. Paullo plus quinque mensibus Pontifex hic vixit, parique dein modo a Cardinalibus electus fuit, sine interventu Populi, *Lucius Secundus*.

Iterum dein rebellarunt in novum Papam *Romani*, atque Consulibus a sese electis Patricium addiderunt, quibus (non vero Papæ) subjectam in Temporali *Romam*, cum vicinis locis, esse voluerunt, quod *Tusculanis* aliisque occasionem dedit armis *Romanos* persequendi.

Huic bello omnes fere *Latii* immiscuêre sese Civitates, qui Ecclesiæ adhærentes, *Romanos* armis C adorti sunt, atque coëgerunt pacem petere, quæ illis data est a Pontifice *Eugenio III. Lucii* successore, anno MCXLV. sequentibus conditionibus, quas recenset *Baronius Annal. Ecclesiast.* Tom XII. ut scilicet deponerent *Jordanum Pierleonium*, quem recenter Patricium elegerant; Senatores auctoritate Pontificis eligerent; Urbe ejicerent Rebellionis auctorem Hæreticum *Arnoldum*, qui Dominium 155 Papæ asserebat esse Tyrannicum, neque aliud quid competere Papæ præter Potestatem Ecclesiasticam, facultates vero Temporales omnes pertinere ad Principes Sæculares, qui Laicis illas deberent communicare; Religiosos atque Præs- D byteros omnes, qui temporalia possiderent bona, esse damnandos, quum solæ ad illorum usum & vitam pertinerent decimæ & eleëmosynæ. Atque ita quidem tunc compositæ fuerunt seditiones; verum postea anno sequenti rursus recruduerunt, postulantibus *Romanis* iterum, ut permitteret sibi Papa diruere *Tusculum*, quod absolute illis negatum fuit. Itaque *Romani* statuerunt sine Pontificis consensu Urbem diruere, quare Papa *Eugenius* cum Aulicis suis illuc commigravit, atque *Tibure* recepit sese *Tusculum*, ubi animi gratia commorari solebat.

Anno MCXLVI. de novo *Tiburtinos* invetera- E to suo odio persequi *Romani* cœperunt, quare Papa, ut tutus ipse a *Romanorum* esset insultibus, in *Galliam* sese recepit, unde anno MCXLVIII. rediit, durantibusque adhuc discordiis, receptus atque adjutus a *Tusculanis* fuit, usquedum *Romani*, ad preces S. *Bernardi*, Abbatis *Claravallensis* Senatores cum pacis conditionibus miserunt, qui benigne a Papa excepti fuerunt, verba enim *Ciacconii* sunt in *Eugenii* Vita: *Manebat autem tunc* 156 *Pontifex per finitima Urbis loca*, Tybur, Præneste, *&* Tusculum; *demùm* Romani *tot calamitatibus vexati, ac* Bernardi *Abbatis monitis, & oratione placati, Pontificem* Tusculi *commorantem, pace* F *cum Senatoribus facta, in Urbem per Legatos revocarunt.*

Anno MCLI. *Oddo Columna* Sedi Apostolicæ concessit medietatem totius Civitatis *Tusculanæ*, prout apparet ex sequenti Instrumento, registrato a *Cencio Camerario* (qui postea sub nomine *Honorii III.* Sedem Apostolicam tenuit) in Libro Censuum, qui conservatur in Bibliotheca *Vaticana*, est autem tale:

In Nomine Domini &c.

Anno Incarnationis Dominicæ MCLI., Indictione XV. mensis Decembris die XVII., Anno VII. Pontificatus Domini Eugenii *PP. III. Ego* Oddo *de* Columna *&c propria, & spontanea mea bona voluntate trado, & jure proprietario concedo tibi D.* Bernardo *Cardinali Sancti* Clementis *recipienti nomine, & mandato D. Papæ* Eugenii *III. ad partem Ecclesiæ* Romanæ *ex contractu permutationis, medietatem totius* Tusculanæ *Civitatis, cum omnibus pertinentiis, & finibus &c. cum terris cultis, & incultis, Pratis, Pascuis, Sylvis, Fontibus, Rivis, Paludibus, & Domibus Urbanis, & Suburbanis, Vineis, Olivetis, & Castagnetis, & cum*
157 *omni Dominio, & Guidonatico; & omne jus, & omnem actionem, quam in præfata Civitate, & ejus pertinentiis ex successione parentum meorum habere videor, do, & trado tibi cum ipso suo districtu ad haben. tenen. & possiden. &c. & quicquid D. N. Papa* Eugenius, *suique Catholici Successores facere indè voluerint, faciendum. Item concedo tibi prædicto D.* Bernardo *Cardinali S.* Clementis *ad partem D. Papæ* Eugenii *III, & prædictæ* Romanæ *Ecclesiæ ob prædictam permutationem,* Montem-Porculi *cum omnibus suis pertinentiis, exceptis Terris de* Zagarolo. *Insuper pro præfata permutatione, do, & concedo tibi supradicto D.* Bernardo *Cardinali ad partem supradicti D. Papæ, & prædictæ* Romanæ *Ecclesiæ, omnem actionem, & exceptionem, & omne jus, quod ego prædictus* Oddo *de* Columna *cum fratribus meis habeo in Castro* Montis Fortini, *quod meum est ex permutatione, quam Pater meus cum Patre* Ptolomæi *fecit, & Pater suus violentèr, & dolo malo possessionem prædicti* Montis Fortini *Patri meo abstulit. Omnem igitur, ut prædixi, actionem, & omne jus, quod ad recuperandum prædictum Castrum* Montis Fortini, *& ejus districtum, habeo, tibi prædicto* Bernardo *Cardinali ad partem prædicti D. Papæ, & prædictæ* Romanæ *Ecclesiæ ex causa prædictæ permutationis cedo, & trado, & tribuo: pro qua permutatione, cessione & traditione ego* Oddo *de* Columna *accepi à D.* Bernardo *Cardinali, ut dixi S.* Clementis, *ex mandato prædicti D. Papæ totum Castrum*
158 Trabani *proprietario jure, & centum decem libras den.* Lucen., *quam meam permutationem, & omnium prædictarum rerum traditionem, & cessionem, sic ut supra legitur, ratam habere, minimèque corrumpere, & ab omni persona omni tempore defendere me, meosque successores promitto. Quæ omnia si, ut prædictum est, non fecerimus, & non observaverimus, obligo me, meosque successores, & per stipulationem spondeo nomine pœnæ duplum supradictæ rei, quam trado, præstare Tibi, qui supra Cardinali S.* Clementis *ad partem prædicti D. Papæ* Eugenii, *& prædictæ* Romanæ *Ecclesiæ, & pœna soluta omnia quæ superiùs leguntur firma & illibata permaneant. Actum prope Castrum* Fluminariæ *in Ecclesia S.* Mariæ, *præsentibus bonis Hominibus, quorum nomina subtus leguntur, quia in tali ordine hæc scribere rogavi* Joannem *Notarium ad futuram rei mem. Decibil. test. rogat.* -- Gottifridius Monticellus *test. s rogat.* -- Joannes Ranciò *de* Rajano *testis rogatus* -- Donnellus *test. rogatus* -- Malavolta *test. rogatus* -- *Ego* Joannes Signinus *S. R. E. Scriniarius scripsi, & tale signum feci* ✠ *&c.*

Eodem anno coëmit etiam Papa jura *Oddonis Frangipani* in Civitate *Tusculana*, prout ex sequenti apparet Syngrapho, quod *Zaccera* in Fam. *Frangipana* dicit desumsisse sese ex supradicto *Cencio Camerario*

A *In Nomine Domini &c.* 159

Anno Dominicæ Incarnationis MCLII. Indictione prima, mensis Decembris die XXIV., Anno VII. Pontificatus D. Eugenii *III.*

Ego Oddo Frajapanis *profiteor recepisse XXX. lib. den. Pap. à D.* Bernardo *Card. S.* Clementis, *de mandato D.* Eugenii *PP. III. solvente pro omni jure pignoris* Tusculanæ *Civitatis, quam ab* Oddone *de* Columna *intùs, & foris habebam, & possidebam. Promitto etiam tibi Dno* Bernardo *Card. S.* Clementis, *vel alio nomine S. R. E. recipienti,*
B *reddere instrumentum pignoris, quæ à prænominato* Oddone *de* Columna *accepi &c.*

Recepit eodem anno ex Terra Sancta redeuntem *Franciæ* Regem *Ludovicum* Papa *Eugenius*, prout *Ciacconius* in ejusdem testatur Vita, scribens: Tusculi *agens*, Ludovicum, Francorum *Regem*, Hierosolymis *redeuntem*, *honorificentissime* suscepit.

Sequenti anno Senatus *Romanus* una cum Populo affectum considerans, quo *Tusculum* & *Tusculanos* prosequebatur Pontifex, Dominium dedit ipsi publico [87] Decreto, quod ita sese habet:

In Nomine Domini &c. 160

C *Nos Senatores Almæ. Urb. decreto amplissimi Ordinis Senatui, acclamatione quoquè Populi Romani, publicè in Capitolio consistentis, constituimus, & firmitèr stabilimus, ut D. PP., &* Romana *Ecclesia teneant, & habeant sibi, atque possideant omnia tenimenta* Tusculani, *sicut in Privilegiis finis factæ inter Sacrosanctam* Romanam *Ecclesiam, & Urbem apparet &c.*

[88] Februarii die XXV. ejusdem anni mortuus *Tusculi* Princeps est *Ptolemæus*, atque inter alios liberos, filios reliquit *Rainonem* & *Jonathanem*, qui patri in Principatu successerunt; sicut *Tibure*
D diem extremum clausit die Julii octavo Sanctus Pontifex *Eugenius*, quo sese paullo ante transferri ex *Tusculo* curaverat.

[89] Anno MCLIV. in defuncti illius locum Papa creatus est *Adrianus*, sed brevis ævi ejus fuit Cura Pastoralis; nequaquam vero consentire voluit ad id, ut pro Præfecto Consules crearent *Romani*, quod multis antea facere annisi erant annis, sicut iidem de novo maximis motibus Temporalem potestatem Papæ adimere tunc sunt conati; quod tantum abfuit, ut concederet illis *Adrianus*, ut potius constringere voluerit *Romanos* ad jusjurandum supra Sancta Evangelia, penitus sese omissuros similes prætensiones, atque omnino in ex-
E silium missuros Hæreticum *Arnoldum*, quem de 161
novo introduxerant, non obstantibus promissis, quæ paucis (ut diximus) ante annis, (sicut apud *Platinam* videre est) *Eugenio* fecerant. Comtemto enim, quod præstiterant, Juramento, de die in diem exilium istius removerant *Arnoldi*, qui non desinebat hæreticas suas opiniones Populo insinuare, præsertim vero studebat Consulibus (antiquæ Reipublicæ formâ) regimen in Temporalibus restituere, Laicale Dominium Papæ extorquendo: Unde accidit, ut Cardinalis *di Santa Pressedà* quadam die graviter tumultu Populi fuerit afflictus. Quapropter valde indignatus Pon-
F fex omnes *Romæ* Ecclesias clausit, atque universum Populum excommunicavit, atque ita coëgit Po-

87. *Francisc. Zacc. Nob. Ital.* Tom. II.
88. *Ughell. Chron. Fossæ Novæ.* Tom. I. *Ital. Sacræ. Kircher. Hist. Eust. Marian. Franc. Zaccer. Nob. Ital.*
89. *Baron. Annal. Eccl. Plat. Vit. Pont. Carr. Vit. Pont. Blond. Hist. Rom.*

A Populum *Romanum* promissis suis stare, in exsilium mittendo *Arnoldum* istum, & desistendo Consulatus introductione, ut rursus absolvi a Pontifice possent.

Eodem anno atque mense (sicut asserit *Baronius* in *Annal. Ecclesiast.*) appropinquavit *Romæ* Imperator *Fredericus Barbarossa*, ut Coronam Imperialem a Papa reciperet, qui ab Urbe *Viterbo*, ubi commorabatur, *Sutri* usque obviam illi processit, ubi benigne admodum Imperatorem excepit; atque ista occasione ipsi exposuit Bella Civilia, quæ *Romam* diebus istis concusserant, Sanctamque Sedem turbaverant, injuriasque, quas a Populo perpessus fuerat. B Opem suam illi promisit Imperator pro reprimendis rebellibus, Coronationem vicissim illi Papa, sicut paullo post uterque fidem implevit, narrante in *Vitis Pontificum* memorato sæpius *Ciacconio*.

162 Pariter & *Jonathan*, quem *Rainonis* diximus fuisse fratrem, omnem opem Papæ promisit, atque pro fidei suæ pignore in potestate *Ranieri del Vezzo* atque *Berardi d' Agnani* deposuit duo Castella, quæ prope *Romam* possidebat, permisitque Pontifici potestatem, sibi usurpandi partem istam *Tusculi*, quam ipse possidebat, si perfide agere fuisset inventus. Quæ quidem omnia ex sequenti apparent Instrumento, quod refert *Francisc. Zaccera*, C *Nob. Ital. Tom.* 11.

In Nomine Domini &c.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLV. Pontificatus D. Adriani *PP. IV. anno ejus I., indictione III., mensis Julii die IX. Ego quidem* Jonathas, *filius quondam* Ptolomæi *de* Tusculano, *hac præsenti die mea bona & spontanea voluntate juro fidelitatem vobis supradicto D. N. PP.* Adriano, *vestrisque Successoribus, dum vixero, & promitto adjuvare vos, & vestros Successores per me, & per totam meam Terram contrà omnes homines, excepto contrà Imperatorem; & insuper ad majorem fidem vobis fa-* D *ciendam do, & in tenimentum mutuo, atque delibero Roccam meam* Montis Fortini, *& aliam Roccam, quæ appellatur* Fajola, Raynerio de Vezzo, *&* Berardo de Anagni, *conditione, & pacto adhibito, ut isti teneant supradictas Roccas, à modo, & usque in terminum duorum annorum intrandorum pri-*
163 *usquam vera pax fuerit facta inter vos, &* Romanos. *Quod si (quod absit) quæ vobis promitto non observavero; tunc non solùm reatum incurram; verùm etiam partem meam Civitatis* Tusculanæ *amittam, & vestra sit ad proprietatem; & prædicti* Raynerius, *&* Berardus *dictas Roccas, quas pro varie-* E *tate dicenda, & omnibus observandis acceperunt, vobis sinè ulla querela dent, & exindè in tenimentum mittant; & si aliquis ipsorum intrà supradictum terminum obierit, alter qui supervixerit, dictas Roccas sub eadem conditione teneat, & si ambo inter ipsum terminum mortui fuerint, tunc qui supremus moritur eligat talem Personam, quæ legaliter Roccas ipsas sub eisdem conditionibus teneat. Completo etiam vero termino supradicto, si veritatem vobis dixero, & cuncta, quæ dicta sunt, observavero, prædictæ Arces mihi restituantur; & hanc fidelitatem, & promissionem ideò vobis facio, quià vos concessistis, & de-* F *distis mihi in feudum totam partem vestram supradictæ Civitatis* Tusculanæ *cunctis diebus vitæ meæ: me verò mortuo ipsa vestra pars vobis sinè molestia revertatur. Unde hi Testes ab utraque parte sunt*, Petrus Saracenus de Pratica: Alexius *Scriniarius, Alt. Docibil. Dapifer. D. Papæ*, Petrus de Buccabella, Gratianus *Scriniarius* Tusculanus, Nicolaus Andreotæ, Teudinus de Runco, Guiscardus de Guiscardo, Alkelticus de Alkeltico, Raynaldus *frater ejus*, Stephanus Teofilati *&c.*

Stephanus Accolitus *S. R. E. Scriniarius rog. à supradicto D. Papa, &* Jonatha *has literas scripsi, complevi, & absolvi &c.* ✠

Die eadem, qua coronatus fuit *Fredericus*, Senatores aliquot, honoris gratia, ad illum *Romani* miserunt, qui quum (sicut legi potest in Hist. Rerum *Laudensium Othonis Morenæ*) non satis honorifice pro opinione sua ab illo essent excepti, effecerunt, ut Populus contra Imperatorem atque Papam insurgeret, quod sine illorum interventu ipsum coronasset. Unde coactus fuit *Fredericus* exercitum suum contra illos instruere in Pratis *Neronis*, atque armata vi eosdem reprimere, quum enim (sicut testatur *Lauredanus* in Vita *Alexandri III.*) ad manus esset ventum, duobus in Urbe locis, juxta Molem *Hadriani*, & *S. Angelum* in Porticu *Octaviæ*, utrobique profligati fuerunt *Romani*, atque nongentos ex suis amiserunt. Verum postea in exercitu Imperatoris morbo contagioso exorto, idem discedere *Roma*, atque in *Germaniam* retroverti, coactus fuit; quumque *Montem Soractem*, atque *Tibur* (paullo ante ab isto restauratum) perrexisset, salutatus ab incolis Dominus est, oblatis (sicut in *Historia Tiburtina* scribit *Nicodemus*) Urbis clavibus. Verum quum intellexisset Imperator, fieri illud, ut Pontificis sese auctoritati subducerent, constanter recusavit, monuitque illos summo Pontifici debitam præstare obedientiam. 164

Quum discessisset *Fredericus*, crebris *Romanorum* insultibus defessus Papa de eventu desperare cœpit; atque, *Romæ* sese satis securum non existimans, *Tibur* est reversus, & inde *Tusculum*, ubi per aliquot menses substitit, sicut in *Adriani* Vita narrat *Ciacconius*, hisce verbis: *Pontifex, spe frustratus, cum in Urbe tuto esse non posset*, Tybure *&* Tusculi, *per aliquot menses permansit.* 165

Guilelmus interea, Rex *Siciliæ*, armata manu in *Apuliam* transgressus, multa ibi Ecclesiæ loca occupavit;[90] quare *Beneventum* sese conferens Papa, inde Legatos pro reconcilianda Pace misit, quæ subsequenti anno insecuta fuit. Verum Imperator multa hujus pacis invidia captus est, opinatus artes esse Papæ, ut *Guilelmo* isto contra sese uteretur: unde anno MCLVIII.[91] mortuo *Anselmo*, Archiepiscopo *Ravennæ*, sine consensu Papæ *Fredericus* substituit in locum demortui *Guidonem de' Conti di Baldrata*, *Mediolanensem*, quem nequaquam in Archiepiscopatu confirmare voluit Pontifex, licet & crebris literis & legatis impetrare id conatus Imperator fuerit. Ita comparatis rebus, moritur Pontifex *Rignani*, Oppido in radicibus [92] *Montis Soractis*, cui successit Cardinalis *Rolandus Bandinelli*, *Senensis*, Vice-Cancellarius tunc Sanctæ Ecclesiæ, cui electioni, licet probæ, opposuêre sese, a *Barbarossa* exstimulati, Cardinales *Octavius Montis Cœli*, *de Comitibus S. Eustachii*, qui arcta propinquitate contingebant Comitem *Tusculanum*, *Guido da Crema*, atque *Joannes Hungarus*, Episcopus (ut quidam apud *Panvin. Chron. Pontif.* volunt) *Tusculanus*, qui sedente vero & legitimo Papa a *Frederici* factione Anti-Papæ creati fuerunt. Primus illorum *Victor*, secundus *Pasqualis*, tertius *Callixtus* dictus fuit. Atque hi tres Anti Papæ per spatium fere novendecim annorum Ecclesiam infestarunt Catholicam, verusque Pontifex *Alexander*, qui super alias omnes molestias ipsa *Roma* discedere coactus fuit, nullibi, nisi *Tusculi* fuit commoratus. 166

Obligatum interim servitio suo tenuit *Frederi-cus*

90. *Acta Alexandri PP. III. ex Fel. Contilor.*
91. *Fabri Memor. Ravenn.*
92. *Anton. degl' Effetti in Hist. Soractis.*

cus Angelum de' Præfectis de Vico, Comitum *Tusculanorum* consanguineum, cum multis aliis Dominis *Italis*, ita ut (juxta *Cyprianum Manentem* in Historiis suis) arma contra *Alexandrum* moverint, atque armata vi *Victori* cedere Papatu coëgerit. Quum etenim anno MCLX. Imperator ipse in *Italiam* venisset, violentiam ejus metuens Papa, sequenti anno *Anagnum* sese recepit.

Fredericus interim *Mediolanum* expugnat, atque ita diruit, ut sale solum consperserit. Postea *Terni* investituram ut & Agri ejus concessit Cardinali *Octavio del Monte Celio*, quem *Victorem* appellari fecit, ut & fratribus ejus *Godefrido* & *Solimanno*; quæ omnia cerni possunt apud *Corium* in *Hist. Mediolani*, *Angelonum Hist. Terni*, & *Cavitellum* in *Annalibus Cremonensibus*; verum quum nollent incolæ novis hisce Dominis parere, utpo-
167 te Papæ *Alexandro* adhærentes, indignatus Imperator, *Christianum*, Archipiscopum *Moguntinum* jussit vi illos cogere, prout narrat *Carolus Sigonius* de *Regno Italiæ* Lib. XV. Christianus *cum exercitum in Ducatum* Spoletanum *duxisset*, Interamnam *in partibus Ecclesiæ stantem expugnavit, eamque magna ex parte subvertit.* Eodem anno pugna inter *Romanos* & *Germanos* accidit in agro *Tusculano*, quum vero victores (narrante *Cypriano Manente*) exstitissent *Germani*, multa damna intulerunt Urbi *Romæ*, atque etiam deprædati sunt *Viterbium* & *Montefiascone*.

Pontifex itaque (ut docet *Joannes Villanus* in *Historia Florentina*) res *Italiæ* atque Ecclesiæ ita videns turbatas, *Roma* relicta, in *Galliam* sese contulit ad *Ludovicum Pium*, a quo perhonorificè fuit receptus. Habuit itaque in istis regionibus Concilium, in quo *Fredericum* excommunicavit, atque Imperium ei ademit, *Columnenses* aliosque Nobiles *Romanos*, qui Cæsareis partibus adhærebant privans omnibus honoribus, quibus fungebantur in Statu Ecclesiastico, atque ad eosdem successores eorundem declarans inhabiles. Quod (sicut exstat in *Chronico Parthenop.*) tanto impensius odium accendit *Barbarossæ*, præsertim vero *Columnensium*, qui revocarunt Imperatorem, ut iterum cum exercitu *Romam* peteret. Verum *Guilelmus Normannus*, Rex *Siciliæ* (ut exstat in *Pecorone M. Joannis* Die XVII. Nov. II.) cum exercitu advenit pro partibus Ecclesiæ, atque tutando vero Pontifice *Alexandro*.

168 Inter hasce motuum turbas vita excessit Anti-Papa *Victor*, in cujus locum *Pasqualem* substituerunt Cæsariani, sed quum displiceret hæc electio *Romanis*, revocarunt ipsi ex *Gallia* Papam *Alexandrum*, qui *Romam* versus profectus, *Anagni* substitit, ubi invenerunt illum [93] Legati *Romani* cum literis Senatus & Cleri, qui orarunt illum, ut in Urbem reverti vellet. Pontifex itaque *Romam* Cardinales aliquot misit, ut cum *Romanis* transigerent, atque ipse interim *Tusculum* divertit, ubi usque ad stabilitam pacem permansit? quæ sancita fuit die *Veneris*, antecedente quartam Dominicam Quadragesimæ, Festo *S. Gregorii Magni*, & ipse postquam celebrasset Missam in Ecclesia *Tusculi* Cathedrali, *Romam* rediit, ubi cum magno applausu Cleri atque Populi receptus fuit.

Anno sequenti (sicut in Historia sua narrat *Cyprianus Manens*) Romani arma sumserunt contra *Sutrinos*, *Nepesinos*que, ubi exercitus erat *Germanorum*; adhærebant enim partibus Cæsarianis. Eodem tempore *Columnenses* cum *Præfectis de Vico* armis *Viterbum*, *Cornetum* & *Tusculanellam* depopulati sunt, quoniam Papæ favebant, quibus locis auxilium tulit Comes *Anguillaræ* aliique, qui

93. *Acta Alex. PP. III. Baron Annal.* Tom. XII. *Plat. in Alex. III. Ciacc.* in *Alex. III. Carrier. Vit. Pontif. Lauredan. Vita Alex. III.*

A *Alexandro* adhærebant; & quoniam pecunia deficiebat Ecclesiam, a *Guilelmo* Rege subministrata eidem fuit,

[94] Anno MCLXVII. *Fredericus Barbarossa* quarto in *Italiam* rediit, variisque oppressis Civitatibus, incenso *Spoleto*, obsedit *Anconam*, quæ ab ejus partibus ad Imperatorem *Byzantini* defecerat *Emmanuëlem*, qui amplexus fuerat partes Ecclesiæ.

Temporibus etiam istis *Banderesii* (ita dicti a vitta quadam, quam portabant) quibus Populus potestatem, Papæ alias debitam, vitæ & necis permiserat, coëgerunt vicinas Civitates Senatui pendere certa tributa, illis imposita a Præfectis Ur-
B bis *Frangipanis* & *Pierleoniis*, Verum abnuerunt pensionem hanc *Tusculani*, *Prænestini*, *Albani*, *Tiburtini*, *Sutrini* etiam & *Nepesini*, prætexentes imposita hæc sine debita auctoritate fuisse tributa. *Tusculani* deinde vim timentes, confugerunt ad *Fredericum*, ut ipsis assisteret eosque tutaretur. [95] Et hinc *Rainonus*, filius *Ptolemæi II.* Comes *Tusculanus*, ex matre natus *Berta*, *Henrici Quinti*, affinis *Lotharii*, filia, scripsit ad Imperatorem, qui *Anconæ* castra habebat, præsidiarios ab eo pro Civitate *Tusculana* milites petens.

[69] Errant multi in hoc *Rainone*, putantes eundem cum *Reginaldo*, Comite *Barri* & *Moncionis*, 170
C natione *Germano* qui adeptus est *Apuliæ* Ducatum, anno MCXXXVII. tempore *Innocentii* II. & adjutus a *Lothario* fugavit *Rogerium Normannum*. *Reginaldus* enim iste mortuus est *Moncione* in *Germania*, in proprio suo Comitatu, anno MCXLIX. ut patet ex Memoria, quæ asservatur in Monasterio S. *Michaëlis* dicti loci prope *Antenati*, multo minus fuit [97] *Rainolphus*, *Capuæ* Princeps, Comes *Avellini* & *Airolæ*, qui uxorem habuit *Metildam*, sororem Regis *Rogerii*, sanguinis *Normanni*; quique mortuus est *Trojæ* in *Apulia*, die ultimo Aprilis, anno MCXXXIX. clare enim omnes istos errare patet; quoniam neque *Rainal-*
D *dus* ille, neque *Reginaldus*, isto anno *Tusculi* esse potuerunt, utpote jam vita defuncti, & alio quidem loco & tempore.

[98] *Rainonus* itaque, ut dictum est, Imperatorem in auxilium evocavit, non quod relicto vero Pontifice Anti-Papæ adhæreret, verum ne cogeretur injurias perferre *Romanorum*, qui scismatis occasione sibi arrogabant auctoritatem, quæ ad solum spectabat *Romanum* Pontificem. Neque *Fredericus* hoc illis, quos summopere diligebat, denegare voluit, verum accepto fidelitatis jurejurando, quod præstitere in manus [99] *Acerbi Morenæ da Lodi*, qui Princeps erat in *Italia* Aulæ
E Imperatoriæ, statim ad illos misit *Rainaldum*, Archiepiscopum [100] *Coloniensem*, Cancellarium suum, 171
Comitem *Robertum di Bassa Villa*, cognatum *Guilelmi* Regis *Siciliæ*; præterea Comitem *Maccarium*, [1] *Carolum* filium Imperatoris *Conradi*; *Guelfum*, filium Ducis *Guilelmi*, Episcopum *Lexiæ*; *Andream Ravecaninam*, & *Braimerrum*, cui virtus bellica cognomen

94. *Carol. Sigon. de Regno Italiæ* Lib. XV. *Baron. Annal. Eccles.* Tom. XII. *Jo. Naucler. Gen.* 39. Pag. 483. *Sarac. Hist. Anconæ*, *Otho Morena Hist. Rer. Laud. App. ad Chron. Othon. Frising* Cap. XX. Pag. 205. *Marc. Ant. Nicodem. Hist. Tiburt.* Lib. V. Pont. I. Cap. XVI. *Segret. Fior.* in *Histor. Historiæ Samnii. Petrus Messias in Vita Frederici & Conradi. Matth. Villanus* Lib. III. *Blond. Rom. Rest.*
95. *Zazzera in Comitibus S. Eustachii. Kirch. Eustachio-Marian. Michaël Zappull.* in *Regibus Siciliæ.*
96. *Francisc. Capecc. Latronel. Hist. Sic.* Lib. III. *Michaël Ricc.* in *Regibus Siciliæ* Lib. III. *Plat.* in *Innoc. II.* & *Alex. III. Hieron. Henning. Par.* I. p. 110.
97. *Camil. Peregrin. Princip Capuæ* p. 328.
98. *Godefrid. Viterb. Fal. Benevent. Hist. Neapol. & Sicil. Beltr. Hist. Neap.*
F
99. *Hist Rer Laud. Acerb. Morenæ.*
100. *Hist. Trium Magor. P. Cromb.*
1. *Chronogr. Saxon.* p. 308. Ann. MCLXVII.

men *Guerriero* dederat, una cum lectis mille militibus *Germanis*, ut pro præsidio Urbi *Tusculanæ* essent. Adjunxêre sese hisce *Stephanus* & *Petrus Columna*, Cæsarianis partibus adhærentes, ut & *Oddo Novellus*, atque *Vici* Præfectus, *Theodorus* præterea & *Jonathan*, sanguine *Rainono* conjuncti, multique alii, qui partes istas sive propter cognationis vinculum, sive propter alia fovebant studia.

*[1] Hæc res apud *Romanos* cum percrebuisset, *Tusculanos* rebelles declararunt, moveruntque Urbem illam versus, animo diruendi. Valde displicuit hæc res Pontifici *Alexandro*, neque in factum illud consentire voluit. Unde tanto magis exacerbati iidem, collegerunt exercitum plus quam triginta millium virorum, [2] Ducibus Comite *Hercule Ursini*, *Pandulfo Savelli*, *Hectore* atque *Oddone Frangipanis*, *Matthæo* quoque *Rubeo de Ursinis*, avo *Innocentii III* & *Joanne Bono*, pariter ex *Ursinorum* familia; qui *Tusculum* versus pergentes, advenerunt ibidem die XXVII. mensis Maji, sataque & vineas eorum omnes destruxerunt vastaruntque. Cujus rei certior factus [3] *Fredericus*, statim *Christianum*, Comitem *di Bucchè*, Archiepiscopum
172 *Moguntinum*, cum quingentis militibus *Lombardis*, atque octingentis *Germanis*, atque mox deinde [4] *Fredericum* Regis *Conradi* filium, Ducemque *Botenburgicum* cum aliis *Germanorum* copiis, qui modico longoque (profecti enim erant ex *Nepesinis* & *Sutrinis*) itinere peracto, die Lunæ insequenti juxta *Tusculum* venerunt, atque in fronte exercitus *Romani* castra posuerunt.

[5] Verum Archiepiscopus *Moguntinus*, hostium considerato robore, tentavit per Legatos eosdem ab incepta obsidione avertere; verum irrito successu; confisi enim *Romani* militum suorum numero, atque inexpiabili flagrantes odio pariter in *Tusculanos* atque *Germanos*, superbum dederunt responsum: non ideo sese venisse, verum diruturos Civitatem, pugnamque cum *Germanis* conserturos. Hac itaque sola via relicta, suos ad prælium adhortatus est Archiepiscopus, atque bono dispofuit ordine, ut tuti essent ad omnem subitum hostium insultum. Dux interim *Botenburgicus* & Regis *Conradi* filius, Duces exercitus *Germanici*, clam (intelligentibus modo fraudem *Columnensibus*, confœderatis suis) in insidiis loco apto constiterunt cum magna militum manu, ubi a *Romanis* cognosci non possent; atque ibi occasionem exspectarunt adoriendi hostes a tergo, prout postea fecerunt.

173 [6] Matutino tandem tempore die dicti Mensis II. Maji XXIX. primo post Pentecosten (quo adhuc *Frascati* quotannis celebris est Processio Confraternitatis Matris Dei a pio Gymnasio in memoriam *Tusculanæ* liberationis) ad manus ventum est inter *Romanos* atque *Germanos*, loco dicto *Ad Porci*, seu *Prata Porcii* (pro quo nunc corrupte *Petra Porci* efferunt) ubi adhucdum varia loca memoriam cladis pugnæque retinent, varia enim ibi prata sunt, quæ dicuntur *Padiglione*, *Torre dello Stinco*, *Campo Bruno* & *Valle de' Morti*.

Tanto autem fremitu, pugna a *Romanis* incepta est, ut salutem fuga quærere perterriti inceperint *Germani*. Verum Archiepiscopus *Moguntinus*, rapto suis manibus Imperatorio Signo, hortari rursus ad pugnam cœpit ut perdurarent, sustentavitque ita pugnam usque ad horam nonam, quo intermedio tempore *Romanis* magis quam *Germanis* favere visa est victoria.

Dux interim *Fredericus* cum *Columnensibus*, ut primum apertus campus admovere copias sivit, terga *Romanorum* sunt adorti, tantoque impetu ceciderunt, ut hostis coactus fuerit faciem illis obvertere. Dum ita ancipiti prælio circumventi *Romani* ab utraque urgentur parte, *Rainaldus*, Archiepiscopus *Coloniensis*, cum *Rainono*, aliisque, Urbe egressus, cum militibus MCCC. prout exstat 174
in *Hist. Aug.* Tom. VI. in *Frederico* I. tam *Lombardis*, quam *Germanis* civibusque, tantum in *Romanos* fecit impetum, ut a tribus partibus ordines eorum ruperit. Undique itaque circumventi *Romani*, non jam de victoria sed vita solliciti, fugam trepide arripuerunt, relicto Vexillo inscripto S. P. Q. R. quod adepti sunt *Tusculani*. Ipsi autem Duces suos, primos in juga, secuti sunt, tergis eorum ad *Tyberim* fluvium usque inhærentibus *Tusculanis Germanisque*. Tantaque cadentium strages edita fuit, ut affirmaverint istius temporis Scriptores, nunquam post cladem istam resurgere potuisse Urbem *Romam* ad pristinas divitias incolarumque numerum.

Sequenti vero die reversi, ut mortuos suos sepelirent (penultimus is mensis Maji fuit) rursus a *Germanis Tusculanisque* vexati sunt, donec missis suppliciter legatis suorum sepulturam petiverint; quod ista illis conditione est permissum, ut jurato darent numerum cæsorum in manus Archiepiscopi *Coloniensis*, qui accuratam quoque dedit notitiam illorum, qui captivi tenebantur in *Tusculo*, atque *Viterbo*, qui locus Præfecti *di Vico* erat.

Numerus isto prælio cæsorum fuit duodecim millium *Romanorum*. Horum cadavera (prout cernere est apud *Jo. Villanum* in *Chron. Parthenop.* Cap. LXVI. & *Bibliothec.* in *Adriano II. Romam* transvecta curribus, sepulta fuêre partim in Ecclesia S. *Stephani*, tribus milliaribus a *Roma* distante, in prædio, quod fuit olim S. *Demetriæ*, 175
Matronæ *Romanæ* (sicut constat ex *Aringhio Roma Subterranea* Lib. II. Cap. XII. Tom. I.) partim in Ecclesia S. *Laurentii*, extra muros, apposito sequenti Epitaphio:

[7] MILLE DECEM DECIES
SEX DECIES QVOQVE SENI.

Verum *Tusculani* victoria haud contenti, exacerbatique concepta longe ira, in captivos etiam sævierunt, quos *Tusculi* tenebant inclusos, victum enim diminuendo, unciam modo panis, aquæque unum calicem quotidie subministrarunt, ita ut multi ibidem misere vitam finiverint, alii vero ingenti pecunia redimere sese coacti fuerint.

[8] Fuit inter captivos *Oddo Frangipanus*, Nobilis *Romanus*, qui omni vitæ spe libertatisque destitutus, confugit ad intercessionem S. *Leonardi*, ut a Deo sibi libertatem impetraret, a quo mirabiliter exauditus fuit. Nocte enim quadam dormienti *Oddoni* adstitit Sanctus ille, liberatumque vinculis extra carcerem produxit, atque in Sylva prope *Romam* collocavit, ubi demum expergefactus *Oddo* fuit seque liberum sensit. Stetit itaque aliquanto temporis dubius, quid ageret, *Romamne* an alium locum peteret; constituit denique in *Apuliam* proficisci, ad agendam Pœnitentiam, atque ubi *Arianum* venit, Claustro sese inclusit, quod erat inter illum locum atque A- 176

* 1. *Oderic. Raynald. Annal. Compend.* anno MCLXVII.
2. *Marcus Anton. Sabell.* Tom. I. *Sansovin.* in *Hist. Domus Ursinianæ*, pag. 17.
3. *Chron. Conradi Episc. Moguntiaci.*
4. *Otho Morena Hist. Rer. Laud.*
5. *Otho de S. Blasio*, in *App. ad Chron. Frisingens.* Cap. XX.
6. *Leibnit. Access. Hist*, pag. 309.

7. *Hist. Aug.* Tom. VI. *Werner. Cartus. Fascic. Temp.* anni MCLXVI.
8. *Cialant. Hist. Samnii.* Lib IV. Cap. IX. & *Papebroch. Act. Sanct.* Mense Mart. die XXIII. & *Fer.* in *Sanct. Ital.*

D. B. *Matthæus.* E

Alife, ubi non sine Sanctitatis opinione est mortuus, die XXIII. Martii anno MCLXXXI. Corpus ejus primo in *Alife* sepultum fuit, postea autem anno MCCXXX. translatum *Beneventum*,
176 atque inde *Arianensibus* restitutum ab *Alphonso* Rege *Neapolis*, sicut constare potest ex sequenti [9] Epistola, ab eodem Rege scripta ad *Antonium Martinium delle Chiavi* Cardinalem *di Portogallo.*

Reverendiss. in Christo Patri D. A. Tit. S. Chrisogoni *Præsb. Card.* Ilarden. *Amico nobis charissimo.*

Reverende in Christo Pater, Domine, & Amice nobis charissime.

Cives Ariani *cupiunt majorem in modum, ut Corpus B.* Othonis *Confessoris, quod tempore, quo Infideles in* Italia *invadebant, invitis* Arianensibus *ab Ecclesia* Arianensi *ad* Beneventanam *fuit translatum, Ecclesiæ* Arianensi *restituatur; hoc enim honestum & pium est. Vestram propterea Paternitatem ea animi vehementia qua possumus rogamus, ut pro hac restitutione facienda, & cum Sanctissimo Domino nostro, & cum Archiepiscopo* Beneventano *vices vestras interponatis, ut omnino dicta restitutio sequatur, quod nobis ad singularem complacentiam evadet. Datum* Puteolis *die XII. Mensis Martii a Nativitate Domini MCDXLII.*

Rex Alphonsus:

177 Sanctus ille ipse paullo ante mortem suam propria manu illa quæ superius enarravimus, conscripsit; quæ & ipsa Scriptura asservatur inter Reliquias ejus in Ecclesia *Alifensi*, principiumque ejus hisce constat verbis:

Ego qui origine Italus Otho, *Patria* Romanus, *genere è nobili Familia* Fraipana *ortus, & absit in omnibus jactantia, sed ipsi soli Deo Trino, & uni laus, honor, & gloria semper, quia scriptum est -- Qui autem gloriatur, in Domino glorietur; non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat &c.*

Accepto hujus victoriæ nuncio *Romam* properavit *Barbarossa*, ut coronari sese faceret rursus ab Antipapa *Pasquali*, quoniam ab Imperio ab *Alexandro* paullo ante erat depositus. [11] Pervenit itaque *Romam* die Julii XXIV. atque Vaticanum armato milite obsedit; eodemque tempore Cancellarius cum aliis *Germanis*, qui in *Tusculo* ejusque agro inveniebantur, Urbis *Romæ* portas acri custodia premebant. Papa itaque *Alexander* perterritus, recepit sese in *Frangipanorum* Palatium, quod prope *Palladium* erat. *Fredericus* autem admota igni ad S. *Petri* Basilicam, custodes ejusdem coëgit tradere eandem in suam potestatem, prout Acta *Alexandri* III. testantur, his rebis: *Custodes Ecclesiæ formidantes, ne tota fabrica incendio*
178 *solveretur, post combustam* S. Mariæ *in Turri Ecclesiam cum æreis Portis & vicinis Porticibus, Beati* Petri *Basilicam in manu, & potestate sævientis Principis tradiderunt.*

[12] Compos itaque Basilicæ *Vaticanæ* Imperator, voluit, ut insequenti die ibidem Missam celebraret Antipapa *Pasqualis*, cui assistebant Cardinales illi qui Scismati adhærebant, atque in ista solemnitate coronavit *Pasqualis Barbarossam* corona aurea, verum postero die (Festo S. *Petri in Carcere*) iisdem Cardinalibus aliisque plurimis præsentibus coronavit ibidem Imperatorem una cum conjuge Corona modo Imperiali.

9. *Acta Sanctor. Papebr. D.* XXIII. Mart. Tom. 3. lit. E. p. 466. *Ughell. Ital Sacr.* Tom. VIII.
10. *Fr. Zazzera Nobil. Ital.*
11. *Cinc. Cam. de Censib.*
12. *Carol. Sigon. de Regn. Ital.* Lib. XV. *Hist. Aug.* Tom. VI. Pag. 103. num. 24.

A Quumque hoc pacto ea quæ voluerat obtinuisset *Fredericus*, Archiepiscopos aliquot ad Senatum misit *Romanum*, offerentes pacem iisdem, atque disceptationem controversiæ inter utrosque Papas, facultatemque confirmandi istam dignitatem illi, qui meruisse videretur, vel etiam novum magis placitum eligendi, ea conditione, ut & *Alexander* & *Pasqualis* simul deponerent Imperium. Promisit insuper captivorum liberationem, spoliorum restitutionem, quæ requiri possent, atque restaurationem Basilicæ S. *Petri*, perpetuamque amicitiam. Avide audita hæc a *Romanis* atque accepta fuêre, verum conatus hosce 179
B elusit *Alexander*, clam noctu *Ostiam*, atque inde *Beneventum* profectus.

[13] Divina interim Providentia turbato cœlo, quod siccum plurimis fuerat diebus, maxima pluviarum vis decidit; unde aucta est contagio, quæ exercitum *Germanorum* invaserat, septemque dierum spatio optima pars Ducum atque militum interiit; unde perterritus Imperator relinquere *Romam*, atque in *Lombardiam* retrocedere constituit; sicut fecit, relinquens ibi Antipapam *Pasqualem* cum præsidio militum *Germanorum*.

Insequenti anno, mense Aprili, *Romani* memores acceptæ a *Tusculanis* cladis, atque fœderis,
C quod inter illos atque *Albanenses* fuerat; adjuvantibus *Guillelmo*, Rege *Siciliæ*, *Frangipanis* quoque, *Ursinis* & *Savellis*, obsidione *Albanum* cinxerunt, Urbemque a fundamentis diruerunt. Idem in *Tusculanos* cogitaverunt, verum non ausi mœnibus eorum appropinquare, contenti fuerunt [14] disjicere Palatia, quæ Comites *Tusculi* atque *Columnæ* in Urbe *Roma* habebant, ipsosque rebelles declararunt, simulque omni privarunt honore quo *Romæ* gaudebant, atque ita Urbe prohibuerunt. 180

Mense Septembri in Palatio *Vaticano* mortuus est *Pasqualis*, atque in S. *Petri* Basilica sepultus.
D Pontifex autem *Alexander Benevento* profectus *Anagnum* venit, ibique moratus est, neque *Romam* perrexit, intelligens electum esse a scismatica factione Pontificem Imperatoriæ factionis *Joannem Ungarum*, sub nomine *Calixti*.

Novo huic Antipapæ *Rainonus* & *Jonathan*, Comites *Tusculani*, Urbem *Tusculanam* obtulerunt, petentes pro ea Urbem *Monte-Fiascone* & Castellum *di Fiano*, quæ Imperator Ecclesiæ abstulerat; quærebant vero hanc permutationem, ne Populus *Romanus* (sicut minitatus erat) mœnibus *Tusculum* privaret, dirueretve; vel (si illud accideret) ne ipsi essent sine Principatu.

E Accepit permutationem *Calixtus*, subitoque exsequi voluit; verum, quoniam nec *Tusculani*, nec *Monte-Fiasconenses* Scismati adhærerent (licet ab Imperatore huc usque steterant) nec Anti-Papam Dominum agnoscere voluerunt *Tusculani*, nec *Rainonum* accipere *Monte-Fiasconenses*. Imo *Tusculani* inito consilio, publico decreto dideiunt sese 181 *Alexandro*. Desperato itaque proposito ad Principatum suum *Rainonus* est reversus; verum portas ante se clausas invenit, nec recipere eum ut Principem cives voluerunt. Profectus itaque *Verolum* est, ad Pontificem *Alexandrum*, cui & ipse omne
F suum jus in *Tusculano* cessit, atque ab illo Princeps *Monte-Fiasconis* & *Tuscanellæ* declaratus est. Ipse postea *Alexander*, comite *Rainono* eodem, *Verolo* profectus est *Tusculum*, ubi multo cum honore a Senatu Populoque est receptus, qui illi super S. Evangelii Codicem fidem jurarunt perpetuam.

In-

13. *Append. ad Chronol. Marian. Summ* P. 467. Tom. II. *Hist. Laudens. Othon Mor. Baron Annal. Ecclesiast.*
14 *Pecorone di M. Giov. Hist. di Fir. Jo. Villani* Lib. V.

Insigniter hoc displicuit Populo *Romano*, propter acerbum, quo *Tusculanos* prosequebantur, odium, unde instigante *Calixto*, qui nolebat tam vicinum adversarium, arma contra Sanctum Pontificem atque *Tusculanos* moverunt, qui egregie sese sunt tutati, adjuti a *Columnensibus*, Comitibus *Anagni* & *Vici* Præfectis; ita ut in quadam pugna ipsam *Romam* deprædati fuissent, nisi *Savelli* atque *Ursini* Urbi opem tulissent.

Videntes itaque *Romani* frustra vim esse armorum omnem, ad fraudem converti sunt, atque
182 *Alexandro* pacis obtulerunt conditiones, promittentes illi, sese ipsum omni honore ut Patrem & Dominum *Romæ* esse excepturos, si *Tusculanorum* mœnium permitteret dirutionem. Accepit conditionem Pontifex; quod ubi præsensit *Raino*, optimum factu judicavit longius a *Tusculo* discedere, ne in hostium ipse perveniret potestatem; permittens itaque *Alexandro* Castellum, quod illi supermanserat *Algidi*, in Agro *Tusculano*, de improviso *Orvietum* se recepit, atque inde *Montem Pulcianum*, ubi S. Ecclesiæ Ducem illum declaravit Pontifex.

Profecto *Rainone*, consentientibus ipsis *Tusculanis* fœdus cum *Romanis* Papa pepigit, illisque permisit diruere muros *Tusculi*, quod Anno MCLXXII. promte exsecutioni mandatum fuit. Cito autem vidit Pontifex deceptum sese à *Romanis*, neque enim ullo modo recipere eum *Romæ* voluerunt. *Segnum* itaque ire decrevit, sed antea jussit Turres munire, quas habebant pro more istorum temporum intus Urbem ante proprias ædes *Tusculani*; jussit præterea, ut latis profundisque fossis Urbem cingerent, atque bono custodirent præsidio, quo sese defenderent a *Romanorum* violentia, qui per sex dein continuos
183 annos agros atque prædia *Tusculanorum* infestarunt; sicut rursus *Tusculani* vineas segetesque *Romanorum* igni ferroque vastarunt. Icto interim fœdere inter Papam *Alexandrum* atque Imperatorem *Fredericum* induciæ aliquot annorum fuerunt.

Territus pace hac Antipapa *Calixtus*, confugit *Viterbum*, ubi mansit, adjutore *Joanne Frangipani* Urbis *Romæ* Præfecto, ipso *Romano* Populo, atque *Viterbi* Nobilitate, atque occulte sese recepit *Nemum*, quod Castellum erat istius Præfecti prope *Montem Albanum*; quod ubi intellexit Archiepiscopus *Moguntinus*, obsedit dictum Castellum, agrosque ejus depopulatus est; Reliquo dein exercitu ipsum *Viterbum* obsidione cinxit, ut ad veri Pontificis *Alexandri* partes illam pertraheret Urbem. Plebs itaque undique clausam sese cernens, ita ut nullo modo aditus ad fruges petendas erumpendumque in agros pateret, inscia Nobilitate, noctu portas aperuit, atque Archiepiscopum cum exercitu intromisit.

Conradus itaque Marchionis *Montisferrati* filius, Nobilesque qui *Calixto* favebant, ad Præfecti
184 auxilium convenerunt, ut & Populi *Romani*, atque subito magnas collegerunt copias, quibus viam *Viterbum* versus obsederunt. *Alexander* Papa frustra adhibita omni opera, ut illos a cœpto revocaret, Archiepiscopum atque *Viterbienses* admonuit, ne portis Urbis excederent, atque ita pugnam cum *Romanis* evitarent. Ubi itaque ad portas usque *Romanus* miles accessisset, frustraque Archiepiscopum atque cives ad pugnam provocasset, combustis vineis illorum atque Olivetis, moræ impatiens, *Romam* rediit.

Præfectus tandem, cernens vires Antipapæ plane fractas, ad verum Pontificem sese contulit, supplexque veniam petiit; quæ illi non tantum est concessa, sed & ipse in Præfectura sua est confirmatus. Pontifex autem sub prætextu supervenientis caloris mensis Augusti, longius a *Roma* discessit, quum obstinatos videret cives in prætensione eligendi Senatores absque beneplacito Pontificis. Quum itaque *Tusculum* sese recepisset, illuc quoque *Calixtus* cum quibusdam ex suis venit, atque ante pedes *Alexandri* prostratus, ipsum pro legitimo *Petri* successore recognovit, veniam supplex petens, atque coram magna multitudine absistens prætensionibus istis, quas jam aliquot retro annis tanto totius Christianismi præjudicio usurpaverat. Receptus vero benigne fuit ab *Alexandro*, qui illum non modo mensæ suæ adhibuit, atque in Aula tenuit, verum etiam Episcopum dein atque Gubernatorem *Beneventi* de- 185
signavit. Atque hunc finem Scisma illud habuit, quod tantopere Ecclesiam turbaverat.

Quum autem vellet Sanctus Pontifex multos corrigere errores, qui occasione illius Scismatis in Ecclesiasticis rebus introducti erant, Concilium convocavit Generale in *Lateranensi* Ecclesia celebrandum, prima Dominica Quadragesimæ. *Tusculo* itaque (ut narrat *Baronius* in *Annalib. Ecclesiast.* varios expedivit Nuncios Apostolicos, variasque scripsit literas. *Romani* quoque Legatos miserunt, pro transigenda cum moderatione aliqua controversia ista de eligendis Senatoribus, quam independentem servare a Papali consensu & electione volebant. Sed quum nec latum unguem discedere postulatis suis *Alexander* vellet, infecta re discesserunt. *Septem Legatos* (inquit *Ciacconius* in *Alexandro*) *ad eum* Romani *mittunt*, *de compositione tractantes; hos benigne* Alexander *accepit: Verum*, *quum Senatores*, *quos tolli* Alexander *instabat*, *pertinacius retinerent*, *eos in Urbem*, *re infecta*, *dimisit*.

Ad diem dein Decembris XX. Papa in *Tusculo* quintam Purpuratorum fecit promotionem, creavitque Cardinales XVI. & inter illos *Petrum da Pavia*, Monachum *Benedictinum*, qui etiam declaratus fuit Episcopus *Tusculanus*.

Hac occasione de novo Legatos ad Pontificem miserunt *Romani*, ut tandem lites istæ componerentur, quæ jam per annos XXXIV. *Romanam*
Urbem inquietaverant, tandemque in has (Cœle- 186
lesti annuente Numine) convenerunt conditiones, ut scilicet, in posterum Consules a Populo eligerentur, verum electi, munere suo non fungerentur, antequam ad pedes Papæ sese obtulissent, in ejusque manus jusjurandum præstitissent, fideles sese Ecclesiæ fore. *Decembri autem mense* (pergit *Ciacconius* loco citato) *cum* Tusculum *petiisset*, *ibi tandem pax & concordia inter* Romanos, *& Pontificem conciliata est.*

Diem denique suum etiam *Alexander* obiit Augusti die XXVII. anni MCLXXI. ejusdemque mensis die XXIX. Pontifex factus est *Ombaldus Allucingoli*, *Lucensis*, Episcopus tunc *Ostiensis*, qui sese *Lucium III.* appellavit.

Eodem anno (uti adnotat *Munsterus* in *Geographia*) de nuptiis filii sui *Henrici* cum *Constantia*, filia *Rogerii IV.* Ducis *Apuliæ* & *Calabriæ*, agere cœpit Imperator *Fredericus Barbarossa*; atque altero filio suo *Frederico* elegit filiam Regis *Ungariæ*. Horum illud prius matrimonium opera Pontificis (ut mox dicemus) conciliatum, ultimam secum *Tusculi* ruinam traxit.

Rebus ita compositis, incubuit in id Papa *Lucius*, ut omnem penitus partem *Romanis* in eligenda dignitate Senatoria adimeret; quam in rem
multos ex *Romanis* aliisque vicinis ad partes suas 187
pertraxerat, præsertim vero *Tusculanos*, qui præ reliquis tanto majori affectu Papæ adhærebant, quanto, inexpiabili contra *Romanos* odio flagrantes, imminui illorum honores cupiebant. Verum patefacto *Romæ* hoc dolo, tanto furore capti sunt

Romani, ut fautores quosdam Papæ nacti oculis privaverint, aliisque affecerint contumeliis, crudeles ultra modum facti; quare iratus Pontifex cum tota Aula sua *Tusculum* sese recepit, ubi Vicarium suum *Romæ* declaravit *Petrum da Pavia*, Episcopum *Tusculanum*, atque inde *Velletrum*, *Nympham* & *Sezze* sese contulit, & denique ne similes suis pateretur contumelias, *Anagni* sese munivit.

[15] Primo itaque die Julii Mensis de improviso armata manu sub *Tusculo* consedêre *Romani*; quod ubi accepit *Moguntiæ* Episcopus, subito collectis *Germanorum* copiis, ad defensionem *Tusculanorum* adfuit; verum non exspectato illo, domum reversi sunt *Romani*.

Tusculo appropinquans Archiepiscopus, ubi non invenit *Romanos*, auctus ipsis *Tusculanis*, versus *Romam* perrexit, atque in vicinis agris castrametatus multis *Romanos* damnis affecit, verum infectis quibusdam a *Romanis* fontibus, ex quibus sciebant bibere *Tusculanos Germanosque*, multi horum interierunt, unde coacti fuerunt *Tusculum*
188 remeare.

Subsequenti anno, initio Mensis Aprilis, rursus *Romanorum* exercitus *Tusculum* petivit, verum egregie sese defendentibus civibus, recedere coacti sunt, incensis prius *Præneste*, *Paliano* & *Serrone*. Ortaque interim inter Papam atque Imperatorem contentione, quum in utriusque odium incurrere sese *Romani* cernerent, quievêre aliquantum infestare *Tusculanos*.

Moritur interim Pontifex *Lucius III.* atque illi substitutus fuit *Urbanus III.* cui successit *Gregorius*, qui animum modo ad Bellum Sacrum attendit, defensionemque *Hierosolymorum* a Barbaris. Post *Gregorium* vero die VI. Januarii anno MCLXXXVIII. electus fuit *Clemens III. Romanus*, qui vix adeptus Pontificatum concordiam cum *Romanis*, stabilita pace, iniit. *Baronius Annalium* suorum Tom. XII. literas recitat Senatus *Romani* ad Papam, quibus Pacis conditiones, & inter illas hæ memorabiles continentur:

189 *Quod* Roma *sub absoluta foret potestate Pontificis Summi.*

Quod removerentur Patricii, &, ut ante, Præfectus restitueretur.

Quod Senatores quotannis crearentur ex auctoritate Summi Pontificis, cui necesse haberent fidelitatem & pacem jurare; atque, ubi vis posceret, auxilium Ecclesiæ ferre.

Quod Populus Romanus *libere atque integre restitueret Papæ Basilicam S.* Petri, *quam ipse durante Civilibus Discordiis occupaverat, una cum ejusdem Ecclesiæ reditibus.*

Quod omnes Gabellæ atque Publici Proventus ad Pontificem pertinerent; ita tamen, ut tertia ejusdem pars cederet in Populi beneficium.

Quod Senatus Romanus *deberet in posterum defendere atque honorare S. Sedem, atque honorem & potestatem Pontificiam.*

Quod Papa solita stipendia & donativa Senatoribus daret, ut & Judicibus, Advocatis, Notariis, aliisque Ministris Senatus, qui appellantur Presbyteriales.

Quod idem Pontifex quotannis certam summam pecuniæ daret pro restaurandis reparandisque Urbis mœniis.

Quod promitteret ante elapsum annum complanare Tusculum, *ista conditione tamen, ut Ager ejus atque Territorium, ut & incolæ essent sub potestate S. Ecclesiæ; quodque ista in re opem* Romanis *laturus esset Pontifex.*

Hujus ultimi præcedentisque pacti hæc expressa sunt verba: *Et dabitis singulis annis pro restauratione murorum hujus Excellentissimæ Urbis C. libras bonorum provenientium de* Tusculano. *Sic fiet, quocunque modo ad manus nostras pervenerit, infra dimidium annum, omnes muros, & Carbonaria Civitatis, & Roccæ* Tusculani, *& Suburbiorum dabitis nobis ad diruendum, quos, & quæ nunquam reficietis, nec refici facietis in vita vestra, retentis,* 190 *& salvis tàm vobis, quàm successoribus vestris, &* Romanæ *Ecclesiæ omnibus possessionibus, tenimentis, & pertinentiis ejusdem* Tusculani, *intus, & extrà cum hominibus, rebusque eorum. Quod si hinc usque ad Kalendas Januarii dictum* Tusculanum *ad manus nostras non venerit, tunc excommunicabitis* Tusculanos, *& per fideles vestros de* Campania, *& de* Romania *cogetis eos perficere de* Tusculano *quod dictum est supra cum adjutorio nostro, &c. Actum XLIV. anno Senatus Indictione VI. mensis Maji die ultima Ann. MCLXXXVIII.*

Stabilita hoc pacto pace inter Pontificem atque *Romanum* Senatum, indignati *Tusculani* sua ruina fundatam eandem, publico Decreto habito, ad Imperatorem recurrere statuunt, ut idem, sicut pluribus antea vicibus, eosdem a violentia *Romanorum* defenderet.

Legatos itaque quosdam ad *Fredericum* misêrunt, qui nomine Populi *Tusculani* de injuriis ipsi a Pontifice factis expostularent, necessitatemque ad illum recurrendi exponerent. Protectionem suam benevole largamque opem promisit Imperator, unde hilares rediêre Legati. Verum infelix *Tusculanorum* fuit fatum, quod in isto rerum statu subsecuta fuerit mors Imperatoris, in ejusque locum filius successerit *Henricus*, ad quem (ut refert *Jo. Villanus*) paullo post literas dedit Pontifex, significans, velle se cum proximo Paschatis Festo coronare, atque celebratis nuptiis cum *Constantia*, 191 filia unica supradicti *Rogerii IV.* Ducis *Apuliæ* & *Calabriæ*, declarare Regem *Neapolis* & *Siciliæ*, ipsa enim illorum Regnorum hæres remanserat. Ista tamen adjiciebatur conditio, debere *Henricum* conservare pro eo privilegia Populi *Romani*; non offendere Statum Ecclesiasticum; restituere quidquid sustulerat inde pater *Fredericus*, quæque ad illa pertinerent, salvis Imperii regionibus, ut *Platina* in *Vitis Pontificum* refert; præterea quod propriis sumtibus deberet suscipere expeditionem in Regna *Neapolis* & *Siciliæ*, ad ejiciendum inde *Tancredum* eorum usurpatorem; obligatusque maneret quotannis censum solvere Ecclesiæ vigilia S. *Petri* Apostoli.

Non displicuere *Henrico* hæ conditiones. Viam itaque *Romam* versus arripuit; verum antequam eo perveniret, mortuus est Papa *Clemens*, cui successit *Cœlestinus*, filius *Petri Bubonis* ex nobili *Romæ* Familia *Ursinorum*. Hujus novi Pontificis metus haud levis incessit *Tusculanos*, quoniam ex illa erat Familia, quæ, in præteritis bellis, acerrima illis ex hostili *Romanorum*que partium factione fuerat.

Imperatore interim *Romam* appropinquante, obviam illi Legatos misêre *Tusculani*, præsidium *Germanicum* patriæ orantes Civitati, ut sese tutari possent a *Romanis*, qui illam funditus exstirpare nitebantur; tanto magis, quoniam pater *Fredericus*, paullo ante mortem, implorantibus auxilium suum addixerat. [16] Motus itaque misericordia *Henricus*, aliquot selectas *Germanorum* copias *Tusculanis* pro præsidio dedit. 192

Audientes hoc *Romani* tumultuari contra Imperatorem cepêre, & ad [17] *Cœlestinum* rapto accur-

15. *Chron. Fossæ Novæ. Ughell. Italia Sacra.*

16. *Hist. Aug.* Tom. VI. in *Henr.* VI.
17. *Petr. Mess.* in *Henr.* VI.

currentes gradu, orarunt, differret coronationem *Henrici*, usque dum *Tusculum* Ecclesiæ restituisset. Quum itaque ad portas Urbis venisset Imperator accurrentes *Romani*, ita eum, antequam admitterent, affati sunt: [18] *Fac nobis Justitiam de Castellis tuis, quæ sunt in* Tusculano, *quia sinè intermissione nos inquietare non cessant; & erimus pro te ad Dominum Papam, ut Coronam Imperii super caput tuum imponat.*

Dura hæc Imperatori visa sunt, neque consentire statim potuit, dubius vero stetit, utrum *Romanorum* satisfaceret desiderio tradendo *Tusculum*, an vero fidem datam servaret *Tusculanis*, illos custodiens. Tandem ne ulterius Coronationem suam atque Nuptias differret, decrevit [19] *Tusculum* tradere in manum Pontificis, ut communis Patris,
193 videri volens satisfacere hoc pacto *Romanis*, neque fidem suam *Tusculanis* rumpere, quum eosdem non traderet hostibus suis.

Indoluère admodum *Tusculani* hoc stratagemate sese ab *Henrico* deceptos, neque ullo modo Pontifici sese submittere voluerunt, sed totis viribus obnitebantur. Papa itaque adhibitis frustra omnibus mediis, ut ad obedientiam eosdem reduceret, quum pari obstinatione sibi videret resistere, rebelles Ecclesiæ declaravit, & ut tales tradidit beneplacito hostium suorum *Romanorum.* Verba, quibus describitur hæc historia apud *Joannem Bonativum*, ita sese habent: *Instetit Pontifex Cæsari, quod exoptabat redigere* Tusculanam *Civitatem ad debitam Ecclesiæ ditionem. Annuit Imperator; sed Pontifex ipse, ut Militum animos fortiùs accenderet, non modo omnium peccatorum absolutionem quoad pœnam, & culpam concessit omnibus, & singulis Ducibus, & Militibus, qui huic præsto essent expugnationi; sed his qui aliquod insigne ibidem peragerent facinus, elargitus est eandem Indulgentiam toties quoties confessi pro Ecclesia exaltanda Deum exorarent.*

Henricus interea Ducibus quibusdam *Germanis* clam in mandatis dedit, ut *Tusculum* præsidio suo munirent, atque ubi nocte illa, quæ præcessura
194 esset diem XII. Aprilis, illuc venisset exercitus de improviso *Romanorum*, nullo modo illis obsisterent, verum sese iisdem adjungerent intromissis per portas apertas. [20] *Tiburtinis* præterea Senatus *Romanus* jussit, ut eadem nocte prope *Tusculum* consisterent, copiasque suas cum *Romanis* conjungerent, sicut factum est.

Quum itaque uterque hic exercitus pervenisset ad *Tusculanorum* mœnia, milites *Germani*, qui Urbis portas custodiebant, occisis paucis, qui aderant pro eodem officio, *Tusculanis*, intromiserunt *Romanos*; qui immani furore impetum in miseros cives fecerunt; nihil enim mali arbitrantes in ædibus suis quieti sese dederant una cum uxoribus atque liberis. *Romani* itaque, inenarrabili cæde peracta, & jam fessi occidendo, crudelitatem insignem erga miseras reliquias exercuerunt, truncatis enim naribus, auribus, oculis, manibus pedibusque patria Urbe ejecerunt. *Accepta ligatione Imperatoris* (inquit in *Chronico* suo *Conradus*, Abbas *Urspergensis*) *Civitatem* Romanis *tradiderunt, qui multos peremerunt de civibus, & fere omnes, sive manibus, sive aliis membris mutilaverunt; pro qua re Imperatori improperatum est a multis.*

Neque sævitia hac contenti *Romani* furorem quoque suum in ædes privatas publicasque, & in ipsas Ecclesias, tam intus quam extra Urbem verterunt, exque earundem dirutis lapidibus Capito-
lium suum jam casum minans restaurarunt, [21] post- 195
quam satis longo tempore in memoriam hujus immanis stragis ipsos lapides conservassent. Testatur id [22] *Gregorius Laurus* his verbis: *Quæ quidem* Tusculanæ *Urbis eversio & clades atrocissima ac indignissima pariter extitit ex omni parte; quippè* Romani *haud tanto contenti excidio, ut omninò eorum iracundiam* [23] *excitarent, & jam extinctæ Urbis lapides in Capitolium transtulerunt, ubi longo tempore servavère, & tandem in æternam tantæ cladis memoriam proprium Capitolium restaurarunt, ob quod* Henricum *Augustum malè undiquè audivisse constat apud Auctores.*

Et denique ne quod *Tusculi* exstaret vestigium, ignem quoque subjecerunt, ut post incolas saxa etiam ipsa & ligna penitus exstinguerent, namque, ut narrationem suam finit *Otho de Sancto Blasio*, Tusculanense *Castellum, quod Asylum Imperii contrà omnes insultus eorum hactenùs extitit, ipsis tradens Imperator, Imperium in hoc non mediocriter dehonestavit; qui statim tota Urbe effusi in ipsa die Parasceve Castellum funditùs destruxerunt, dirutisque Turribus, & muris, igne postremo consumpserunt.*

Atque hoc pacto, Aprilis die XII. anno MCXCI. Sancta *Veneris* die abolita nobilis & antiqua hæc fuit Civitas, quæ per MCCCXL. circiter annorum spatium Rempublicam suam servaverat, atque Nobilissimorum Comitum *Tusculanorum* exstiterat Arx inexpugnabilis.

---

18. *Baron. Annal. Ecclesiast.*
19. *M. Anton. Sabell.* Tom I.
20. *Marc. Anton. Nicodem. Hist. Tib.*
21. *Baron.* in *Annal. Platina* in *Vitis Pontificum*, in *Cælest. III.*
22. In *Defensione Abb. Joachimi* Tom. I. pag. 80. & 81.
23. *Excitarent*] Leg. forte *exsatiarent.*

FINIS.



INDEX
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

Belve-

F I N I S.

JACOBI MANILLI,

Romani, Villæ Burghesiæ Vestiario Præfecti,

DESCRIPTIO VILLÆ BURGHESIÆ,

Extra

PORTAM PINCIANAM.

Latine ex Italicis vertit, Præfationem, Elenchum Rerum præcipuarum, atque Indicem adjecit


SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.


VILLA BURGHESIA.



SIGEBERTUS HAVERCAMPUS

L. S.

INter præstantissima, *Romæ* non tantum, sed & totius *Italiæ* (istius Terrarum Orbis Ocelli) Ornamenta numerari meretur VILLA BURGHESIA. Nam ut Hortorum Fontiumque delicias, Picturarum amœnitates, Ædificiorum splendores sileam, Antiquitatum hic quasi vastus confluxisse videtur Oceanus. Inscriptiones, Anaglypha, Capita, Statuæ, tanto sunt numero, ut vel recensio nuda librum implere possit; tanto artificio, tamque venerabili vetustate, ut omnium in sese oculos rapiant, soleantque Orbis quondam Dominam *Romam* visitantibus, inter primas monstrari.

Non defuerunt itaque a prima ejusdem Villæ fundatione, qui præclara quædam ex illis (nam quis omnia posset) Monumenta affabre æri insculpserunt, inter quos *Sandrartus*, *Perrierus*, *Episcopius*, *De Rubeis*, aliique, & novissime in Regia illa Collectione *Maffæus*, insigni splendore eminuerunt.

In illorum operibus, Immortalitati consecratis, videre & admirari licet, quæ hic nude (nec aliter fieri poterat) recensentur. *Curtii* in voraginem sese præcipitantis Anaglyphum, pag. *Nostræ Edit.* 37. E. expressum, videre licet apud *Maffæum* Tab. LXXXIII. *Alexandrum* quoque exhibet *Perrierus* Tab. XXXIX. Pag. 33. E. nobilis occurrit *Sileni* Statua, *Bacchum* puerum ulnis ferentis, hanc olim perverse pro *Saturno* filiovoro habitam fuisse, adnotat Auctor, sed tamen & ipse minus recte *Fauni* nomine insignit. Expressam ære videre licet apud *Perrierum* Tab. VI. & *Maffæum* Tab. LXXVII. *Sandrartum* quoque, & alios. Iidem *Centauri* illius *Cupidinigeri* Statuam pulcherrimam atque antiquissimam, de qua pag. 39. C. quanti fecerint, varia utrorumque laterum apud eosdem delineatio ostendit. Dupliciter exhibet *Perrierus* Tab. VII. & VIII. tripliciter etiam *Maffæus* Tab. LXXII. LXXIII. LXXIV. *Sandrartus* vero (qui unus interpretis simul diligentis accuratique, & sculptoris perfectissimi perfunctus est labore) ad lit. O. ubi exhibet, mirandæ vetustatis notam caput *Centauri* ostendere asseverat, licet in ipso Signo alias multa restituta sint, præsertim in *Cupidine*. Jam & *Senecam* morientem pag. 24. D. nobilissimum hujus Villæ Monumentum, *Perrierus* Tab. XIV. decore, tam artificiose vero *Sandrartus* lit. B. *. expressit, ut præter vitæ illud, quod deficienti superat exiguum, nihil desideres. Falso putavêre quidam *Faustinæ* & Gladiatoris ab eadem adamati Statuas describi pag. 31. B. quod tam ridiculum nescio quomodo, vel per somnium illis obvenire potuit. Rectius alii *Romæ* fatum in *Coriolano* ab affectibus suis moto, ne patriam exstirparet, agnoscunt. *Perrierus* jam olim protulit in lucem Tab. XLVIII.

Elogiis, picturis, gypsi artificiis, sculpturisque omnium artificum

J. Manillus.

 ad-

admirabiliter celebratur *Agasiæ Dosithei Ephesii* mirum opus, ultra humanas seu vires porrectus Gladiator ictum simul intentans & repellens. Certarunt ita quoque in mirabilibus artis exprimendis summi viri. Quadruplici aspectu robur omne undique repræsentavit *Perrierus* Tab. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. *Maffæus* Tab. LXXV. & LXXVI. ut & *Sandrartus*; qui duplici exhibitione, illa quoque accuratissima, contenti fuerunt. Loquitur de Statua hac *Manillus* noster pag. 31. B. Puerum ipsum Patricium, cujus ætas maturo oris silentio nobilitata fuit, dependente ad pectus bulla, expressit *Perrierus* Tab. XL. *Neronis* puerilem imaginem frustra cernis vocari a nostro pag. 39. F.

Varias *Bacchi* Statuas Villa nostra habet. *Lyæi*, ut lætitiæ datoris, atque *Nysæi*, figuras ære expressit *Perrierus* Tab. XLVI. & XLVII. *Faunum* tibiam ori admoventem celebravit idem *Perrierus* Tab. XLVIII. & *Maffæus* Tab. LXXX. Sicut apud eundem *Perrierum* Tab. LVI. illam *Junonis Reginæ* invenies, cujus fit mentio pag. 25. A.

Ægyptiæ mulieris, cujus mentio injicitur pag. 38. B. antiquissima statua, mirifice ab omnibus, artis singularitate, commendatur. Hanc non *Perrierus* tantum Tab. LXVII. sed & *Maffæus* Tab. LXXIX. delinearunt. *Cereris* variæ in hoc libello commendantur Statuæ: tres nobis exhibuit *Perrierus* Tab. LXVIII. LXX. LXXVII. Mentio illarum fit pag. 17. D. 29. E. 35. C. in ultima adesse illi dicitur *Spei* typus, quam in Collectione sua expressit *De Rubeis*, nisi *Proserpinæ* potius adjudicanda sit Statua, quod enim manu tenet, non lilium, sed pomi genus esse videtur. *Musa* quæ memoratur pag. 14. E. illam *Perrieri* esse credo Tab. LXIX.

Venerem mari emergentem cum *Cupidine* Delphino inequitante ex *Villa* nostra *Burghesia* expressam videre licet apud *Perrierum* Tab. LXXXIV. eandem Nymphæ Marinæ habitu, concham manu tenentis, idem Tab. LXXXIX. exhibuit, sicut pulcherrimo & singulari plane artificio *Sandrartus* pag. 51.

Hermaphroditi admirabile prorsus esse signum asserunt. Tergo spectanda figura in pectus pronum procumbit, dormiens. Testatur Auctor noster Marmoreum stratum, seu Culcitam, Statuæ huic subjectam fuisse a *Petro Bernino* pag. 37 E. sicut & videre est in Collectione *Maffæana* Tab. LXXVIII. nam apud *Perrierum* Tab. LXIX. adhuc sine ista culcita apparet.

Fauni præterea, cymbala pulsantis & pede Scabellum sonantis, Statuam ut in Villa hac exstantem, expressit, præter alios, triplici aspectu *Janus Episcopius* in fronte Collectionis suæ. Idem triplicem dat faciem *Ledæ* stantis cum cygno suo *Jove* Tab. XXVIII. XXIX. XXX. cujus mentio videtur fieri pag. 16. E.

Inter fata celeberrimi hujus loci recenset *Sandrartus* felicitatem illam, quod quum effoderent illic pro exordio operis, nobilissima inventa fuerit statua Gladiatoris in pugnam maximo impetu procurrentis. Hujus Historiam & imaginem vide apud eundem pag. 68.

Hæc

Hæc de veteribus Statuis. Recentiores nobilissimas quoque possidet. Est ibi *Apollo Daphnem* persequens, pag. 27. D. Equitis *Bernini* omnibus numeris absolutum opus, Claritate cum Antiquissimis certat. Est & *Davidis Goliathum* funda petentis, ejusdem *Bernini*, tanto notabilior, quod suam ipsius faciem illa *Davidis* insignis ille & novus *Praxiteles* expresserit, ut *Manillus* testatur pag. 24. B. utrumque opus cernas in Collectione *Maffæi* Tab. LXXXI. & LXXXII.

Sed manum de Tabula. Ante tamen monitum Lectorem velim, errore typothetæ pag. 7. positam esse Notam, quæ pertinebat ad pag. 15. sicut ibi quoque in tempore adnotatum a me fuit; debuisse vero priori loco hanc collocari, quam * hic subjunximus.

* DIIS) Apud *Grut.* pag. MXXXIII. 5. qui testatur olim in Palatio *Cæli* extitisse. Repetitur hæc Inscriptio, sed manca, inferius pag. Novæ *Edit.* 58. B. Sequentes aliquot non inveni.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

PATRONO COLENDO INPRIMIS,

DOMINO,

Don JOANNI BAPTISTÆ BURGHESIO.

Inter sumtuosa ista Ædificia, quibus Nobilissima Domus V. E. exornavit Romam, *summopere resplendet deliciosa VILLA BURGHESIA, ita ut nullus in locum ex Peregrinis Terris adveniat Hospes, quin, illectus fama ejusdem amœnitatis, quæ per totum percrebuit Orbem, oculos suos Spectaculo tantæ & tam delectabilis pascat varietatis; singuli autem, insolito extra se rapti stupore, varietate mira Antiquarum Sculpturarum, celeberrimarumque Picturarum, quibus idem adornatur Palatium, desiderent exactam magis notitiam mysteriosæ Eruditionis Antiquæ, quam undiquaque in sese includunt Anaglypha atque Statuæ, quæ passim in tam amplo loco suspiciuntur. In illis etenim Compendium cernere licet antiquæ Magnificentiæ* Romanæ.

Hæc itaque ratio, a primo quidem isto die, quo Excellentissimus Dominus, Princeps Sulmonæ, *V. E. Avus, memet honoravit Præfectura Vestiarii ejusdem Villæ, accensus sum desiderio, si quo modo Exteris, præsertim Dominis illis, qui* Alpinis *jugis a nostra Terra distinguuntur, nostræ Antiquitati (si ita loqui licet) devotissimis, possem satisfacere.*

Quum itaque succinctam hanc adornassem Descriptionem seu Explicationem, paratamque jam prælo haberem, æquissimum mihi visum fuit, recurrere ad V. E. eamdem humillime ut offerrem. Atque hoc Opusculo (liceat mihi ita verba facere) oppugnatore Temporis edacis, rerumque omnium humanarum destructoris, perpetuatam iri spero Memoriam admirabilis hujus Ædificii, ejusque transmissam iri Notitiam accuratiorem ad remotissimas longe Nationes.

Simul autem publice obtestor insignem meam reverentiam erga V. E. quam quidem ego ardentissime oratam velim, hoc ut meum Opusculum, sibi dedicatum, sua Auctoritate & Benevolentia protegere dignetur.

Det vero Deus Optimus Maximus V. E. totique Excellentissimæ Domui BURGHESIÆ, *una cum Vitæ Plenitudine, Veræ Felicitatis maximum incrementum, quod quidem ego ex animo totus desidero, supplicique veneratione votis omnibus exposco.*

Ex VILLA BURGHESIA, extra Portam
Pincianam, die *Februari XXV. Anno MDCL.*

V. E.

Humillimus Addictissimusque servus.

JACOBUS MANILLUS.

INNOCENTIUS
PAPA X.
Ad futuram rei memoriam.



Um, ſicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius *Jacobus Manilli*, hujus Almæ Urbis incola, ipſe librum à ſe compoſitum, deſcriptionem *Villæ Burgheſiæ* & *Palatii* in ea exiſtentis cum ſuis annexis prope & extra Portam *Pincianam* ejuſdem Urbis inſcriptum, typis mandare intendat, vereatur autem ne poſtmodum alii qui ex alieno labore lucrum quærunt, librum præfatum imprimi curent, in ipſius *Jacobi* præjudicium. Nos ejus indemnitati, ne ex impreſſione prædicta nimium diſpendium patiatur, providere, illumque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa lati, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes: Supplicationibus ipſius *Jacobi* nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem *Jacobo* ut decennio proximo durante, à primæva dicti libri, dummodo tamen antea à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici approbatus ſit, impreſſione computando, nemo tam in Urbe, quam in univerſo Statu Eccleſiaſtico mediate vel immediate Nobis ſubjecto, librum prædictum, aut aliquam ejus partem, ſine ſpeciali dicti *Jacobi*, aut ejus hæredum vel ſucceſſorum vel ab eis cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alio vel aliis impreſſum vendere ſeu venalem habere aut proponere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. Inhibentes propterea univerſis & ſingulis utriusque ſexus *Chriſti* fidelibus, præſertim librorum Impreſſoribus & Bibliopolis 500. ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum & typorum omnium pro una Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia eidem *Jacobo*, & pro reliqua tertiis partibus, accuſatori & Judici exequenti irremiſſibiliter applicandis, & eo ipſo absque ulla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto decennio durante librum prædictum, aut aliquam ejus partem tam in Urbe, quam in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis, ſine hujusmodi licentia imprimere, aut ab alio vel aliis impreſſum vendere ſeu venalem habere vel proponere quoquomodo audeant vel præſumant, Mandantes propterea dilectis filiis noſtris & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis ſeu eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Juſtitiæ Miniſtris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenus eidem *Jacobo*, ejusque hæredibus & ſucceſſoribus, ſeu ab eis cauſam habentibus, hujusmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque ab eodem *Jacobo*, vel aliis prædictis fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoscumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibusvis Statutis & conſuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam in ipſo libro impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. *Romæ* apud *S. Mariam Majorem* ſub Annulo Piſcatoris, die XV. *Januari*, M.DC.L. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

QVI d'Heſperio Giardino
Drago cuſtode non aſſale irato
Hercole peregrino:
In queſt' HORTO beato,
Di Gioue à l'alto Augel fatto conſorte
Amico arride à le BORGHESII porte.
Quì ſtanco dal camino,
E da tante ſue nobili fatiche,
Ripoſa Alcide, in queſte piagge apriche.

Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſſ. P. S. P. A. Magiſtro.

A. Rivaldus Vicesg.

Imprimatur, Fr. *Raymundus Capiſuccus*, Magiſter & Socius Reverendiſſ. S. P. A. Magiſtri, Ord. Præd.

ELENCHUS
Rerum Præcipuarum, quæ in
VILLA BURGHESIA,
à JACOBO MANILLO deſcripta, continentur.

Bacchi



JA-



JACOBI MANILLI
ROMANI,
VILLA BURGHESIA.

Entum fere passus extra Portam *Pincianam*, Orientem versus sita est VILLA BURGHESIA; quæ quidem partim in planicie, partim in convallibus, partim in acclivis collibus, nulla ratione antiquis istis famaque notissimis Hortis *Romanis* concedit. Sive etenim spectes loci ambitum, situs varietatem, fabricæ majestatem, aquarum copiam, miranda picturæ atque sculpturæ opera, nihil habet, in quo non decantatis istis veteribus Hortis invidiam movere possit.

Hujus itaque loci, tota *Europa* notissimi, brevem dare Descriptionem decrevi; quæ quidem, quantumvis dotibus requisitis destituta per sese, satis tamen magnum capiet ornamentum ex ipsis rebus, quæ tractandæ atque describendæ occurrent. Curiositatem certe explebit omnium, illorum præsertim, qui veterum artificum delectantur operibus artificiosis, eorundem brevis recensio; satis enim grandis talium rerum ibidem collatio invenitur.

2 Extendit sese itaque situs *Villæ Burghesiæ* per tria in circuitu milliaria, a dicta scilicet parte Portæ *Pincianæ*, usque ad Murum Obliquum, prope Portam *Flaminiam*, totusque ambitus non modo muro cinctus est altitudinis viginti fere palmorum, mensuræ Architectis usurpatæ; verum intus etiam continet multa distincta muris minoribus loca & circumsepta, quibus quum per plures partes dividatur ipse locus, Villæ prospectum reddunt amœnissimum.

Divisio Villæ.

Primum Septum, quod extendit sese usque ad Palatium præcipuum, ab Occidente, & versus Aquilonem, exit in Vivarium, atque omnes anterioris partis Hortos in sese continet. Secundum autem ex variis componitur Sylvis aliisque rebus, quas loco suo recensebimus. In medio duorum istorum Septorum Palatium ingens est; cujus nos, utpote membri ab utroque distincti, separatam dabimus notitiam. Tertium Sepimentum, quod unum duobus prioribus majus est, usque ad Murum Obliquum sese extendit, atque amplitudine sua Vivarium atque Vineam includit.

3 PRIMUM SEPIMENTUM.

Centum & quindecim catenas, id est milliare unum, catena una minus, Primum Sepimentum habet in ambitu. Continet spatium idem, præter

A Ambulacra, quæ in circuitu sunt, Hortum multis Ambulacris exornatum, Vicum præterea, duas parvas Sylvas, locum Aucupio destinatum, & Cellam Vinariam. Quatuor habet Portas, quibus introitus patet, Portam scilicet exiguam, & Portam magnam ad Occidentem positam; duas alias præterea magnas, quæ in viam Regiam Meridiem versus spectant.

Porta præcipua Primi Sepimenti.

Habet igitur præcipuum suum introitum ab ista parte, per magnam Portam Arcuatam lapidis *Tiburtini*, duobus grandibus pilis arcuatis exornatam utrimque, Piperimi lapidis, Ordinis *Jonici*, cum basibus suis atque capitellis ex *Tiburtino*
B lapide. In isto spatio, quod est inter zophorum & superliminare, Insignia exsculpta visuntur *Scipionis Burghesii*, Villæ hujus conditoris; & superius in Frontispicio ampliora illa *Pauli* V. ejusdem patrui. Cornicibus suis intus atque extra undique exornatur, ut & quatuor urnis ad Frontispicii latera erectis in loco superiore, atque totidem vasis rotundioribus piperinis, quatuor basibus lapidis *Tiburtini* insistentibus. In 4
inferiori parte in Frontispicio Sculptura Anaglypha Antiqua exstat, Taurum repræsentans ad sacrificium ductum; sub Marmore autem isto literis *Romanis*, satis grandibus, legitur
C Inscriptio titulum & nomen loci docens, hæc scilicet:

VILLA BURGHESIA

Forum ante Portam Arcuatam.

Ab eadem parte inferiore ante Portam extendit sese Area in Theatri formam, longa quidem palmos CLVII. lata vero CXLV. posita in initio Viæ. Theatrum illud aditum aperit ad duo latera, ad introitum scilicet Portæ
D Arcuatæ, & ad partem oppositam, ubi Via, seu magna Semita, incipit. Suspiciuntur ad priorem Aditum, tanquam ad invitandos peregrinos, ut deliciis loci istius fruantur, erecta in basibus duabus lapidis *Tiburtini* quadratis Insignia Domus *Burghesiæ*, *Termini* item duo marmorei, Deum Hortorum *Priapum*, atque Deam *Pomonam* repræsentantes. Antiquum haud opus, verum insignis illius Statuarii, *Petri Bernini*, adjutore operis Nobili *Laurentio*, ejusdem filio, tum adhuc adolescentulo, qui ibidem fructus & flores sculpsit.

Ad alterum Aditum, seu oppositum, aliæ
E duæ eriguntur Statuæ *Terminorum*, verum illæ sunt Antiquæ, prout & bases sunt, quibus insistunt, sub altero istorum *Terminorum* hæc legitur Inscriptio,

[1] HERIAE. THISBE
MONODIARIAE
TI. CLAVDII. GLAPHYRI
CHORAVLIAE. ACTIONICAE
ET. SEBASIONICAE. TERRENVM
SACRATVM. LONG. P. X.
LAT. P. X.
IN.QVO.CONDITA.EST.FODERE.NOLI
NE. SACRILEGIVM. COMMITTAS

Reliquum Areæ istius ad Orientem atque Occidentem cingitur alis duabus laureis magnæ altitudinis, atque in Lunæ corniculantis speciem effictis; divisis pro majori ornamento in quatuordecim ædiculas quindecim palmos altas; retro quas sunt sexdecim platani ordine justo elegantissime dispositæ. Intus, in istis ædiculis laureis octo, latitudinis magnæ, piperini lapidis sunt sedilia, intercurrentibus sex Statuis Antiquis, supra bases suas seu aras pariter antiquas, opere quadrato, consistentibus.

6 Harum Statua prima, ob Oriente auspicando, *Berecynthia* est. Secunda Poësin repræsentat, atque in basi ejusdem hæc legitur Inscriptio,

NAERATIO. SCOPIO. V. C
FILIO. CONSVLARI
CAMPANIAE
CVRSIVS. SATRIVS
NVTRITOR. EIVS
PATRONO. OMNIA
PRAESTANTISSIMO

Tertio loco cernitur Statua *Faustinæ Junioris*. *Terminos* duos Antiquos ubi prætergressus fueris, Statua erigitur *Palladis* anguicomæ *Medusæ* capite exornatæ, cum hac Inscriptione:

NAERATIVS
CEREALIS. V. C
CONS. OR
BALNEARVM
CENSVIT

Quæ sequuntur binæ Statuæ *Musarum* sunt, legitur autem sub altera hæc Inscriptio:

7 NAERATIO. CEREALI. V. C
CONSVLI. ORD. PRAEF. VRBI
CONDITORI. BALNEARVM
PATRONO. OMNIA
PRAESTANTISSIMO

Hortus. Ante Aream Hortus extenditur quadrato artificio, ubi certasse invicem Ars atque Natura videntur; hæc quidem, ut istum in locum comportaret, velut tributum quoddam, tantam arborum atque plantarum copiam; illa vero, in disponendis, nobili artificio, semitis, quadraturis, & alis.

Ornatur Hortus idem novem Ambulacris; a Meridie scilicet ad Aquilonem, duobus ingentibus Ambulacris, & quatuor item correspondentibus ex transverso, ejusdem longitudinis, & ab Occidente ad Orientem, alterum est item Ambulacrum, positum in medio duorum aliorum non ita longorum. Omnia ista Ambulacra ordinata positione dividuntur, dispertita in viginti tria quadrata seu partitiones, magnitudinis omnia singularis, quum vel minimum palmos CCLX. longum, latum vero sit CCXXX. inclusa singula alis viridibus Juniperorum, Lau-
8 ri Regii, Olearum Sylvestrium, & Lauri communis. Undecim ex hisce, ab Occidente exor-

1 Heriae] Hanc cum sequentibus aliquot Inscriptionibus frustra quæsivi apud *Gruterum*.

A sa atque pertingentia ad Semitam quandam, quæ medium dividit Hortum, Pinctum efformant quadringentarum pluriumque Pinorum. Duodecim reliqua, quæ exordium sumunt post Ambulacrum illud, exeunt in duas Sylvulas, habentque Arboretum Abietum plus mille. In duplici autem divisione, quæ contigua est Areæ Palatii, in medio cernuntur duo Fontes, ex quibus singulis per antliam atque delphinum aqua emittitur in duas prægrandes conchas formæ octangularis, atque ex solido marmore. Omnes autem istæ divisiones, præter prædictas Abietes & Pinus, varii generis habent Rosas,
B fraga, aliasque ejusmodi plantas. Ut autem nihil desit oculorum voluptati, Semitarum omnium exordia, ubi se invicem dividunt, undiquaque exornantur, vel ædiculis sylvestribus cum amœnis areis, in Theatri formam, vel parvulis Columnis, vel *Terminorum* Statuis, cum variis capitibus *Faunorum*, Mulierum, Philosophorum & similium.

Ambulacrum Meridionale. Ex supradicta jam Area istius Arcuatæ Portæ, in magnum exitur Ambulacrum, quadraginta palmos latum, longum vero CMXLII. quod dicitur *Ambulacrum Ulmorum*, quoniam 9
C obscurum est, umbrantibus locum illum infinitis istius generis arboribus, quæ distinguuntur hic illic Cypressis & Columnis. Terminatur autem ad murum *del Parco* Fonte quodam rusticum in morem velut scopulus quidam exornato, qui quidem ex longinquo spectabilem habet speciem, & ad latera quatuor Platanos cum areola ante easdem in corniculantis Lunæ speciem, cincta alis Lauri Regii, cum sedilibus Piperini lapidis. Ex eodem hoc Fonte in supremitate scopuli, ingeniosa aquæ est dispersio, quæ per frondes herbasque & tartari lapidem, velut tenuis dispergitur pluvia in vas longe am-
D plissimum. Cernitur ibidem in medio duorum Draconum lapideorum, qui ex minoribus prorumpunt scopulis, Fluminis quædam Statua; qui forsan Dracones sunt Symbolum Providentiæ, quæ adesse debet Principi in regendis subditis suis, iisque tutandis, sicut Fluminis figurâ Abundantia haud incongrue exprimitur. Habet & Fons idem fastigiatum cacumen Aquilæ imagine exornatum; ab exterioribus vero ejusdem ad latera partibus in vertice caput marmoreum cum duobus Orbis Terrarum velut globis.

Ad latus superius Ambulacri istius, alia duo
E sunt. Quorum quidem prius, quod magis vicinum est, æqualis cum illo est longitudinis, la- 10
tum autem viginti palmos, totum vero coöpertum pariter Ilicibus est, similiterque ad Murum istum *dèl Parco* seu Paradisi, ubi exit, in basi triangulari piperino, marmoreis cornicibus exornato, Caput habet Antiquum, satis magnum, quod ex nodatione Capillorum *Græci* colligitur esse artificii.

Ambulacra Cypressina. Supra hoc Ambulacrum, prope Murum ad Occidentem positum, extendit simili sese modo a Meridie usque ad Aquilonem aliud Ambulacrum, latum palmos quadraginta. Includitur il-
F lud duobus altis Muris, si ita appellare licet densissimas Cypressorum umbras: terminatur vero ad eundem Murum Paradisi Fonte, qui ornatur Marmorea Larva, qua aqua emittitur in prægrandem concham, seu Labrum Porphyreticum. Ubi & Anaglyphum Muro est insertum, cui multæ figuræ sunt insculptæ, quarum aliæ Scientias repræsentant, aliæ Virtutes, Musasve quasdam, ritu canentium *Herculis* res gestas. Supra eundem Fontem, in ipso Muro, Draco exsculpitur medius inter duos globos lapidis *Tiburtini*.

In-

Ambulacrum Fontis.

Infra *Ambulacrum Ulmorum* tria alia cernuntur Ambulacra; quorum prius pariter umbrosis Ilicibus obtegitur, atque desinit in retibus
11 extendendis seu Aucupii locum, qui areæ in modum arboribus est consitus. Sunt in hoc Ambulacro, prope initium, duo magni Fontes ex marmore; quorum alter spectat Meridiem, formæ rotundæ; alter priori e regione oppositus, ovatæ; uterque duplicem habet trullam, in medio autem rotundæ duæ sunt Areæ, singulæ cum quatuor ingentibus sedilibus piperini lapidis, atque duodecim Statuis.

Omne illud spatium speciosissimis Ilicum alis atque ædiculis incingitur, similibus arboribus intermediis, ita ut respondeant crucis figurâ quatuor istis Semitis seu Ambulacris.

Fontem hunc sequentes exornant Statuæ: Meridiem versus illa cernitur *Veneris*, pulcritudinis indicem pomum manu tenens. *Paridis* item, Gladiatoris, *Apollinis*, *Dianæ*, *Veneris*, alterius *Veneris*, *Faustinæ*, *Jovis*, *Herculis*, *Commodi*, *Bacchi*; Aquilonem versus Statuæ sunt *Veneris* cum Amoris ludo Delphino insidentis, *Palladis*, *Fauni*, *Apollinis*, *Floræ*, *Æsculapii*, Venatoris cujusdam, *Musarum* duarum, *Cereris*, *Fauni*, *Calliopes*.

Secundum Ambulacrum, pariter Ilicibus coöpertum incipit a Meridie, cum Cella Vinaria, & terminatur ad Aquilonem, loco illo cassibus expandendis superius memorato; sunt autem
12 duo ista Ambulacra lata singula palmos viginti.

Tertium Ambulacrum licet non tam latum, nihilo tamen deterius est amœnitate reliquis, utpote in longitudine sua, ab utraque parte alis Juniperorum exornatum, aliisque pariter arboribus, extendentibus sese ibidem in longitudinem duabus Lauri Sylvulis, & pariter ut reliqua terminatur illo loco, qui cassibus expandendis inservit. Hæc autem sunt sex illa Ambulacra, seu quæ à Meridie versus Aquilonem sese extendunt.

Ambulacra ab Occidente Orientem versus.

A præcipuo vero Muro, qui Occidentem spectat, aliud incipit Ambulacrum ex Ulmis & Cypressis columnatim positis, quadraginta palmos latum, quod medium dividit Pinetum, Ambulacrum Cypressorum, & alterum illud Ulmorum, quibuscum in medio Horto Crucem efformat, per longitudinem palmorum MDXXX. exit in Aream Palatii.

Habet Ambulacrum hoc in Introitu Statuam *Plotinæ* Augustæ, uxoris *Trajani*, quæ Aræ quadratæ Antiquæ insistit, cum hac Inscriptione *Græca*:

13 ΚΥΙΝΤΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΙΙΙ. ΛΗΤΟΣ
ΠΡΟΛΙΠΩΝ ΑΣΙΑΣ ΤΡΙΠΩΛΙΝ
ΠΑΤΡΙΔΑΝ ΠΟΛΙΝ ΑΓΝΗΝ
ΕΝΘΑΔΕ ΗΛΘΕΝ ΑΓΩΝΑ ΙΔΕΙΝ
ΠΡΟΚΑΘΕΖΟΜΕΝΟΥ ΒΑΣΙ-
ΛΕΥΟΝΤΙ ΣΕΒΗΡΩΙ ΚΑΙ ΠΟ-
ΡΙΣΑΣ ΒΙΟΝ ΕΚ ΚΑΜΑΤΩΝ
ΙΔΙΩΝ ΤΑΥΤΑ ΕΠΟΙΗΣΑ
ΕΓΩ ΑΠΑΤΗΝ ΤΟΙΣ
ΖΩΣΙΝ ΕΥΦΡΑΙΝΕΣΘΑΙ
ΦΙΛΟΙ ΕΙΣ ΛΑΒΥΡΙΝΘΟΝ
ΑΕΙ ΜΑΡΜΑΡΑΡΙΩΝ
ΤΟ ΓΕΝΟΣΣΩΣΕ
ΣΕΡΑΠΙ
Ο ΤΟΠΟΣ ΛΑΒΥΡΙΝΘΟΣ.

Id est,

QVINTVS IVLIVS III. LETVS
RELINQVENS ASIAE. TRIPOLIM
PATRIAM VRBEM CASTAM
HVC VENIT CERTAMEN VIDERE
PRAESIDIS IMPERANTE
SEVERO ET SVPPEDITANS
BONA EX LABORIBVS PROPRIIS
HAEC FECI
EGO VT INSIDIIS
VIVENTES LAETARENTVR
AMICI IN LABYRINTHVM 14
SEMPER MARMARIORVM
GENVS SALVA
SERAPI
LOCVS LABYRINTHVS.

Ad alterum Introitum, ubi Ambulacrum incipit Cypressinum, duæ eriguntur Statuæ inter totidem ædiculas virides sylvestres. Altera est *Isidis*, Aræ imposita, cui *Bacchantium* duæ insculpuntur figuræ, quarum una tympanum manu tenet. In medio autem, ubi Crucem efficit una cum alio Ambulacro, spatiosæ rotunditatis habet Aream, cum quatuor ædiculis sylvestribus, & totidem sedilibus ingentibus, lapidis piperini, in semicirculorum formam.

Habet hoc Ambulacrum ad latera duo alia Ambulacra Ilicum umbrosa, ejusdem latitudinis viginti palmorum, prout reliqua, quæ medias teanseuntes Sylvulas Laureas, ad latera Areæ Palatii æqualiter extensas, una cum illis exitum habent ad Viam Orientalem.

Una ex istis Ambulacris, versus Aquilonarem Murum, in Introitu suo, supra Pinetum, habet grandem illam *Æsculapii* Statuam, Urnæ 15
super impositam, cum hac brevi Inscriptione:

[1] CHARILAMPES
FRATRI SVO
DVLCISSIMO
STATIO.

Ad alterum Introitum, ubi ex transverso percurrit Semitam Cypressinam, ambitus in gyrum cernitur ex quatuor dimidiatis lunaribus circulis compositus, cum tottidem Sedilibus lapidis piperini, oppositis, quibus cinguntur, ædiculis Cypressinis.

Sylvulæ.

Sylvulæ in extremo duorum horum Ambulacrorum plantatæ, singulæ latitudinem habent CLXII. & longitudinem CCCCXIV. palmorum; a triplici autem cinguntur parte alis viridibus humilioribus Laureis, totidemque in altum elevatis, & ab alia parte in Abietum formam, ala Juniperina exornantur.

Ambulacra circum primum Sepimentum. Ad Meridiem.

Totus hic Hortus, prout a nobis descriptus est, a Muro atque Palatio, quatuor dividitur Ambulacris quorum quod ad Meridiem est, a Muri latere ornatur Lauru regia, ab altera vero, alas ex Lauru communi depressas habet ad terram & erectas in aërem. In introitu Orientem versus, Portam habet Hortuli Palatii Secretioris, cui utrinque adstant, hinc quidem Simulacrum *Herculis* Ju- 16
venis, inde *Fauni*. Ad alterum vero Introitum, Occidentem versus, intus in grandi ædicula cum frontispicio suo, dimidiata cernitur figura marmorea, naturali major, *Parthum* captivum referens, ad cujus latera aliæ duæ stant, sed illæ integræ, Deæ *Cereris* & Musæ *Uraniæ*. Mediæ Statuæ pro basi inservit magnæ molis Monumenrum Antiquum, quod in fronte duo habet capita, sub quibus sequens legitur Inscriptio.

DIIS

1 CHARILAMPES] Citat ex *Boissardo* T. IV. 138. *Grut.* p. DCCCXLVI. 6. ut exstantem *Romæ*, prope Lavacrum *Constantini*.

J. Manillus. A 2

[1] DIIS. MANIBVS. L. TVLLI. DIOTIMI
VIATORIS. QVI CONSVLIBVS
ET. PRAETORIBVS. APPARVIT
POSTERISQVE. EIVS. ET. BRITTIAE. FESTAE
VXORI. SANCTISSIMAE. ET, PIENTISSIMAE. DE HS. X
QVAM. SVMMAM. DIOTIMVS. IMPENDI. IVSSIT
PETILIA. FESTA. ADIECTA. IMPENSA. CONSVMMAVIT.

In illo, quod ſequitur Ambulacro, Occidentem verſus poſito, cernitur in initio Area cum duabus arboribus Palmæ fœminæ, quæ mediam virilis ejus generis habent, a latere autem iſto Murum veſtitum cernit Lauru regia. Poſt Aream Statio (*il Caſino*) Hortulani ſequitur, in
17 peninſulæ formam ex duplici planicie formata, cum multis cameris atque una porticu.

In huius Stationis majori frontiſpicio Inſcriptio & Monumenta quædam Vetera obſervantur, qualia hæc ſunt:

D. M.
M. VERNIO. M. F
SVCCESSO
VIXIT
ANNOS. VIIII
VERNIVS. SVCCES
SVS. FILIO
DVLCISSIMO

D. M.
PHOEBE. MATER
FELICIANI. HIDI
FILIAE. DVLC.
QVAE. VIX
ANNIS XI
MENS. VI
DIEB. XXII

P. PAENIVS. P. L.
ANTEROS
P. PAENIVS. P. L.
HILARVS

18 D. M.
LIGIANES
FECIT. DAMA
LAS. PATER
FILIAE

PHILARCVRI
PICTORIS

Ab alio Stationis latere ſimiliter Area eſt, verum minor, in qua ſuſpicitur ingens Conus (*una Vettina*) antiqui operis, ex terra figulina, in formam vaſis ovati cum operculo ſuo, ſuper baſin piperinam cochlearem (*fatto à balauſtro*) in medio duarum parvarum columnarum, magnarumque arborum Sycomororum, & alterius, quæ a Ligno Sancto nomen habet. Ab illa parte, ad finem usque malogranatis veſtitur Murus arboribus, atque ibi incipiens laudatum in ſuperioribus Pinetum claudit Ambulacrum, exitque ad Portam parvam Vivarii, ubi conſpicitur ante eandem ſemicirculari forma ſedile ex piperino lapide, quod Lauri regii ala obumbratur.

Ad Aquilonem. Malogranatis item tertium Ambulacrum, quod Aquilonem verſus eſt, omnem Murum veſtitum ſuſpicit, atque ab utroque ſui latere Ilicibus obumbratur. Ad Introitum, Occidentem verſus, unam ex majoribus Horti Portis habet, ad O-
19 rientem autem terminatur Porta rotunda ex lapide *Tiburtino*, cujus cornices ſunt ex marmore, quæ ducit ad alterum illum ſecretiorem Palatii Hortum, quæque ad latera ſua habet

A Statuas *Apollinis* atque Gladiatoris, & in ſuperiori parte ingentes duos globos ex lapide Piperino, ſubtus autem ad Superliminare a lateribus duos habet Dracones, Aquilam vero in ſummitate culminis.

Prope Portam hanc, ad ſiniſtrum latus Aviarii duo Fragmenta cernuntur operis Anaglyphi. In altero ſtans cernitur miles, proſtrato ante eundem juvene, qui vitæ ſuæ parci precari videtur. In altero ſenex conſpicitur ingeniculatus Duci cuidam ſupplex factus ſedenti, adſtantibus duabus aliis figuris, militis & mulieris habitu.

In medio ejusdem Ambulacri, ubi deprimi-
B tur tellus, atque Murus Vivarii angulum efficit, ad interiora extenditur per ſpatium ducentorum & octoginta palmorum, atque ita aliud efficit Ambulacrum, quod primo ad frontem loci, capiendis avibus deſtinati, transeuns, ad Introitum habet verſus Aquilonem unam ex magnis Portis Vivarii, ferreis cancellis munitam, atque pilis duabus inſtructam, lapidis *Tiburtini*, ordinis *Dorici*, cum larvis ſub capitellis. Supra Portam 20
hanc grande caput cervi pendet, æneum, atque in interiore Frontiſpicio, in rotunda ædicula cernitur velatum caput *Julii Cæſaris*, Pontificis Ma-
C ximi, in medio vaſorum duorum marmoratorum.

Formatur ab eodem latere aliud Ambulacrum, quod exordium ſumens a Fonte ruſticano more exornato, atque percurrens alterum Vivarii Murum, terminatur ad Orientem cancellis ingentibus ferreis, diviſis per quatuor pilas conicas lapidis *Tiburtini*, quarum duæ ſunt in fronte cum capitellis ſuis, ordinis *Ionici*, cum larvis atque ſertis ingentibus ex variis fructibus coaptatis; ſupra capitella autem in vertice duarum longarum baſium magni eriguntur globi ex lapide Piperino.

Reliquæ duæ Pilæ ad latera, ſine larvis, pa-
D riter, ut aliæ, globos habent atque ramulos duplices (*due Cartelle*) qui eidem Muro incumbunt. In eodem illo Muro Ambulacri quatuor roſtra ſeu pulpipa exædificata ſunt, ex quibus contemplari poſſis venationem in Vivario. Poteſt autem per locum illum cancellatum iri ad ſecundum Sepimentum, quod retro Palatium eſt.

Quartum vero Ambulacrum, Orientem verſus, ad quendam Introitum, illum ſcilicet, qui ad Aquilonem eſt, Portam quandam habet, ſeu cancellationem ex ferro, per quam intratur in Vivarium, ad Meridiem autem terminatur alia Porta, poſita ad viam majorem. In longitudi-
E nem iſtius Ambulacri extenditur Gallinarium, 21
Aviarium, Hortus Secretus, Palatium, alter Hortus Secretus, qui [1] *de' Melangoli* dicitur. Hisce itaque fabricis, ut & Area, quæ ante Palatium eſt, duas item Sylvas, ſuperius deſcriptas, ut & locum capiendis avibus, reliquis omnibus præcellit pulchritudine & majeſtate. Murum, a Palatii latere, coopertum habet *di Melangoli*, atque ab oppoſita parte, ubi Sylvulæ ſunt atque locus capiendis avibus deſtinatus, ornatur alis depreſſioribus atque elevatioribus communis Lauri.

F Æqualiter cum uno ex iſtis Sylvulis, quæ ad latera Palatii ſunt Vivarium verſus ſeſe extendit locus avibus capiendis (*una Ragnaja*) longa DCCCLXII. & lata CCXXV. palmos. Amœniſſimus hic eſt locus, diviſus ab Oriente Occidentem verſus ſeptem Semitis, ſeu Ambulacris, quæ ſecantur duobus aliis oppoſitis a parte Meridionali atque Septentrionali. In medio Ambulacro per aquæductum Piperini lapidis currit parvu- Ragnaja.

1 DIS MANIBVS] Exſtat apud *Grut.* p. DCCXCIX. aliosque. Verum pro CVRTIAE legitur ibi C. LARTIAE. vel CIARTIAE. dein, in medio, Dierum diſcrepat Numerus, ibi enim D. XXI. ut & in fine, ubi DIES III.

1 *De' Melangoli*] Ita credo appellantur Mala Medica & Citrea.

vulus aquæ rivus in gratiam avium, quæ quidem
22 ibidem tam abundanti undique fructuum ex arboretis copia nutriuntur atque varietate, ut necesse non habeant alio evolare ad cibum quærendum. Densitas hic arborum semper viridium gratissimam reddit umbram, atque ubi majori intenditur calore æstas, ver hic est perpetuum.

In longitudinem vero planiciei istius, pro Aucupio (*Ragnaja*) Aquilonem versus, duo quadrata plantata sunt ex arboribus varias fructus habentibus, quæ æquali distantia Moris distinguuntur.

Ad Introitum secundi Ambulacri, quod Semitam secat positam ex adverso Palatii, ad Meridiem Cella Vinaria excavata est. Amœnum hoc repositorium ad Introitum rotundum habet sepimentum hedera opacum, ut ita hæc *Bacchi* habitatio tapetibus Deo isti convenientibus sit exornata, ista enim fronde redimire caput fingitur.

Cella Vinaria.

Ad Introitum hujus Sepimenti, ab utroque latere Antiquæ Sphingis, ex lapide Granito Orientali, figuræ observantur. Descenditur autem inde per duplicem scalam gradibus quatuordecim, exornatam cochlidibus (*di Balaustri*) lapidis *Tiburtini*; sub quibus, in Muro, in parvula caverna excavatus est rustici operis Fons, qui cingitur Moris ingentibus octo, quæ exterius sunt
23 ad latera. In medio Sepimento ædicula terrea surgit atque superne contecta, formæ ovatæ, sustentata octo pilis piperinis, Ordinis *Dorici*, cum capitellis & zothecis ex lapide *Tiburtino*, quæ totidem efformant arcus. Superius ad latus, quod foras spectat, tota plumbo operitur, cornices autem habet duplices, & pro ornamento octo ingentes Aves ex lapide Piperino. In Fornice vero, intra sertum ovatæ formæ marmoratum, depictum videre est Convivium Deorum, inter Arcuationes autem Novem sunt *Musæ*, magnitudine naturali, cum variis ornamentis speluncæ convenientibus; quæ quidem omnia in parietinis depicta sunt, *Archytæ* manu, Pictoris *Luccensis*. Sub ista Ædicula erigitur tabula marmoris albi ex uno frusto atque ita solida, cum fimbria versicolori, & cornice mixti marmoris. Longa eadem est viginti tres palmos, lata octo, tribusque grandibus pedibus marmoreis sustentatur, quæ larvis & ramusculis exsculptis varie exornantur. Extra hanc Ædiculam duæ aliæ minores sunt tabulæ lapideæ, imponendis utensilibus pro mensa atque cantharis.

Hinc, ex adverso Fontis rusticani, per sca-
24 lam quadraginta graduum, funibus instructam ad latera, descenditur in ipsam Cellam, seu potius copiosissimum receptaculum Nectaris & Ambrosiæ, quo nomine, nec alio vocanda veniunt pretiosissima, quæ ibidem reconduntur vina.

25

PALATIUM.

Palatium, ad Primum Sepimentum.

Ab Ambulacro Ulmorum, Orientem versus, exitur in Aream formæ quadratæ, quæ e regione est Palatii, longa CCXXXVIII. & lata CCVII. palmos. A capite & lateribus hujus Areæ, per circuitum, sex angulis divisum, disponuntur viginti sex Intercolumnia (*Balaustrate*) lapidis *Tiburtini*; quæ viginti duobus sedilibus intersecantur, lapideis pariter; & quadraginta quatuor basibus, insculptis variis figuris aquilarum, draconumque, cum totidem vasibus pro arbusculis in summitate.

Ad sex ejusdem Areæ angulos, antiquæ eriguntur Statuæ Matronarum, vestibus exornatarum, quæ basibus suis insistunt, pariter, ut

A reliquæ, insculptis, verum grandioribus. Statuæ autem hæ, numerando Aquilonem versus, sunt *Faustinæ* Junioris, Imperatricis, *Lucillæ*, habitu *Cereris*, *Juliæ Soëmiadis*, Imperatricis. Sacerdotis habitu, pateram manu tenentis, *Cereris* cum papaveribus, *Faustinæ* denique Senioris, velatæ.

Ad latera duo Ambulacri Ulmorum, ubi introitus est in Palatium, in Basibus *Cereris*, & Sacerdotis cujusdam; insculptæ visuntur tres 26 larvæ, quæ Fontanæ inserviunt aquæ, ut aquam in totidem Conchas immittant.

B E regione Areæ hujus surgit Palatium, medium inter primum & secundum Sepimentum, architectone *Joanne Van Santen*, patria *Vlamingo*, quod sive foras, sive intus contempleris, stuporem gignit ubique omnimodum. Libere enim dicere ausim, concurrisse ibi Antiquitatis hinc delicias, ut infinitis Sculpturis, iisque artificiosissimis, Majestatem loco huic conciliarent. Oculus ibi habet, quo satietur, Mens, in quo ingenii vim exerceat, in contemplandis scilicet Statuis atque Bustis insignium Virorum Mulierumque, in Anaglyphis Historiarum, Fabularum quoque, quas mysteriis suis tegendis excogitavit docta Antiquitas, futuram posteritati
C curiositatem: Inde vero Ætatis nostræ, quæ exquisitissimis ornamentis Marmoratis, Statuis præterea ex Marmore, atque celeberrimorum sui præteritique sæculi Pictorum deliciis, omnimodo nititur, ne ullo modo Antiquis miraculis suum studium cedere videatur.

Palatium, ejusque descriptio generalis.

Structum Palatium hoc est in Insula, tantum non Aquilonem & Meridiem versus, suisque muris Hortis Secretis jungitur, ut & Aviario. In binam præcipue dividitur structuram, sin- 27 gulæque ex illis dupliciter rursus dividuntur, quarum binæ, in parte inferiori, mediam habent
D Aulam Magnam & Porticum, binæ vero superiores conjunguntur invicem duabus Pergulis, altera quarum tecta superne fornicem Orientem versus ducit, altera aperta Occidentem versus pergit. Supra Aulam Magnam Vestiarium est, quinque fenestris instructum, quæ patent ad Occidentem apertam versus Pergulam. Ad latera alterius Pergulæ surgit fastigium seu frons Orientem versus, duabus munita turribus quadratis, singulis tria plana habentibus pro Familiæ commoditatibus. Sub Palatio autem isto aliud structuræ genus est, quod undique circumdat Molem hanc, pari modo, quo Structu-
E ræ superiores, inque varias dividitur cameras, magnas, parvas, usibus suis destinatas.

Frontispicia Palatii.

Universæ quatuor frontes exteriores multis Sculpturis Antiquis exornantur, quæ omnes marmoratis sertis, ædiculis, aut alio sculpturæ genere circumdantur. Frons præcipua, quæ Occidentem versus est, amplior quinquaginta palmis est, atque in tantum extant præter reli- 28 quas contiguas duæ cameræ, quæ sunt in partis ejus angulis. Ab latere autem Septentrionali & Meridionali amplitudinem lateralem habet centum quadraginta sex palmorum; ita ut tota
F quadratura Palatii, in circuitu suo contineat mensuram septingentorum triginta quatuor palmorum artis Architectonicæ.

Occidentem versus.

Prima Frons, quæ Occidentem versus est, coram se scalam habet apertam, de qua suo acturi sumus loco. Quoniam vero Frons hæc in media sui parte Pergulam habet sub dio, in tres, ut ita dicam, quasi partes distinguitur, secundum quas itaque illam descripturi sumus.

A parte itaque Meridionali, extra Murum ingentes duæ eriguntur Statuæ, altera ex candido Marmore, *Galbæ* Imperatoris est, lorica-

ta, imposita basi rotundæ ex lapide Porphyrite. Altera autem Statua, eaque amplior, captivi est *Parthi*, hujus caput manusque ex candido sunt Marmore, reliqua ex Porphyrite; Basi insistit quadratæ, lapidis *Tiburtini*, aquilis atque draconibus insculptæ. Media inter has Statuas
29 ingens Pila antiqua est ex Marmore ubique striato opere exsculpta, in cujus fronte duæ prominent larvæ, sustentatur autem duobus pedibus leoninis, protensis unguibus. Supra Pilam aperitur in Muro Horti Secreti, qui dicitur *de' Melangoli*, dimidiata fenestra, tota, ab exteriore parte, Sculpturis exornata. Subtus enim inter ipsam atque Pilam ex Marmore ingens conspicitur lemniscus, quem bini suspendunt Pueruli, atque condecorant Larvæ duæ rotundæ. Ad latera vero fenestræ parvæ duæ sunt Statuæ medio tenus exstantes; prima illarum, singularis artificii, Bacchantem exhibit thyrsigerum; altera plangit. In summo, Opere exprimitur Anaglypho *Bacchus*, cum insigni comitatu, qui *Ariadnem* invisit, proditam a *Theseo*, atque relictam in littore unius ex Insulis *Cycladum*, prout Fabulam describunt *Ovidius* Lib. VIII. *Metamorph.* & *Nonnus* Lib. XLVII. *Dionysiacor.* Inferius ad angulum ejusdem Muri erigitur globus (*guglietta*) antiquus ex Marmore, cujus vertici insistit Aquila; e regione ejusdem effigies Marmorea est capræ marinæ, cui puerulus insidet.

Ornamenta hæc omnia in circuitu sunt fenestræ Hortuli istius, contigua quidem, sed ta-
30 men universa extra majus Frontispicium. Habet hoc ab illa parte, in Primo suo Ordine Anaglyphum *Veneris*, ubi Amoribus comitata *Anchisem* suum invisit, juvenem adhuc, & dormitantem. Ibi inter multas alias figuras, cernitur senex pastor, habitu *Phrygio*, qui pecora custodit ad aliquod ex famigeratis ejus Regionis Fluminibus. Sunt & ibidem parvæ duæ Statuæ, quæ Victorias repræsentant, ut & equi aliquot, qui forte inter armenta fœcunditatem demonstrant, sicut Victoriæ nobilitatem *Phrygiæ*. Habet Marmor illud ad latera sua, altera duo Anaglypha, sed minora, ubi Curulia certamina celebrant pueruli, de quibus consuli potest *Panvinus* Lib. I. Cap. X. de Ludis Circensibus.

In Secundo Ordine Sculpturarum inter duas Fenestras Plani terræ proximi, visitur stans in ædicula Statua *Apollinis Salutaris*, manu jaculum tenentis, ad cujus latus Serpens conspicitur, salutis Symbolum, trunco involutus, pro Basi autem habet exiguum Anaglyphum, in quo tres sunt *Bacchantes*, projecta ad pedes Larva.

In Tertio Ordine, cernitur in ædicula *Titi* caput, ad latera fragmina duo sunt Anaglypho-
31 rum. In altero illorum duæ sunt figuræ *Jovi Tonanti* sacrificantes; in altero Victoria Taurum sacrificat, post cujus tergum est figura ingeniculata, quæ candelabrum manu tenet.

In Quarto Ordine, prope duas Fenestras Superioris Plani, integra pars anterior Pilæ visitur, in qua opere Anaglypho exprimuntur pax inter *Romanos* atque *Sabinos* facta. Ibi ad latera Marmoris, sedentes sculpti sunt, ad dextram quidem manum Rex *Tatius*, ad sinistram *Romulus*, in medio autem multæ cernuntur figuræ matronarum *Sabinarum* militumque. Medium hoc Marmor est inter duo alia Anaglypha, verum non ita grandia. In primo virgo *Romana* est, flammeo velata, quæ a duobus comitibus deducitur, ad domum forte sponsi. Secundum fragmentum est, in quo sacrificantes quidam agnoscuntur.

In Quinto Ordine, recta sub Fenestris Plani Superioris, in lapide operis Anaglyphi, inter alias figuras cernuntur duo Monstra Marina, quæ concham manu tenent, ubi & mortui visitur imago, ad latera autem habet duo alia Anaglypha, quæ propter minutas figuras, & altitudinem loci, bene distingui nequeunt. Ad latera 32
Fenestrarum duarum media sui parte eminent magnæ duæ Matronales Statuæ, inter utramque vero Fenestram agnoscitur Statua tota armata *Amazonis*, equo vectæ. Supra Fenestras duo sunt Capita Matronarum, quæ in medio habent Hieroglyphicam (*Rabbesco*) picturam duorum Hippogryphorum, qui Candelabrum pedibus versant; ad latera autem Muri duæ sunt Larvæ Marmoratæ, quæ Frontispicium illud ab ista parte finiunt.

Media Pars, quæ sequitur, ejusdem Frontispicii, Scalam Apertam continet, de qua superius modo mentionem injecimus, præterea Porticum, & Pergulam Apertam, cum alto interius Muro.

Duplex Scala est, illique similis, quam *Michaël Angelus* in *Capitolio* fecit, quindecim per latera gradus continens, undecim palmorum cum dimidio, cum columnatione lapidis *Tiburtini*. In summo vertice, in medio quidem habet ingens Carchesium *Bacchicum*, in quo conjunctæ per binas quatuor Larvæ *Fauni*, naturalis visuntur magnitudinis; in medio autem exuviæ binæ ferarum conspiciuntur, quæ quatuor sustentantur ferulis. Ad latera ejusdem Carchesii locati sunt cornuum in figuram calyces duo ingentis admodum magnitudinis, qui insculpti 33
sunt pampinis & uvis, in fundo autem bovis est caput.

Supra Porticum, a ponte exteriori atque sub Columnatione Pergulæ sub dio cernitur Zophorus ejusdem Pergulæ, continuus, positusque in medio Anaglyphorum Quartæ Ordinis totius Frontispicii.

Zophorus iste componitur ex quinque magnis tabulis Operis Anaglyphi, quarum prima, incipiens a Meridie, ab una parte continet venationem Apri *Calydonii*, descriptam ab *Ovidio* Lib. VIII. *Metamorph.* Ab altera parte cernitur *Meleager*, qui, post cædem avunculorum suorum, colloqui videtur cum matre, quæ auscultari illi haud vult; cernuntur ibidem sorores duæ ejusdem, valde mœstæ. In secundo Marmore quatuor Anni tempestates exsculptæ sunt In tertia autem, quæ media est, notissimus *Phaëtontis* casus. In quarta similiter Anni quatuor sunt tempestates. In quinta Abundantia, in qua cernitur sedens figura muliebris, ante quam stat puerulus, retro illam vero aulæum (*panno*) est; eodem modo, quo in *Domitiani*
quadam cernitur Moneta; Sunt & ibidem ru- 34
stici duo, quorum alter vaccam mulget, una cum multis aliis figuris, quæ Abundantiam denotant.

In Pergula Aperta, seu sub dio, supra Columnationem, quatuor ingentes sunt Statuæ, in medio scilicet stant *Hercules* & *Mercurius*, ad latera autem duo Heroës. Habet Pergula ista in introitu duas portas, supra unam quarum, quæ Aquilonem spectat, in ædicula caput cernitur *Domitiani*; superius autem, opere Anaglypho, *Amphitrites* Triumphus. Supra aliam portam ignoti hominis vultus est, atque Anaglyphum *Christiani* operis, in quo lapide, præter multas alias figuras, sedens cernitur Dominus, stantibus duodecim Apostolis. In medio Frontispicio tres sunt Fenestræ vario opere Marmorato exornatæ, quæ directo versus Aulam spectant. Ad

latera

latera mediæ Feneftræ binæ *Cereris* funt Statuæ, & in fingulis tribus aperturis Frontifpicii totidem Capita in ædiculis fuis confiftunt. Sunt autem eadem *Antinoi*, *Getæ*, & privati cujusdam hominis. Inter quinque Feneftras superio-
35 res, quæ lumen immittunt Veftiario, quatuor eriguntur Statuæ. Numen nefcio quod prima ex illis repræfentat; fecunda *Apollinem*; tertia *Caracallam*; quarta *Dianam*. Supra Feneftras easdem agnofcuntur Capita *Trajani*, *Herculis*, *Julii Cæfaris*, *Jovis*, atque aliud *Trajani*.

In tertia ejusdem Frontifpicii parte, id eft Aquilonem verfus, eriguntur e regione commemoratarum, directo fupra fimiles bafes Statuæ *Marci Aurelii*, & *Parthi* captivi. Media inter iftas Statuas pila antiqua eft Marmorea, *Chriftianorum* opus, in cujus medio *Chriftus* fculpitur Dominus, Paftoris habitu, ægram pecudem humeris fuis portans. Supra Pilam, fub Feneftra Horti Secreti Lemnifcus cernitur Marmoreus, quem duo fuftinent pueruli. Ad latera ejusdem Feneftræ duæ parvæ funt Statuæ, medio tenus exftantes, *Bacchi* altera, altera forfan *Junonis*. Supra *Pluto* cernitur, ubi cum rapta *Proferpina* terram fubit cum jugalibus; quem Raptum *Ovidius* Lib. V. *Metamorph.* & *Claudianus* ex profeffo defcribunt. Multas inter figuras illa etiam agnofcitur *Palladis*, quæ currum retinere velle videtur, & *Veneris* contra rurfus nitentis. Ad angulum Muri ejusdem humiliori
36 in loco erigitur e regione alterius jam defcripti, exiguus Globus (*Guglia*) lapidis Graniti, cum Aquila in vertice, & Leone marino, qui puerum dorfo fuo portat.

In primo Ordine tertiæ partis Frontifpicii, Anaglyphum cernitur, quod continuatio dici poteft Raptus *Proferpinæ*. Ab altera enim parte Marmoris *Cereris* eft figura, quæ currum afcendit a ferpentibus tractum, ut filiam eat conquifitum. Crinibus fparfis, fublatisque manibus deplorat Fatum, quod e regione cernitur. *Jupiter*, qui retro illam eft, cafum ejus miferatur, & ipfe præ dolore comam vellit. Ab altera parte fedet *Proferpina*, demiffo triftis vultu, pomum tenens manu, ut Regina mundi fubterranei. Adftat una ex Parcis, vetulæ forma, quæ illam confolari videtur, una cum multis aliis figuris familiæ *Plutonis*. Ante *Proferpinam* duo funt pueruli, quæ ipfi poma feu fructus quosdam offerunt, quafi dicentes: Quid ita contriftaris, Domina, quod relicta terra *Elyfios* Campos jam incolas Reginæ nomine. Habet pulcherrimum hoc Marmor ab altero latere pro ornamento Anaglyphum lapidem, in quo Cu-
37 rules lufus Circenfium pueriles exprimuntur; ita ut refpondeat aliis duobus fuperius allatis, ad alterum Frontifpicii latus.

Ab altero latere, opere Anaglypho, Bacchanal *Indicum* exprimitur, ubi ebrius jamjam ex equo cafum minatur *Bacchus*, verum fuftentatur a quodam milite ex ejusdem comitatu, fed qui ita exprimitur, ut & ipfe fimili adjumento indigere videatur. Multæ ibidem aliæ funt figuræ, Vini indicantes potentiam, Elephas item, ad fignificandam vaftiffimam *Indiæ Orientalis* Regionem.

In Secundo Ordine erigitur Statua *Jovis*, fupra bafem quadratam, cui *Bacchicum* infculpitur Sacrificium, & idem Deus, adhuc infans, Leoni depingitur inequitans.

In Tertio Ordine *Hadriani* cernitur Caput, cum duobus Anaglyphis ad latera, quorum altero *Europæ* depingitur Raptus, altero autem *Æfculapius*, una cum *Hygiea*, ferpente intermedio.

In Quarto Ordine tria funt Anaglypha; ex quibus maximum quod eft, Regem repræfentat *Priamum*, ubi cum multis donis pergit ad deprecandum *Achillem*, pro reddendo cadavere filii fui *Hectoris*, qui ab eodem occifus, extenfus in terra jacet juxta currum. Ab altero Marmoris
iftius latere Anaglyphum *Bacchi* cernitur, ubi 38
infantem adhuc Nymphæ ad *Silenum* portant nutriendum. Ab altero latere Oratores aliquot vel Poëtæ cernuntur, qui compofita a fe carmina vel fcripta in Theatro recitant. Supra eundem Ordinem, fub altiore Feneftra Anaglyphum eft, in quo cernitur Sacrificium, una cum figura in clypeo, quem duo tenent Amores, & multæ aliæ, hinc inde, figuræ, quæ fuper duas Aras facrificant. Habet Anaglyphum illud ad latera fua Fragmenta duo, quæ, quum exiguas admodum habeant figuras, & altiffimo loco pofitæ fint, diftincte cognofci nequeunt.

Ad latera duarum Feneftrarum magnæ duæ funt figuræ, dimidia fui parte prominentes, *Bacchantis*, faltantis habitu, & mulieris hafta armatæ, opere Anaglypho.

In medio, e regione Statuæ Equeftris Amazonis, quam memoravimus, equeftris pariter eft Statua *Roberti Malateftæ*, Ducis celeberrimi; qui poft multas victorias, pro *Florentinis* & Ecclefia obtentas, quum Supremus Dux effet exercitus Pontificis *Sixti IV.* in loco *Campo Morto* dicto, exercitum *Arragonenfium* delevit, an-
no MCDLXXXIII. unde quum, triumphan- 39
tis ritu, maxima cum lætitia a Populo *Romano* effet exceptus, paucos tantum dies gloriæ fuæ fupervixit. Hinc, ab eodem Pontifice in gratiam tanti meriti, fupra ejus Monumentum Sepulcrale, in *Sancto Petro*, eadem hæc Statua, *Pauli Romani* opus, erecta fuit. Erat autem is celeberrimus ætatis ejus fculptor.

Supra Feneftram fecundi Plani duo cernuntur Capita. Alterum *Domitiani* eft, alterum Matronale, atque in medio eorumdem Hieroglyphum (*Rabefco*) duorum Hippogryphorum, ad latera autem marmoratæ duæ Larvæ; Atque hisce terminatur totum Frontifpicium primum Occidentale hujus Palatii.

Sequitur jam Frotifpicium illud, quod eft Aquilonem verfus, e regione Vivarii, feu Paradifi (*Parco*) quod partim fpectat verfus unum ex Hortis Secretis, partim, ubi Murus aliquanto plus foras extenditur, refpondet Ambulacro Sepimenti Secundi. Aquilonem verfus.

Ad introitum itaque Horti illius Secreti, quadratis fuper Bafibus duæ ingentes funt Statuæ, quarum *Cereris* altera, altera ex *Mufarum* una eft numero, tibiam manu tenens. Inferior Feneftra, quæ Occidentem fpectat, ab inferiori illa parte ad alterum latus in Anaglypho *Bacchum* repræfentat Tigridi infidentem, manu botrum te-
nentem, ftantibus ad latera *Sileno*, puerulo vero 4
ad pedes. Ab altero vero latere emblematica hæc vifitur Sculptura, Gryphus, cui potum præbet Monftrum aliquod Marinum. Defuper Feneftram hanc Bacchanal quoddam opere Anaglypho exprimitur, in quo currui a Tigridibus tracto infidet *Bacchus*, quem duo fuftinent *Fauni*, adeft & alia fatis numerofa turba.

Inter Feneftras Plani, quod juxta folum eft, magnæ tres eriguntur Statuæ, quarum duæ Gladiatores repræfentant, tertia vero intermedia *Marfyam*. Illæ Gladiatorum duabus Aris imponuntur Antiquis, in quibus hæ leguntur Infcriptiones:

In

In Prima:

[1]DIS. MANIBVS
CVRTIAE. P. F. CHRESTE
VIX. ANN. XXVI
A. FABIO. A. FILIO. POTHINIANO
VIX. ANN. VI. M. VII.
A. FABIO. A. P. POTHINO
VIX. ANN. VI. D. XXII.
A. FABIVS. POTHINVS. PATER
FILIS. ET. CONIVGI. SVAE
BENE. MERENTIBVS
FECIT. ET. SIBI
D. M. A. FABIO. A. F. POTHINO. VIXIT
ANNO. VNO. MENS. XI. DIES. VII
POSTERISQ. SVIS

41 In Secunda:

[2]C. CORVNCANIO
C. F. POL
ORICVLAE
PREF. FABRVM
TRIB. MIL. LEG. XXI
RAPACIS. EX
TESTAMENTO. EIVS
CVRAVIT. IVLIA
PIA. VXOR

Marsyæ Statua pariter super Aram erigitur Antiquam; in cujus Fronte *Bacchi* insculptum est Sacrificium, ad latera *Fauni* duo sunt, qui uvas colligunt.

Ad latera Fenestræ Cameræ solo proximæ, quæ retro ibidem saltum aliquem facit (*che risalta*) ad alterum quidem Fragmentum conspicitur Antiquissimum, in quo plures sunt figuræ semiexstantes, opere Anaglypho, & inter illas *Hercules*, figuram aliquam pedibus proterens, Tyranni forsan alicujus, ab eodem domiti; Ad alterum *Veneris* nudæ conspicitur figura.

Supra duas vero Portas, per quas inde in Hortum exitur, visitur supra Primam quidem *Venus* ad *Anchisem* properans, *Amoribus* quibusdam comitata, *Jove* insidente nubibus. Supra
42 Secundam autem Anaglyphum est *Meleagrum* repræsentans, ubi paulatim contabescit. Sequenti vero ordine, super Fenestras, in totidem ædiculis, septem collocantur Capita; *Aurelii* juvenis adhuc, *Tiberii*, trium ignotorum, *Agrippinæ* Majoris, & *Titi*. Ordine item altero Septem Anaglypha; in hisce majora tria continent, primum quidem Pugnam *Amazonum* forte, secundum ritum antiquum Sponsalitiorum, suntque ibi tres figuræ grandes cum duobus puerulis; tertium vero anterior Monumenti Sepulcralis pars est, ubi visitur *Bacchus* currui insistens, multi adsunt *Centauri*, quorum duo tenent clypeum in medio positum cui duo insculpta visuntur capita, Mariti forsan & uxoris. Minora reliqua quatuor Anaglypha hæc sunt: Primum superior Pilæ pars, ubi inter alias figuras *Amoris* effigies agnoscitur; Secundum Agriculturæ habet Symbolum, Tertium modum illum exprimit crucifigendi, qui apud *Romanos* olim invaluit. Apparent itaque in ultimo isto Marmore quatuor figuræ stantes, ex hisce unus est Heros, cui sertum porrigit Victoria, reliquæ duæ sunt infelix ille cruci (quæ in modum fin-
43 gitur illius, quæ *S. Andreæ* nuncupatur) affixus, & prope illum occisurus carnifex for-

A san; ferrum in ejusdem pectus adigens. In quarto Anaglypho leonum est venatus.

In excessu (*risalto*) Frontispicii, simile septem memoratis Anaglyphis conspicitur octavum, quod Pila Antiqua *Christiana* est, in qua exprimitur Raptus *Eliæ* in cœlum super currum igneum, & aliæ ejusdem Prophetæ Historiæ.

Directo sub Fenestris Secundi Plani cernitur longa fimbria seu series composita ex variis lemniscis, foliis, exiguisque quibusdam Anaglyphorum fragmentis. Supra istas vero Fenestras, in septem ædiculis pulcre invicem connexis marmoratis corollis & lemniscis ingentibus
B Capita sunt Septem Antiqua, *Juliæ* scilicet *Titi*, *Marci Aurelii*, & alia quinque ignota. Ad latus ejusdem Frontispicii, extra Hortum, prope Portum ad frontem Ambulacri, ingens *Herculis* est Statua; supra Portam vero opere Anaglypho *Melagri* venatio.

In Primo Ordine superiori in ædiculis suis reposita sunt Capita *Gordiani Africani*, Senioris; ut & *Dianæ* cum pharetra, utpote Venatricis. In medio horum Capitum Anaglyphum est, quod a multis judicatur esse *Apollinis* cum *Pane*
C certamen. Ibi inter multas *Musarum* effigies *Cy-* 44
belis agnoscitur figura, ut & *Minervæ*, *Apollinis*, aliorumque multorum.

In Secundo Ordine, ingens est Statua Agriculturam repræsentans, ad cujus latera duo sunt Anaglyphorum fragmina.

Sub Fenestra Secundi Plani, id est, in Tertio Ordine, media inter exigua duo Anaglypha cernitur pars Pilæ anterior, quæ in medio habet clypeum, cui defuncti imago insculpta est, quem duæ tenent figuræ.

In Ordine Quarto, media inter duas altas Fenestras, in ædicula grandi, *Neronis* ponitur
D Statua; supra Fenestras autem duo visuntur Capita, *Domitiani* & *Hadriani*, & lemnisci ex opere marmorato. Ad latera atque in medio Anaglypha sunt, quæ ob loci distantiam internosci non possunt.

Frontispicium, quod est Orientem versus, atque propter pulchritudinem suam eximiam *la Prospectiva* dicitur, coram sese Arcam habet, de qua Nobis sermo in Secundo est Sepimento. Ab illo latere, quæ juxta Portam est, decem eriguntur Statuæ, naturali majores, suntque hæ, si incipias numerare a latere Paradisum versus, ab Aquilone, Gladiatoris, Sacer-

Frontispicium ad Orientem, quod *la Prospectiva* dicitur.

E dotis *Bacchi*, *Jovis*, *Herculis* Juvenis, *Bacchi* iterum. Post Portam vero, *Fauni*, *Martis*, 45
Apollinis, *Ledæ*, alterius *Apollinis*.

Supra Portam, in Primo videlicet Ordine, positum est in ædicula *Bacchi* Caput, propter artis præstantiam & pulchritudinem, celeberrimum. Est vero medium inter decem alia Capita, quæ dividuntur sex Anaglyphis.

In primo Anaglypho Leonum est venatus, Ursorum in secundo; Labores aliquot *Herculis* in tertio, interque eos pugna ejusdem cum leone *Nemeæo*, & feræ istius cædes. In medio au-
F tem ipse *Hercules*, clava insignis conspicitur. Post Caput illud *Bacchi*, in quarto, quod sequitur, Marmore, alii Labores insculpuntur *Herculis*, præcipue, ubi taurum occidit. In Quinto Sacrificium fit Deo *Termino*, & in ulti-

---

1 DIS. MANIBVS] Exstat apud *Grut.* p. DCCXCIX. aliosque. Sed varias ejusdem lectiones vide supra pag. 7. in fine, ubi male posita erat Nota, quæ hic conveniebat, ideoque Notam ibi convenientem invenire in fine Præfationis nostræ poteris.

2 C. CORVNCANIO] Exstat apud *Grut.* p. CCCLXXXV. 5. & CCCXCVIII. 10. ut & Boissard. Tom. IV. 96. ubi & figura exhibetur Marmoris, quod quadratam frontem semicircularem habet frondibus & floribus ornatam.

timo, prout multis videtur, exſculptum eſt Heroicum facinus *Argiæ*, quæ, invito *Creonte* (ſepulturam is ad *Thebas* cæſorum prohibuerat) quæſitum ivit cadaver *Polynices*, ſponſi ſui; prout cerni poteſt apud *Statium*, in fine Libri Ultimi *Thebaidos*.

Capita, quæ cernuntur inter hæc Anaglypha, ſunt, ſi ab illis, quæ verſus Paradiſum poſita ſunt, inceperis, Matronæ cujusdam, *Trajani Decii*, *Dianæ*, Viri cujusdam, *Mauri*, ſeu *Æthiopis*; *Bacchi* illud ubi præterieris Caput, *Æthiopis* alterius, *Jovis*, *Dianæ*, *Neronis*, *Gordiani Africani* Senioris.

In Secundo autem Ordine, Meridiem verſus; primum Anaglyphum, quod eſt ingens, naturali magnitudine figurarum, Sacrificium continet, ubi ſupinus in ſolo Taurus proſternitur, adſtantibus nonnullis figuris. In Secundo quatuor ſculpuntur *Muſæ*, canentium ritu, *Apolline* in medium recepto. *Phaëtontis* in Tertio exprimitur caſus. Quartum Anaglyphum, quod grandes habet figuras, Sacrificium continet cum multis victimariis. In Quinto ad *Endymionem* ſuum *Luna* properat. Sextum, quod ſecundo reſpondet, quinque habet Muſas, ita ut plenus Novem *Muſarum* Chorus cum *Apolline* ſuo in duobus iſtis ſculptus appareat Marmoribus. In Septimo, qui eodem pacto primo reſpondet, Sacrificium cum Ara viſitur.

In Tertio Ordine, inter multa Ornamenta quatuor ſunt Anaglypha. Trium horum Sepulchralia ſunt privatorum Monumenta, cum inſculptis mortuorum imaginibus, quorum item
47 clypeos alatæ ſuſtinent figuræ. In quarto multi ſculpti ſunt Centauri aliæque figuræ.

In Quarto Ordine, qui mediam complectitur Pergulam coöpertam, intus in quatuor ædiculis quatuor ſunt Statuæ, *Cereris* ſcilicet, & *Veneris*, quæ ad latera duas grandiores figuras ſemiexſtantes operis Anaglyphi habent; aliæ duæ Statuæ, ubi tranſieris Pergulam, alterius ſunt *Veneris* & *Abundantiæ*, pariter inter ſimiles duas ſemiexſtantes figuras.

In Quinto Ordine, ſupra Feneſtras ſex cernuntur Capita, cum quatuor parvis Anaglyphis. Sunt autem Caput *Titi*, incerti, *Vitellii*, *Clodii Albini*, *Fauni*, & *Herculis*.

Pergula Coöperta, ad murum Frontiſpicii erecta, verſus Orientem quinque aperitur Arcubus, octo ingentibus pilis marmoratis fultis, cum capitillis Ordinis *Ionici*; ſub Arcubus autem quinque conſpiciuntur Columnationes ex lapide *Tiburtino*.

Meridiem verſus.

In eo, quod ſequitur, Frontiſpicio, Meridiem verſus, in illa parte, quæ porrigitur extra Hortum *de' Melangoli* dictum, inter Portam & Feneſtram, *Fauni* Statua eſt ingens. Supra
48 Portam in Fragmento Anaglyphi complures ſunt figuræ militum, una cum Duce ſuo eos quaſi pro concione alloquentis. Superius in eo, qui ſequitur, Ordine, inter duo Matronarum Capita, *Bacchi* Triumphus eſt *Indicus*. Ex Capitibus, illud quod ſupra Feneſtram eſt, Junioris eſt *Fauſtinæ*, ſupra Portam vero, *Fauſtinæ* Matris, jam conſecratæ.

A In altero Ordine Superiore duo viſuntur Fragmenta. Primum Expeditionem exhibet Militarem, ubi inter alias figuras depingitur etiam Imperator, qui manu galeam capiti imponit, milesque juxta, qui ocreas eidem, ut mox in prælium ituro, accommodat. In altero Fragmento muſica inſtrumenta tenentes cantillant *Muſæ*. Media ſtat inter Fragmenta illa Statua, naturali major, quæ *Curtium* repræſentat, immittentem ſeſe in apertam voraginem, una cum equo ſuo.

B Sub Feneſtris Secundi Plani, media inter quatuor ornamenta Zophororum (*fregi*) Anaglyphi operis eſt Tabula, ubi parvulæ figuræ in gyrum tripudium agunt. Media inter easdem Feneſtras Conſularis erigitur Statua; ſuperius vero in Ultimo Ordine, duo viſuntur Capita, quæ ad latera poſita ſunt Anaglyphi, in quo 49
Leonum venatio exprimitur. Capita autem *Commodi* ſunt & *Jovis*.

In parte vero illa, quæ reſpondet Horto iſti *de' Melangoli*, ad introitum ejusdem Horti ingentes duæ ſunt Statuæ *Herculis*. Supra Feneſtram autem humiliorem, quæ ſpectat ad Aream Occidentalem, ſuperius jam deſcriptam, a parte interiore, in recentioris operis Anaglypho C Sacrificium cernitur *Dianæ*, cum multis figuris, quæ ad talia myſteria pertinent. Ab altera Feneſtræ parte Taurus cernitur, qui una cum Ariete ad ſacrificium ducitur; ab altera autem ſedentis habitu cernis Deum, *Martem* forſan, aſſiſtentibus duobus militibus.

Inter Feneſtras Primi Plani ingens Marmoreum Vas erigitur, novem palmorum altitudinis, circumundique Bacchanal inſculpitur. Cernitur ibi ſtans *Bacchus*, manu ferulam tenens, adſtante Muſa. Bacchantis præterea figura, quæ, rotans caput, thyrſum tenet ſuper humeros, D Tigrimque ad pedes habet. *Silenus* vacillanti gradu, prolapſo per terram cantharo, ægre a *Fauno* quodam ſuſtentatur. Chorus ſequitur Bacchantium, qui varia manibus inſtrumenta tenentes ebriorum varios edunt geſtus. Subtus duæ ſculpuntur larvæ in fronte, & retro ad latera 50
totidem.

Poſitum Vas hoc eſt medium inter ingentes duas Statuas Gladiatorum, qui Aris duabus Antiquis ſuperpoſiti ſunt. Aræ autem has habent Inſcriptiones.

E

Prima

DIS. MANIBVS
[1] ATTIAE. ET. QVINTILIAE
ATTIVS. PHLEGON. PATER
ATTIA. QVINTA. MATER
ATTIVS T. F. PAL. QVINTIANVS
FRATER. AGRVM. SIVE. HORTVM
CVM. ÆDIFICIO. MACERIA. CLVSVM
AC. POSTERIS. SVIS. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. DOMVS. SVAE
CONSECRAVERVNT.

F

Se-

---

1 ATTIAE ET] Apud *Grut.* p. DCLXXI. 6. ubi exſtitiſſe quondam in hortis *Euryali Rufini* docemur, legitur ATTIAE T. F. & in extremo additur ex *Gudii* correctione:

IN. FRONTE. P. XIII. IN. AGRO. XVIII.

Exſtat apud eundem *Gruterum* pag. DCCLIX. ipſius quoque Matris Monumentum, hoc Titulo:

DIS MANIBVS
ATTIAE QVINTAE
T. ATTIVS PHLEGON
CONIVGI OPTIME (*ſic*)
ET. T. ATTIVS. T. F.
PAL.
QVINTINVS ROMA
PARENTIBVS
INDVLGENTISSIMIS.

J. Manillus.

Secunda

[1] T. FLAVIO. AVG. LIB
CERIALI. TABVL
REG. PICEN
PHOENIX. CAES. N
SER. FILIO. PIENTISS
ET. P. IVNIVS
FRONTINVS
FRATRI. DVLCISSIM
ET. CELERINA. SOROR

51 Infima Fenestra, quæ ad Sinistram est Manum, ubi excedit Murus, duo habet Anaglypha. In altero eques est *Parthus*; in altero, quod Fragmentum modo est, prælium fuit depictum.

Supra duas Portas intus Hortum, duo sunt Anaglypha simillima invicem, *Inus* & *Melicertæ*, ubi ab *Neptuno*, ad Deæ *Veneris* preces, in Deos Marinos commutantur, prout describit *Ovidius* Libro *Metamorph.* IV: 531.

At Venus immeritæ neptis miserata labores,
Sic patruo blandita suo est: ô numen aquarum,
Proxima cui cœlo cessit, Neptune, potestas,
Magna quidem posco, sed tu miserere meorum,
Jactari quos cernis in Ionio immenso,
Et Diis adde tuis. aliqua & mihi gratia ponto est:
Si tamen in medio quondam concreta profundo
Spuma fui, Grajumque manet mihi nomen ab illa.
Annuit oranti Neptunus, & abstulit illis
Quod mortale fuit, majestatemque verendam
Imposuit, nomenque simul, faciemque notavit:
Leucotheaque Deum cum matre Palæmona dixit.

Ino & Melicerta in deos.

Sequenti Ordine supra Fenestras depressiores in totidem ædiculis septem cernuntur Capita, *Aurelii* scilicet Juvenis, *Titi*, Senis jam *Augusti*, *Septimii Severi*, *Tiberii*, *Caligulæ*, & Philosophi.

In Tertio Ordine octo sunt Anaglypha; inter quæ quod secundum est, antiquum Sponsalitiorum ritum continet, ubi inter novas nuptas puerulus cernitur flores spargens. In quarto ingens Statua est Agriculturam significans. Sextum anterior Pilæ pars est, in qua sculptus visitur Orator, cujus mortui videtur esse Monumentum, inter plures viros atque mulieres, omnes consistentes. Octavum Anaglyphum,
52 quod ingens est, in excessu (*risalto*) Muri positum, alterius Antiquæ Pilæ est frons, verum *Christianam* ætatem sapit. Stat ibi in medio duodecim Apostolorum Dominus noster. Reliqua minora Anaglypha, primum scilicet, tertium, quintum & septimum Fragmenta sunt omnia Bacchanaliorum.

Sub Fenestris Superioris Plani, longum visitur Ornamentum, ex variis lemniscis compositum, ut & foliis variis coaptatum, cum fragmentis quibusdam exiguis valde Anaglyphorum. Super easdem Fenestras septem intus in ædiculis pulchre unitis lemniscis marmoratis, totidem reponuntur Capita; quæ sunt *Lucillæ*, *Commodi*, *Lucii Veri*, *Lucillæ* iterum, *Jovis*, *Caracallæ*, & *Claudii*.

53 PALATIUM
A PARTE INTERIORI.

Porticus Palatii.

A duplici illa Scala, quam superius commemoravimus, describentes Primum Palatii Frontispicium, ascenditur in Pergulam Tectam seu

1 T. FLAVIO] Ad Busta *Gallicana* effossum Marmor testatur *Grut.* p. DXCI. 8. ubi præfigitur D.M.

A Porticum, quæ longa est palmos nonaginta, lata viginti sex. Habet in fronte, ubi patet introitus, quinque ingentes Arcus Ordinis *Dorici*, & inferius quatuor sub iisdem Columnationes. Intus in Porticu tres visuntur Portæ; Duæ scilicet ad partes extremas seu angulares, per quas introitus est ad illas cameras, quæ in solo terræ sunt. Tertia vero, seu media, quæ præcipua est, in ipsa fronte est, ducitque ad Aulam Magnam.

Ad latera Portæ Meridionalis eriguntur su-
B per bases quadratas lapidis *Tiburtini* Statuæ *Jovis* & *Veneris*; Superius autem, triplici in ordine, visuntur in Anaglypho labores aliquot *Herculis*; item in ædicula quadam Caput *Juliæ* Augustæ, uxoris *Titi*, superiusque cernitur Anaglyphum *Ledæ* cum *Jove* in cygnum commutato, præsente *Cupidine*.

Ad illud autem Portæ latus, quod medium est inter Statuas Musæ *Polyhymniæ* & *Satyri*, superius autem respondet commemorato modo ordini, Anaglyphum rursus est labores repræ- 54
sentans *Herculis*; Caput item *Caligulæ*, & *Prometheus* in Monte *Caucaso* extentus, cujus jecur aquila depascit. In media vero illa parte, ubi
C Porta Major est, supra quatuor fenestras Aulæ Magnæ, proximè terram, quatuor locata sunt Capita; Ignoti hominis, *Lolliæ Paulinæ*, *Marci Aurelii* valde juvenis, & aliud, quod putatur esse *Domitiæ* Imperatoris *Domitiani* uxoris.

Magna Aula.

Magna Palatii hujus Aula arcuato opere fabricata est, prout & reliqua duo Plana sunt. Longa autem est XC. lata LX. palmos, proportionatæ altitudinis. Habet prægrandes quatuor fenestras, quæ Porticum versus respiciunt, & sex Portas; videlicet, laudatam superius illam ipsius Porticus, & alteram ex ejusdem regione, quatuor item ad extremitates, per quas
D itur in Cameras illas, quæ in terræ sunt planicie. In altitudine circumrotatur Coronice valde lata, supra quam octo positæ sunt Fenestræ; una scilicet ad singulas extremitates, quæ pertinent ad Cameras superiores, sex vero positæ sunt ista in parte, quæ spectat duas Pergulas, oper- 55
tam & apertam.

Primo quidem loco Aulam hanc ornant duodecim Columnæ planæ, absque basibus; ex hisce autem quatuor sunt ex Porphyrite, altæ quindecim palmos cum tertia parte ejus mensuræ; quatuor ex conjunctis frustibus (*di Breccia*) altæ sexdecim palmos cum duabus tertiis
E partibus; duæ ex Viridi Marmore Antiquo, & duæ Punctati Marmoris (*di Pidocchioso*) ejusdem cum illis, quæ frustatim compositæ sunt, altitudinis.

Sculptura Magnæ Aulæ.

Omnes istæ Columnæ pro Capitellis Statuas parvas habent Antiquas Marmoreas, quatuor palmorum & aliquanto majoris altitudinis. Supra Columnas videlicet *di Pidocchioso*, quæ stant a latere Portæ Porticus, Rustici Statua, altera manu botrum, altera pateram tenentis, ad Autumnum fortassis repræsentandum. Altera Statua Senis est, vasculum, quod rotare vi-
F detur, manu tenentis, cum testudine sub pedibus; quo forsan emblemate Hyems depingitur. Duæ autem istæ parvæ Statuæ, ad Januam, in ejusdem fronte, supra Columnas Antiquas Virides, duas repræsentant Najadas. Quatuor vero Signa, quæ in Angulo sunt, ubi Caminus est, id est, supra duas Columnas frustatim compositas (*di Breccia*) quæ medias habent istas Porphyreticas, hæ sunt: Puerulus, qui vasculum gerit super humeros, & Aquarium forsan significat; *Bacchus* juvenis; alter puerulus, qui delphinum cauda tenet, & Dea *Ceres*. Ad alte- 56
rum

rum vero Angulum, ubi ingens *Bacchi* eſt Statua jacens, ſupra reliquas quatuor Columnas parvæ videntur Statuæ *Jovis*, *Herculis* infantis, *Jovis* alterius, & alius infantis ſpicarum manipulum manu tenentis, quo forſan Æſtas deſignatur.

Capita. Inter Columnas iſtas ſupra Scabella, ex nuce arbore exſculpta, quatuordecim reponuntur Capita ex candido Marmore, quorum pectora ſunt ex lapidibus mixtis. *Scipionis* ſcilicet *Africani*, & *Hannibalis*; per ordinem dein duodecim ſequuntur Cæſares: *Julius Cæſar*, *Octavianus*, *Tiberius*, *Caligula*, *Claudius Tiberius* II. *Nero*, *Sergius Galba*, *Otho Sylvius*, *Vitellius*, *Veſpaſianus*, & filii ejusdem *Titus* atque *Domitianus*.

Anaglypha. Supra ſex Portas, intus, poſt pulcherrimas Cornices ſeu Coronas ex Marmorato opere, totidem poſita ſunt Anaglypha. Primum, quod ſupra Portam eſt Porticus, Ritum repræſentat Antiquum Nuptialem, ubi flores ſparguntur ante fores nuptorum. Tres ibi viſuntur Figuræ Muliebres, quarum duæ florea habent ſerta; medio inter illas accenſo lychno, tertia autem multos manibus flores tenet ritu ſpargentis.

57 Supra Portam Porticus, quæ in ejusdem fronte eſt, viſuntur in Anaglypho quodam, priori ſimili, ejusdemque artificis, quinque Nymphæ veſtitæ, ſaltantium ritu in feſtivitate Nuptiali.

Supra primam Portam Cameræ, quæ ad Aquilonem vergit, aliud eſt Anaglyphum, quod infelicem *Niobes* caſum repræſentat, ejusque ſobolis miſerrimum fatum, prout deſcribitur ab *Ovidio* Lib. VI. *Metamorph.* verſu 148. his verbis:

Ante ſuos Niobe Thalamos cognoverat illam &c.

Supra Portam, quæ ſequitur, cadaver *Hectoris* jam redemti, a duobus deportatur in patriam urbem *Trojanis*, ubi multæ figuræ ſunt *Trojanorum*, magnum omnes præ ſe luctum ferentes; ut & inter Matronas quasdam *Andromache*, uxor *Hectoris*, cum filiolo ejusdem *Aſtyanacte*.

Supra duas autem in Fronte Portas, in Anaglypho Triumphus cernitur *Amphitrites*, ubi multæ ſunt Nymphæ & Dei Marini.

In ſexto Anaglypho, quod ſupra alteram eſt Portam, Fabula expreſſa eſt *Promethei*, qui ex terra figulina hominis fingit Statuam; Vicina illi *Pallas* (qua mens indigitatur) adſtat; retro illam agnoſcitur *Mercurius*, interque multas alias figuras *Fati* quoque, ut & ipſius *Promethei*, qui ex igne ſolis æterno radium rapit, pro animanda hominis, quam fabricavit, Statua.

58 Sub iſta autem figura extenſum in terra corpus jacet humanum, per quod forſan indicare voluit Statuarius pœnam ejusdem *Promethei*, propter commiſſum furtum; ſin autem pro cadavere ſumi placet, denotare poteſt comitem vitæ eſſe mortem. *Cyclopes*, qui ferrum magno labore procudunt, emblematice laborioſam hominum vitam poſſunt innuere. ſive, ſi Fabulæ adhærere velimus tenacius, dicere poſſumus tela illa excudere, quibus *Hercules* (nam & hic ibidem exſculptus eſt) transfixurus erat Aquilam, continuum jecoris *Promethei* tonſorem, ut acerbo iſto ſupplicio eundem liberaret. Conſuli poteſt, quod de eadem ſcribit Fabula *Heſiodus* in Poëmate ſuo, quod vocavit *Opera & Dies*, in principio *verſu* 46. ubi ait:

A Ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε χολωσάμενος φρεσὶν ᾗσιν,
Ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης.

Id eſt,

Sed Jupiter abſcondit, iratus mente ſua;
Quia ipſum decepit Prometheus verſutus.

Bacchi Statua. In medio duarum iſtarum Portarum, ſupra Pilam, novem palmos latam, altam vero quinque, *Bacchi* eſt Statua, quæ exhibetur figura Fluvii jacentis, uvis autem coronatur, manuque 59 cornucopiæ, ex quo ſimiliter uvæ prodeunt, ſuſtinet; adeſt vero puerulus ludentis ritu exhibitus. Pila, ſupra quam poſita eſt hæc Statua, B in fronte duas habet Sphinges; in latere autem præcipuo, infelicem *Meleagri* caſum: ubi ab altera parte ipſe cernitur *Meleager*, qui pro Apri *Calydonii* exuviis, quæ *Atalantæ* amicæ dono dederat, pugnam cum avunculis ſuis conſerit, cupientibus vi ad ſe hæc ſpolia rapere, quorumque jam alter occiſus humi jacet. Ab altera vero parte *Fatum* eſt, ſtylum manu tenens; una *Furiarum*, face armata; & in vicinia mater *Meleagri*, quæ furiata mente & gravi ira accenſa, indignabunda propter fratrum necem, fatale bacillum, unde & conſervatio & interitus filii ſui dependebat, injicere in ignem minatur. Medio C in Anaglypho ipſe eſt *Meleager*, jam conſumto partim vigore pro vi flammarum in vitæ ejus lignum graſſantium. Adſtat Rex *Oeneus* valde triſtis, *Meleagri* infelix pater. Sedet item multum vicem ejus dolens *Atalanta*, juvenisque ſoror juxta adſtat, ſollicitans fratrem, ſi quomodo poſſit cibum ſumere. Conſuli poteſt Ovidius *Libro* VIII. *verſu* 451. ubi hoc modo totum Marmor luculentiſſimis exponit verſibus:

Stipes erat, quem cum partus enixa jaceret — Stipes fatalis, in quo Meleagri vita.
Theſtias, in flammam triplices poſuere ſorores,
Staminaque impreſſo fatalia pollice nentes,
D *Tempora dixerunt, eadem, lignoque, tibique*
O modo nate, damus. quo poſtquam carmine dicto
Exceſſere Deæ, flagrantem mater ab igne
Eripuit ramum, ſparſitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Servatusque tuos juvenis ſervaverat annos.
Protulit hunc genitrix, tedasque & fragmina poni
Imperat; & poſitis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,
Cœpta quater tenuit: pugnat materque ſororque,
*Et diverſa trahunt unum duo nomina * pectus.* — * corpus.
Sæpe metu ſceleris pallebant ora futuri:
E *Sæpe ſuum fervens oculis dabat ira ruborem:* — Animi pietate affecti deſcriptio.
Et modo neſcio quid ſimilis crudele minanti
Vultus erat, modo quem miſereri credere poſſes.
Cumque ferus lacrymas animi ſiccaverat ardor,
Inveniebantur lacrymæ tamen. utque carina,
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æſtus,
Vim geminam ſentit, paretque incerta duobus;
Theſtias haud aliter dubiis affectibus errat,
** Inque vices ponit, poſitamque reſuſcitat iram.* — * Perque.
Incipit eſſe tamen melior germana parente:
Et conſanguineas ut ſanguine leniat umbras,
Impietate pia eſt. nam poſtquam peſtifer ignis
F *Convaluit, Rogus iſte cremet mea viſcera! dixit.*
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante ſepulcrales infelix aſtitit aras:
Pœnarumque Deæ triplices furialibus, inquit, — Furiæ.
Eumenides ſacris vultus advertite veſtros.
Ulciſcor, facioque nefas: mors morte pianda eſt:
In ſcelus addendum ſcelus eſt. in funera funus:
Per coacervatos pereat domus impia luctus.
An felix Oeneus nato victore fruetur?
Theſtias orbus erit? melius lugebitis ambo.
Vos modo fraterni manes, animæque recentes
Officium ſentite meum, magnoque paratas

Accipite inferias uteri mala pignora nostri.
Hei mihi quo rapior? fratres ignoscite matri.
Deficiunt ad cœpta manus. meruisse fatemur
Illum cum pereat: mortis mihi displicet autor.
Ergo impune feret, vivusque, & victor, & ipso
Successu tumidus, regnum Calydonis habebit?
Vos cinis exiguus, gelidæque jacebitis umbræ?
Haud equidem patiar. pereat sceleratus, & ille
Spemque patris, regnumque trahat, patriæque ruinam.
Mens ubi materna est? ubi sunt pia vota parentum,
Et quos sustinui bis mensum quinque labores?
Votum. *O utinam primis arsisses ignibus infans,*
Idque ego passa forem. Vixisti munere nostro:
Nunc merito moriere tuo. Cape præmia facti,
Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto,
Redde animam: vel me fraternis adde sepulchris.
Et cupio, & nequeo. quid agam? modo vulnera fratrum
Ante oculos mihi sunt, & tantæ cædis imago,
Nunc animum pietas, maternaque, nomina frangunt.
Me miseram! male vincetis, sed vincite fratres,
Dummodo quæ dedero vobis solatia, vosque
Ipsa sequar. dixit: dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes, & invitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius, atque absens flamma Meleagrus ab illa
Uritur, & cæcis torreri viscera sentit
Ignibus, ac magnos superat virtute dolores.
Quod tamen ignavo cadat & sine sanguine letho,
Mœret; & Ancæi felicia vulnera dicit:
Grandævumque patrem, fratresque, piasque sorores.
Meleagri mors. *Cum gemitu, sociamque tori vocat ore supremo:*
Forsitan & matrem. crescunt ignisque, dolorque,
Languescuntque iterum: simul est extinctus uterque:
Inque leves abiit paulatim spiritus auras,
Paulatim cana prunam velante favilla.
Alta jacet Calydon, lugent juvenesque, senesque,
Et vulgus, proceresque gemunt, scissæque capillos
Plangunt ora simul matres Calydonides: Oeneus
Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles
Fœdat humi fusos: spatiosumque increpat ævum.
* Nam mater manibus. ** Nam de matre manus diri sibi conscia facti*
Exegit pœnas, acto per viscera ferro.
Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset;
Tristia persequerer miserarum vota sororum.
Immemores decoris liventia pectora tundunt.
Dumque manet corpus, corpus refoventque, foventque,
Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto.
Post cinerem, cineres haustos ad pectora pressant,
Meleagri sorores in aves Meleagrides. *Affusæque jacent tumulo, signataque saxo*
Nomina complexæ lachrymas in nomina fundunt.
Deianiram Herculis uxorem. *Quas post Oeneæ tandem Latonia clade*
Exsatiata domus, præter Gorgenque, nurumque
Nobilis Alcmenæ, natis in corpora pennis
Allevat, & longas per brachia porrigit alas,
Corneaque ora facit, versasque per aëra mittit.

60 Tandem denique Aula hæc variis Picturis quadratis multipliciter exornatur. (Picturæ.) Prima illarum, quæ supra Portam est Porticus, *Famam* repræsentat, estque Equitis *Josephi*; Quæ sequitur Pictura Resurrectionis, *Cigoli* est; Historia dein uxoris *Potipharis*, ubi vim inferre *Josepho* parat, item *Cigoli*. Magna autem ista quadrata, qua Supremum depingitur Judicium, *Ciampelli* est. Quæ autem subtus visitur Decursio Ludicra (*Giostra*) in *Belvedere*, opus est *Aquæspartæ*, sicut *Juditha* caput tenens *Holopherenis*, Equitis A *Baglionis*. Quadrata ista magna *Adami* & *Evæ* depingens creationem, ut & altera, quæ sequitur, *Romam* repræsentans, Equitis *Josephi* rursus est. Quadrata altera magna, in qua *Adamo* malum vetitum degustandum *Eva* præbet, Equitis *Baglionis* est; Longiores vero duæ quadratæ, subtus ingentes istas *Adami* historiam continentes, Pompam Equestrem Papæ exhibent, ubi possessionem *S. Joannis Laterani* auspicatur; ut & Pompam Equestrem Magni Imperatoris *Othomannorum*, Equitis *Tempestæ* sunt. Quadratum vero illud, in quo *S. Anna* depingitur cum Virgine, quæ caput calcat Serpentis, & stante juxta puerulo, *Caravaggii* est. Grande vero 61 B illud *Adami*, ubi jam expellitur ex Paradiso terestri, *Passignani* est, subtus Ludus, (qui dicitur nobis *Giuoco di Testaccio*) exprimitur penicillo *Joannis Maggi*. *S. Franciscus* cum Angelo, qui cytharæ genus (*il Violino*) pulsat, Equitis *Josephi* est; Magnum vero Quadratum in quo Crucifixus depingitur Servator, Equitis est *Tempestæ*.

In Prima Statione Camerarum Meridiem versus, Statua magna est *Davidis* pugnam ineuntes cum *Goliatho* Gigante. (Cameræ Meridionales. Prima Statio, quæ Senecæ dicitur.) Opus hoc Equitis *Laurentii Bernini* est, qui sui ipsius delineationem in *Davidis* dedit Capite. Reposita Statua hæc C est supra Basem ingentem quadratam Marmoream, Alabastro in frusta & plagellas secto exornatam. (Sculpturæ.) Ad latera, duo vasa habet rotunda Alabastri Orientalis, cum pedibus & operculo tigillis, seu transtillis eleborato. (Davidis & Goliathi Statuæ.) Horum altitudo quatuor est palmorum; reposita autem sunt super Scabella candidi Marmoris, quorum coronæ ex variis lapillis coagmentatæ sunt; cum capitello candido Ordinis *Corinthii*.

Proxime *Davidis* Statuam, in eodem latere, sequitur Leonis effigies, modicæ magnitudinis, ex Alabastro coloris *Cydonii*, quæ posita est super Scabellum ex Nucis arboris ligno exsculpto D atque deaurato.

Ad alterum Muri latus, inter duas Fenestras, 62 Antiqua illa *Senecæ* memorabilis suspicitur Statua, ubi exspirat in Balneo. (Senecæ Statua.) Ipse *Seneca* ex nigro est Marmore, fasciam vero Alabastritem *Cydonii* coloris habet pro cinctura. Balneum vero est ex lapide Porphyrite, ut tanto melius colorem exprimat aquæ cum sanguine mixtæ. Vas autem illud, cui includitur, recens opus est ex lapide qui *Africanus* vocatur. Basis, cui hæc imponitur Statua marmoris candidi est foliati operis, frons autem & superius planum ex lapide viri- E di sunt antiquo; Colopodium item, quod subtus est, ex lapide Porphyrite est.

Celeberrima hæc Statua media consistit inter duas Columnas Antiquas Marmoris nigri, decem palmos altas, quæ in superiore parte pro Capitellis habent signa duo Gladiatorum, altitudinis palmorum quatuor.

Ad alium Murum visitur super Scabellum Nucis ligni, exsculptum, atque deauratum, Lupa Antiqua rubri Marmoris, una cum lactentibus *Romulo* & *Remo* ex Marmore candido, similiter impositum Colopodio Marmoris candidi, quod & croceo colore exornatur, & F superius planum ex lapide *Lydio* habet.

Ad Camini partem, supra duo Scabella Nucis ligni, eriguntur Capita *Hadriani* juvenis & *Macrini*, quorum pectora ex mixto sunt lapide. 63

Supra Caminum in Anaglypho, duos palmos & tertiam ejus partem alto, *Venus* cernitur stans, (Venus Praxitelis.) cum *Cupidine*, insidente Delphino, quod Antiquissimum secundum quosdam opus est *Praxitelis*.

Ad

Statua Junonis Reginæ.

Ad alium Murum, fupra fimile Scabellum Nuceum, Signum eft *Dianæ*, quinque fere palmos altum. E regione *Senecæ* Statua eft *Junonis* Reginæ, magnitudinis plus quam naturalis, ex Marmore candido, veftis vero ejus ex Porphirite, & caligæ ex Serpentino funt lapide. Verum quidam, qui hanc Statuam contemplati funt, quoniam fupplicantis præfert habitum, non convenire exiftimant fcema illud Reginæ Divitiarum, Sororique & Uxori *Jovis*; fed accipiunt Statuam hanc pro Matre *Darii* ejusve Uxore, fupplicantem *Alexandro* in captivitate fua.

Pofita hæc Statua eft fupra Aram Antiquam Marmoream triangularem, quæ in Fronte *Apollini* Deo facrificantem quendam repræfentat, cum duobus Lauri ramis prope Aram. In altero latere Tripus ejusdem *Apollinis* cernitur una cum Corvo; & in altero latere Corona fpicea, atque Aquila in
64 fummo. Sub Ara Colopodium eft ex mixto lapide, cum tribus pedibus fuperne ad Globum, qui tribus Tripodis angulis refpondent.

Media hæc Statua eft inter duas Columnas *di Breccia*, feu Marmoris compofiti, quæ variorum colorum intercurrentibus lineis diftinguuntur; altæ vero fingulæ funt duodecim palmos; habentque duo in fuperiori parte Signa, *Bacchi* infantis, & *Herculis* infantis, ubi colubros occidit; fingula autem quatuor in altitudine funt palmorum.

Ultimum hujus Cameræ ornamentum Statua eft *Apollinis*, plectrum manu tenentis, quem juxta ferpens trunco arboris circumvolvitur, correfpondet autem Statuæ, quæ *Dianæ* eft.

Picturæ.

Defuper has Statuas variæ pendent Picturæ. Incipientibus enim luftrare hæc omnia ab Aulæ Magnæ Porta *Davidus* occurrit cytharam pulfans, *Jofephi* Equitis Pictura. *Venus* dein, duabus Nymphis comitata, *Titiani* opus. Rotunda autem Pictura Virginis Matris cum Filio & *S. Joanne*, artem *Raphaëlis* oftentat. *Chriftus* ad Columnam ligatus *Caravaggii* eft. Sponfalia *S. Catharinæ* Martyris, *Parmigianini* funt. Quadratum vero illud, in quo Concilium *Tridentinum*, incerti eft. Illud vero, quod fubtus eft, ubi *Chriftum* ulnis Virgo Mater tenet, *So-*
65 *domæ* eft, fecundum quosdam, fecundum alios vero *Jacobi da Puntormo*. Pietatis vero, quod fupra Statuam Lupæ eft, a quibusdam *Leonardi da Vinci* effe exiftimatur, ab aliis vero *Sodomæ*. Quadratum, quod fupra Portam eft Horti, *Sophonisbæ Augufciolæ* eft, in quo fefe ipfam cum patre, & fratre puerulo delineavit. Bacchanal, quod fupra Caminum eft, auctorem *Titianum* habet. *S. Hieronymus*, opus *Mutiani* eft. Quadratum *del Pregadi di Veneti*, eft *Palmæ* juvenis; at illud *S. Catharinæ Sienenfis*, Equitis *Jofephi*.

Ex Prima hac, & quæ eidem contigua eft, Camera, exitur in Hortum *de' Melangoli* dictum, de quo acturi fumus, ubi omnes Palatii ipfius abfolverimus partes.

Statio Secunda. Sculpturæ.

In Secunda Statione prima *Bacchi* eft Statua, inter duas Feneftras, pofita fupra Urnam quadratam Antiquam, quæ in fronte globo infculptam habet Aquilam, cum fequenti Infcriptione.

HOSTILIAE. ATTHIDI.

Statua, quæ fequitur, *Apollinis* eft *Salutaris*,
[A] quæ fimili Superiori Aræ impofita eft, & in qua itidem hæc legitur Infcriptio.

D. M 66
C. TRAVSIO.
[1]LVCHRIONI.
TRAUSIVS. PARIS. TRASIA. AVGE. LIB. PATRI.
B. M

Caput, quod fequitur poft Portam Horti, *Tiberii* eft. Statua dein *Narciffi*, ubi fe ipfum in aqua miratur, quæ pofita eft fupra Urnam, quæ ad angulos fuperne Arietum capitibus, inferne Gryphis exfculpta eft. Ad latera Encarpi,
[B] feu fructuum vifuntur Corollæ, & rofæ aliquot. Pariter Corolla in fronte exfculpta eft, fuperne Larva, atque inferne Delphinus. In fummo hæc legitur Infcriptio:

DIS MANIBVS
M. ANTONIO. ANTEROTI
ET. CASSIAE. MELETINI
[2] SORORI.

Ad latera ejus Statuæ duæ eriguntur Columnæ *di Pidocchiofo*, duodecim palmos altæ, & in parte fuperiori duo Vafa funt Antiqua A-
[C] labaftri *Cydonii*, plus duos palmos alta. Caput proximum *Marci Bruti* eft.

In alio Muro Tabula lapidis *Lydii* cernitur, albo decorata limbo atque diftincto, cum corona candida; longa decem palmos, & quin- 67
que lata, quæ fuftinetur pede Nucea in ungues ferinos defmente. Supra Tabulam hanc Vas ex lapide *Lydio* pofitum eft, cum operculo fuo, in Urnæ formam, fimileque Conchis atque grandibus iftis Labris, quæ in Area *Farnefiana* confpiciuntur, cum quatuor, qui idem fuftinent, draconibus; quod opus eft recens *Sylvii*
[D] *Velletrani*.

Statua Genii.

Ultima Statua Juvenis eft alati, *Genium* repræfentans, quæ repofita eft fupra Aram Antiquam rotundam, cui infculptum eft Bacchanal quatuor figurarum, quæ funt Satyrus, Bacchans, Faunus, & altera Bacchantis figura; omnes varia manu inftrumenta tenent, faltantium ritu. Sub Ara qninque hæ literæ incifæ funt:

[3]D. S. P. F. C

Picturæ.

Supra Januam, quæ ad primam ducit Stationem jam defcriptam, *Davidis* pictura eft *Goliathi* ferentis Caput; *Caravaggii* opus, qui in hoc
[E] quidem Capite fe ipfum depinxit, in illo vero *Davidis* fuum *Caravagginum*. Quadratum illud *Lothi*, cui altera ex filiabus vinum mifcet; altera ad latus adfidet, *Archytæ* eft. Parvum vero quadratum, quod ad lectum fupra Scabellum Ingeniculatorium eft, in quo depingitur 68
Virgo Mater, Filium ulnis tenens, qui manu aviculam fuftinet, *Benevenuti Garofali* eft. SS. *Cosmus* & *Damianus*, in ingenti quadrato depicti, *Doffi* funt; quodque fubtus eft, parvum quadratum, Matris *Chriftum* ulnis tenentis, *Scipionis Cajetani*. Quod fequitur *Joannis Baptiftæ* in Deferto, *Pordenonis* effe dicitur. Quadratum
[F] S. *Hieronymi*, ubi Amore feritur Divino, *Georgii Vafaris* eft; duo autem qui ad latera pendent, & totidem fcurras repræfentant, *Giorgionis* funt. Supra Januam Horti in quadrum depingitur Dominus *Emmauntem* petens cum duo-

bus

1 LVCHRIONI] Apud *Grut.* p. DCCXLIV. 3. legitur LVCRIONI. & in fine PAR. OP. pro PATRI. *Romæ* olim in *S. Prifca* exftitit.

2 SORORI] Additur dein apud *Grut.* p. DCLII. 7.
L. AFRANIVS L. F
SCRIPTOR TOGATORVM,
ubi a *Gutenftenio* fe accepiffe fignificat, atque exftare *Romæ* in Ædibus Domini *Leopardi di Ieltri.* Verum ultima hæc merito fufpecta fuerunt acutiffimo *Reinefio*; cujus fententia porro valeat jam confirmata.

3 D. S. P. F. C.] Id eft, *De fua Pecunia Faciendum Curavit.*

bus Diſcipulis, manu *Scarſellini*. *Veneres* duæ ſtantes, in totidem oblongis arctiſque quadratis, referuntur, prima quidem ad *Andream del Sarto*, ſecunda, ſatis abſoluta, *Germanicæ* manus eſſe dicitur.

Statio Tertia, quæ eſt Daphnes.

In Tertia Statione Tabula ex lapide *Lydio* cernitur, viridi diſtinctoque varie limbo exornata, cum corona Marmoris candidi, longa undecim palmos cum dimidio, lata vero ſex, cumque pede nucea egregie cœlata.

Sculpturæ.

Supra Tabulam hanc *Jovis* repoſitum Caput cernitur, *Græcæ* artis, exiguæ baſi ex mixto lapide inſiſtens. Hanc Tabulam duo ſequuntur
69 Capita; alterum (cujus pectus ex mixto eſt Marmore) *Octaviani Auguſti* eſt; alterum totum candidum, *Lucii Veri*. Hoc Caput ad latus inſignis eſt Operis Marmorei, quod exhibet *Æneam Trojanum*, patrem *Anchiſem* humeris ferentem, qui *Deos Penates* ſecum portat, parvo juxta ſequente *Aſcanio*. Recens eſt artificium Equitis *Bernini*. Rotunda vero Baſis, cui hæc inponitur Statuarum connexio, antiqua eſt, ex candido Marmore, duabus Corollis, tribuſque Taurinis Capitibus exornata. Ab altero vero hujus Artificioſi Operis latere Caput alterum *Lucii Veri* cernitur.

Quod ſequitur Caput, mixto Marmore pectus habens, *Marci Aurelii*, juvenis adhuc, eſſe exiſtimatur. Quod autem ad alium Murum cernitur quintum, Herois cujuſdam *Græci*. Singula hæc quinque Capita Scabellis Nuceis imponuntur.

Poſt Januæ tranſitum quod ſequitur Caput, pectore *Cydonii* coloris, *Juliæ Mœſæ* eſt, poniturque ſuper Terminum, cujus caput Tigridem refert, & pars inferior in ungulam Tigridis exit, partim Marmoris gilvi, partim *di Brecce*, cum Capitello *Ionico* ex Marmore coloris cinericii. Caput alterum juvenis *Bruti* eſt, poſitum ſuper Termini caput & Leonis ungulas, ex Alabaſtro *Cydonii* coloris, cum capitello coloris cinericii.

In medio horum Capitum inſigne Opus eſt, & magnitudine conſpicuum, in quo cernitur
70 *Apollo* perſequens *Daphnem* fugientem, quæ jam Lauri cortice operiri incipit; Opus Equitis eſt *Bernini*, atque imponitur ingenti Baſi ex candido Marmore, ornata diverſis coloribus, tanquam acu picta, cum folio (*una cartella*) in fronte Marmoreo; ſuſtentantur autem Leonis exſculpto Capite. Inferius hi ſculptus verſus leguntur:

QVISQVIS AMANS SEQVITVR FVGITIVAE GAVDIA FORMAE,
FRONDE MANVS IMPLET, BACCAS SEV CARPIT AMARAS.

Supra Scabellum Nuceum Baſis in morem elaboratum, ex Nuce quoque Frontiſpicium eſt, exſculpti operis Antiqui, duorum vel trium circiter ſeculorum, cum oſtiolo in medio, quod ubi aperitur, foras prorumpit terribilis Monſtri facies, horrendo ſtridens ſonitu.

Picturæ.

Supra Januam, per quam in hanc introitur Cameram, in quadrum depicta eſt Virgo Mater, una cum Filio & S. *Joanne*, aliiſque figuris, ſtudio *Scipionis Cajetani*. Supra Tabulam lapidis *Lydii*, parvum eſt quadratum ejuſdem Virginis cum *Chriſto* aliiſque figuris, *Doſſi* manu. Quadratum ſuperius S. *Joannis Baptiſtæ*, ubi præconium facit in Deſerto, *Pauli* eſt *Ve-*
71 *ronenſis*. Quod ſequitur poſt Feneſtram Bacchanal, cum pluribus figuris, ex *Titiani* ſimili opere deſcripta eſt & depicta ab Equite *Joſepho*. Supra Ambulacri Portam *Chriſti* figura Crucem portantis Fratris *Jo. Sebaſtiani del Piombo* eſt. Incendium *Trojæ* cum *Æneæ* fuga, *Barocci*. Par-

A vum vero illud quadratum, ubi puerulus mordetur a cancro, *Caravaggii* eſt. Aſſumtio Virginis, Pictura quadrata in Altaris uſum, *Hieronymi da Carpi* eſt. Lectica, quæ operi illi ſubeſt, variis exſculpta Hiſtoriis, *Joannis Anguillæ* opus eſt, qui ſummus in Ligneis Sculpturis noſtra ætate artifex fuit. *Julii Romani* exiſtimatur eſſe Pictura, cæſus a *Davide* Gigas *Goliathus*. Quadratum vero illud, in quo *Abelem* fratrem *Cainus* occidit, refertur ad alumnum *Annibalis Caraccii*. Media inter quadratas iſtas duas Picturas, *Romanæ* Urbis illa viſitur ſupra *Daphnes* Cœlaturam, eſtque *Cigoli*
B opus.

Exitur ab hac Statione ſeu Camera in Ambulacrum Meridionale Sepimenti Secundi.

Camera Quarta, Parva, cum Capella.

Viſitur in Camera, quæ Porticum verſus ducit, S. *Caroli* Caput, ex candido Marmore, buſtum vero ex rubro eſt. *Roſati* pictura eſt ibidem *Ecce Homo* in quadrum exiguum contracta. Pictura vero *Chriſti*, humeris Crucem ferentis, creditur eſſe *Raphaëlis*, primæque 72
ejuſdem manus. *S. Bernardini Sienenſis* effigies *Romanini Siderii* eſt, Pictoris Novantiqui. Parvula Capella Muro illita, cum quadrata Pictu-
C ra Aſſumtionis, tectorio opere elaborata, Equitis eſt *Claudii Ruè*, *Lauretani*. Columella vero quæ vaſculum ovatum in ſuperiore parte habet, quaſi pilæ S. Lavacri inſerviens, ex Granite Orientali Antiquo eſt.

Porticus.

Ab ultima hac Statione introitus patet in Porticum, quæ æqualis cum Aula Magna eſt longitudinis, latitudinis vero quadraginta palmorum. Tota vero exornatur ingentibus Pilis Ordinis *Ionici*, ſupra quas ordinatim aptantur Coronæ ſatis latæ. Habet, prout & Aula Magna, ſex Januas, duas videlicet in extremitatibus, unam, per quam introitur in Cameras Meridionales,
D vicinamque alteram, quæ ducit verſus Scalam Plani, ſeu ſubſtructionis. Reliquæ duæ ad ejuſdem latera Cameris Aquilonaribus inſerviunt. Sunt & aliæ duæ Januæ intra duos Muros longos, quarum altera Magnæ Aulæ reſpondet, per alteram vero exitur verſus ſecundum Sepimentum, atque ita locatur in medio quatuor Feneſtrarum.

Supra quatuor Januas, quæ in extremitatibus ſunt, in totidem parvis Anaglyphis poſitæ ſunt quatuor Anni Tempeſtates; Sunt autem, ſi a 73
Porta Scalaram incipias, Hyems, Ver, Autumnus, & Æſtas. Quatuor in angulis cernuntur
E Columnæ Porphyreticæ, ſingulæ tredecim palmos altæ, in ſummo quorum totidem ſunt Signa, quatuor palmos alta. Prima quidem Columna, prope Scalas, *Neronem* habet puerum cum bulla a collo dependente, de qua bulla agit *Macrobius* in *Saturnalibus* Cap. VI. Lib. I. In ſecunda puerulus eſt anatem manu tenens; in tertia *Ceres*; in quarta *Pomona*.

Duæ quoque Tabulæ Porphyreticæ ad extremitates ſunt collocatæ, ſingulæ decem palmos longæ, & latæ quatuor, ſingulæque inſiſten-
F tes Nuceis pedibus ingentibus exſculptis atque coronis exornatis. Supra alteram ex Tabulis iſtis *Pauli* V. Marmorea eſt Facies; & ſupra alteram Cardinalis *Scipionis Burgheſii*, artifice Equite *Bernino*.

Tabula, cui *Pauli* V. Caput ſuperponitur, ad latera duo habet vaſa antiqua ex Alabaſtro Orientali, formæ ovatæ, cum operculis ſuis, altitudinis a tribus uſque ad quatuor palmos, poſita vero ſunt ſuper Scabella parva ex Alabaſtrite, cum colopodiis ſuis atque capitellis ex Marmore nigro, intercurrentibus lineis flavis. Anti-

74 tiquitus talia Vasa inserviebant conservandis cineribus defunctorum; in altero quoque illorum talis exstat Inscriptio :

[1] P. CLAVDIVS. P. F
AP. N. AP. PRON.
PVLCHER. Q. QVAESITOR.
PR. AVGVR.

Altera Tabula similiter super duas ex Alabastrite Bases, cum Zophoris & Capitellis suis, ex Marmore nigro, intercurrentibus flavis venis, Vasa duo habet Porphyretica rotunda, alta cum operculis suis inter tres & quatuor palmos, nostris temporibus elaborata a *Sylvio da Velletri*.

B Ad duos Majores Parietes Capita octo Marmorea eriguntur; quorum quatuor super lignea totidem Scabella, depicta atque deaurata, sunt reposita; reliqua quatuor, quæ in medio stant, basibus inponuntur, seu Scabellis ex Alabastrite, cum *Zophoris* & capitellis ex albo Marmore.

Primum Caput, si versus Portam Camerarum Meridianarum numeres, *Platonis* est; Secundum, prope Portam Aulæ Magnæ, *Faustinæ* Ju-
75 nioris; Tertium *Palladis*, Quartum *Pertinacis* esse creditur; Quintum, quod muro oppositum sequitur, *Amazonis* exhibet faciem cum Busto Imperatricis. Sextum, *Faustinæ* rursus est Junioris; Septimum *Juliæ* Augustæ; Octavum *Græcum* est.

C Ad extremitates Murumque Aulæ Magnæ in totidem ædiculis positæ sunt Statuæ magnitudine plus quam naturali. Prima (quæ supra Tabulam est, in qua reponitur Cardinalis *Burghesii* Caput) *Bacchi* est, quæ insistit Basi, in qua exiguum est Anaglyphum *Veneris* dormientis, & *Cupidinis* stantis cum spicarum canistro. Secunda Statua nudæ est *Veneris*, ex balneo exeuntis, cui pro Basi subest Anaglyphum duorum *Cupidinum*, qui lignum aliquod (*legno* f. Scapham) humeris portant. Tertia *Adonidem* repræsentat, quæ pro Basi habet Urnam quadratam, cui insculpitur Anaglyphum, viri & mulieris, qui in lecto velut mortui jacent. Ab altero latere sedet figura satis mœsta, inter illam vero atque lectum puerulus alatus, qui videtur colloqui cum eadem. Ab altero latere nudus visitur juvenis, ipse etiam ritu alloquentis figuram istam virilem. Subtus hæc legitur Inscriptio:

D DIS.MANIBVS.CLAVDIAE.TI.FILIAE.FABVLLAE.
T.FLAVIVS.EVPHRANOR. ET. L.VARIVS.SPENDO.

E Quarta Statua *Bacchi* est, qui in Anaglypho suo *Tritonem* habet concham inflantem. Quinta Statua *Veneris* est *Victricis*, cui *Amor* fert galeam) subtus autem *Bacchi* infantis est Anaglyphum, supra Tigrim suam, quem alius sustentat puer. Sexta Statua *Cereris* est, quæ simile primo sub se habet Anaglyphum, *Veneris* scilicet cum stante *Amore*, qui panarium cum fructibus sublime extollit.

Picturæ. Desuper has Statuas variæ sunt Picturæ, quæ facies referunt variorum Principum magnorumque sæculi nostri Virorum. Supra Januam itaque, quæ Magnæ Aulæ respondet, in grandi quadrato Sedentis etiamnum Pontificis agnoscitur pictura. Sequitur illa *Annæ Hispanæ* Infantis, quæ uxor fuit *Ludovici* XIII. Regis *Galliarum*, nunc vero Regina Mater dicitur. Parvum quadratum Archiducis *Matthiæ* est, qui

F Imperator exstitit post *Rudolphum* II. Quod vero sequitur, est *Olympiæ Aldobrandini*, Principis *Rossani*. Supra Portam, quæ sequitur, facies est Principis Don *Pauli Burghesii*, ut & *Caroli Emanuelis*, Ducis *Sabaudiæ*, *Marci* dein 77
Antonii Burghesii, qui Advocatus fuit Consistorialis, & Pater *Pauli* V. Quæ sequitur Pictura in Muro Orientem versus, *Camillæ Ursinæ Burghesiæ* est, Principis *Sulmonæ*. Parva vero altera *Alberti*, *Austriæ* Archiducis, dein *Ludovici* XIII. Regis *Galliarum*, puerili ætate.

Supra Januam e regione Pontificis hodierni, *Pauli* V. est pictura, elaborata penicillo *Michaëlis Angeli da Caravaggio*. Quæ sequitur, *Ferdinandi* II. est, Magni Ducis *Hetruriæ*. Dein *Ladislai* IV. *Poloniæ* Regis, filii *Sigismundi* III. Ultima istius partis *Dianæ Victorii* est, nepotis (*nepote*, an *nezza*? ut sit *nepte*) *Pauli* V. germani.

Ad caput Scalæ *Joannes Baptista Burghesius* agnoscitur, *Pauli* V. frater germanus, cum D. *Marco Antonio* puero, nunc *Sulmonæ* Principe. In parvo quadrato *Philippus* III. est, Rex *Hispaniarum*. Sequitur dein *Horatius Burghesius*, similiter germanus *Pauli* V. frater.

Aulam Magnam versus pinguntur *Sigismundus* III. Rex *Poloniæ*. *Rudolphus* II. & qui se- 78
riem ibi claudit, *Gaston Borbonius*, Dux *Aurelianensis*, Secundo-genitus *Galliarum* (ut appellant populares) Regis filius. Maxima horum iconum pars manu *Padovanini* depicta est; Principis vero illa *Rossani* penicillo *Muti* depicta est.

Cameræ Aquilonares. Ex Porticu introitus ad Cameras Septentriones patet. Ubi vero pergas inde ad Cameram Porticui contiguam, quatuor occurrunt Statuæ naturalis magnitudinis. Prima *Dianam* repræsentat, cujus caput, brachia & crura ex ære facta sunt, succincta autem est more venatricis, ex Alabastro purissimo Orientali. Erigitur Statua hæc super Aram Antiquam rotundam, quæ circum undique Bacchanalibus Anaglypho opere exsculpta est. Quæ sequitur Statua *Ægyptii* vel circulatoris (*Zingarà*) est, ex Ære tota, excepta veste, quæ ex candido est Marmore. Insistit Statua hæc Basi Marmoris candidi quadrilateræ, foliis & simili ornamento exsculptæ.

(Sculptura Cameræ Primæ, della Zingara dictæ. Statua Dianæ. Statua Æthiopis.)

Statua Herculis Aventini. Altera Statua *Herculis* est *Aventini*, cum Tauri Capite, imposita autem est Scabello ligneo, lapidea, sed deaurata. Ad latera ejus Statuæ duæ 79
eriguntur Columnæ Porphyreticæ Antiquæ, valde puræ, novem palmos altæ, cum capitellis candidi Marmoris, Ordinis *Ionici*; super has duo Antiqua sunt Signa *Polyhymniæ* & Deæ *Floræ*, singulæ duos palmos altæ.

E regione Statuæ *Herculis*, super Basim ligneam sufficientem, junctim *Castor* & *Pollux* naturali stant magnitudine & nudi. Præter has autem Statuas, Nuceis Scabellis quatuor Antiqua imposita cernuntur Capita.

Horum primum, quod ultra *Herculem* est, prope Fenestram, *Caligulæ* creditur esse juvenis; Secundum post Fenestram, *Neronis* juvenis; tertium prope *Dioscuros*, seu *Castoris* & *Pollucis* Statuas, *Annibalis* est *Carthaginensis*; quartum denique *Commodi*.

Picturæ. Supra Statuam *Ægyptii*, seu Circulatoris (*Zingarà*) visitur Pictura Virginis Matris Filium ulnis tenentis, *Sodomæ* opus. Quæ sequitur, complura exhibens animalia, hybernam forte tempestatem denotat; est autem *Bassani* senioris.

1 P. CLAVDIVS] Repetitur inferius *Ed. Vet.* pag. 155. Non licuit autem invenire apud *Gruterum*.
2 TI. FILIAE] Simpliciter apud *Grut.* p. DCCCLXV. 12. exstat T. F. ubi discimus, olim fuisse ad Columnam *Trajani*, in Sepulcro oblongo, parvis, sed perfectis literis.

ris. Sponsalitia *S. Catharinæ* Martyris, & *S. Andreas* ad *Sarium* referuntur.

Supra Portam Porticus Quadrata Pictura *Bas-*
80 *sani* Senioris est, repleta animalibus. Grandis *S. Sebastianus* cum duabus matronis, qui illi sagittas extrahunt, *Rustichini Siënensis* est. Virgo *Jesum* osculata *Passignani* est. Altera diva Virgo, habitu *Ægyptiaco*, est *Sermonetæ*. Magnum Quadratum *Reinaldi* & *Armidæ* est *Tierini Bononiensis*. Postremum vero ferarum exprimens venationem *Bassani* Senioris est.

In illa, quæ sequitur Camera, duæ cernuntur Statuæ Antiquæ. Prima harum duplex est opus, *Faustinam* enim repræsentat cum Gladiatore suo adamato; erigitur vero supra quadratam Basim Marmoris candidi, cujus frons est ex Alabastro, oræ vero nigro & candido lapide distinguuntur.

Altera Statua illa Gladiatoris est famosissima, pugnantis ritu, opus *Agasiæ Ephesii*, qui (licet *Plinius* ejus non meminerit, quoniam ejus forsan ætate nondum fuerit natus) hujus tamen Statuæ artificio immortale nomen est adeptus. Erigitur Statua hæc super Basim similem illi, quæ *Faustinæ* atque amatori ejus est supposita, eo tantum differens, quod oram habeat variis lapillis distinctam.

81 *Faustinæ* Statua ad latera duas Columnas *di Breccia* habet, duodecim palmos, cum tertia parte altos, quibus totidem *Bacchi* Signa pro Capitellis superponuntur.

E regione memoratæ Statuæ *Faustinæ* juxta lecticam duæ eriguntur Columnæ Antiquæ Porphyreticæ, striatæ, cum capitellis Ordinis *Ionici*, ejusdem lapidis, altæ undecim palmos cum quarta parte. Habent hæ Columnæ in summa parte Signa palmorum duorum & aliquanto majora. Horum alterum est *Herculis* suffocantis Leonem, altera vero *Fauni*.

Ex adverso autem Statuæ Gladiatoris Tabula posita est cum fundo Marmoris nigri Antiquo, octo palmos longa cum dimidio, lata autem quinque, tota ex variis lapidibus composita, ut lapide Lazuli, Jaspide & Margaritarum Conchis, similibusque, ovatoque in medio orbe Alabastri Orientalis, coloris rubei, & corona Marmoris nigri. Reposita Tabula hæc est supra pedem Nuceum, Terminorum figuris exsculptum, habet vero impositum Vas Antiquum ex Alabastrite Orientali *Cydonii* coloris, cum operculo suo, duos palmos altum cum dimidio.

Æquali cum Statuis ordine eriguntur super
82 Scabella aliquot Nucea, atque alia lapidis in morem colorata, septem Capita, candidi omnia, uno excepto, marmoris. Primum, quod prope Tabulam istam consistit, *Lucii Veri* est. Secundum *Tiberii*, valde elegans, ætate adulta, pectore ex mixtis lapidibus composito. Tertium est *Caracallæ*, ætatis provectioris jam, quam aliud ejusdem Caput in eadem Ædium ostendit parte. Quod sequitur, ubi lecticam transieris, *Adriani* est, jam senis. Quintum & sextum, ad Gladiatoris latera *Faustinæ* sunt utraque; septimum vero *Annibalis Carthaginensis*.

Picturæ. Sequuntur Picturæ. Supra Januam e regione Cameræ, quæ Porticui est contigua, in quadrum depingitur Resurrectio, *Salviati*, ut creditur, arte. Grande illud alterum trium *Cupidinum* est *Titiani*. Quod subtus est *S. Petri* & Ancillæ Ostiariæ *Alexandri Veronensis* est, sicut *Antiveduti* alterum illud magnum, ubi sepulcrum invisit *Maria Magdalena*. Supra Lectum Conversio est *S. Pauli*, in magno quadrato; subtus autem parvulum S. *Petri*, qui Ambulare tentat super undas; utraque Pictura *Garofali* est. Quadratum dein Virginis Filiolum ulnis tenentis, *Petri Perugini*. Est & ibidem Maga, 83
artem suam exercens, *Dossi* opus. Descripta dein amœna Regio ad *Franciabigium* refertur. *Tobias* juvenis, ductore Angelo, *Raphaëllini Rhegiensis* est. Quadratum Rotundum Novantiquum, in quo Virgo cum Nato aliisque figuris, *Hortulani* esse creditur. Subtus auctore *Dosso* depingitur Caput S. *Thomæ* Apostoli; Quadratum vero Filii Prodigi *Jo. Baptistæ Benci* est.

Ab hac Camera exitur in Ambulacrum Sepimenti Secundi, e regione Paradisi.

In illa quæ sequitur Camera, seu Statione, primo loco tres Antiquæ conspiciuntur Statuæ, naturalis magnitudinis. Duæ æreæ, vestibus ex Alabastrite *Cydonio*, servos totidem referunt. Insistunt hæ Statuæ super Tripodes Marmoreos, qui tres Puerulos sculptos in frontibus habent, ut & multum foliorum ornatum, ad angulos autem, superius Arietum capita, inferius vero tres *Sphinges*; Subtus vero columnationes sunt tres ex metallo, supra Colopodium Marmoreum figuræ triangularis. Camera Æthiopis. Sculpturæ. Servi ærei duo.

Tertia Statua reliquis major duabus, *Æthiopis* juvenis est, ex lapide *Lydio*, cujus amictus ex Alabastrite est Orientali, cum fibulis Marmoris gilvi, lapide *Lazuli* exornatis. Sub Statua hac Colopodium, Marmoris pariter gilvi, substituitur, cum Basi quadrangulari, Marmoris candidi, in fronte foliato opere exsculpta, & in lateribus cum foliis exiguis. Statua Æthiopis.

E regione Statuarum istarum, quæ Servos repræsentant, supra pedem nuceam egregie cœlatam, Tabula est ex lapide *Lydio*, limbo albo & gilvo exornata, cum Coronide viridi undecim palmos cum quarta parte longa, lata vero sex cum tertia; huic insistit Urna ex lapide pariter *Lydio*, quæ respondet alteri ejusdem materiei in alia Statione jam descripta.

Prope Januam Horti Secreti Caput ex Marmore candido *Liviæ* est Augustæ, *Justitiæ* habitu expressæ, licet alii propter coronam pro *Junone* accipiant. Alterum Caput prope *Æthiopis* Statuam, cum busto mixti lapidis, & Alabastro *Cydonii* coloris exornato, faciem Regis alicujus *Græci* præ sese fert. Tertium post *Æthiopem*, mixto item pectore, *Getæ* est juvenis; Quartum, *Pietatem* referens, *Liviæ Augustæ* est, totum ex Marmore candido.

Post Lectum Caput est Porphyreticum seu potius Bustum, quod Servatorem nostrum refert, cum Coronide Nucea, cœlata & deaurata, prout 85
pariter Scabellum est, cui imponitur.

Quadratum illud duorum *Cupidinum* (ad Picturas rursus transimus) supra laudatum Servatoris Caput, ad autographum *Titiani* ab Equite *Josepho* est expressum. Quadratum vero grande devotionis cum multis figuris & distantiis, *Raphaëlis* est *Urbinatis*. Pictura S. *Petri* casum suum deplorantis, manu *Annibalis Caracci*, prope Lectum cernitur. Ovis autem agno præbens ubera, ipsius est *Titiani*. Quadratum magnum, quod desuper conspicitur, Devotionis, ubi stantes conspiciuntur quatuor Angeli, faces manibus tenentes, *Thaddæi Zuccari* est. Quadratum [1] *Samsonis*, qui mellis favum patri porrigit, *Guercini da Cento* est. Virginis cum Filio, S. *Joanne Baptista*, aliisque plurimis figuris, *Hortulani* est. Altera devotionis Pictura quadrata, quæ super *Æthiopem* conspicitur, *Passignani* est. S. *Hieronymus* scribens, *Caravaggii*; Pictura autem, *Susannæ* cum senioribus *Venturæ Salimbenii* est; *Joannis* autem *Bellini* reliqua duo quadrata, in qui-

1 *Samsonis*] Male in Ed. *Ital.* est *Salomone*.

quibus nudi repræſentantur *Adamus* cum *Eva* conjuge. Supra Portam, quæ ad alteram ducit Cameram, in quadrum *Muſæ* imago depicta eſt *Domenichini* arte.

86 Ab hac & ſequenti Camera intratur in Hortum Secretum, contiguum Aviario.

Camera Saturni. In illa, quæ ſequitur, Camera, primum, quod occurrit, Caput ex candido totum Marmore, Sculpturæ. & e regione Statuæ *Agrippinæ*, creditur eſſe *Antonini Pii*. Statua ſequitur *Agrippinæ*, quæ inſiſtit Baſi ex Marmore candido opere foliato elaboratæ ad quatuor angulos.

Statua Agrippinæ. Ad latera *Agrippinæ* duæ Columnæ eriguntur ex Marmore nigro, decem palmos altæ, quæ in vertice habent duo *Najadum* Signa, ſingula quatuor palmorum. Caput, quod creditur Conſularis alicujus eſſe viri, cerniturque, ubi Januam prætereris, longe pulcherrimum æſtimatur. *Veſpaſiani*, quod ſequitur, eſt, cum buſto *Cydonio*. Quartum, mixto pectore, *Tiberii*.

Medium inter duo hæc Capita ſupra Caminum quadratum eſt Anaglyphum, in qua cernuntur duæ figuræ ſtantes, quarum altera Sacerdotem fœminam exhibet aræ appropinquantem, tanquam hymnum in *Junonis* laudem decantaturam, ſtat enim retro illam eadem Dea, ſpicarum faſciculum ad pedes habens.

87 Statua Fauni. Ubi prætereris Portam Horti, Caput nigri totum Marmoris, *Adriani* eſt Imperatoris. E regione autem Statuæ *Agrippinæ* Tabula Marmorea nigra viſitur, gilvo & albo fimbriata, lata quatuor palmos, longa vero novem cum dimidio, cum pede Nucea tota exſculpta.

Supra Tabulam repoſitus eſt Equus æreus adinſtar illius factus, quem ex gypſo (*getto*) elaboratum in *Gallias* miſit *Daniel da Volterra*. Conſiſtit autem Equus ſuper Baſim oblongam ebeni ligni. Media hæc Tabula eſt inter duas Columnas nigri lapidis, decem palmos altas, in quarum vertice duo ſunt Signa, *Hercules*, & Paſtor *Phrygius*, trium palmorum altitudinis.

Superata Feneſtra Caput occurrit *Septimii Severi* cum pectore ex Alabaſtrite *Cydonio*; ſequitur *Ælii* Cæſaris totum candidum; agmen denique claudit *Caracallæ* Caput.

Duo poſteriora hæc Capita in medio ſui habent Statuam ſatis magnam, olim pro *Saturno* habitam, verum melius dein examinata ubi eſt, pro *Fauno* recognitam, ulnis *Bacchum* parvulum tenentem, cui abblanditur. Inſiſtit Statua hæc Baſi Marmoreæ quadratæ, obductæ in fronte Alabaſtro *Cydonio*, limbo autem mixti lapidis exornatæ.

88 Deſcripta ſuperius Octo Capita repoſita ſunt ſuper Scabella Nucea multifariam exſculpta.

Picturæ. Inter Picturas hujus Cameræ ſeptem obſervantur quadrata *Baſſanorum*, Senioris & Junioris. Horum duo, Nativitas videlicet *Chriſti* & *Magorum* adventus, Senioris cenſentur. In reliquis quatuor totidem Anni exprimuntur Tempeſtates; in uno autem, reliquis majori, Nundinæ exprimuntur.

Caput illud quod depictum ſuper *Agrippinæ* cernitur Statuam, *Giorgionis* eſt facies, illo ipſo delineatore & artifice. Quadratum, in quo Sponſalitia S. *Catharinæ*, creditur eſſe *Fattoris*. Magnum vero quadratum, ubi Dominus in *Emmaunte* ſtat ad menſam cum duobus diſcipulis, *Caravaggii* eſt. Juvenis caput, quod inferius eſt, in parvo quadrato, *Doſſi* eſt. Media Pictura S. *Catharinæ* Martyris *Baroccium* Pictorem habet.

PALATII 89

PLANUM SUPERIUS.

A Porticu ſuperius deſcripta in ſecundum aſcenditur Planum, per Scalam Cochlidem lapidis *Tiburtini*, gradibus LXXXVII. qui ſeptem in latitudine palmos habent. Ad caput Scalæ intratur in Pergulam Opertam ejuſdem cum Porticu magnitudinis, quæ ſubtus eandem eſſe deprehenditur. Spectat Pergula hæc Orientem verſus, cum quinque Arcubus Ordinis *Dorici*, & totidem Columnationibus; per tres autem Feneſtras medias inferius ſpectat ad Magnam Aulam. Ad Caput quatuor habet Portas, & ad Angulos quatuor Columnas. Duæ Columnæ verſus Scalam mixti ſunt Marmoris, duodecim palmos cum tertia parte altæ, in ſummo autem duo habent Signa, *Herculem* Juvenem, & *Bacchum* Infantem. Pergula Operta.

Inter duas has Columnas, & duas Portas duæ eriguntur Statuæ, *Floræ* & *Veneris*, quæ medium inter ſeſe habent Caput Equi Marini, quod poſitum eſt ſuper Scabellum ligneum, lapidis in morem coloratum, cum ipſius piſcis pictura in fronte. Equus Marinus.

Statua *Floræ* Urnæ Antiquæ imponitur quadratæ, in qua ſequens legitur Inſcriptio: 90

DIS. MANIB
TI. CLAVDI
FELICIS
VIX. AN. LXVI
SINE. MACVLA
PALPIA ATALANTE
FILIA
C. PALPIVS, SEVERVS
NEPOS
DIADRVMENVS
LIB
[1] P. A. P. B. M

Sub Statua vero *Veneris* hæc leguntur:

C. IVLIVS
HERMES
CONDVCTOR
HORREORVM
SEIANORVM
LVSTRI. [2] TERTI
SVA. P. D. D

In Muro, qui verſus Magnam Aulam ſpectat, Caput *Marci Aurelii* Juvenile cernitur, quod velut reliqua ejus loci Capita, ligneo imponitur Scabello, in petræ morem colorato. Caput alterum *Claudii Druſi* eſt. 91

Inter duo hæc Capita ſupra Baſim quadratam Nuceam, exſculptam & a lateribus auro exornatam, ſculptura viſitur Marmorea Capræ *Amaltheæ*, cum *Jove* puero, & parvo *Satyro*, qui lac ex trulla bibit.

Sequitur poſt *Claudii Druſi* Caput Statua Nymphæ *Najadis*, ritu dormientis.

Statua prope Feneſtram mediam *Mercurii* eſt, ſub qua in Ara ſequentia leguntur inſcripta:

ΓΑΙΩΙ

---

1 P. A. P. B. M.] Id eſt, *Patri*, *Avo*, *Patrono Benemerenti*. Non exſtat apud *Gruterum*.

2 TERTI] *Grut*. p. CXCIV. & ibid. *Gudius* legunt TER. TI. ſequens Inſcriptio non exſtat apud *Gruterum*. *J. Manillus*.

ΓΑΙΩΙ. ΑΟΥΙΔΙΩΙ. ΚΛΕΙΝΙΑ. ΣΥΝ
ΒΙΩΙ. ΓΛΥΚΥΤΑΤΩΙ. ΣΩΤΗΡΙΣ

Id est,

GAIO. AVIDIO. CLINIA. CVM
VITA. DVLCISSIMA. SALVS

Supra Fenestram tectorio opere *Venus* depicta visitur cum *Vulcano* laborante & adstante *Cupidine*, methodo *Julii Romani*; quæ sequitur Statua, *Bacchi* est, atque in Basi sequentem habet Inscriptionem:

92 [1] D. M
M. AVRELIVS. AVG. L
ANATELLON
VIVVS. FECIT. SIBI. ET
AEFLANIAE. DEBEIAE
CONIVGI. BENEMERENTI
ET. LIBERIS. ITEM. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM

Statua jacens *Najadis* est, quæ superius descriptæ respondet. Post hanc Statuam autem duo cernuntur Capita; quorum primum P. *Licinii Valeriani* est; alterum *Cleopatræ*. Hæc duo intermediam habent Statuam Gladiatoris, binis in locis icti, atque altero pede ingeniculato. Sequuntur ad extremitatem quæ sequitur duæ Columnæ *di Breccia*, totidem *Faunorum* Signa in summitatibus habentia.

Elephantis Capus.

Inter duas Januas eriguntur Statuæ *Cereris* & *Spei*, in quarum medio, e regione Equi Marini, Caput Elephantis ponitur, ejusque pariter Pictura in lignea cernitur basi.

Sub *Cereris* Statua sequens legitur Inscriptio:

93 [2] SILVANO
SACRVM
PVTEOLANVS
CAESARIS. N. SER
EX. VOTO

Sub Statua vero *Spei*

D. M
[3] L. IVLIO
Q. FIL. QVIR
RVFINO
PRO. COS
NICODEMVS
LIB. FFCIT

Inter quinque ejusdem Pergulæ Arcus, in medio quatuor Capitum duæ Statuæ *Fauni* eriguntur. Sub priore quæ botrum manibus tenet pampino coöpertum, sequens legitur Inscriptio:

[4] DIIS. MANIBVS
CALAI. L. APONIDIS
PENSADTRI. V. AN. XXX
POSVIT. IANVARIVS
ET. SYNERVS
CONTVBERNALI
BENEMERENTI

94 Sub altera Statua *Græcis* literis exarata hæc Inscriptio exstat.

[5] ΘΕΟΙΣ. ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ. ΨΥΧΗ
ΑΓΑΘΗ. ΔΙΟΔΩΡΟΣ. ΑΝΗΡ. ΚΑΙ
ΑΝΤΙΓΕΝΙΔΑΣ. ΥΙΟΣ. ΜΝΙΑΣ
ΧΑΡΙΝ. ΑΙΩΝΙΑΣ. ΙΟΥΛΙΑ. ΕΚΛΕΚΤΗ
ΕΠΟΙΗΣΑΝ. ΕΖΗΣ. ΕΤΗ. ΛΓ

Id est,

DIIS. MANIBVS. ANIMA
BONA. DIODORVS. VIR. ET
ANTIGENIDAS. FILIVS. MEMORIÆ
CAVSA. ÆTERNÆ. JVLIÆ ELECTÆ
FECERVNT. VIXIT. ANN. XXXIII

Primum ex quatuor Capitibus *Apollonii Tyanei* esse creditur, secundum *Græcæ* est Matronæ; Reliquæ duæ Scalam versus *M. Aurelii* juvenis sunt & *Augusti*.

In media Pergula Tabula Ovata est Porphyretica, decem palmos longa, & lata ex transverso quatuor & unam quarta minus parte. Sustentatur hæc Tabula quatuor Signis Nuceis; Imponitur vero illi Caput *Cleopatræ* naturali magnitudine.

Supra quatuor Januas totidem Anni depinguntur opere tectorio Tempestates, *Germani* cujusdam est Opus. 95

Pergulæ Fornix una cum lunulis, quæ subtus sunt, structura Equitis *Joannis Lanfranchi* est, qui in medio opere tectorio duodecim Deorum depinxit Concilium. Ornatur quoque eadem Fornix multis figuris ex lapide fictis, ritu sustinentium, grandibus vasibus æratis intermediis, marmoratisque Clypeis intus inter Corniciones. In Lunulis istis depinguntur undecim celebriora Mundi Flumina.

Ubi intraveris Cameras ad Aquilonem, in prima Statione versus Portam, Statua exigua cernitur *Juliæ* Augustæ, cum brevi hac Inscriptione:

Cameræ Aquilonares. Camera Diogenis.

[6] I. AVG. D. A. V. TI. IMP. M.

Sculpturæ.

Tabula, quæ vicina adstat, ex Alabastrite est, ex nigro Marmore habens Corniciones, longa septem palmos cum tertia parte, & lata quinque cum dimidio. Reponitur in hac Sculptura *Ganymedis* cum *Jove* in Aquilam commutato.

Altera Statua, post Tabulam, *Palladis* est galea & ægide exornatæ. Ad latus Fenestræ Statua cernitur *Cupidinis*, sublatis manibus tanquam petentis aliquid. Stat & ibidem *Isis*, Dea aquæ *Niloticæ* ex Marmore *Ægyptio*. Ex regione ejusdem *Momphti* est, *Natura Mater* apud *Ægyptios*, ex eodem lapide. 96

Statua dein nuda ærea juvenis *Augusti*, Mundi Globum dextra tenentis, quæ ad alterum *Diogenis* est latus. Ab altero ejusdem *Diogenis* Statuæ latere recens Signum est, pariter æneum, Gladiatorem referens. Hæ duæ Statuæ Columnis Marmoris *di Brecce*, Jaspidis Vena interfluente, insistunt, sex palmos altæ.

Statua Diogenis.

Harum in medio Memorabilis illa *Diogenis* est Statua, sedens, tota nuda, nisi quod pannum sub ventre habeat linteoli instar; Quadratæ basi lapideæ hæc insidet Statua.

Chironis, Centauri, Signa- læ.

Prope Portam alterius Cameræ in Nuceo Scabello, quod exsculpta continet Insignia Domus *Burghesiæ*, deauratum cernitur parvum *Centauri* Signum æneum, *Chiron* esse dicitur, magister *Achillis*.

Post Portam Sculptura dimidiata cernitur *Herculis*, Leonem Nemeæum occidentis figurâ; ultimo autem in loco Sculptura *Veneris Victricis*, cum *Marte* atque *Cupidine*. 97

Pictu-

1 D. M. *Grut.* pag. DCVIII. 3. docet exstitisse olim *Romæ*, prope S. *Sebast.* Viæ *Appiæ*.

2 SILVANO] Non exstat apud *Gruterum*.

3 L. IVLIO] Extat apud *Gruterum* p. CCCCXIV. 6.

4 DIIS MANIBVS] Non inveni apud *Gruterum*.

5 ΘΕΟΙΣ] *Sirmondus*, ut *Romæ* exstans, misit *Grutero*, ut patet ex Opere ejus pag. MCXLII. 6. ubi hæc in medio ita mutantur ΜΝΕΙΑΣ ΧΑΡΙΝ ΑΙΩΝΑΣ & dein, in fine ΕΖΗΣΕΝ ΕΤΗ ΛΓ.

6 I. AVG. Plena Inscriptio est, *Juliæ Augustæ*, *Divi Augusti Uxori*, *Tiberii Augusti Mater.* Non inveni apud *Gruterum*.

Picturæ. Picturas nunc enumeremus. Supra Portam Pergulæ, quadratum opus est, in quo Senex conspicitur Faber cum multis figuris & agri pariter conspectu, *Bassani* Senioris. Alterum quod sequitur S. *Catharinæ* Martyris *Dossi* est. Supra Tabulam descriptam superius in ingenti quadrato Virgo Mater depingitur cum S. *Antonio Patavino*, multisque aliis figuris, opusque a quibusdam existimatur esse *Petri Perugini*, ab aliis vero *Lucæ Signorelli*. Quadratum illud, in quo est Nativitas Servatoris, *Georgii Vasari* est. Novantiquum vero illud S. *Cæciliæ* cum S. *Valeriano*, atque Angelo desuper, Incerti est, atque evanescens jam a *Domenichino* fuit revocatum. Juvenis vero ille qui præcipitem sese dat in scemate nocturno ad *Titiani* exemplar ab Equite *Josepho* est depictus. Media Servatoris figura *Rubei* seu *Rossi Florentini* esse creditur. Grande quadratum supra *Diogenis* Statuam, in quo Virgo Mater *Christum* ulnis tenet, multis in circuitu adstantibus figuris, *Peregrini Bononien-*
98 *sis* est; *Christus* autem ad Columnam ligatus, *Titiani*. Quadratum super Januam alterius Cameræ Matronæ equitantis est, cui altera infantem digito monstrat, estque *Bassani* Senioris. Quod sequitur Bacchanal ad *Titiani* exemplar depictum est Equitis *Josephi* studio. Ejusdem Equitis *Josephi* est *Venus* dormiens assistente ad pedes *Cupidine*; quadratum vero *Lucretiæ* opus est *Pistoiæ*.

Camera Hermaphroditi. Sculpturæ. In Secunda Camera prope Januam mediocris *Veneris* cernitur Statua, quatuor alta palmos cum dimidio. Cernitur autem auferens alas *Cupidini* retro adstanti, qui quidem præ desperatione videtur manus ad caput attollere. Altera Statua, major aliquanto, alterius est *Veneris* balneo exeuntis.

Media inter duas istas Statuas Tabula erigitur lapidis *Lydii*, corniciones habens ex Marmore candido, longa novem palmos, lata dimidiam ejus partem.

Ad alium Murum, post Fenestram tria cernuntur Capita, primum Divæ *Faustinæ* Matris est; Secundum æreum *Antoniæ* Augustæ, cujus pectus ex Alabastrite Orientali est; Tertium vero *Otaciliæ* est.

Ad Murum, qui e regione est, tria sunt Capita. Horum primum *Trajani Decii* est;
99 secundum *Gordiani*; Tertium Viri Consularis.

Media inter duo ultima hæc Capita cernitur Capsa Nucea foliis exsculpta atque octo exornata puerulis, qui eadem componunt. In hac Capsa *Statua Hermaphroditi.* reposita est famosissima illa Statua vetus *Hermaphrodoti* dormientis, quæ recumbit super Marmoreum stratum, quod a *Petro Bernino* est elaboratum.

Supra hanc Capsam quadratum Anaglyphum *Curtii* cernitur in voraginem sese præcipitantis. Ipsum signum ex ære deaurato est, fundus vero ex lapide *Lazuli*, & Corniciones ex Jaspide.

Inter Picturas, quadratum *Veneris*, ante quam *Cupido*, retro vero *Satyrus* cernitur, *Titiani* opus, supra Januam est, quæ ad Primam Cameram ducit. S. *Hieronymus* stans in Deserto, *Passignani* est. Quadratum magnum, quod supra Tabulam est, *Pauli Brilli* opus, Portum repræsentans cum multis navigiis. Parvum quadratum, quod subtus est, *Servatoris* imaginem exhibet depictam ab *Annibale Caraccio*. Nudus alligatus Columnæ S. *Sebastianus*, *Marci Da Palma*, Pictoris Novantiqui, est.

Fenestram ubi transieris, *Venerem* cernis recubantem, cum *Cupidine* & *Satyro* ad pedes, a *Paride Bordone* depictam. Supra Ingeniculato-
100 rium, post Lectum, S. *Virginis* ab Equite *Vanni* elaborata exigua Pictura cernitur. Agnoscitur dein magnum quadratum, in quo *Dossi* depingitur manu chimærica Sagarum Processio, cum multiplicibus nugis & deliramentis ridiculis. Subtus parvum quadratum est Virginis Filiolum ulnis tenentis, *Scarsellini* penicillo delineatum. Quadratum vero, in quo dimidia Domini figura Crucem portantis, *Thaddæi Zuccari* est. Quadratum rotundum cum Cornicione duodecim laterum, & quinque intus capitibus, *Dossi* est. Cernitur vero in quadrato isto *Gonnellæ* facies, qui ut senex prope Principem virum depingitur. Quod sequitur Bacchanal juxta *Titiani* exemplar, ut plura, ab Equite *Josepho* est factum.

Camera della Zingarà Sculpturæ. Tertia sequitur Camera. Primum, quod hic occurrit Caput inter Fenestras & Portam, *Antinoi* est. Post Portam *Trajani* visuntur & *Galbæ*, in quarum medio Statua est *Ægyptiæ*, cujus corpus & vestitus ex nigro est Marmore, *Statua della Zingarà* caput autem, manus & pedes ex ære sunt.

Erigitur Statua hæc supra Aram Antiquam quadratam, quæ ad angulos quatuor Arietina habet capita, quæ cornubus suis totidem corollas sustinent. In fronte autem hanc habet Inscriptionem:

ANTONIVS. I. . . . 101
SIBI. ET
ANTONIAE. ARETE
CONTVBERNALI. SVAE
NVTRICI
M. ANTONII. FLORI

Secundam ubi Januam transieris, exigua statua sedentis cernitur *Cupidinis*, cujus dextrum genu levatur super truncum arboris.

Ad alterum Murum, ad latus Organi Musici, quod digitorum movetur tactu, Caput est *Liviæ*, *Pietatis* habitu; ut & alterum *Berenices* cum celebratissima sua Coma.

Post Fenestram, quæ Magnam Aulam spectat, Cœlatum opus *Bacchi* cernitur, qui *Satyrum* parvum fert super humeros, qui rapturum sese minatur botrum, quem *Bacchi* Statua manu tenet.

Ad Camini latera duæ mediocris magnitudinis Statuæ eriguntur; quarum prima Nymphæ est Marinæ, semirecubantis, conchyliumque manu tenentis. Altera *Veneris* est, pedibus insistens, totaque nuda. Supra Caminum in exiguo Anaglypho Caput cernitur, quod *Veneris* esse existimatur.

Post Januam, quæ ad Quartam ducit Cameram *Sileno* incumbentis *Bacchi* cernitur Statua. Inter Fenestras autem super Nucea Scabella duæ eriguntur Statuæ, *Fauni* altera utrem hume- 102
ris tenentis; altera *Bacchi* cum Tigride sua.

Picturæ. Supra Januam Secundæ Cameræ Quadrata visitur Pictura *Adonidis* mortui, cum *Venere* sua, multisque aliis figuris, *Scarsellini* opus. Quadratum ingens *Veneris* dormientis, *Dossi* est. S. *Georgius* Draconem occidens, *Salviati*.

Ad alterum Parietem, Magnam Aulam versus, quadrata duo dimidiatas quatuor habent figuras; magnum item illud *Vulcani* in Officina sua una cum *Venere*, supra Organum Musicum, inventione Musices exornatum, cuncta *Dossi* sunt. Quadratum *S. Catharinæ* Martyris, Equitis *Pomarancii* est. Quadratum *Charitatis* vero *Buonarotæ*; illud *S. Sebastiani* est *Petri Perugini*. Quadratum magnum *Danaës*, quod supra Caminum est, *Tintoretum* auctorem habet. *Lucretiæ* illud Lon-

1 ANTONIVS I. . . .] Apud *Gruterum* (ubi exstare dicitur in Palatio *Ceuli*) ita suppletur TRAI.

J. Manillus.

Longobardæ manus est. *Dossi*, intra Fenestram, dimidiata figura est Servatoris, qui manum suam supra Mundum extendit. Quadratum Virginis dolorosæ *Titiani* est.

Media in hac Camera stat Globus Cœlestis, satis magnus, pedi deaurato insistens, qui A-
103 quilis atque draconibus insculptus est.

Camera Centauri. Sculpturæ. In Camera Quarta, prope Januam, Fenestram versus, Caput cernitur *Gordiani* Juvenis. Inter duas Fenestras Aquilonares duæ eriguntur Statuæ, altitudinis quatuor palmorum, quarum altera *Cupidinis* est, altera *Harpocratis*, qui silentio Deus præest. Eriguntur duo hæc Signa ad latera Tabulæ *Attalico* more exornatæ (*Broccatello*) septem palmos longæ, latæ vero quatuor. Huic Tabulæ insistit Cœlatura *Nessi* Centauri, *Dejaniram* rapientis, ex ære artificiose elaborata.

Superius ad Parietem grande appenditur Speculum, quod frontis instar habet ornamentum laterale, commissum ex Alabastrite, Jaspide, lapide Lazuli, aliisque Gemmis, quinque palmorum in altitudine, in latitudine autem trium, ut & Columellis duabus ordinis *Corinthii* ex Marmore *di Breccia* purissimo exornatum.

Statua Centauri. Inter alias duas Fenestras, Occidentem versus, celeberrima illa *Centauri* visitur Statua, *Cupidinem* dorso vehentis. Habet eadem hæc Statua ad latera Antiquum Caput *Juliæ Mæsæ*, & juvenile aliquod recentis artis exornatum.

Post Fenestram Capita spectantur *Alexandri Magni*, *Neronis*, *Septimii Severi*, habentque
104 ultima duo Capita, e regione Tabulæ istius, intermediam aliam Tabulam ex Alabastro, quæ viridi & flavo distinguitur pro fimbriis ad latera, & cornicione Marmoris nigri, longam octo palmos, latam vero quinque, cui exiguum ex Marmore nigro Tauri insistit Signum.

Post Lectum cernitur in lapide Lydio rotundæ formæ, flavo circumdato lapide, Cœlatura trium *Cupidinum* dormientium, recentioris artificii.

Picturæ. Picturæ, quæ conspiciendæ veniunt, hæ sunt. Supra Januam prope Lectum Quadrata pictura est juvenis, qui solo insidet multum cogitabundus, prope quem senecio est, *Pordenonis* manu. Post duas Fenestras Aquilonares, quadratum Virginis est stantis cum Filio, quem amplexatur, *Danielis da Volterra* opus. Altera Virgo conspicitur ibidem Filiolum ulnis tenens, delineata penicillo novantiquo.

Supra Pergulæ Apertæ Januam *Venus* conspicitur dormiens, adstantibus duabus Nymphis, *Dossi* manu. Quadratum ovatum S. *Joannis Baptistæ*, ubi capite truncatur, Equitis *Josephi* est. Alterum quadratum S. *Francisci* supra Ingeniculatorium Scabellum *Cigoli* est. Quod sequitur, in quo *Jesum* Filiolum Virgo Mater adorat, *Mategnæ* esse creditur. Majores quatuor
105 Picturæ quadratæ, *Venus* scilicet Carpento vecta, capillosque disponens; *Cupido*, ubi a multis Nymphis armis suis spoliatur; *Venus* cum marito *Vulcano* in Officina Fabrili, multis comitata *Amoribus*; & *Venus* denique cum *Adonide*, omnes *Jo. Francisci Albani* sunt.

Stationes Meridionales. Somni Camera. Ubi Pergulam Apertam transieris, in Prima Camerarum Meridionalium Statione, prope Januam, supra basim ligneam trilateram, lapidis in morem coloratam, atque deauratam, Statua *Neronis* ponitur juvenilis, habitu Consulari, dependente a Collo bulla puerili. Altera Statua *Vespasiani* est, pariter juvenili ore, & habitu Consulari, singulæ autem sex palmorum sunt altitudinis.

Media inter duas hasce Statuas Tabula est ex Alabastrite Orientali, æqualiter sex palmos lata,

A cum limbo nigri atque candidi lapidis, aliorumque lapillorum coloratorum, & cornice Marmoris *di Pidocchioso*.

Sequitur Lectus *Sinensis* dictus (*della Cina*) propter vela seu cortinas elegantissimas, isto in Regno elaboratas. Habet vero Lecticam ligneam totam exsculptam atque deauratam, ingenti cornicione exornatam, quæ sustinetur quatuor Columnis ordinis *Corinthii*, quarum duæ, quæ ad pedes sunt, *Michaëlem Angelum Buonarotam* artificem agnoscunt. 106

Ubi transieris Lectum, Caput Marmoreum
B semiexstans, galeatum, quod insistit Tabulæ lapidis *Lydii*, quæ cornicione ærea deaurata ornatur, *Alexandri Magni* esse existimatur. Inter Januam & Fenestram Meridionalem Signum cernitur Matronæ contemplantis ritu.

In medio autem duarum Fenestrarum, e regione Statuarum *Neronis* & *Vespasiani* alia duo Signa sunt parvulorum *Faunorum*; ubi secundam vero transieris Fenestram, pulcherrimum, verum incerti hominis, Caput visitur.

Inter alias duas Fenestras, versus Occidentem, supra basem Nuceam octangularem, exsculptam atque deauratam, Statua seu Cœlatura Statua Somni.
C jacet, ex lapide *Lydio* elaborata artificiosissime, juvenis dormientis, nudi plane, & papavere coronati, qui Somnum repræsentat, quod recens est opus Equitis *Alexandri Algardi*, *Bononiensis*.

Ad latera hujus Statuæ duo cernuntur Vasa ex eodem lapide, à *Sylvio Velletrano* facta. Caput, quod sequitur, quidam volunt esse *Floriani*.

Supra Caput hoc Quadratum est *Dianæ*, cum Picturæ. duabus Nymphis, quarum altera, dum sese lavat, a duobus *Satyris* observatur, Equitis *Josephi*. Quadratum, quod sequitur, supra Januam Per- 107
D gulæ, in quo Virgo Mater cum *Christo* & S. *Josepho* depingitur, *Laurentii Bononiensis* est. Alterum supra Tabulam ex Alabastrite, Senis & Juvenis, atque Columbæ inferius, *Caravaggii* molimen est, qui eo pacto S. Trinitatem exprimere voluit. Quadratum *Lazari* suscitati ex mortuis, quod in lapide *Lydio* depingitur, *Alexandri Veronensis* est.

Post Lectum, supra Ingeniculatorium, quadratum illud parvum minio delineatum (*di miniatura*) Virginis pannos lavantis, *Castelli Genuensis* est. Magnum vero illud Quadratum
E *Sampsonis* nudi, creditur esse Fratris *Sebastiani del Piombo*. Quod sequitur alterum Assumtionis, exiguis admodum figuris depictum, *Julii Romani*. Rotundum Virginis cum *Jesu* & S. *Joanne* est *Raphaëlis*. Sub eodem quadratum lapideum *Christi* mortui, *Alexandri Veronensis* est. *Susanna*, tentantibus pudicitiam Senioribus duobus, *Petri Pauli Rubenii* est. Quadratum vero grande *Dianæ* Venatricis *Laurentii Bononiensis*; Habet idem hoc quadratum, in ingenti sua Cornicione, quæ alte exstantibus ornatur anaglyphis, exsculptos, depictos atque deauratos omnis generis fructus.

108 Camera trium Gratiarum Sculpturæ.
F In illa quæ sequitur Statione seu Camera, primum Caput, ad latus Camini, *Liviæ* est Augustæ, velatæ jam & consecratæ. Alterum, pinu coronatum Sacerdotis est *Cybeles*. Fenestram ubi transieris, quæ versus Magnam Aulam spectat, Cœlatura est complectens *Æthiopem*, candido vestitu, qui catulo abblanditur, & ad cujus latus puerulus est.

Sequitur dein alia Cœlatura, quinque fere palmos alta, quæ Tres *Gratias* complectitur, mediaque locatur inter duo Vasa Marmorea, trium fere palmorum altitudinis. Sequitur dein mediocris

cris Statua juvenis nudi, sedentis, eo actu,
quasi spinam pedi inhærentem evulsurus.

Post Januam duo conspiciuntur Signa; pri-
mum Servi & plangentis, Secundum liberi pu-
eri ridentis, volucremque manu tenentis. Inter
duo hæc Signa Tabula ex Alabastrite collocatur
Orientali, quæ tota circumdatur purissimis la-
pillis varii coloris, & Cornicionem habet ex la-
pide *Pidocchioso*, lata vero est quinque palmos
cum dimidio, unumque super longa palmum.
Supra hanc Tabulam cernitur Cœlatura ærea
deaurata, plurium figurarum, quæ exhibet fa-
bulam *Dirces* Taurique, ad exemplar prægran-
dis istius Antiqui Marmoris, quod celebratissi-
mi operis visitur in Palatio *Farnesiano*; imponi-
109 tur vero hoc Colopodio ex ebeno, cujus ex-
tremitates Lapide Lazuli & Jaspide teguntur.

Inter alteram Januam atque Fenestram *Cupi-
dinis* cernitur Signum sedentis. Prope Januam
vero Cœlatura est exigua *Fauni*, cui *Satyrus*
operam navare vult, in extrahenda ex pede ejus-
dem spina.

Media in Camera ingens Globus erigitur
Terrestris, qui in omnibus respondet Cœlesti
illi, qui in opposita Camera visitur.

Supra Januam, Primam versus Cameram, in
quadrum depingitur miles [1]*Juliæ* vestem osten-
tans *Pompeji* mariti sanguine tinctam; quod opus
Gentileschi est. Parvum quadratum cum tribus
figuris, matrona, *Æthiope* puero, & *Cupidine*,
ad *Titiani* exemplar a *Josepho* Equite est depi-
ctum. Illud *Lucretiæ* ad *Titiani* quoque pariter
ab eodem exemplar pictum est. Quod subtus
cernitur Prœlium Navale, *Belgæ* Pictoris est.
Matronæ dextram elevantis quadratum, &
ipsum ad *Titiani* opus ab Equite *Josepho* depi-
ctum est.

Ad Parietem, versus Magnam Aulam in qua-
drato Pictoria depingitur ars a *Germano* quo-
dam, *Francisco Franco* dicto. Quadrata duo qua-
drilatera, quæ singula tres dimidiatas figuras
habent, *Dossi* sunt.

110 Quod vero in medio pendet, Fabulam *Actæo-
nis* repræsentans *Belardini Cæsaris* est, qui *Jo-
sephi* fuit frater. Alterum rusticam exhibens salta-
tionem *Guidonis Reni*.

Quadratum *Herculis* Tauri cornu avellentis,
& ad alteram partem, puerorum *Hebræorum*, qui
felicem per *Mare Rubrum* hymnis celebrant transi-
tum, *Antiveduti* sunt. Horum in medio depin-
gitur *Magdalena* studio *Lucæ Cangiassi*. Sub-
tus autem ripa cum multis figuris *Aquæspartæ* est.

Quadratum *Cupidinis*, quod inter Fenestras
est, *Lucæ Cangiassi* est, *Sodomæ* vero puer ille
qui lyram pulsat.

Musæa. Sequuntur jam tria Musæa consulto extructa
in commoditatem Principis harum Ædium
Domini, ut in illum locum se recipere, ubi
vellet, posset.

Picturæ Primi Musæi. In Primo Musæo, quod exiguæ Porticus ha-
bet speciem, Magna duo quadrata *Veneris* sunt.
Titiani ibidem pictura visitur, Spinettam (genus
Organi Musici est) pulsans juvenis. Creditur
& ejusdem esse Auctoris alterum illud e regio-
ne, ubi ad pedes Deæ dormit catellus. Reli-
qua quadrata, quinquaginta duo numero, Ma-
tronarum *Romanæ* Urbis aliarumque præcipua-
111 rum *Italiæ*, sunt icones, partim a *Scipione Ca-
jetano*, partim a *Padovannino* depictæ.

Picturæ Secundi Musæi. Musæum, quod sequitur, totum exiguis Pi-
cturis quadratæ formæ plenum est. Virgo illa
prope Lectum, cui Angelus corbem cum fru-
ctibus porrigit, *Guidonis Reni* est. Deus Pater
supra Januam Equitis *Josephi* est. S. *Joannis Ba-*

A *ptistæ* dimidiata figura *Leonardi da Vinci* esse
creditur. Magi ab *Alberto Durero* ibidem depi-
cti sunt. *Andreæ* autem *del Santo* genium sapit
Virgo Mater *Christum* ulnis tenens.

Sub iisdem parvula duo quadrata, juvenis
florem manu tenens, & *Josephus* venditus *Ismaë-
litis* mercatoribus, *Raphaëlis* sunt.

Post Fenestram reliquæ tres ejusdem sunt
Raphaëlis, miles videlicet in campo dormiens,
Josephus fratres revocans ad Inquisitionem caly-
cis, & Tres *Gratiæ*.

Superius Virgo Mater cum grandi Cornicio-
B ne, Tabernaculi instar, *Correggii* est, *Josephi-
ni* autem, *Europæ* Raptus. Parvum vero Musi-
vum, in quo uni ramo duæ insident aviculæ,
Marcelli Provincialis est. Caput Servatoris, sub 112
eodem, *Laviniæ Fontanæ*.

Quadrata dein exigua duo ex Jaspide se-
quuntur. In altero Lucta depingitur *Jacobi* cum
Angelo; In altero *Sodomæ* incendium; utrum-
que *Belgam* quendam Pictorem agnoscit. Qua-
dratum *Veneris*, balneo exeuntis, cum multis
circa Amoribus, *Peregrini Bononiensis* est. Magos
in altero depinxit *Lucas Leidensis*, qui vocatur
nobis *d' Olanda*.

C In altero Pariete, supra Januam, quadratum
S. *Catharinæ* Martyris, *Raphaëlis* est. *Lazari*
suscitati, *Benevenuti Garofali*. Alterum Resur-
rectionis *Christi*, a *Michaële Angelo* quidem
est delineatum, ab alio vero coloribus imbu-
tum.

Sub illis Quadrata duo parva Historiam de-
pingunt *Josephi*; & in medio Pictura est Virginis
cum *Christo* & S. *Joanne*; omnia *Raphaëlis*
sunt.

In Musæo contiguo, supra Januam Servator Pictura Tertiæ Cameræ.
cum Cruce cernitur, medio corpore, Equitis
Josephi manu. Virgo *Ægyptum* petens ejusdem
D est. *Christus* agonem sustinens in Horto, *Pauli
Veronensis*. S. *Georgius* vero Eques, rursus *Jo-
sephi*.

Sub illis parietibus affixa sunt quadrata duo
parva ex lapillis pretiosis plurimi generis com- 113
missa, quæ vulgo *Musiva Florentina* (*Mosaici
di Fiorenza*) dicuntur, in quibus exprimuntur
Exploratores duo Terræ *Chanaanis*, & *Abraa-
mi* Sacrificium. Ad alterum Parietem est qua-
dratum parvum ex Lapide *Lydio*, penicillo
Vlamingi alicujus seu *Batavi*, depictam ha-
bens *Judith†am* precantem, & *Olophernem* dor-
E mientem.

In simili quodam ex Marmore, in quo sine
ullo artis adjumento venarum mira distinctione
Civitatem cum turribus Natura formavit, cer-
nitur eadem Civitas vi capta a *Christiano* exer-
citu, frustra defendentibus mœnia *Turcis*; in
quo ipso forsan exprimere Pictor voluit *Hie-
rosolymarum* expugnationem duce *Godofrido*,
quam tam laudabiliter descripsit *Torquatus
Tassus*.

Supra easdem Picturas Caput Virginis est;
ut & *Christus* nundinatores Templo ejiciens,
Marcelli Venusti manu. Virgo altera *Jesum* ul-
F nis gestans, *Petri Perugini* est. Supra Portam
S. *Franciscus Mutiani* manu depingitur.

Ad alium Parietem in superiore loco in qua-
drum exiguum Vicus seu parvum depingitur
Oppidum. Virginis illud cum *Christo* & S. *Jo-
sepho* est *Garofali*. Captivitas Domini cum S.
Petro, qui *Malcho* aurem amputat, Equitis *Jo-
sephi* est. S. *Joannes Baptista* in Deserto, Equi-
tis *Guidotti*.

Sub iisdem Adoratio cernitur Magorum,
Bassani opus. S. *Antonius* cum Dæmoniis in De- 114
serto, *Annibalis* est *Caracci*.

1 *Juliæ*] Debuerat dicere *Corneliæ*.

Post Fenestram quadratum exiguum *Magdalenæ* meditantis, ejusdem est *Caracci*. Altera, quæ stans librum legit, *Correggii*. Medium inter duo ista quadrata Sacrificium est *Abraami*, conceptum a *Michaële Angelo*, sed ab alio depictum. Subtus *Christi* historia adulteram dimittentis, *Alberti Dureri*. Duo exigua ad latera sunt quadrata Vicos repræsentantia ex lapillis variegatis. Tria Specula varie depictis floribus exornata, *Marii* sunt, qui vulgo *de' Fiori* dicitur.

Camera prope Scalam. Superest denique Camera Scalæ vicina. In hac, ad latus Januæ Pergulæ, opertæ duæ visuntur Cœlaturæ. Prima *Herculem* repræsentat infantem angues suffocantem; altera Faunum infantem utrem tenentem manibus.

Sculpturæ. Post Januam quatuor cernuntur Capita, quæ, incipiendo prope Scalam hæc sunt: Caput *Medusæ*, ignotum aliud, *Bruti* forsan; *Faustinæ* dein, & denique, prout creditur, *Crispinæ*, uxoris *Commodi*.

Picturæ. Iconica imago Sultanæ *Rosæ*, uxoris *Solimanni*, ad originale *Titiani* a *Bartholomæo Spranga*
115 est depicta. *Faustinæ* autem a *Claudio del Bufalo* elaborata est. Quadratum *Psyches*, ubi accensa lucerna *Cupidinem* amasium recognoscere cupit, *Jacobi Zuccæ* opus est. Icon autem *Annæ Austriacæ*, Reginæ *Polonorum*, atque matris *Sigismundi* III. auctorem agnoscit *Padovaninum*. Quadratum denique duorum amantium, cum Cupidine in aëre sublimi, *Lucæ Cangiassi* est.

HORTULI PALATIO CONTIGUI.

Hortuli Secreti de' Melangoli. Ex duabus Cameris in solo inferioribus exitur in duos Hortos Secretos. Horum primus, Meridiem versus, dicitur *de' Melangoli*. Longus est CCCCLV. latus LXXXVIII. palmos, Via Magna terminatur. Latiores duo ad latera Muri omnigenis operiuntur oleribus.

Ab altera extremitate sua exornatur parte Frontispicii Palatii lateralis; ab altera vero, ad Murum Viæ Magnæ Frontispicio operis exsculpti.

116 Plantatur Hortus hicce CXLIV. arboribus *di Melangoli*, in XXIV. divisis series. In principio, prope Palatium cernuntur duo Fontes ejusdem Marmoris, cum duobus capitibus Draconum, quæ exiguis ex cavernis prorumpentia, aquam in duo emittunt Conchilia. In extremo Muri, qui Secundum spectat Sepimentum, ad latera parvæ Portæ duo sunt fragmenta Anaglyphorum, Agriculturam alterum, alterum Sacrificium repræsentat. Supra eandem parvam Portam Deæ *Naturæ* Bustum est, capite velato, dextraque manu extra vestem prolata.

Frontispicium vero contiguum ad Murum Viæ Magnæ, pro primo ornatu *Dianæ* habet Statuam, in ædicula ex lapide *Tiburtino*. Sequitur Caput, quod *Antinoi* esse creditur, ad latera duo habet ornamenta Larvas aliaque Bacchanaliorum instrumenta exprimentia. In medio Frontispicio ingens est Anaglyphum cum tribus Figuris habitu Consularium, quod cornicionem habet Marmoream, & duos Hippogryphos ad latera, pedemque inferius Porphyreticum, foliis exsculptum, & in Leonis desinentem ungulam. Supra tres hasce Figuras ingens est Larva in medio duorum Capitum Anaglypho opere exsculptorum, sequiturque dein aliud Caput humanum, pariter utrimque
117 Bacchanalia habens ornamenta; & denique finitur illud Frontispicium Statua *Herculis* illi *Dianæ* respondente.

A Hortus, qui ab altero latere est Palatii, Aquilonem versus, longitudinis CCCC. est palmorum, latitudine vero convenit cum altero Horto. Hortus Secretus Florum.

Duos similiter Muros in longitudinem variis oleribus opertos habet, duosque Fontes parvulos, omnino illis, qui in primo Horto conspiciuntur, similes. Dividitur autem in decem Sectiones, quæ in longitudinem in duos scinduntur ordines, atque humilibus alis Myrteis cinguntur.

In singulis Sectionibus sex arbores *di Melangoli* plantantur, in variis vero quadraturis, com-
B plura genera Tuliparum, Anemonum, Narcissorum, Hyacinthorumque, atque similium præstantium florum quos tellus producit.

In extremo Horti Aviarium duplex est, cum Aviarium. ingentibus duabus Stationibus, in Caveæ formam, cum quinque in unaquaque Fenestris; tribus scilicet in ipsum Hortum prospectantibus; una versus primum Sepimentum, & reliqua ex ejusdem regione in tramitem Caveas ab invicem dividente.

Aperta superiori in parte hæc sunt Aviaria, retibus tantum, & connexis invicem ferreis virgulis tectæ, quæ ibidem testudines duas for-
C mant; atque eodem modo Fenestræ coöperiuntur.

Depinguntur intus amænis Hortorum, Agrorumque prospectibus, Aviariis præterea variis, 118
florumque corollis. In medio Fontes duos exiguos atque humiles habent, rotundosque, ut potum inde hauriant aves, quæ ibidem magna aluntur copia atque varietate, & in carcere isto deliciarum securam agunt vitam, omnique molestia cibum sibi ubique indagandi liberantur.

Media inter Aviaria duo Porta rotunda Marmorea erigitur, rupis & speluncæ in morem exornata. In summa parte pariter ex Marmore cernuntur Insignia Cardinalis *Scipionis Burghe-*
D *sii*; & in Frontispicio Caput *Julii Cæsaris*, quod positum est supra Basim quadratam Anaglyphum trium habens figurarum.

Per hanc Portam intratur in prædictum tramitem ejusdem cum Aviario longitudinis, palmorum videlicet XXXVI. latitudinis vero XV. cum sedilibus quatuor ex lapide *Tiburtino*. Fornix ejusdem Tramitis Apiarii seu Jasmini, ut & vitium fictis calamis atque ramulis depictus est, multisque aviculis. Inferius autem super sedilia quatuor Anni pinguntur Tempestates.

Ducit Trames iste in Gallinarium Aviario Gallinarium.
E contiguum. Est vero Cavea pro Horti latitudine, longa autem CCXCVII. palmos, cum Fonte prope quatuor Stationes, quæ pullis inserviunt, & cum octo arboribus moris, quæ ordine conjuncto plantatæ sunt.

SEPIMENTUM SECUNDUM. 119

Palatio, Orientem versus, exitur in Sepimentum Secundum, non minus amænum priori, neque vel hilum illi cedens respectu situs, pul-
F chritudine Sylvarum, dispositione arborum, & Sculpturæ artificio.

Planitiem comprehendit Sepimentum hoc nonaginta catenarum in circuitu, quæ Milliaris partes quartas tres conficiunt & sex catenas, seu CCCXLV. insuper palmos. Continet, præter magnum Ambulacrorum atque Semitarum numerum, Aream e regione Palatii, quæ Orientem versus spectat, & Cuniculorum mansionem. Versus Meridiem præterea est Domus quæ vocatur *degli Ufficii della Famiglia*; Cella Vinaria insuper satis grandis, & Aquilonem versus Theatrum, cum Frontispicio suo versus Para-

Paradisi Murum. Duæ præterea Sylvæ ad Areæ latera; Ilicis nemus; Atque Sylva, quæ se extendit per universam longitudinem Viæ Aquilonaris.

Area e regione Palatii. Ubi itaque exieris Palatio, per Portam, quæ Orientem versus spectat, occurrit Area quadra-
120 ta longa CCCLX. & lata CXC. palmos, quæ Meridiem versus, ut & Orientem atque Septentrionem, exornatur humilioribus alis ex Cypresso, quæ distinguuntur triginta duabus arboribus ejusdem generis in columnarum formam, & viginti octo Abietibus.

Intus in Alis istis quatuordecim eriguntur Vasa ingentia Antiqua, cocti lateris, una cum operculis suis, supra ovatas Bases Lapidis *Tiburtini*. Distinguuntur vero decem Statuis Antiquis, naturali magnitudine grandioribus, quatuor Sphingibus & quatuor Terminis; ordine sequenti:

Ad Caput Aquilonem versus Terminus est Marmoreus XXII. palmos altus, qui capite sustinet ingentem corbem cum fructibus, quinque palmorum altitudinis. Ejusdem formæ & mensuræ omnes alii Termini istius sunt Sepimenti, Capitibus Philosophorum & Mulierum exornati, restaurati, & in Terminorum formam redacti a *Petro Bernini*.

Sequitur inter duo Vasa Statua *Persei*; post illam vero ad latus Semitæ, quæ Lauretum medium dividit, duæ eriguntur Sphinges ex lapide *Ægyptio*, supra Bases quadratos lapidis *Tiburtini*, Aquilis & Draconibus exornatas. Sequitur aliud Vas, & post illud Statua *Octaviani Augusti*.

121 Eodem Ordine in parte, quæ Occidentem spectat, tres eriguntur Statuæ, *Lucii Veri*, *Galbæ*, & Gladiatoris. Ad Caput vero Ambulacri, quod recta versus Cunicularium ducit, alii duo sunt Termini, Statuæ item Gladiatoris, *Claudii*, & *Lucii Veri*. Ad alterum latus, Meridiem versus, Statua rursus *Octaviani*, duæque Sphinges; & ad introitum alterius Sylvulæ *Commodi* est Statua, seu *Herculis Commodiani*, alteriusque Termini.

Fons. In media Area ingens Fons visitur, cujus Vas ex *Africano* lapide est, octangulare. Horum quatuor latera intus cavitates suas extendunt, quatuor vero foras. In medio Vasis erigitur super basim columnatam ex eodem lapide, ingens Cantharus Antiquus Marmoris Graniti, cum quatuor Larvis in fundo exteriore, atque æreo in summo Signo *Narcissi*, naturalis magnitudinis. Gradus est in circuitu Vasis, qui totidem cum octo angulis plana efficit.

Sylvulæ. Area hæc ad latera duo habet Laureta, cum multis Abietibus, singula longitudinis CXCII. latitudinis CXV. palmorum. Versus hanc Aream Alæ istæ ex Cypresso, superius descriptæ, sunt;
122 ab altero vero latere alæ humiliores & sublimiores ex Lauro.

In medio Aream minorem rotundam habent, cum Fornice ex virgulis & densioribus ferri filis facta, quam sustinent octo Columnæ ex Marmore Granito. In medio horum Tabula reponitur rotunda lapidea, quæ cum octo Semitis exiguis, ex centro suo prodeuntibus, in Sylvula hac Astri figuram formant. Exornant Fornicem hanc atque Aream parvam sexdecim Abietes, quæ plantatæ sunt in circuitu. In Capite vero quatuor istarum Semitarum exiguarum quatuor positæ sunt Statuæ. In Sylvula scilicet Meridiem versus, illa *Dianæ*, *Veneris* item mari emergentis, cum *Tritone* ad pedes, alterius *Veneris* & denique *Julii Cæsaris*. In Sylvula, Aquilonem versus, Statua *Octaviani Augu-*

A *sti*, *Dianæ*, duorumque Juvenum *Phrygiorum*.

Hasce Sylvulas ubi transieris, inumbratur visus sexcentorum & plurium Ilicum serie, quæ æquali proportione ab invicem distant, ita ut quocumque spectes modo, tot faciant semitas quot ordines. Una ex iisdem, dividens duas Sylvulas superius descriptas, a Cunicularia incipit, & directo exit in medium Areæ. Ilicetum. 123

A Capite Meridiem versus, ubi Ilicetum, inter *Officiorum* domum aliamque, Pratum, seu potius Circulus est, in cujus meditullio erigitur exiguus ex Granito Globus, cum Aquila in vertice, B & duabus subtus Basibus. Harum prior ex Granito item est; posterior, quæ major est, ex Marmore, una cum suis Colopodiis. Ad latera æquali distantiæ Equestres duæ observantur Statuæ. Prior *Amazonis* est pugnantis, sub cujus equo a priore parte conspicitur miles, interque ungulas posteriores alter, mercedem quasi postulans. Altera Statua Militis est *Phrygii*. Pratum versus Meridiem.

In Capite seu Extremitate Prati, ubi Murus Viæ Magnæ Cypressis exornatur, ingens Labrum seu Concha conspicitur Porphyretica, quam duo Leones sustinent.

C Ad latera ejusdem similiter ex Porphyrete duæ sunt Columnæ, cum Capitellis Ordinis *Ionici*, ad Muri vero Frontispicium ingens Gallus 124
Gallinaceus Antiquus ex Marmore.

E regione Prati, ut diximus, incipit Ilicetum, quod finitur ad Aquilonem longo Ambulacro, quod a magna Sylva dividitur. In extremitatibus partis, quæ Occidentem spectat, duos Terminos grandes habet, Orientem vero versus pro Termino habet Caput ingens Marmoreum, Tripodi impositum, de quo suo loco acturi sumus.

Juxta Ambulacrum, ubi terminatur Ilicetum, D extenditur Sylva Laurea, longitudinis DCCLX. latitudinis CCCCII. palmorum, quæ per longitudinem dividitur in tria Ambulacra latiora, & duo contractiora; in Extremitatibus, ab Occidente Orientem versus ala humiliori, pluribusque alis elevatioribus, pariter ex Lauro. E regione Iliceti densissima Cypressorum obtegitur umbra, quæ illi veluti pro muro sunt. Intra densas hasce Cypressos quatuor eriguntur Statuæ, sedentes omnes, inter ædiculas earundam arborum, duæ item *Sphinges* ingentes Lapidis *Ægyptii*. Hoc more sunt dispositæ: Sylva Magna.

Ad latus, quod Primum spectat Sepimentum, E Statua est *Tiberii*, & *Plutonis* sedentis, adstante prope Infernali cane tricipiti *Cerbero*. Sequuntur jam ad extremitatem Ambulacri in medio 125
Sylvæ, duæ *Sphinges*, singulæ undecim palmos latæ, supra bases Lapidis *Tiburtini*, insculptas Aquilis, Draconibus & foliis, quatuordecim palmos longas. Post *Sphinges* aliæ duæ reponuntur Statuæ, *Antonini* scilicet *Pii*, cum filiola, & Viri Consularis.

Intus in Sylva, ad latera medii Ambulacri, quod in Theatrum exit, in duabus Areis, duæ eriguntur Columnæ Porphyreticæ, cum Capi- F tellis Ordinis *Ionici*, in quarum summo duæ sunt Statuæ magnitudine naturali, altera Occidentem versus, *Abundantiæ* est, opposita altera *Jovis*. Insistunt hæ Columnæ supra bases quadratas; Colopodiis earumdem in Leoninos ungues exeuntibus, quæ omnia ex Marmore sunt. Tota vero Machina insistit grandi plano Lapidis *Tiburtini*, quod duos in circuitu gradus habet. Porphyreticæ Columnæ in Sylva.

Ab opposita parte, e regione videlicet Paradisi, ad duos Sylvæ angulos, Terminorum aliæ duæ ingentes eriguntur Statuæ; ad Caput au-

autem Ambulacri primi largioris Statuæ duæ visuntur Consulares, earumque e regione, ad
126 tertium Ambulacrum largius, duæ *Veneris* Statuæ. Exitur per medium Ambulacrum in Theatrum, de quo, ut & de Frontispicio, quod habet e regione, in fine hujus Sepimenti acturi sumus.

Ambulacra ad latera Palatii.

Ad latera Palatii duo extenduntur Ambulacra, alterum Meridiem versus, atque alterum longius versus Septentrionem. Longius illud ab altera parte Murum habet coöpertum alis Lauri depressioribus atque sublimioribus, ab altera vero parte unum ex parvis Sylvis, partem Ilicetiquoque, atque Magnæ Sylvæ. Desinit autem in ingentem Portam ferreis cancellis septam, quæ ducit in Paradisum; ad latera autem habet duas ingentes Statuas *Apollinis* & *Æsculapii*; supra Statuas vero duo sunt Capita, recentioris artificii, rotundis ædiculis suis inclusa.

Alterum Ambulacrum, quod ad alterum Palatii latus est, dividitur ab Horto *de' Melangoli*, Muro similiter alis ex Lauro depressioribus altioribusque coöperto. Ab altero autem latere Palatio contiguam habet Sylvam, atque Domum *Officiorum*, in Peninsula sitam, quæ una cum hoc Ambulacro terminatur ad Murum Viæ Magnæ.

Habet vero Domus hæc *Officiorum* (*Casa degli Uffizii*) Planum cum ingenti Impluvio, in quo erigitur una ex ingentibus istis Portis
127 Cancellatis, quæ Viam versus porriguntur; in circuitu vero novem sunt ædificia; duo scilicet Cœnacula, Culina, Cupedinaria, Promtuarium, Distillatorium, duo Stabula & Granarium.

In fine hujus Ambulacri in Ædicula media inter duas Columnas nigri Marmoris erigitur naturali major Statua *Cereris*, ex Marmore candido, ita tamen, ut vestes nigri sint Marmoris. Insistit autem Basi, quæ Monumentum fuit olim Sepulcrale Matronæ Antiquæ, quæ, prout ex Elegiacis *Græcis*, quæ versibus supra atque infra Caput ibidem exsculpta leguntur, affirmari potest, fuit celebris Poëtria, *Petronia* nomine dicta. Inscriptio talis est:

128 Τὴν κυανῶπιν μοῦσαν ἀηδόνα τὴν [1] μελίγηρυν
Λεῖτος ὁδ' ἐξαπίνης τύμβος ἄναυδον ἔχει.
Καὶ κεῖται λίθος ὡς ἡ πάνσοφος, ἡ περίβωτος
Μοῦσα καλὴ, κούφη σοι κόνις ἥδε πέλοι.

Id est,

Nigros habentem oculos Musam lusciniam mellifluam
Publicum hoc ex improviso sepulchrum sine cruore tenet.
Et jacet lapis velut doctissima, celebris
Musa pulchra, levis tibi pulvis sit.

Τίς μου τὴν σειρῆν ἄκακον κακὸς ἥρπασε δαίμων;
Τίς Μούτην γλυκερὴν ἥρπασ' Ἀηδονίδα;
Νυκτὶ μιῇ ψυχροῖσιν ἄφαρ σταγόνεσσι λυθεῖσα
Ὤλεο μοῦσα, ἐτάκη δ' ὄμματ' ἐκεῖνα σέο.
Καὶ στόμα πέφρακται τὸ χρύσεον· οὐδὲν ἔτ' ἐν σοὶ
Λείψανον οὐκ εἴδους, οὐ σοφίης πέλεται.
Ἔρρετε μερμῆραι θυμαλγέες, ἄμμοροι ἐσθλῆς
Ἐλπίδος ἄνθρωποι, πάντα δ' ἄδηλα τύχης.

Id est,

Quis meam Sirenem innocuam malus arripuit Dæmon?
Quis Muten dulcem rapuit Lusciniolam?
Nocte una frigidis statim stillicidiis soluta
Periisti Musa, contabuerunt vero oculi illi tui,
Et os obturatum aureum, nullæ amplius in te
Reliquiæ, nec speciei tuæ, nec sapientiæ sunt.
Valete curæ tristes, expertesque bonæ
Spei homines, omnia sunt incerta Fortunæ.

Sub Aræ coronide hæ literæ *Romanæ* incisæ leguntur:

PETRONIAE MVSAE.

Ad latera Statuæ *Cereris*, extra Ædiculam 129
Muro insertæ suspiciuntur duæ ingentes Tabulæ Marmoreæ, quæ duas longas Inscriptiones *Græcas* continent. Sunt vero hoc modo conceptæ:

[2] ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ.

Δεῦρ' ἴτε Θυβριάδες νηὸν ποτὶ τόνδε γυναῖκες
Ῥηγίλλης ἕδος ἀμφὶ θυηπόλα ἱερὰ φέρουσαι
Ἠδὲ πολυκτεάνων μὲν ἔην ἐξ Αἰνεαδάων
Ἀγχίσεω κλυτὸν αἷμα, καὶ Ἰδαίης Ἀφροδίτης
Σῆμα τόδ' ἐς Μαραθῶνα Θεαὶ θέμιν οὐρανίωνα
Τίουσιν δὴ ὅ τε νέη δὴ, ὥτε παλαιὴ
Τῆς ὑπέρειθρον εἶδος, ἐυζώνοιο γυναικὸς
Ἀγκεῖται, αὕτη δὲ μεθ' ἡρωΐνῃσιν ἔναιεν
Ἐν μακάρων νήσοισιν, ἵν' ἄρχονος ἐμβασιλεύει.
Τοῦτο γὰρ ἀντ' ἀγαθοῖο νόου εἴληχεν ἄποινον,
Ὡς οἱ Ζεὺς ᾤκτειρεν ὀδυρόμενον παρακοίτην
Γήραϊ ἐν ἀζαλέῳ χήρῃ περικείμενον εὐνῇ
Οὕνεκα οἱ παῖδας μὲν ἀμύμονος ἐκ μεγάλοιο
Ἀρπυῖαι κλωθῶες ἀνηρείψαντο μέλαιναι
Ἡμίσεας πλεόνων, δοιὼ δ' ἔτι παῖδε λιπέσθην
Νηπιάχω, ἀγνῶτε, κακῶν ἔτι πάμπαν ἀπύστω.
Οἵωσφι νηλὴς κατὰ μητέρα πότμος ἔμαρψε
Πρίν περ γηραιῇσι μιγήμεναι ἠλακάτῃσι,
Τῷ δὲ Ζεὺς ἐπίηρον ὀδυρομένῳ ἀκόρητον,
Καὶ βασιλεὺς Διῒ πατρὶ φυὴν καὶ μῆτιν ἐοικώς.
Ζεὺς μὲν ἐς Ὠκεανὸν θαλερὴν ἔστειλε γυναῖκα 130
Αὔρῃσι ζεφύροιο κομιζομένην δυσίῃσιν
Αὐτὰρ ὁ ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα
Δῶκεν ἔχειν τὰ λέγουσι καὶ Ἑρμάωνα φορῆσαι
Ἦμος ὅτ' Αἰνείαν πολέμου ἐξῆγεν Ἀχαιῶν.
Νύκτα διὰ δνοφερήν, ὁ δέ οἱ περὶ ποσσὶ λωτὴρ
Παμφανόων ἔνεχε ποσι . . κύκλον . . .
Τὸν δὲ καλινέα δαιτ . . . ἐνειράψαντο πεδίλῳ
. . . . γηγενέεσσι γέρα
. . . . . οσοι . . καὶ Κεκροπίδην περ ἐόντα
Τυρομε . . . . ον ἐπισφύριον τέρας ἀνδρῶν
Ἑρσης ἐκγεγαῶτα, καὶ Ἑρμέα εἴ ετεόν δὴ
Κηρυκηρωδέιω πρόγονες Θησηϊάδαο
Τοὔνεκα τ' εἴμησις καὶ ἐπώνυμος ἡ μὲν ἄνασσα
Ἐς βουλὴν ἀγέρεσθαι, ἵνα πρωτόθρονε ἕδραι
Ἑλλάδι δ' οὔτε γένος βασιλεύτερος, οὔτ' ἔτι φωνὴν
Ἡρώδεω γλῶσσαν δέ τε μιν καλέουσιν Ἀθηναίων
Ἠδὲ καὶ αὐτή περ καλαῖς φύροισιν ἑώνη
Καὶ Γανυμηδείη, καὶ Δαρδάνιον γένος ἦεν
Τρῶος Ἐριχθονίδαο εὔφιλον ἱερὰ ῥέξαι
Καίουσαι θυέων ἀτὰρ οὐκ ἀέκοντος ἀνάγκη
Εὐδέ τοι εὐσεβέεσσι καὶ ἡρώων ἀλεγίζειν.
Οὐ μὲν γὰρ θνητὴ ἀτάρ, οὐδὲ θέαινα τέτυκται,
Τοὔνεκεν οὔτε νεὼν ἱερὸν λάχεν, οὔτ' ἔπι τύμβον
Οὐδὲ γέρα θνυτοῖς ἀτὰρ, οὐδὲ θεοῖσιν ὅμοια,
Σῆμα μέν οἱ νηΐκελον δημῶσιν Ἀθήνης
Ψυχὴ δ' ἐς κίμερον Ῥαδαμάνθυος ἀμφιπολεύει.
Τοῦτο δὲ Φαυστείνῃ δεχαελσμένον ἐστὶν ἄγαλμα 131
Δήμω ἐντροπέωνα οἱ πάρος εὐρέες ἀγροὶ
Καὶ

---

1 ΜΕΛΙΓΗΡΙΝ] Apud Grut. p. MCXVIII. 9. ΜΕΛΙΓΗΡΥΝ. ut & alia quædam diversimode scribuntur.

2 ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ] Egregie Nobilissimum hoc Monumentum *Regillæ*, ejusque mariti *Herodis Attici*, peculiari Libro illustravit *Claudius Salmasius*.

Καὶ χορὸς ἡμιθείδων, ϗ ἐλαχήεντες ἄρουραι
Οὐ μὲν ἀτιμήσειε θεὴ βασίλεια γυναικῶν
Αμφιπόλων γεραῶν ἔμμεναι ϗ ὅπλον ἀνύμφην
Οὐδὲ γὰρ Υφιγένειαν εὔθρονος υἱοχέαιρα
Οὐδὲ Ροιω Γοργῶπις ἀπητίμησεν Αθήνη,
Οὐδὲ μιν Ηρωΐνῃσιν παλαιῇσιν μεδέουσα
Καίσαρος ἰφθίμοιο παρέψεται ὄμπνια μήτηρ
Ες χορὸν ἐρχομένη προτεράων ἡμιθεάων,
Η λαχῶν ἠλυσίησι χοροστασίησιν ἀνάσσειν,
Αὐτή τ' Αλκμήνη τε μάκαιρά τε Καδμείων,

Id est,

M A R C E L L I.

Huc properate Tyberinæ templum ad hoc mulieres
Rhegillæ solum ad sacrificium colyra ferentes,
Et prædivitibus quidem ex ædibus
Anchises, & ipsum sanguinem, & Ideæ Veneris
Sepulchrum hoc in Marathonem quidem Deæ cœlestem
Colunt, tum huic nova, tum huic antiqua
Rubicundam speciem bene ornatæ mulieris
Recumbit; ipsa vero cum Heroinis inhabitat
132 *In beatorum insulis, ut immortalis regnet:*
Hoc enim pro bono animo sortita est præmium
Sic illi Juppiter misertus est gementis viri
Senectute in sicca viduum circum amplectentis cubile:
Quare illi filios quidem ex inclyto magno
Falce Parcæ corripuerunt nigræ
Dimidiam partem plurium: duo autem filiæ relictæ sunt
Infantes innocentes, vitiorum adhuc omnino jejunæ,
Quas crudelis apud matrem mors rapuit
Antequam vetustis miscerentur colis:
Hasque Jupiter jucunde lacrymatus est, & innuptialem Juventutem
Et Imperator Jovi Patri indole, & consilio similis
Jupiter quidem in Oecanum teneram misit mulierem
Auris Zephyri deportatam avidius.
Tum astrifera circa malleolos puero calceamenta
Dedit habere, quæ dicunt etiam Mercurium gestasse
Tunc cum Aeneam è bello eduxit Achæorum
Noctem per caliginosam: hic vero . . . .
Propalans ob . . . . circulum . . . . .
Hunc vero Calinceum . . . . contexerunt calceamento
. . . . terrigenis præmia
. : : . . . & Cecropidem licet existentem
133 *Affixum . . : : prodigium virorum*
Ab Herse natum, & Mercurium veridicum
Caduceatorem pronepotem Thesei.
Unde & illi honore, & nomine similis Regina
In consilium . . . . ut primus sederet;
In Græcia vero nullus gente dignior imperio, & voce
Et linguam illum vocant Atheniensium
Ipsum vero etiam pulchris ornatum genis
Ad Ganymedeum, & Dardanium genus referebat
Trojæ longinquæ amicum, ut sacra faceret
Urens sacrificia, ut non nolenter necesse est
Bene quidem piis, & heroibus auxiliari;
Nec propterea mortalis, nec Dea nata est:
Quare, neque templum sacrum sortita est, neque tumulum,
Nec præmia mortalibus, at neque Diis similia.
Sepulchrum quidem hoc templo simile publice Athenis,
Anima vero in Cimerium Rhadamanthi oberrat.
Hæc autem Faustinæ donata est statua
Publica, cui olim lati erant campi,
Et chorus famularum, & fructiferæ terræ.
Non quidem sine honore faciet Dea Reginam mulierum:
Famularum vetularum esse, & puellam innuptam
Cum neque Yphigeniam altisedens arcu gaudens
134 *Neque Rhoem Gorganea despexit Minerva*
Neque istam Heroinis veteribus imperans

A *Cæsaris magnamini sequetur felix Mater*
In choro veniens antenatarum heroinarum,
Quæ sortita est Elysiis mansionibus imperare,
Ipsique Alcmenæ beatæ, & Cadmi genitæ.

Πότνι' Αθηνάων 'ἐπιήρανε Τριτογένεια
Η τ' ἐπὶ ἔργα βροτῶν τιμαῖς Ραμνουσία σοῦται
Γείτονες ἀγχίθυροι Ρώμης ἑκατονταπύλου
Πείονα δὴ ϗ τόνδε θεὰ τειχήσατο χῶρον
Δῆμον δηώθιο φολόξεινον τελόπαο
Τόφρα κε ϗ τελέπεισι ἐν ἀθανάτοις ἀλεγίζηται
Ως ὅτε ϗ ῥαμνοῦντα, ϗ εὐρυχώρους ἐς Αθήνας
B Ηλθε τε δώματα πατρὸς ἐριγδούποιο λιποῦσα
Ως τὴν ἀθρώεσθε πολυστάφυλον καὶ ἀλῶνα
Λήϊά τε σταχύων, ϗ δένδρεα βοτρυόεντα
Λειμώνων τε κόμας ἀπαντρεφέων ἐφεπούσας.
Υμμι γὰρ Ηρώδης ἱερὴν ἀνὰ γαῖαν ἔηκεν
Τὴν ὄασην περὶ τεῖχος εὔτροχον ἐστεφάνωται
Ανδράσιν ὀψιγόνοισιν ἀκινήτην ϗ ἄσυλον
Εμμεναι ἡ δ' εἴποι ἐξ ἀθανάτοιο καρήνου
Σμερδαλέον σίσασα λόφον κατένευσεν Αθήνη
. . . ωινη ποινον βῶλον μίαν, ἢ ἕνα λᾶαν
Ου λίσσαι ἐπεὶ οὐμ' ἀγεωνα . . τρεῖς ἀνάγκαι
Ος κε θεῶν ἕδεσιν ἀλιτροσύνην ἀνάθημα
C Κλῦτε περιλτιόνες, ϗ γείτονες ἀγροϊῶται
Ιερὸς οὗτος ὁ χῶρος, ἀκίνητοι δὲ Θέαιναι
Καὶ πολυτίμητοι, ϗ ὑποχεῖν οὔας ἑτοῖμαι 135
Μηδέ τις ἡμιθείδων ὀρχούσηεν ἄλσεα δένδρων
Η ποίην . : . χλων θάλλει χλωρὰ θέουσαι
Δμώηνι θάνεε αἶδος ῥῆξε μάκελλαν
Σημάνωντ' εὐχῶν ἢ εἰ πρότερον κεραΐζων
Οὐθέμις ἀμφὶ νέκυσιν ἀλγεῖν τροχθοναβῶν
Πλῆνον ἔνιψ' ἄλγος . . . γένος ἐς . . .
Κείνους νόει, ϗ . . . ἐπιτιμ' ἄορος ἔστω
Καὶ γὰρ Αθηνᾶν . . . βροτιδίων βασιλῆα
D Νηω . . . . ἔμμεναι Ιρῶ.
Εἰ δὲ . . . . ταῦτα - - 'ἐπιπείσεται αὐτῷ
Αλλὰ . . . . . . πθὰ γένηται
Αλ : : ἀπρόφαλος νέμεσις ϗ ῥόμβος ἀλάστωρ
Τὶς : . στυγερὴν . . . . . κακότητα
Οὐ δεῖ ἀρηοθ . . τελεπέον ἑνὸς Αιολίδαο
Ων - - - - Δημήτερος ἐξαλαπάζει
Τῷ ἤτοι ποίην - - - ϗ ἐπωνυμίην ἄσαιθαι
Χώρου μήτοι - - ἐπη διεπιτρόπειος Ερινὺς.

Id est,

E *Regina Athenarum jucunda Minerva,*
Qua ad opera mortalium honoribus, fortunaque excitantur
Vicini habitantes prope portas Romæ centum portas habentis:
Pinguem itaque & hunc Dea custodivit locum
Populumque divinum, & advenarum amicum
Cum etiam apud Immortales cura habeatur.
Ut quando ad Rhamnuntem, & latos habentes campos Athenas. 136
Venit Domos Patris altitonantis relinquens
Sic illam multas habentem uvas aream
F *Segetesque spicarum, & arbores cincinnas*
Pratorumque comas, quæ omnia nutriunt colentes.
Vobis enim Herodes per sacram terram misit
Famam: circa Murum mobilem coronatus fuit,
Viris posteris immobilem, & minime prædæ obnoxiam
Horrendam quatiens galeam annuit Minerva
. . . . glebam unam, aut unum lapidem,
Non supplicare quoniam non me . . . tres necessitates
Quinque Deorum in sedibus peccatum repositum.
Aduite proximi & vicini Agricolæ

J. Manillus. D Sa-

Sacer est iste locus, immobiles vero Deæ,
Et multi precii, & cohibere non tardæ.
Nec quis mortalium invadat sylvas arborum,
Vel herbam, quam irrigant aquæ proficuæ viridem currentes
Servæ . . . . . . scindat ligonem
Significans precibus sit prius vastans
Non fas de mortuis dolere perditis,
Cæterum lava morbum . . genus in . .
Illis mentis & . . si quid me immaturus sit.
137 *Etenim Minervam . . Mortalium Regem*
. . . . esse Irum.
Si vero . . . hæc . . . non crederit illi.
Sed . . . . parva fiant
Perdat improvisa Nemesis, & turbo, pessimusque Dæmon
Quis sane . . . perniciosam . . . malitiam
Non oportet . . Tropeorum unius Aeolidæ
Quorum . . . mitem Cereris fructum devastat
Huic sane pœnam, & cognominis jacturam faciat.
Loci ne quidem . . . cum sit ultrix Erinnys.

Ante domum hanc *Officiorum*, multa Antiquæ Sculpturæ cernuntur vestigia, in solo ibidem sparsa. Ara est Marmorea quadrata, quæ Urceolum ad latera habet & Pateram, in fronte autem hanc Inscriptionem:

AESCVLAPIO
L. CANTIVS
[1] RVFFINVS
ET
CANTIA
EVHODIA
DD

Muro Domus hujus quatuor affixæ leguntur Inscriptiones. Prima hæc est:

138 D M
AELIAE. ROMANAE
CONIVGI. DVLCISSIMAE
M. AEL. MVCIANVS
RVFAS
SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBER
TABVS POSTERISQ. EORVM

Secunda:

D M
P. MANILIVS THALAMVS
ET. GABINIA TROFIME VI. VI
SIBI FECERVM. (*sic*) ET LIB. LIBER
TABVS POSTERISQVE EO
RVM IN FR. P. X. IN AGR. P. XI

Tertia:

DIIS MANIBVS
P. OCTAVI DYNANTIS
VIX. ANNIS IIII. ET
OCTAVIAE ISIADIS
VIX. ANNIS XIIII.
P. OCTAVIVS HERMES
ET OCTAVIA TERTIA
FILIS CARISSIMIS ET SIBI
POSTERISQVE SVIS

139 Quarta:

D M
F. FLAVIVS ELEVTHER. SERVIVS
FECIT SIBI ET SVIS LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTERIS.
* QVE. *QVAE EORVM
N. M. B. M. ABESTO.

1 RVFFINVS] Simplici F. scribitur apud *Grut.* p. LXXI. 5. Repetitur infra pag. CLVIII. ad marg. Sequentes desunt *Grutero*.

A Alter ejusdem Domus Murus, qui oppositus Sylvulæ sequitur, Malogranatis arboribus obtegitur, atque in sublimi sex Capita humana habet Marmorea; in medio quorum aliquot sunt Fragmenta sepulcri Antiqui, cum hac Inscriptione:

FABIAE
CYRILLAE
CONIVGI.

In altero Muro Domus ejus Orientem versus, pariter iisdem vestito arboribus fructibusque, alia quatuor humana similiter visuntur Capita.

B Sequitur jam Pratum superius descriptum, cum alia Domo, quæ Stationen habet longitudinis CVI. palmorum, latitudinis vero LX. pro reponendo fœno, in usum equorum, aliorumque animalium, quæ ad hanc Villam pertinent. Duæ insuper ibidem sunt Stationes, & parva Porta, quæ Ambulacro respondet.

Hanc Domum ubi transieris ingens Statua occurrit Agriculturam repræsentans, quæ Aræ quadratæ *Mercurii* insistit. In ejusdem fronte Arcula pro continendo thure insculpta visitur; C Dei ejusdem Pileolus, atque Caduceus, ab reliquis vero partibus Patera, Urceolus, atque alia instrumenta Pontificalia. 140 *Ara Mercurii.*

Murus hic, post Domum illam, usque ad Cunicularium Granatis tegitur. Est vero illud in Ambulacro Orientem versus, & in extremo Statuam habet Servi senis, qui utraque manu præ se fert corbem uvis aliisque fructibus plenam.

In Ambulacro, quod sequitur Orientem versus, ibique Villam finit, Cunicularium est ædificatum, longum CLXXII. palmos, latum vero CXV. quod habet quandam Portam, D fornice tectam, ante se, ex Lapide *Tiburtino*, fornicato opere, estque e directo Portæ Palatii. Intus in Cuniculario, in Muro versus Viam Magnam Porta est, quæ ab illa parte Villæ est postrema. *Ambulacrum ad Orientem. Cunicularium.*

Ubi Cunicularium transieris, usque ad Ambulacrum, quod Ilicetum a Sylva dividit, Murus operitur Nucibus, quæ Ilicibus distinguuntur. Ornatur vero a parte Ambulacri, ad finem usque, ut respondeat Sylvæ, quæ ad latera sua ibi ex regione est, alis Lauri depressioribus atque sublimioribus. 141

In hoc Muro, ubi Cunicularium transieris, E Vas Antiquum est Marmoreum, decem vel undecim palmos altum, cum fundo ornato (*a spicchi*) cœlato opere, quod inter duo manubria, sub ora sex Larvas exsculptas habet, repositum vero est super Aram Antiquam quadratam, Marmoream, quæ in fronte corollam ex fructibus habet, subtus autem Basim ingens est Colopodium ex Lapide *Tiburtino*. *Vas ingens.*

Post Vas hoc, in extremitate Ambulacri Ilicum, quasi ad latus Sylvæ, ingens Caput est Marmoreum *Neronis* juvenis, insistens Tripodi satis Antiquo, Reipublicæ forsan adhuc tempo- F re confecto, alto palmos octo cum dimidio, lato undiquaque sex, cum tribus subtus ungulis Leoninis, quibus insistit. Universa hæc Machina magnæ insistit Basi lapidis rustici, triangulari, septem palmos altæ. *Caput Neronis Antiquissimo Tripodi impositum.*

Tripus autem, de quo loquimur, undiquaque duobus Anaglyphorum ordinibus est exsculptus, integris figuris, omnibus stantibus & coronatis. In fronte præcipua tres cernuntur Matronæ, vestitæ, quæ præhensis invicem manibus Choream formant Nuptialem. Superius, in secundo ordine 142

ordine *Jupiter* atque *Pudicitia* ſe invicem reſpiciunt; & pariter rurſus alteræ Duæ ejuſdem Figuræ eodem more *Neptunum* ſibi habet oppoſitum.

In Latere Meridiem verſus, in primo Plano tres ſculpuntur Figuræ. Harum prima ramulum pomis ornatum manu tenet, altera autem veſtis imam partem ſublevat, qui *Spei* ſolet eſſe Typus. Secunda *Pudicitiæ* rurſus Typus eſt, altera enim manu velum ab anteriore parte ſuper caput dependens ſuſtinet, altera vero vitis habet lignum dependentibus duobus uvarum racemis. Tertia Figura oleæ ramum altera manu tenet, dextra autem pariter velum ſuper caput attrahit.

In Superiore Ordine quatuor cernuntur Figuræ, *Pudicitia* ſcilicet, *Salus* manu ſerpentem ſuum tenens, *Pietas* Sacerdotis habitu, oblongam habens pateram, & Dea *Pallas*.

In Tertio Latere exſculptæ ſunt, in Primo quidem Ordine tres Sacerdotes Fœminæ, ſingulæ virgam manu tenentes. Superius *Mars* cernitur cum *Junone*; *Mercurius* item cum alia quadam Dea, quæ facile cognoſcitur reſtituta noſtris fuiſſe temporibus.

143 Tota forſan hac Figurarum diſpoſitione innuitur conſervari in Familia Pudicitiæ unius medio Pacem Conjugalem & Hilaritatem, quæ vitis fructu ſignificari poteſt, quum vino hilares reddi ſoleant homines; Oliva enim paſſim Pacis & Concordiæ Typus eſt. Hac enim ratione beatur Matrimonium, mereturque Numinis curam & opem, ut domus felix & dives omnibusque ornata virtutibus evadat inſignis.

Frontiſpicium exiguum ad Murum Ambulacri verſus Orientem.

In extremo Ambulacri iſtius, e regione alterius, quod Aquilonem verſus ſeſe extendit, non magnum eſt Frontiſpicium, compoſitum ex Statuis atque multis Anaglyphis. Prima Statua, qui *Phrygii* captivi eſt, ſupra ſe Anaglyphum habet, in qua Venatio exprimitur Apri, ubi cernuntur duæ Figuræ ſtantes, atque una ab eadem fera in terram proſtrata. Ad latera parvæ duæ Statuæ ſunt medio tenus exſtantes, habitu Conſulari altera, altera *Chriſti* Paſtoris habitu pecudem ſuper humeros portantis.

Sub Statua Conſulari hæc legitur Inſcriptio:

D. M
P. MALIO FYRMINO
VIX. AN. XXIIII.
M. III. D. XXVII.
P. MALIVS. MAXIMVS
FRATRI
B. M. FECIT

144 Sub Paſtore bono hæc agnoſcitur:

D. M
CANTABER. AVG. LIB
CALLISTIQNI
ALVMNO

Sequitur in medio Frontiſpicii grandis Tabula Marmorea, in qua ſculpitur Servus armatus, equum capiſtro tenens. Supra Tabulam erigitur Cœlatura Larvæ, ſub qua *Silenus* agnoſcitur cnm quinque aliis figuris.

Sub Tabula eadem longum quadratum Anaglyphum eſt, in quo infans mortuus faſciis jacet involutus, cum ſequenti Inſcriptione ſatis rudi.

MENSIBVS. ACTIS. POST. NVPTIAS. II. NERO
PER. QVAM. BIDVATVS. EST. CASTA. CVM *
POSTERIS. OSTENDENS
VILLIS. SE. CREDERE. FAS. EST
PATRE. REPVGNANTE. PRO
PIO. HAEC. NOMINE. SIGNAT
NOBERCAM. VINCENS
* FAME. NOVEM. VBIQVE. M†

* *forte*, Conjuge.

* Famæ, † *forte*, Manet.

A Suſtinent Inſcriptionem hanc duo *Amores*, 145
atque ab altero latere Præſepe eſt cum Paſtoribus, ab altero *Jonas* in Mare præcipitatus.

Altera Statua, quæ reſpondet Captivo *Phrygio* iſti, *Dianæ* eſt, quæ pariter locatur inter duas Statuas Conſulares, ſupra ſe autem habet Anaglyphum recentius *Cupidinis* Aquilæ inſidentis. Sub duabus Statuis hæ leguntur Inſcriptiones. Sub priori:

D. M
C. CASSIVS. VAL. RIA
B NVS. T. HORANIAE
SECVNDAE
CONIVGI. BENE
MERENT. ET. SIBI
ET. SVIS

Sub poſteriori:

D. M
SYNESI
TELESPHORVS
MATRI
SVAE. BENE
MERENTI
C FECIT

Quod ſequitur Ambulacrum, Aquilonem 146
verſus, e regione Paradiſi, ab altera parte in longitudinem habet prædictam Sylvam cum Theatro; in oppoſito autem Murum Paradiſi, cum alis depreſſioris Lauri atque elevatioris; verumtamen in initio parvum habet Frontiſpicium, contiguum illi, quod modo deſcripſimus; in medio autem e regione Theatri pulcherrimo exornatur Frontiſpicio.

In initio itaque Muri Paradiſi, alteri, qui ad Orientem eſt, contiguo, a latere parvæ cujuſdam Portæ Statua cernitur *Æſculapii*, ut & *Cupidinis* absque alis, arcu ad pedes depoſito, atque incumbentis vaſi cuidam, ſagittæ autem pelle ferina jacent involutæ. (D)

Supra Statuam *Æſculapii* erigitur Anaglyphum, in quo Prælium eſt exſculptum, ad latera autem duæ ſunt Inſcriptiones, prior *Latina*, poſterior *Græca*. *Latina* talis eſt:

D. M
CLAVDIAE. TERTYLLAE
CONIVGI. OPTIMAE
BENE. MERENTI
E D. AELIVS. AVG. LIB
EPICTETVS
FECIT

Inſcriptio *Græca* hoc Carmine Elegiaco con- 147
cepta eſt:

Ποπιλίης τάφος οὗτος. ἀνὴρ δ' ἐμὸς αὐτὸν ἔτευξεν
Ὠκεανὸς πάσις ἐμπέραμος σοφίης.
Οὐ φητοῖ γὰρ ἐμοὶ πέλεται κόνις, ἐν δ' Ἀχέροντι
Ὑμνήσω τὴν σὴν ὦ ἄνηρ εὐσεβίην.
Μεμνεόκην ζώοις ἐμέθεν, καὶ πολλάκι τύμβῳ
Σπεῖσον ἀπὸ βλεφάρων δάκρυ' ἀπισχομένη.
F Καὶ λέγε Ποπιλίην εὕδειν ἄνερ, οὐ θομιτὸν γὰρ
Θνήσκειν τοὺς ἀγαθοὺς, ἀλλ' ὕπνον ἡδὺν ἔχειν.

Id eſt,

Popiliæ tumulus hic, Vir autem meus eum extruxit;
Oceanus omni præditus ſapientia.
Hujus cardines enim mihi eſt cinis, at in Acheronte
Celebrabo tuam, ò Vir pietatem.
Recordare dum vivus mei, & ſæpe in tumulo
Liba, ab genis lacrymas abeunti.
Et dic Popiliam dormire vir, neque enim fas eſt
Mori probos, ſed ſomnum dulcem tenere.

J. Manillus.

Supra exiguam istam Portam in rotunda ædicula Caput exsculpitur humanum; magis subli-
148 mi in loco, inter duos Gryphos *Cupido* semiexstans agnoscitur, Leoni insidens. Supra *Cupidinis* Statuam varia sculpuntur animalia, inter quæ præcipue elephantes agnoscuntur. A latere ejusdem Statuæ hæ sunt Inscriptiones, quarum Prima ita concipitur:

CALPVRNIA. C. L. HEDIA
SIBI. ET SVIS
C. CALPVRNIO. C. L. DIOGENI
C.CALPVRNIO. C.F. COL. RVFO
B CALPVRNIAE. C. Ↄ. L.PRIMAE

Secunda:

DIIS. MANIB.
PETRONIAE. ROMVLAE
T. PETRONIVS. * IHREPTVS
CONIVGE. BENEMERENTI
VIXERVNT. VNA. ANNIS. L.

* Forte *Threptus*.

Ex Ambulacro Sylvæ Mediæ in Aream patet introitus, cujus major latitudo palmorum CCXX. est. Multis autem exornatur Statuis sequenti ordine dispositis:

149 C Ad quatuor angulos quatuor Statuæ sunt Terminorum, quæ quasi includunt duas semilunares figuras Laurorum, quæ ab Oriente atque Occidente Aream illam circumdantes, Theatri dant figuram.

Hoc in spatio, in ædiculis Sylvestribus Laureis super Aras sex Antiquæ eriguntur Statuæ, quæ distinguuntur octo latis Sedilibus Lapidis *Tiburtini*. Prima harum Statuarum, inchoando ab Occidente, *Poësim* repræsentat, Larvam sinistra, dextra tibiam tenentem. Secunda *Venerem*, nudam ex balneo progredientem, ubi vasculo innititur, atque vestem in sublime attollit. In Ara hujus
D Statuæ sequens legitur Inscriptio

[1] FABIVS. TITANVS
V. CONSVL
PRAEF. VRBI
CVRAVIT

Tertia Statua, quæ ex habitu, *Dianæ* esse agnoscitur, sub se hanc habet Inscriptionem:

[2] IMP. CAES
C. VALERIO
DIOCLETIANO
PIO. FELICI
INVICTO. AVG
150 E PONTIF. MAX
BRITANNIC. MAX
GERM
MAX
TRIB. POTEST
COS. II
PP. PROCOS
HONORATI. ET. DECVRION
ET. NVMERVS. MILITVM
CALIGATORVM

Quarta, quæ sequitur, Statua, ubi prætergressus es Ambulacrum Sylvæ medium, Augu-
F stæ alicujus figuram habet Sacerdotis habitu, cum sequenti Inscriptione:

A [3] TYRANNIAE. ANICIAE
IVLIANAE. C. CONIVGI
Q. CLODI HERMOGENIANI
OLYBRIVS
CONSVLARIS. CAMPANIAE
PROCONSVLIS. AFRICAE
PRAEFECTI. VRBIS
PRAEF. PRAET. ILLYRICI
PRAEF. PRAET. ORIENTIS
CONSVLIS. ORDINARII
F. CLODIVS. RVFVS. V. P
PATRONAE. PERPETVAE

Quinta Statua *Veneris* est, cum Delphino ad 151
pedes; sexta denique Sacerdotis Fœminæ.

Frontispicium Theatri.

E regione Theatri, ejusdem cum illo longitudinis erigitur Frontispicium in Muro Paradisi, quod componitur ex octo duplicibus Pilis lapidis rustici, quæ super totidem Sedilia eriguntur; quatuor ibidem recentis operæ sunt Capita, duæ Fenestræ, quatuor Columnæ, cum Tabula in medio Marmorea, ubi Frontispicium per quatuor palmos foras prosilit. In universum ita disponitur:

Incipit Frontispicium a duabus Pilis duplicibus, quæ unum ex quatuor istis Marmoreis Capitibus in medio habent positum, ut & reliqua tria, intra ædiculam ovatam marmoratam. Pilæ vero *Dorici* sunt ordinis, pro Capitellis autem sunt Triglypha, qui Cornicionem per universam sese porrigentem latitudinem, regunt. Post Secundam Pilam Fenestra est versus Paradisum respiciens; adscenditur vero ad illam quatuor gradibus Piperini Lapidis, intus varie marmorato opere exornatis singulis. Supra Fenestram hanc exiguum cernitur Anaglyphum, in quo *Poësis*
manu Larvam tenet, duæ vero ad pedes Figuræ 152
canentium ritu exhibentur. Sequitur pone Fenestram Caput secundum, pariter in medio Pilarum duarum. Dein ad medium Frontispicii saltum si feceris, initium sumes cum statua Deæ *Floræ*, quæ reponitur super duas Urnas Antiquas, prope vero primam Columnam vicinum sibi habet exsculptum ingens Marmor. Sequitur in ædicula *Mammææ* Statua. Erigitur eadem supra Antiquam Cœlaturam duarum *Sphingum*, subter quas duo fragmenta sunt parvorum Anaglyphorum, & inter alia, foliorum lateralia ornamenta. Habet hæc Statua ad latera duas Columnas ex Granito nigro, Ordinis mixti; Capitella autem attingunt Superliminare levigatum, supra quod Zophorus cernitur ex pluribus fragmentis Anaglyphorum exiguorum compositus.

Secunda Columna una cum tertia mediam continet Tabulam Marmoream, post illam vero cum eadem Columnarum seu Pilarum dispositione tertia cernitur Statua, Augustæ alicujus, Sacrificantis habitu. Quarta Matronam repræsentat, valde tristi vultu præditam.

Ubi Frontispicium contrahitur interius, duo alia ex Marmore Capita sequuntur, Fenestra item secunda in medio, & in fine duplex Pi- 153
la, quæ Frontspicii istius ibidem claudit longitudinem.

Ta-

---

1 FABIVS] Non exstat apud *Grut.* sed idem esse Consul hic videtur cum *Titiano*, cujus nobile aliud Monumentum exstat apud eundem pag. CCCCVII. Est autem tale:

FABIO TITIANO V. C.
CORRECTORI FLAMINIAE
ET PICENI CONSVLARI
SICILIAE PROCONSVLI
PROVINCIAE ASIAE
IVDICI SACRARVM COG-
NITIONVM COMITI PRIMI
ORDINIS CONSVLI ORDI-
NARIO PRAEF. VRBIS
PEREGRINVS
SERBVS DOMINO PRAESTANTISSIMO.

2 IMP.] *Grut.* p. CCLXXIX. 3.

3 TYRANNIAE] *Grut.* p. CCCLIII. legit lin. 2. pro C. C. F. & lin. 11. pro F. FL. lin. etiam 4. OLYBRI IV. C.

Tabula Marmorea in circuitu Cornicionem Antiquam habet exsculptam, superius autem Anaglyphum satis exiguum. Intus Inscriptio sculpitur, quam cum aliis, in fine Descriptionis Sepimenti hujus exhibebimus. Supra Inscriptionem Draco cernitur medius inter duo folia; subtus vero alius Zophorus opere Anaglypho, in quo multæ exiguæ sunt figuræ militum, victorum pariter & vincentium, ubi & multæ Matronæ captivæ abducuntur. Supra Anaglyphum istud puer sculpitur alatus, qui duas corollas ex fructibus variis compositas sustinet.

In superiore Ordine Frontispicii, in vertice primæ & secundæ Columnæ, Cœlaturæ duæ sunt Marmoreæ. Prima *Veneris* est sedentis, manu altera posita supra elevatum genu. Secunda *Bacchi* infantis super utrem in ulnis Nymphæ cujusdam.

Sequitur super Superliminare Corona exsculpta, quæ superius habet ruptum quasi, seu potius apertum Frontispicium, cum Anaglypho continente *Herculis* pugnam cum aliis Heroibus contra *Amazonas*.

154 In vertice in vacuo Frontispicii, Cœlatura est *Berecynthiæ*, sedentis in medio Leonum suorum; manu vero cymbalum tenet, quo Orbis Terrarum designatur.

Sunt autem passim in hoc Frontispicio multæ Inscriptiones Antiquæ, quarum quædam ipsi Muro sunt insertæ, nonnullæ etiam exstant in Aris & Basibus Statuis istis quatuor atque Columnationibus substratis.

A latere itaque primæ Fenestræ hæ duæ sequentes leguntur Inscriptiones, quarum hæc est Prima:

D. M
[1]FAENIAE.CLEOPATRAE
C. IVLIVS. LVCAS
FECIT
SIBI. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQ
POSTERISQ. EORVM
INF. P.XIII. IN. AG. P. XII

Secunda:

D. M
SEPTIMIAE. L. F POMPONI
AE. SEPTIMIVS. TROPHI
MIANVS. PATER. FILIAE. PI
ENTISSIMAE. FECIT. QVAE
VIXIT. ANNIS. XI. MENS. VIIII
155 DIEBVS.V.SIBI.SVISQVE.LIBERTIS.
LIBERTABVSQVE. POSTERISQ
EORVM

Sub Statua Deæ *Floræ* aliæ duæ leguntur. Prima hæc est:

A P. CLAVDIVS. P. F
AP. N. AP. PRON
PVLCHER. Q
QVAESITOR
PR. AVGVR

Secunda:

DIS. MANIBVS
[2]M.ANTONIO. ANTEROTI
ET. CASSIAE. MELITENI. SORORI

Inter hanc Statuam & Columnam sub ingenti sculptura Marmorea hæc leguntur:

D M
[3]T. FLAVIO. AVG. LIB. CERIALI
B TABVL. REG. PICEM. PHOENIX
CAES. N̄. SER. FILIO. PIENTISS
ET. P. IVNIVS. FRONTINVS
FRATRI. DVLCISSIM. ET
CELERINA 156
SOROR

Sub Prima Columna:

D M
[4]L. TVLLIO. DIOTIMI
VIATORIS. QVI
CONSVLIBVS. ET. PRAETORIBVS
APPARVIT

C Sub Secunda Columna:

IMP. CAES. G. VALERIO
DIOCLETIANO
PIO. FELICI
INVITO. (*sic*) AVG
PONTIF. MAX

Sub Tertia Columna:

DIIS. MANIBVS
[5]A. AVILLIVS. SYNEROS
FECIT. SIBI. ET
AVILLIAE. TROPHIME
LIBERTAE. SVAE

D Sub Quarta Columna: 157

D. M
[6]SABINO. AVG
LIB. QVI. VIX. AN
XVII. M. X. D. XX. ET
AVGVSTALI. AVG
N̄. VERN. QVI. VIX
AN. XX. D. XXII. FRA
TRIBVS. B. M

Inter hanc Columnam atque Quartam Statuam, sub altero opere Marmoreo:

DIS. MAN
C. CASSI. INGENVI. C. CASSIVS
E INGENVVS. FIL. FEC. PATRI
PIENTISSIMO. VET
COH. V. PR. VIX. ANN. LXXV
ET. SIB. ET. SVIS. LIB
LIBERTAB. POSTERISQ. EORVM

---

1 FAENIAE] Hæ Inscriptiones videntur abesse a *Gruteriano* Opere.

2 M.ANTONIO] Habuimus jam hanc Inscriptionem superius pag. *66. Edit. Vet.* quæ ad marginem notata est.

3 T. FLAVIO] Non inveni apud *Gruterum*, verum exstat apud eundem pag. DCXVI. Monumentum, quod idem noster *T. Flavius Cerealis* (ita enim scribendum judico) una cum fratre *Phronimo* & sorore *Celerina*, atque patre *Phœnice* matri suæ erexit Est vero tale:

D. M
FL. PHRONIME
PHOENIX CAES. N̄. SER.
CONIVGI. OPTIMAE
T. FL. CEREALIS
T. PHRONIMVS
ET CELERINA MATRI
PIENTISSIMAE.

4 L. TVLLIO] Miror ita decurtatam Inscriptionem, cum integram *Gudius*, *Fabrettus*, & *Gruterus* protulerint, apud hunc quidem pag. MXXXIII. 5. ita concipitur:

DIIS MANIBVS L. TVLLI DIOTIMI
VIATORIS QVI CONSVLIBVS
ET PRAETORIBVS APPARVIT
POSTERISQVE EIVS ET BRITTIAE FESTAE
F VXORI SANCTISSIMAE ET PIENTISSIMAE DE H-S $\overline{X}$.
QVAM SVMMAM DIOTIMVS IMPENDI IVSSIT
BRITTIA (emendavit PETILIA *Fabrettus*) FESTA ADIECTA IMPENSA CONSVMMAVIT.

Confer superius pag. ad Marg. *Ed. Vet.* I.

5 A. AVILLIVS] *Grut.* p. DCCCCXXXIII. 9

6 SABINO] *Romæ* quondam in S. *Clemente Grut.* p. DCXVIII. 1. Sequentes Inscriptiones ibidem non inveni, præter tertiam, quam jam habuimus superius pag. ad marg. 137.

Sub Quarta Statua duæ ſequentes leguntur. Prima hæc eſt:

HIEROCLI
AVG. DISI
OPERVM
PVBLICORVM
EROS. VICARIVS

158 Secunda hæc:

AESCVLAPIO
L. CANTIVS
RVFINVS
ET
CANTIA
EVHODIA
DD

Ad latus Secundæ Feneſtræ Prima hæc legitur Inſcriptio:

D. M
C. SERGIO. HONORATO. QVI. VIXIT
ANNIS. III. MENS. XI. DIE. VII. FECERVNT
C. SERGIVS. VARRO. ET. ANNIA. HONO.
RATA. PARENTES
ET. . ORBIAE. TERTVL
LAE. MATRI. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM

Secunda talis:

D. M
L. AEBVTIVS. FELIX
FECIT. SIBI. ET
HELPIDI. LIB. CONIVGI
159 KARISSIMAE
L. AEBVTIO. MAIANIO. FILIO
POSTERISQVE. EORVM
L. AEBVTIVS. MAIANIVS. DD PIARIAE. EPICONAE
SORORI. SVAE. B. M. ET. POSTERISQ. EIVS

In Tabula Marmorea, medio in Frontiſpicio lepidiſſima hæc ſuſpicitur Inſcriptio:

VILLAE. BVRGHESIAE. PINCIANAE
CVSTOS. HAEC. EDICO
QVISQVIS. ES. SI. LIBER.
LEGVM COMPEDES. NE. HIC. TIMEAS
ITO. QVO. VOLES. CARPITO. QVAE. VOLES
ABITO. QVANDO. VOLES
EXTERIS. MAGIS. HAEC. PARANTVR. QVAM. HERO
IN. AVREO. SAECVLO. VBI. CVNCTA. AVREA
TEMPORVM. SECVRITAS. FECIT
FERREAS. LEGES. PRAEFIGERE. HERVS. VETAT
SIT. HIC. AMICO. PRO. LEGE. HONESTA. VOLVNTAS
VERVM. SI. QVIS. DOLO. MALO
LVBENS. SCIENS
AVREAS. VRBANITATIS. LEGES. FREGERIT
CAVEAT. NE. SIBI
TESSERAM. AMICITIAE. SVBIRATVS. VILLICVS
ADVORSVM. FRANGAT

160 In fine Muri ingens erigitur Porta Statuarum *Apollinis* & *Æſculapii*. Intratur per eandem ex parte ſuperiori in Paradiſum, atque ibidem terminatur Secundum hocce Sepimentum.

161 SEPIMENTUM TERTIUM.

In tertio atque ultimo Villæ hujus Sepimento, quod Vivarium, ſeu Paradiſum in ſeſe continet cum adjecta Vinea, monſtravit ſitus inæqualitate Natura, quantopere ipſa in operationibus ſuis varietate delectetur. Nec minus tamen Arti quoque apertum præbuit Campum, ut induſtriam ſuam exerceret eadem, in diſponendo atque ordine diſtribuendo ſpatio, tam amplo atque immenſo.

Hoc enim Sepimentum in circuitu plus quam duo complectitur milliaria, atque vaſtitate ſua & Valles, & Colles, & planicies, & Sylvas comprehendit, nec non domos & Hortos. At-

A que ita commodiſſimam præbet Stationem pro recipiendo omni genere Animalium. Hic enim & Lepores cernas, & Damas, & Capreolos, Cervos, Pavones, Anates aliaque minora Volatilium genera, quæ ibidem libere, velut in regno ſuo currunt volitantque.

Per omnem circuitum hic locus Murum ſuum coöpertum habet variis arboribus pomiferis, neque Nuces neque Laurus deſunt, nec aliud ſimile quod genus. In Muro autem Meridiem verſus, quo quidem a Primo diſtinguitur atque Secundo Sepimento, ſeptem ſunt Feneſtræ ſeu potius Roſtra eminentia, cum Colu-

B mnationibus lapidis *Tiburtini*, quæ conſtructæ 162 ſunt pro commoditate viſendæ Venationis, ut & quatuor ingentibus Portis, quarum una exit Viam verſus, ut & duabus minoribus Portis. In Muro Aquilonem verſus, duas alias grandes habet Portas, & duas exiguas. Per alteram vero illarum intratur in Hortum Secretum iſtius generis Florum, qui ex bulbis procreantur; per alteram vero, ut & per unam ex Portis Majoribus, in Vineam patet introitus, quæ cum univerſa Villa finitur ad curvum ibidem Murum.

Præcipuus in Vivarium, ſeu Paradiſum, in- Paradiſus

C troitus per Portam rotundam eſt lapidis *Tiburtini*, conſtructam prope Gallinarium, in extremo primi Sepimenti, cum Cancellatione ferrea, quæ munitur ſphæris ex aurichalco, duabusque pilis operis fornicati, atque Ordinis *Dorici*, a quibus Superliminare regitur.

In medio Frontiſpicio Inſigne ingentis formæ Cardinalis *Burgheſii* ex ære erigitur, & in vertice, inter duos Dracones Aquila lapidea. Supra duas Feneſtras, ad Portæ latera, Baſibus quadratis lapideis, duo inſiſtunt globi lapidei ex Granito *dell' Elba*, a latere autem interiori, ſub iiſdem Feneſtris, duo exigui ſunt Fontes lapidis *Tibur-* 163

D *tini*, ſinguli per larvæ os aquam in Concham ſubjectam immittentes.

E regione iſtius Magnæ Portæ longum incipit Ambulacrum, quod locatur medium inter agrum, qui Orientem verſus ſpectat, & oppoſitam Vallem. Longitudo ejusdem palmorum eſt MMDLXXX. latitudo vero LX. in longitudinem autem exornatur nonaginta pluribusque Ilicibus, æqualiter ab invicem diſtantibus, ita ut & a capite & a lateribus æqualis ſit conjunctio, finitur vero Aquilonem verſus, prope ultimum Villæ Murum.

E In initio ejusdem, recta manu, ubi verſus Hortus. Secundum Sepimentum Murus excedit interiorem in partem, per longitudinem CCCCXX palmorum, ejusdem longitudinis Hortus cognoſcitur, clauſus, a parte Meridionali & Orientali, Muris Primi & Secundi Sepimenti, qui ab illa parte operiuntur, Murus quidem Orientem verſus, alis Cedrinis, alter vero in fronte alis variarum arborum, & ad duo reliqua latera, alis Agrifolii. Latus Hortus hic eſt LXXXIV. palmos, atque diviſus in tres partes,

F in quibus, præter varietatem Florum, multaque vaſa Plantas Exoticas continentia, Arbores etiam ſunt varios fructus proferentes, talis generis, quale ſaporiferos valde Regio noſtra producit.

Poſt Hortum, extenditur ab eodem latere, 164 ad ultimos usque Orientis Muros atque Aquilonis, ampliſſimus Campus; ubi ſitus placide in Collem elevatus, ſurgens eodem atque deſcendens modo ad Orientem in parvam finitur Planiciem. Omnis hic Ager, incipiendo a Colle iſta usque ad extremum Villæ in Orientali plaga, plenus variis eſt arboribus, præſertim vero Moris. In medio iſtius Collis Geniſtæ Nemus

Campus ad Orientem.

Geniſtæ Nemus.

mus est plantatum, quod tutissimum in Venatu ibidem Ferarum est refugium. Prope vero Ilices binæ visuntur magnitudinis immensæ atque inusitatæ. Hæ licet satis multos passus ab invicem distent, verticibus tamen contiguæ, umbriferum efficiunt locum CLX. palmorum.

Sylvula Quadrata.

Ab eodem Latere, ubi finitur exigua ista Planicies, contigua Muro Secundi Sepimenti plantatur Sylva Quadrata ex arboribus plantisque varii generis, ut Lauris, Cerasis marinis, Juniperis, aliisque arboribus, quæ & pro refugio, & pro alimento inserviunt Feris Avibusque, quæ isto in loco vagantur.

165 Domus cum duobus Hortulis.

Ad sinistram manum ejusdem Ambulacri, ubi surgere tellus incipit, domus cernitur duplici contignatione, camerarum plurium, una cum Pergula Tecta, quæ ad latera duos habet Hortulos, alterum arboribus *di Melangoli* consitum, alterum variis Florum generibus variegatum. cum duobus Fontibus fornicatim ex Tartaro constructis. Spectat Domus illa Occidentem versus, in Vallem, de qua suo loco acturi sumus.

Sylvula Rotunda.

Altiore loco, pariter ad sinistram Ambulacri manum, Sylvula rotunda invenitur ex variis arboribus, cum Camera in medio, quæ Fornice tegitur, quatuor vero habet januas & totidem Fenestras, in commodum illorum, qui in tam amœno loco aucupio delectantur.

Ab eodem latere, Occidentem scilicet versus, situs Terræ ad Magnam istam memoratam Portam descendere incipit, ita ut paulatim longam formet Vallem, quæ postquam per exiguum spatium cursum suum direxit Aquilonem versus, iter ad Occidentalem plagam flectit, atque tandem in locum Aucupio destinatum (*Ragnaià*) exit.

Universa hæc Vallis magna Arborum copia consita est, quarum maximam partem Querquus efficiunt, in fundo autem, ex regione prædicti Ambulacri exiguum habet Lacum, longum
166 DCCXV. & latum CXX. palmos, quadraginta amœnissimis Platanis consitum, ut & duabus in medio parvis Insulis, ingentibusque in singulis Platanis duabus, grato aquatilibus volucribus, qui subtus convenire solent, hospitio atque umbra pulcherrima. E regione Lacus ad duos Muros, qui versus Paradisum, ne transiliantur a Feris, elevatiores sunt, rustici duo ex Tartaro Fontes sunt, in ædiculis grandibus, proeminentibus foras Frontispiciis. Ab ista extremitate incipit umbrosum Ambulacrum ex Quercubus, quod ubi littoralem oram Lacus tetigit, clauditur Muro Aquiloni opposito.

Ambulacrum Quercuum.

Nemus supra Lacum.

Prope alteram Magnam Portam, dictam *delle Fontane Rustiche*, quoniam ad latera, id est in Primo Sepimento, atque in Paradiso, duos ingentes habet Fontes ex Tartaro, qui singuli Aquilam habent in vertice, sensim adscenditur, usque dum pervenias in longam Planiciem, divisam a Valle, præter duos supradictos Muros, alio adhuc Muro, satis longo, qui supereminet Valli atque Lacui in altitudinem viginti quatuor palmorum.

In hac summitate, in medio Arboreti ex Quercubus, densum Nemus est, cujus altitudo vetustatem Arborum ostendit; longum est
167 quingentos, latum centum palmos: Nemus hoc Lacui minori supereminens admodum similis est operatione sua *Viterbi* Collibus, quibus ad latera adjacet Lacus *di Vico* dictus.

Post Nemus hoc Quercuum sequitur Arboretum, & dein Pinetum trecentarum Pinorum,

A in longitudinem divisarum ab invicem Ambulacro ex Quercubus, quod incipiens a Porta Majore Fontis, terminatur ad Aquilonem, quasi in fine Paradisi. Pinetum.

Confinia Pineti sunt, in longitudine, dictum illud Ambulacrum ex Quercubus, & ad oppositam partem Aucupii locus; in latitudinem, ad Meridiem, versus Murum Primi Sepimenti Ilicum plantatio; ad Aquilonem vero, ex transverso eundo per Vallem, & ascendendo Collem, finitur Moreto.

Pinetum hoc in medio sui duo parva includit Palatia, ex opposito invicem posita, æquali
B distantia. Primum quidem, versus Primum Sepimentum, duo Plana habet Cameris ædificata, cum Impluvio suo, atque grandi Porticu. Alterum, quod e regione est, atque inservit Aurigæ seu Equisonis habitationi & custodi Gallinarii, similiter duo habet Plana cum multis Cameris, atque similiter a parte Meridionali Impluvium habet cum arboribus *di Melangoli*, quibus insuper Muri vicini operiuntur. Prope 168
Impluvium autem Pergula Operta, cum tribus ingentibus Fornicibus, Aquilonem versus spectat, ubi Pinetum Villam versus pergit; ad
C Occidentem vero Hortum habet variis oleribus consitum. In medio Pineto inter duo parva ista Palatia, longum ex Ulmis incipit Ambulacrum, quod Aucupii locum permeat, atque in Occidente terminatur magna Vineæ Porta.

Sequitur Pinetum Aucupii locus, divisus ab eodem Ambulacro ex Moris, quod incipiens a Meridie, prope Murum Primi Sepimenti, finitur Muro Magno Muri Curvi, (*Muro Torto*) seu Obliqui. Aucupii locus.

Occupat Aucupii iste locus, in longitudinem,
D a Meridie versus Aquilonem, quadraginta duarum catenarum spatium, seu MMCCCCXV. palmos, & in latitudinem, ab Oriente ad Occidentem palmos CCCXX. Dividitur in latitudinem ad extremitates septem Ambulacris, tribusque in longitudinem, in quorum secundo, in usum avium, aquæ sufficiens Canalis labitur.

Supra Aucupii locum, ad sinistram manum, id est Meridiem versus, ubi situs, relicta humilitate sua, in planiciem exaltatur, ingens cernitur Moretum, quod ad Murum Primi Sepimenti terminatur Ambulacro Ilicum; & ad Mu- Moretum ad alteram partem loci Aucupii.
E rum Occidentalem, Sylva Nucea. In medio Sylvæ istius seu Moreti parvum est Palatium, quod 169 Palatia parva.
ab altero latere habet Hortum Floribus, qui ex bulbis proveniunt, consitum, cum multis arboribus *di Melangoli*; ab altero autem latere Promtuarium habet ingens pro conservando vino tempore hyemali.

Ab altera parte, id est directe Aquilonem versus, locus Aucupii longam Sylvam habet Nuceam, & supra illam, surgente ibidem loco, Via est longa, atque Antiqua, quantum colligere licet ex immensa altitudine arborum, quæ Via Antiqua Umbrosa.
F sunt ad latera. Longa eadem est palmos MDCCLX. lata vero XXX. quæ terminatur Muro præcipuo parvi vici (*di Muro Torto*) Muri Obliqui.

Supra Viam, octo palmorum altitudine, æqualiter Moreto, superius descripto, Ilicetum plantatum cernitur octingentorum pluriumque Ilicum, quæ similiter ad Aquilonem terminantur, prope Murum præcipuum. Ilicetum ingens.

Omnis hæc Planicies, ab una atque altera locus pro Aucupio parte, media dividitur in longitudinem Ambulacro, quod incipit a quadam Porta Primi Sepimenti ad Meridiem, atque finit ad Aqui-

170 Aquilonem post Ilicetum ad Aream rotundam, in Theatri formam descriptam, quam circumdant decem Pinus cum Mansione quadam in fronte, quæ inservit includendis majoribus feris.

Inclusio magnarum Ferarum.

Mansio hæc in fronte grandem habet Pilam Marmoream, in qua Anaglypho opere *Phaëtontis* exprimitur casus, tertii aut quarti Sæculi, quantum ex arte colligere licet, opus. Supra Pilam, in Marmore satis magno, erigitur jacentis Matronæ Statua; & in ipso Muro *Fauni* ingens est facies seu Larva.

Ad Murum præcipuum, Occidentem versus, ex longitudine Iliceti, duæ exiguæ cernuntur Portæ, per quarum alteram itur in Vineam, per alteram Mansioni viciniorem, introitus (ut superius diximus) patet in Hortum pensilem, in quo ex bulbis rarissimi generis Flores nutriuntur, ut & ex radicibus, quales sunt Anemones similesque, Caryophylli præterea ex *Italiæ* pulcherrimis generibus. Atque ad hunc Murum finitur Paradisus.

Vinea Villæ.

A Secunda Magna Porta istius Muri Occidentalis, præcipuum suum a Paradisi parte habet introitum Vinea, quæ plures quam in decem dividitur sectura; cum Muro a Meridie Aqui-
171 lonem versus, toto Cedris operto, inque duas partes diviso, cum Palatio in vertice, quod in medio positum est, plurimisque Hortulis.

Prope Palatium itaque, ad latus Meridionale, prope Magnam istam Portam, pars Vineæ incipit, quæ pedetentim progrediens, terminatur tandem ab ista parte Area ejusdem Vineæ, e regione Muri Obliqui. Dividitur hæc pars, in Planicie, ubi situs nondum incipit descendere, eadem longitudine, Ambulacro exornato hinc & illinc Juniperinis alis, longo DCLXXX. palmos, lato XX. quod orditur a Meridie, ubi ad Caput, in Muro præcipuo parvi Vici, Statuam Antiquam habet Consularem, positam inter duas Cypressos, in grandi ædicula, una cum Frontispicio suo.

In fine ejusdem Ambulacri, quod exit in Aream e regione Palatii, duæ eriguntur Statuæ Lapidis Piperini notissimorum duorum hominum, *Bruttobuoni Burgundi*, & *Geminiani Caldarostari*, *Modenensis*.

Hortus Pensilis.

Ad idem latus, sub Palatii area, contiguus Ambulacro longo Sylvestri, Hortus plantatur Pensilis cum variis Floribus, quæ partim ipsa
172 humo, partim vasibus terreis continentur vario modo confectis.

Ab alio latere, seu ad Aquilonem, Ambulacrum Palatio adjunctum est breve, verum ubique contectum, cum Fonte in initio, qui, ut reliqui ejusdem generis, aquæ ludibria oculis exponunt.

Ab hoc Ambulacro exiguo per latus intratur in spatium, quod duos Hortos continet Ambulacro ab invicem divisos. Ad latus itaque Muri Paradiso contigui, sive ad dextram manum, Hortus est plenus variis Floribus, qui ex radicibus atque bulbis gigni solent; ab altero autem Ambulacri latere, prope reliquam Vineam, parvus conspicitur Hortus Tuliparum ala Rosarum *Hollandarum* cinctus. Contigua huic Hortulo alia Vineæ Sectio est, quæ omnis uvis Muscatis plantata est, quæ Primæ Sectioni respondens, terminatur ad Aream inferius descriptam, quæ est ad Murum Obliquum.

Hortulus Tuliparum.

Ambulacrum quod duplicem dividit Hortum alis ornatur Myrteis, quas intus, æquali proportione, super Bases Piperini Lapidis, triginta grandia Vasa cum Plantis Exoticis erigun-

A tur, in extremitate autem duas alias ex Piperino item Lapide Statuas habet *Emanuëlis Portugalli*, & *Reginaldi Buffonis*.

Opertum hocce Ambulacrum post duas illas 173 Statuas unitur cum alia parva Sylvula, undique obtecta, ejusdem latitudinis, qua altera illi similis, verum minus adhuc longa; habetque in medio Fontem ovatum ludente amœnum in modum aqua; adque ejus extremitatem rursus Sylvula rotunda cernitur; ita ut per unionem mutuam horum Ambulacrorum Solum illud, opertum passim & apertum, dici queat esse longitudinis DLXXVI. palmorum, atque latitu-
B dinis CXV. A latere Sylvulæ ad dextram manum, Orientem versus, aliud occurrit Ambulacrum Cypressinum, longum CLXXX. latum decem palmos, cum duobus ad latera hortulis, plenis, prout alii similes jam descripti, rarioris generis Floribus, quibus incredibilem in modum iste locus scatet.

Area Palatii.

E regione Palatii Area constructa est quadrata, lata palmos LXXXIV. longa vero CXX. cum decem arboribus *di Melangoli*, tribus in locis altis Tabulationibus cincta, Pergularum in morem, quibus insistunt viginti vasa va-
C riarum Plantarum Exoticarum. Hæc conspectui exponuntur parti isti Vineæ, quæ est a Meridie, atque Horti Pensilis sub eadem descripti.

Palatium.

E regione Areæ Palatium extructum est, quod duo Plana habet, atque parvam Turrim, plu- 147 res vero Pergulas opertas. Impluvium habet undique quadrilaterum, totum figuris depictum, atque regionum designationibus atque picturis; ubi in Muro, e regione introitus tres ingentes Fontes agrestis sunt operis; in medio autem ipsius Impluvii est Fons exiguus naviculæ instar, ubi ingeniosissimus aquarum lusus est. In altero quoque ex extremitatibus Operta
D Pergula est, quæ tribus Columnis sustinetur, quo etiam in loco varius aquarum est lusus.

Ambulacrum Opertum.

Palatio ubi exieris, utramque inter Vineæ Sectionem Hortosque exiguos eidem contiguos, ab obliquo occurrit Sylvestre Ambulacrum, densis ubique ramis coöpertum, longum palmos XX. latum vero DCXLVIII. ubi duo Canes Venatici *Brittannicæ* stirpis, ex Lapide Piperino Basibus ex *Tiburtino* imponuntur. Descensu illud facillimo atque grato ambitu redit directo e regione Palatii ad latus Muri Obliqui. Ibi vero in ejusdem extremitate sunt duæ Sta-
E tuæ recentes Piperinæ *Apollinis* & *Orphei*, salientibus subtus iisdem totidem Fontibus. Palatium, ubi illud absolvitur Ambulacrum, longum est palmos CXX. latum CVIII. totum vero exornatur alis ex Lauro. A parte Meridionali Areæ Puteus exstructus est, in quem si per 175 cochleam quadraginta graduum descenderis, ad staturæ humanæ altitudinem subtercurrere cernitur famosa illa *Aqua Virgo*, dicta *di Trevi*.

Ductus Aquæ Virginis.

Magna istius Palatii Porta Agrestis est Lapidis, cum quatuor Pilis, Capitellis suis exornatis, Basibusque ex Lapide *Tiburtino*. Eminent
F in medio Frontispicii Insignia Cardinalis *Burghesii*, ex Lapide *Tiburtino*, superius autem erigitur Draco in medio duorum Globorum Lapidis Agrestis. Exitur per Portam illam ad Murum Obliquum, ubi Ingens atque Magnifica hæc finitur Villa. In cujus Descriptione si non usquequaque Ordinis justa regula a me sit observata, facile excusationem inventurum me confido apud illos, qui norunt, Res per sese pulchras & præstantes etiam inordinatim positas, tantum placere solere, quantum & in justum ordinem redactas & dispositas.

FINIS.

IN-

INDEX
NOMINUM, ET RERUM NOTABILIORUM,
Quæ in *Jac. Manilli Villa Burghesia* continentur.

Mu-

F I N I S.





PYRRHI LIGORII,

Omnium Antiquariorum Antesignani,

DESCRIPTIO
SUPERBÆ ET MAGNIFICENTISSIMÆ
VILLÆ TIBURTINÆ HADRIANEÆ.

Ad Illustrissimum & Reverendissimum

HIPPOLYTUM,


Cardinalem Ferrariensem.

Ex Bibliotheca Lugduno-Batava nunc primum produxit, qui & Latine vertit,

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Accedunt, ipse Contextus Italus, Præfatio, & Indices Necessarii.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS
LECTORI BENEVOLO
S. D.

Maximam superioribus Sæculis *Pyrrhi Ligorii* exstitisse industriam, in eruendis, delineandis, explicandis veteribus Monumentis, immensa Volumina, *Herculeo* labore ab eodem congesta, adhucdum testantur. Visum nobis est subjicere testimonium, quod huic Viro dat sincerus & rectus rerum ejusmodi æstimator Magnus ille *Ezechielus Spanhemius*; cujus, in Minori Opere, pag. 139. Edit. Amst. hæc sunt verba: *Illud tamen in Lectoris gratiam, & ad majorem quandam lucem hujus rei, haud alienum erit præmonere; magnam utique fuisse superiori sæculo, quod tu non ignoras*, Pyrrhi *hujus* Ligorii, *in colligendis undique residuis Prisci Ævi Monumentis, diligentiam, ac in iisdem delineandis, describendis, in certum ordinem redigendis, & pro captu etiam interpretandis, incredibilem quandam, neque satis unquam prædicandam sedulitatem. Hinc optimos & publicos illius industriæ præcones nactus jam olim sibi conjunctos arcta id genus studiorum communione*, Antonium Augustinum, Fulvium Ursinum, Onuphrium Panvinium, Annibalem Caro, & *his ætate proximum* Laurentium Pignorium, *omnia clarissimæ famæ nomina. Sed certiores adhuc ejus rei testes exstant* Herculeæ *Viri Lucubrationes Antiquariæ etiamnum superstites, in quadraginta & plura volumina digestæ; quæ integræ adhuc in* Taurinensi *Bibliotheca, & hic in Urbe, magna sui parte, in supellectile libraria* Christinæ Augustæ, Farnesiana, & Barberina, *instar præstantissimi cujusdam Thesauri, adservantur. Complectuntur vero illæ, tum consueto litterarum ordine & libris totidem, Geographicam locorum hominumque prisci ævi enarrationem, insertis passim Lapidum ac Nummorum Monumentis; tum præterea Commentarios singulares in* Græcorum & Cæsarum *aliquot Nummos; ac insuper Tractatus quosdam peculiares ad illustrationem* Romanæ *omnisque remotæ antiquitatis comparatos; De Religione & Diis Gentilium, Heroibus & Viris Illustribus, Ponderibus, Mensuris, Statuis, Monetis, Funeribus, Re Nautica, Vestiaria, Claris Familiabus* Romanorum, *de eorum Magistratibus, ac tandem* Distinctis Quibusdam Tiburis, Villæ Hadrianeæ, *aliorumque id genus vel Rituum vel locorum explicationibus. Dum vero easdem fama & commendatione eruditorum, hujus ac superioris sæculi, mihi pridem notas, obiter versare licuit aliquoties, facile deprehendi multas latere in iis optimas prisci ævi reliquias, quibus vel inprimis prioribus Inscriptionum aut Nummorum veterum collectionibus ingens & præclara quædam accessio fieri posset; ac inde in omne litterarum & doctrinæ genus utilitas non levis redundare. Multa enim id genus hodie etiam haud amplius obvia, ibi recondi adversus injuriam temporum; multa etiam ab aliis secus aut properanter descripta, accuratius ibi aut fidelius, quam vulgo in editis, legi; præter conspicuam singularis cujusdam, in colligendis iis, ac ubi opus fuit, dilineandis, industriæ laudem.* Quæ ibidem porro disputat Vir Maximus, inspici possunt.

Quum autem laudatam Descriptionem Villæ Hadrianeæ inter pretiosa Academiæ hujus Bibliothecæ Monumenta detexissem, nolui Thesaurum illum Publico invidere, verum, satis (ut putabam) commode, inserere Præstantissimo Antiquitatum Italiæ Thesauro, ad cujus scilicet decus unice mihi pertinere videbatur.

Scriptum erat Exemplar litera egregia, *Itale* tantum, prout ab Auctore profectum fuit, non tamen ipsius (ut reor) manu. Placuit autem & *Itale* simul & *Latine* publicare, utpote ineditum hactenus Opusculum, utque ipsius Auctoris verba unicuique in promtu forent.

Multa ubique Tibi occurrent haud aspernanda, neque enim obiter Vir Insignis Ruinas istas est contemplatus, verum & sæpius & avidissime, cui itaque ut oculato testi, & in illis locis plurimum versato, fides denegari non potest. Juvit me certe naufragia & tristes ruinas scrutari immanis istius Molis, & quod oculis non licet, in *Pyrrhi Ligorii* laboriosis chartis vigili mente contemplari.

TA-

TAVOLA

Delle Cose, che si contengono nella Descrittione della

VILLA ADRIANA TIBURTINA.

Tivoli *Città. Tempi di* Albunea, Iside; Attis, Veste *&* Hercole; *Chiesa di S.* Lorenzo *è il Domo di* Tivoli. Lucio Gellio *edificator del Tempio di* Vesta. *Villa di* Manlio Vopisco. Acqua Martia. *Porte trè dell' Antica Città di* Tivoli, *i cui vestigii sono à S.* Maria in Via, *S.* Salvatore, *e S.* Lorenzo. *Historia, anzi Favola, perche* Ercole *si domandava* Saxano. *Aquedotti, dalli quali derivano l'acque per commodità di* Tivoli *e sue Ville. Amphiteatro di* Tivoli *rouinato da Pio* II. *per farvi la Rocca di* Tivoli. Villa Adriana. *Sito della Villa. Longhezza del Colle. Larghezza del Colle. Valle circonda il Colle.* XC. *Piazze. Titoli di luoghi famosissimi, che* Adriano *edificò nelle sua Villa. Descrittione del* Poicile. *Il Poicile è occupato da sei gran vigne, trà l'altre da quella di* Bianchino, *e da altri luoghi, che si sementano. Guerre de gl'* Ateniesi *contro i* Persiani. Plutarco. Melantio *Poëta.* Zenone *Filosofo. Piazze del* Poicile. *Appartamenti. Piazze minori. Gimnasio. Crypte. Bagni. Eroico. Biblioteca. Piazzette. Atrii. Vestibuli. Cavea. Tempio. Pavimento Porfidi, e Pavimenti miracolosi. Biblioteca. Corridori. Statue. Appartementi. Nicchi di Statue. Portico ambulatorio. Giardini. Poggi. Piazze, e Loggie. Piscina, e Portichetti. Statue con acque. Piazza. Theatro. Varii colori del Pavimento. Alloggiamenti. Piazze. Portici. Pilastri. Statue* XL. *Pavimenti seligati di marmo. Piazza* dell' Oro. *Piazze. Bagni. Pinacoteche. Tepidarii. Frigidarii. Apoditerii. Xisti, cioè Luoghi da lottare. Luoghi da ungersi.* Laconici *Luoghi caldi. Valle longhissima. Apartamenti da star fermo, da passeggiare.* Canopo. *Morte di* Menelao. Strabone. Pomponio Mela. Nicandro. *Tempio di* Canopo, *Dio* Nettuno. Suida. Ruffino. Filostrato. Pamphilo. Solino. Canobo, *Città edificata da* Alessandro Magno. Dionisio Afro. Canobo *stella.* Plinio. Higino. Strabone. Propertio. Canopiti *lussuriosi.* Canopo *Euripo.* Varrone. Ovidio. *Opinione dell' Autore. Tempio del Dio* Canopo. *Fonti perpetui.* Spartiano. *Risponsi si davano nel Tempio* Canopo. *Casamenti del* Canopo. *Promette l'Autore dar fuori un Disegno della* Villa Adriana. *Loggie. Bagni & Stanze. l'*Accademia *è occupata dalle Vigne di* Mr. Persio, *e da quelli di M.* Simon Petrarca, *e dall' altre di altri cittadini.* XX. *Piazze. Boschi. Denominatione dell'* Accademia. *Heroë* Accademo. Cimone. Lacedemoni. Eurota *Fiume.* Accademia *in gran conto presso gli* Romani. Cicerone. *Villa di* Cicerone. *Comparatione in lode di* Cicerone. *Lode di* Ercole. Tusculana *Villa di* M. Tullio. XIV. *Ville di* M. Tullio. Liceo. Aristotele. *Villa* Claudiana. *Gimnasii. Hippodromi. Sferisterii. Coricei. Ephebei.* Acqua Martia. *Prati, e Giardini. Tempio d'* Apolline, *e delle* Muse. *Vestibulo. Pavimento di Mosaico. Zoteca per gl' Animali. Stanze per Sacerdoti. Portici & Alberghi. Appartamenti. Teatro. Via Sotterranea. Luoghi per gl' Histrioni.* Nove Muse *ritrovate. Proscenio. Pulpito. Diete da gl' Histrioni. Portico longo. Liceo. il Liceo è occupato degl' Oliveti di M.* Francisco Censi, *e da gl'altri suoi Parenti, con altre Canne e Vigne.* Aristotele *Autore della Setta* Peripatetica. *Morte di* Aristotele. *Origine del* Liceo. Diogene. *Legatione d'*Aristotele. Xenocrate. Ovidio. *Portici longhissimi. Tempio, e Xisti. Ambulationi. Piazze, ò Giardini. Portico. Cavee, ò Exedre. Luoghi da Statue. Cubiculo Procetone. Modo de gl' Antichi da scaldar le stanze. Hipocausto. Casamenti infiniti desolati dà* Christiani. Pianta *dell' Autore. Ragioni, perche i* Christiani *guastorno il* Liceo. Pritaneo. *il* Pritaneo *è occupato hoggi dalli campi, che sono delli* Censi, *e d'altri Cittadini.* X. *Tribu d'*Atene. Giove. Pandione. Cecrope. *Diluvio.* Cecrope *institutor di buone Leggi. Feste di* Minerva. *Quali che si nudrivano nel* Pritaneo, M. Tullio. Socrate. Socrate *in Prigione. Istorie*

ELENCHUS

Rerum, quæ continentur in Descriptione

VILLÆ HADRIANEÆ TIBURTINÆ.

Urbs *Tibur.* Templa *Albuneæ, Isidis, Attydis, Vestæ, & Herculis.* Ecclesia S. *Laurentii,* Ecclesia nunc præcipua *Tibure. Lucius Gellius* conditor Templi *Vestæ.* Villa *Manlii Vopisci. Aqua Martia.* Portæ tres Antiquæ Urbis *Tiburis,* quarum vestigia sunt ad S. *Mariam in Via,* S. *Salvatorem,* & S. *Laurentium.* Historia seu Fabula *Herculis,* & unde *Saxani* cognomen habuerit. Aquæductus, per quos derivabatur aqua in commoditatem *Tiburis* ejusque Villarum. Amphitheatrum *Tiburtinum* disjectum à Pontifice *Pio* II. pro extruenda Arce. *Villa Hadrianea.* Situs ejusdem. Collis longitudo, latitudo. Vallis, qua circumdatur. XC. Fora. Nomina locorum celebrium, quæ repræsentata ab *Hadriano* in Villa sua fuerunt. Descriptio *Pœciles.* Occupatum nunc *Pœcile* est sex ingentibus vineis, illis prætereа, quæ *Bianchini* sunt, ut & aliis locis, in quibus fit sementum. Bellum *Atheniensium* contra *Persas.* Locus *Plutarchi.* Poëta *Melanthius.* Philosophus *Zeno.* Forum *Pœciles.* Cameræ. Fora Minora. Gymnasium. Cryptæ. Balnea. Heroicum. Bibliotheca. Fora exigua. Atria. Vestibula. Cavea. Templum. Pavimentum Porphyreticum. Pavimenta admirabilia. Bibliotheca. Pergulæ. Statuæ. Cameræ. Statuarum repositoria. Porticus ambulatoria. Horti. Tumuli. Fora & Ædiculæ. Piscina cum parvis Porticibus. Statuæ cum aquis. Forum. Theatrum. Versicolore Pavimentum. Diversoria. Fora. Porticus. Parastatæ. Statuæ XL. Pavimenta marmorea. Forum *dell' Oro.* Fora. Balnea. Pinacotheca. Tepidaria. Frigidaria. Apodyteria. Xysti, seu loca luctando. Loca ungendo. *Laconica* Balnea. Vallis longissima. Consistoria. Ambulacra. *Canopus.* Mors *Menelai.* Loca *Strabonis, Pomponii Melæ, Nicandri.* Templum *Canopi,* Dei *Neptuni.* Loca *Suidæ, Ruffini. Philostrati, Pamphili, Solini. Canopus,* Urbs condita ab *Alexandro Magno.* Locus *Dionysii Afri.* Stella *Canopus.* Testimonium *Plinii, Higyni, Strabonis, Propertii. Canopitæ* luxuriosi. *Canopus* Euripus. Loca *Varronis, Ovidii.* Auctoris observatio. Dei *Canopi* Templum. Fontes perpetui. *Spartiani* locus. Responsa in Templo *Canopi* reddita. Ædiculæ *Canopi.* Promittit Auctor *Ichnographiam Villæ Hadrianeæ.* Ædes. Balnea. Cameræ. *Academia* occupata jam Vineis Domini *Persii,* ut & *Simonis Petrarchæ,* aliorumque civium. Fora XX. Nemora. *Academia* unde sic dicta. *Academus* Heros. *Cimon. Lacedæmonii.* Fluvius *Eurota.* Magno in pretio olim habita fuit *Academia* penes *Romanos. Cicero.* Villa *Ciceronis.* Comparatio in laudem *Ciceronis.* Laus *Herculis.* Villa *Tusculana Ciceronis.* XIV. aliæ ejusdem Villæ. *Lyceum. Aristoteles.* Villa *Claudiana.* Gymnasia. Hippodromi. Sphæristeria. Corycea. Ephebea. *Aqua Martia.* Prata & Horti. Templum *Apollinis* & *Musarum.* Vestibulum. Pavimentum operis vermiculati. Zotheca pro animalibus. Statio Sacerdotum. Porticus & Hospitia. Theatrum. Via Subterranea. Stationes Histrionum. *Novem Musarum* inventio. Proscenium. Pulpitum. Diætæ Histrionum. Porticus longa. Lyceum. Occupatum jam idem est Olivetis Domini *Francisci Censii,* aliorumque ejus Familiæ, ut & variorum vineis & agris. *Aristoteles* Auctor Sectæ *Peripateticæ.* Mors *Aristotelis.* Origo *Lycei. Diogenes.* Legatio *Aristotelis. Xenocrates. Ovidius.* Porticus longissimæ. Templum & Xysti. Ambulacra. Fora, seu Horti. Porticus. Caveæ, seu Exedræ. Loci Statuarum. Cubiculum Procetonis. Modus, quo Veteres Hypocaustis cameras calefaciebant. Infinitæ mansiones a *Christianis* dirutæ. Auctoris *Ichnographia.* Cur *Christiani* ita penitus *Lyceum* devastarint. *Prytaneum. Prytaneum* occupatur hodie agris *Censiorum,* aliorumque civium. Tribus X. *Athenienses. Jupiter. Pandion. Cecrops.* Diluvium. *Cecrops* Legum Civilium institutor. *Minervæ* Festum. Quinam publice in Prytaneo victum acceperint. *Ciceronis* locus. *Socrates.* Idem in carcerem conjectus.


rie Greche *confuse. Piazze, e Loggie. Stanze da studiare. Hipogeo. Apoditerii. Cripte. Trè vestibuli. Favola* d'Orfeo, *di* Proserpina, *di* Giunone, Anchise. Plutone, Giove Stigio. Minos. Radamanto. Erinni. Le Furie. Titio *con le volture.* Sisipho *col sasso.* Ixion *con la ruota. le* Belide. Tantalo. *Portici.* Campi Elisi. Tempe. *Loggie. Che cose siano* Tempe. Eliano. Diodoro. *Le* Tempe *occupavano più di cento luoghi di Vigne di più persone.* Plinio. Strabone. *Ragion Naturale di* Strabone. Dionisio Afro. Tempe Rheatine. M. Tullio *avocato dè* Rheatini. Riete *umbilico* d'Italia. *Lago* Vellino. *Isole natanti.* Vespasiano *Imperatore.* Villa *di Vespasiano.*

Historiæ *Græcæ* confusæ. Fora & Mansiones. Musæa. Hypogeum. Apodyteria. Cryptæ. Vestibula tria. *Orphei* Fabula, *Proserpinæ* item, & *Junonis*, ut & *Anchisis. Pluto, Jupiter Stygius. Minos, Rhadamanthus. Erinnyes. Furiæ. Titius* cum vulture. *Sisyphus* cum saxo. *Ixion* cum rota. *Belides. Tantalus.* Porticus. *Campi Elysii. Tempe.* Mansiones. *Tempe*, qualis locus. *Æliani* descriptio, *Diodori. Tempe Hadrianeæ* jam occupantur plus centum locis a Vineis variorum dominorum. *Plinii*, *Srabonis* loca. *Strabonis* Ratiocinium Physicum. *Dionysius Afer. Tempe Rheatinum. M. Tullius Rheatinorum* advocatus. *Rheate* Umbilicus *Italiæ. Velinus* Lacus. Insulæ natantes. *Vespasianus* Imperator. Villa ejusdem.

FINIS.



DES



DESCRITTIONE
Della Superba & Magnificentissima
VILLA TIBURTINA HADRIANA,
DI
M. PIRRO LIGORIO.
Dedicata all' Ill.mo & Rev.mo Sig.re
HIPPOLITO
Cardinale di Ferrara.



IVOLI, *Città del* Latio, *fù edificata sopra* l'Acque Abulnee, *secondo che* Virgilio *ne dimostra*; *fù fabricata dieci età d'huomo ò incirca avanti la distruttione di* Troja, *da* Catillo *e* Tiburto *fratelli, i quali nel secolo di* Amphiarao, *partiti dà* Thebe *di* Grecia, *secondo l'Oracolo overo Augurio ricevuto, passorno con molti in* Italia, *frà quali venne* Corano (*come dice* Solino) *che edificò* Cora, *Città dè* Latini, *che hoggidì è detta* Core.

Furono longhissimo tempo dalli Tiburtini *conservati doi Piedi di Elce*, *ò vogliamo dire* Ilex, *e tenuti in riverenza*; *perche* Catillo *e* Tiburto *sotto di esse presero l'Augurio in disignar la Città, secondo che dice* Plinio *nelle cose*, *che scrive delle Piante*, *che longo tempo vivono.*


In questa Città furono bellissimi Tempii, *trà quali fù quello di* Albunea *Nimfa delle* Acque Albuneë, *che si mescicano con l'* Aniene *Fiume hoggi detto* Teverone; *quello di* Iside *&* Attis; *e quello di* Veste, *e di* Hercole, *che fù il principale Iddio di questi popoli*, *perchè loro l'invocavano*, *& l'havevano in riverenza*, *per esser* Hercole Liberatore *de'* Tebani, *e lo pingevano differente dalle altre Imagini di esso Iddio*, *per dimostrare*, *che era quel* Hercole, *che haveva superate le* Amazoni, *gli posero lo scudo di quelle sotto i piedi con altre armature: e perchè fù ottima guida*, *e Capitano delle cose della guerra*, *gli posero sotto lo thorace, e la celata*, *&* [1] *scenie di sotto della sua sedia*, *con la clava dà una mano*, *e dal altra i pomi dell'* Hesperidi; *i vestigii del cui Tempio si veggono nella Chiesa di S.* Lorenzo, *d'ordine* Ionico; *e quelli della Dea* Veste, *e di* Albunea *sopra la ripa del detto Fiume* Aniene, *l'uno di forma circolare*, *col Portico di fuori d'intorno*, *d'ordine* Corinthio, *e l'altro quadrato*, *d'ordine* Ionico, *e l'uno e l'altro Tempio haveva le Colonne storiate di sasso* Tiburtino, *con ogni cura e diligenza polite*, *e stuccate.*

Quello di Veste, *secondo certe parole, che ivi son rimasie imperfette, fù fatto dà un certo* Lucio Gellio.

1 *Scenie*] Ita in Autographo pro *schinere*, *tibialibus*, *ocreis*.



DESCRIPTIO
Superbæ & Magnificentissimæ
VILLAE TIBURTINAE HADRIANEAE,
AUCTORE
PYRRHO LIGORIO.
Ad Illustriss. & Reverendiss.
HIPPOLYTUM
Cardinalem Ferrariensem.



IBUR, Urbs *Latii*, supra *Aquas Abulneas* ædificata fuit, prout docet *Virgilius.* Decem circiter seculis ante *Trojæ* ruinam condita a fratribus *Catillo* atque *Tiburto*, qui, *Amphiarai* temporibus, *Thebis* e *Græcia* profecti, juxta Oraculi Auguriive monitum transiere in *Italiam*, una cum multis aliis, inter quos & *Coranus* fuit, qui juxta *Solinum* condidit Urbem *Coram*, nunc *Core* dictam, pariter in *Latio.*

Longissimo apud *Tiburtinos* tempore *Ilicis* arboris radices geminæ magna cum religione servatæ fuerunt, quoniam scilicet sub illa *Catillus* atque *Tiburtus* augurium condendæ Civitatis captaverant, prout narrat *Plinius* loco, ubi agit de Plantis longissimo tempore vigentibus.

Pulcherrima in hac Civitate fuere Templa, inter quæ & eminuit illud *Albuneæ* Nymphæ *Aquarum Albunearum*, quæ *Anieni* Flumini commisceri solent, nunc dicto *Teverone.* Fuere præterea *Isidis* Templum atque *Attydis*, ut & *Vestæ*; præsertim vero *Herculis*, qui maximo apud illos populos in honore fuit, utpote quem colerent religiosissime, tanquam *Herculem Thebanum*, seu *Liberatorem Thebanorum*; ejusque simulacrum ornatu ab aliis ejusdem Dei distinguebant, ad demonstrandum, esse illum *Herculem*, qui *Amazones* olim pugna superaverat; Hinc peltam victæ virginis, una cum aliis ejusdem armis inter pedes Simulacri sui *Herculis* ponebant; & quoniam summum eundem bellatorem atque Imperatorem agnoscebant, supponebant pariter Simulacro ejus thoracem atque galeam & ocreas, atque illis ut tropæo insidentem effigiabant, clavam altera manu, altera *Hesperidum* poma tenentem. Hujus Templi vestigia hodieque supersunt in Ecclesia S. *Laurentii*, ordinis olim *Ionici*; sicut & adhucdum reliquiæ Templi *Vestæ* atque *Albuneæ* visuntur ad ripam Fluvii ejusdem *Anienis*, quorum alterum fuit formæ circularis, & Porticum in circuitu foras habuit, ordinis autem *Corinthii*; alterum quadratum, ordinis *Ionici*, utrumque vero Templum habuit columnas historiatas ex lapide *Tiburtino*, pulcherrime elaboratas atque exornatas.

Vestæ Templum, prout constat ex Inscriptione quadam residua adhuc, verum mutila, erectum fuit a *Lucio* quodam *Gellio.*

Questi sono dà quel lato, che il Fiume si dirupa, e si sommerge dentro à caverne forate dentro della Valle delle Acque istesse, le' quali porgono tanto spavento, e terrore negl' animi de' riguardanti, che con non poca cagione li Cittadini l' hanno chiamata Inferno.

Da questo lato che sono i due Tempii di Albuneë *e di* Veste, *fuor delle mura dell' Antica Città si veggono alcune ruine della gran Villa di* Manlio Vopisco, *della quale scrive* Papinio, *esser stata edificata sopra l' Acque, che fan caduta, mezza in* Latio, *e mezza nella Montagna opposta alla Città, che è nella* Sabina; *conciòsia che l'*Aniene *divide, e partisce il* Latio *dalli* Sabini *Popoli; dall' una e l'altra parte di questa villa si passava con un ponte, del quale si veggono alcuni vestigii, che traversano la grande, e profonda Valle; e dall' una all' altra parte per un canaletto che passava sotto il fiume, haveva condotto l'*Acqua Martia *all' una, & all' altra parte della Villa, come afferma il detto* Papinio; *il qual dice molto bene di questa Villa, perche spesse fiate si empiva la panza alle spese di* Vopisco, *perche non altrimente n' hauria cantato nelle sue* Selve.

Dopoi quella Villa veniva quella di Horatio, *posta vicina al Monte, dove più il sito faceva Poggi, e Vedute, la quale haveva alla parte leve il Tempio di* Berecynthia, *presso al Bosco delle* Muse, *dal qual luogo si scorgono, e vi rimangono alcuni Cryptoportici, che suono luoghi quasi sotterranei, e longhissimi dà passeggiarvi, e starvi al fresco. Il sito invero di questa Villa contiene tutte le case, e la Piazza, dove è l'Olmo avanti al Domo della Città.*

Nell' altro gomito del Monte, che riguarda la Campagna di Roma, *è posta la Villa di* Augusto, *che vince ogn' altra delle sudette di magnificenza. Questa haveva, secondo quel, che vi è rimasto, due ordini di Colonne, l'uno sopra del altro,* Dorici, *e* Ionici. *Li* Dorici *posano sopra grandissimi pilastri di sassi quadrati, che sono fatti altissimi per mettere in piano la Villa, acciòche egualmente si habitasse in essa: Dà un lato di essa passava la* Via Valeria *per sotto le sue aquationi, secondo accennano le Iscrittioni, che vi sono scritte nelle catharatte del Edifitio.*

Hà la Villa due Portici d'intorno, l'uno riguardava i di fuori per ogni loco di esso per veder da lontano, e per difensione dell' aëre, e l'altro di dentro dell' Atrio, ò vogliamo dir Piazza; & trà l' uno e l'altro Portico erano le stanze & habitationi. Nel mezzo poi soprastante alla Piazza circondata dall' uno delli detti Portici, era un altro Appartamento, nella cui smontata per sostegno delle scale erano congegnate artifitiosamente Grotte composte de' Tartari, dove stillavano & scaturivano acque.

Nel fianco del Appartamento sono due Piscine, overo conserve d'acqua, dove si purgava il Fonte, e l'acqua deponeva ogni sua lordura. Il mezzo del Edificio dimostra haver molti luoghi da starvi, dal quale s'andava sopra gl' altri Portici dell' ordine Ionico.

Sotto la Villa medesima è un altro Edificio come un Tempio Ottagono, ornato de i luoghi delle Dei, posto nell' ascenso della Villa, nella quale verso Ponente si montava per scale oltre modo bellissime d'inventione; la prima faceva due montate di forma ordinaria quadrata; l'altra ne faceva una sola, mà la scala era di mezzo

A Sunt Templa hæc ad illud Fluvii latus, ubi distrahit atque submergit sese sub cavernas quasdam atque foramina subterranea, quæ sunt subtus Vallem Aquarum istarum; quod quidem tanto cum murmure atque horrore fieri solet eorum, qui animum advortunt, ut non immerito ab Incolis *Inferni* vocabulo appelletur.

Ad idem Fluvii latus, ubi duo ista Templa sunt, *Albuneæ* atque *Vestæ*, extra Urbis Antiquæ mœnia ruinæ adhuc quædam conspiciuntur magnæ istius Villæ *Manlii Vopisci*, cujus mentionem facit *Papinius*, ut conditæ super Aquas, quæ labuntur mediæ inter *Latium* atque Montana Urbi opposita,

B quæ in *Sabinis* est. Unde patet *Aniene* Fluvio dividi *Latium* a Populis *Sabinis*. Ab utraque olim parte Villa hæc ponte adibatur, cujus adhucdum visuntur vestigia quædam, quæ mediam transcurrunt magnam istam atque profundam Vallem; ab una vero parte Villæ ad alteram, per parvum quendam canalem, qui subtus Fluvium labebatur, transmittebatur *Aqua Martia* atque per canales derivabatur, prout affirmat *Papinius* modo a nobis citatus; qui optime de hac Villa scribit, utpote qui sæpe epulis *Vopisci*, splendidisque ejus mensis genium suum exhilaravit. Neque enim aliter cecinit Sylvarum Lib. I: III: 66.

C *Teque per obliquum penitus quæ laberis Amnem,*
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Post hanc Villam illa est *Horatii*, prope Montem sita, ubi maxime loci natura Tumulos excitat, locosque prospectus longe amœnissimi. Habuit autem illa ad sinistrum latus Templum *Berecynthiæ*, prope *Musarum* Lucum, quo in loco adhucdum supersunt visendæ quædam Crypto-Porticus, sive loci subterranei amplissimi, in quibus vasta sunt ambulacra & frigidaria. Hujus sane Villæ ambitus omnes continet domos atque etiam Forum, ubi Ulmus arbor est ante Ecclesiam Urbis nunc Principem.

D Ab altero Montis latere, quod spectat agrum *Romam* versus, Villa est *Augusti*, quæ memoratas illas omnes magnificentia sua superat. Habuit illa olim, prout ex reliquiis adhuc apparet, duplicem sibi superimpositum columnarum ordinem, *Dorici* scilicet operis, atque *Ionici*. Et *Dorici* quidem ordinis Columnæ ingentibus quadratorum saxorum basibus superinsistunt, quæ quidem tam alte evectæ sunt, ut Villa hoc modo æqualiter habitaretur, redacta in planitiei formam. Ab altero ejus latere subtus *Viam Valeriam* aquationes ejusdem transibant, prout patere potest ex Inscriptionibus, quæ in Ædificii hujus cataractis visuntur.

E Duas Porticus in circuitu habuit Villa, altera spectabat foras, ut libere inde omnem in locum late pateret prospectus, atque inde umbra interioribus locis & tranquillior tempestas aëris redderetur. Altera Porticus interior in Atrio, seu Foro, si ita appellare lubet, fuit. Inter utramque vero Porticum ædes & habitacula fuerunt. In medio autem loco, qui atrio superimminebat, interiori circumdato Porticu, aliud erat Ædificium, in quod descendebatur per gradus impositos artificiosis fornicibus seu specubus ex tartaro confectis, unde stillabant aquæ scaturiebantque.

F Ad latus ejusdem Ædificii binæ inveniuntur Piscinæ, seu aquarum receptacula, ubi purgabatur Fons, & eluvies atque sordes omnes effluebant. Medium hujus Ædificii ostendit adhuc multas ibidem fuisse stationes, unde adibantur aliæ illæ Porticus ordinis *Ionici*.

Sub eadem Villa aliud adhuc apparet Ædificium, in Templi formam, octagonum, loculis seu fornicibus instructum pro Deorum simulacris recipiendis. Positum vero est in adscensu Villæ, ad quam Occidentem versus itur per scalas longe pulcherrimæ inventionis. Prima adscensio duplicem aditum habet quadratum formæ ordinariæ; secunda vero, seu altera, simplicem modo continet, verum dimidiati

cerchio, come una cavea di Teatro, e di gran montata, tanto, che per lei si ascendeva su la Piazza della Villa, dove hora sono pergole, & altre cose, che producono gl' Horti di nostri tempi.

Queste trè Ville occupano tanto spatio di fuori della mura, che cingevano più della metà dell' Antica Città, la quale poteva esser di mille passi di circuito; percioche così accennano alcune rouine, che restano della Mura, e delle Porte di essa Città; de' quali se ne vedono i suoi termini l'una à S. Maria in Via Valeria, l'altra à S. Salvatore; la terza poco di sotto à S. Lorenzo.

Questa Città secondo mostra Virgilio, era ne' suoi tempi gran Città de' Latini, e l'Arce sua si chiamava Herculea, secondo dice Martiale.

Quivi i Tiburtini adoravano il loro Hercole Thebano cognominato Saxano, perche non solo con la mazza, e con la saètta egli seppe superar li nemici, mà con li sassi ancora; e per questo si racconta una Historia, che Hercole havendo superato Gerione, e tolti li pomi aurei, e menato seco Hesperide, figliola di Atlante, ò vero del Giorno, secondo alcuni vogliono, passò per la Gallia, dove fù molto honorato per lo suo valore, e per la sua eloquenza; onde i Galli dissegnavano Hercole nelle loro Tempii con la clava in spalla, e con la lingua forata, dove erano fermate più catene di oro, le quali erano legate all' orecchie di molti. Passato per la Gallia Hercole con tutti li suoi bovi, sano e salvo arrivò in Provenza, e d' indi in Liguria, al Campo Lapidario, dove dicono tutti i Cosmographici, che di Favole hanno fatta mentione, dove Hercole fù assaltato con molti Liguri, da Belgio & Altione, figlivoli di Nettuno, che gli furorno i bovi; ma combattutosi longo spatio, Hercole havendo perduto tutto l'armento, e ferito ginocchione, con la mazza si defendeva, per che haveva vuoto il carcasso delle freccie, e per non più potersi difendere, prego Giove lo volesse soccorrere, il quale lo soccorse con una pioggia di sassi, e con essi ricuperò li buovi, onde ha preso il cognome di Saxano, come l'adoravano quelli di Tivoli nel suo Tempio, il quale senza dubbio alcuno doveva esser somtuosissimamente fabricato, perche non altrimente Augusto vi sarebbe venuto à stare à spasso sotto il suo Portico, à dare ubidienza, come scrive Svetonio.

Quando quel Principe veniva à Tivoli à spasso, nel qual secolo questa Città doveva esser molto bella, sì per esser posta in luogho alto, e piano, più che non è hora; sì per li belli edifitii, come ancora per le acque, che vi venivano tolte da gl' Aquedotti, che andavano à Roma, la Cerulea l'Albunea, la Curtia e Martia, la quale fù molto pregiata, dedotta dal Fonte Piconio, dalli Marsi e Peligni, il cui Fonte si diceva Ausco, e per la sua bontà i Romani lasciavano l'Acqua Vergine, e l'altre Acque, per bere della Martia, come descrive Plinio nel libro della sua Naturale Historia XXXI. Cap. III.

Oltre alla comodità de' Fonti, e per lo sito atto à far possessioni, e per li edifitii ben disposti doveva esser saluberrimo stare, tanto per lo piacere de' luoghi opachi, come degl' altri, che nella Città si potevano prendere, dove havevano un Anfiteatro per li Spettacoli, che fù guasto di Papa Pio II. per farvi la Rocca che hor si vede.

A diati circuli scalam habet, tanquam Theatri caveam, tantæque est ambitus, ut per illam in Forum usque pristinæ Urbis adscendatur; quo quidem in loco nunc crescunt brassicæ atque alia quæ Horti nostri producere solent.

Hæ tres Villæ tam latum agri spatium extra muros ambitu suo amplectuntur, ut plus quam dimidiam partem Antiquæ Civitatis occupent, quæ quidem olim mille passus in circuitu habere potuit; id enim percipere adhucdum est ex ruinis quibusdam, quæ Muri quondam atque Portæ Antiquæ ejus Civitatis supersunt, & ex quibus apparent
B ejusdem termini, quorum primus est ad S. *Mariam* in *Via Valeriana*; secundus ad S. *Salvatorem*, tertius paullum inferius ad S. *Laurentium*.

Eadem hæc Urbs satis ampla *Latinorum* olim fuit, cum in flore suo esset, teste *Virgilio*, & secundum *Martialem* Arx ejusdem *Herculea* appellabatur.

Illo in loco *Herculem* suum *Thebanum*, cognomine *Saxanum*, coluere *Tiburtini*; neque enim clava tantum & sagittis hostes suos superare scivit, verum & saxis; unde & historiolam hanc de eodem narrant. Superato *Geryone*, atque ablatis pomis aureis, abductaque secum *Hesperide*, filia *Atlantis*, sive, ut alii volunt, *Giorni*, *Galliam* peragravit *Hercules*,
C ubi propter virtutem suam atque eloquentiam in plurimo honore fuit. Quare ab iisdem *Gallis* depictus ille *Hercules* fuit in Templis suis, humero quidem clavam gestans, lingua vero perforata, transeuntibus catenulis aureis, quibus ad aures plurimi mortales alligabantur. Ubi *Galliam* cum omni armento suo peragravit *Hercules*, sanus atque salvus pervenit in *Provinciam*; atque inde in *Liguriam*, ad *Campum Lapidarium* vulgo olim dictum, cujus mentionem fieri in Fabulis omnes testantur Cosmographi; Narrant vero Fabulæ, *Herculem* ibi cum multis *Liguribus* fuisse impugnatum ab *Altione* & *Belgio*, filiis *Neptuni*, qui boves illi suffurati
D erant, quum vero jam post longam pugnam tela *Herculem* deficerent, omni quoque armento perdito, & ipse præterea in genu ictus esset, seque sola clava defenderet, vacua sagittis pharetra, orasse *Jovem* patrem, succurrere sibi vellet; qui eidem suppetias tulit imbre saxeo, quo dein usum telo, victis hostibus, recuperasse boves suos, atque inde *Saxei* illi cognomen hæsisse, sub quo & venerati illum sunt *Tiburtini* in Templo suo, quod sine dubio sumptuosissimum fuit ædificium, neque enim aliter *Augustus* tempus ibi suum trivisset toties in Porticu suo ambulatione sese delectans, ibique copiam sui adeundi faciens, prout scribit *Suetonius*.

E Eo autem tempore, quo Princeps hic commeare solebat ad Porticus *Tiburtinas*, necessario Urbs hæc multo fuit pulcherrima; & quod alto & plano tamen in loco, elegantius quam nunc habitatur, sita fuerit; & propter ædium pulchritudinem, & propter aquarum commoditatem, quæ illuc commeabant derivatæ ex Aquæductibus, qui *Romam* versus pergebant, *Cœruleæ* scilicet, *Albuneæ*, *Curtiæ* & *Martiæ*, quæ magno erat in pretio, deductæ ex *Piconio* Fonte in *Marsis* atque *Pelignis*, qui Fons *Auseus* dicebatur; relicta vero *Aqua Virgine*, aliisque Aquis, *Martiam* propter singularem ejus bonitatem biberunt *Romani*, prout scribit *Plinius*, *Naturalis Historiæ*
F suæ Libro XXXI. Cap. III.

Sed & præter illam Fontium commoditatem, situsque naturam ad prædia aptissimam, villarumque magnificentiam atque pulchritudinem, saluberrimum præterea aëris temperamentum, amœnitate sua valde fuit commendabilis, & propter opacam arborum umbram, & alia quæ Urbis hujus ambitu olim continebantur; nam & Amphitheatrum ibidem habuerunt pro Spectaculis edendis, quod dirutum fuit a Pontifice *Pio II.* exstruendæ in loco illo Arci, quæ hodieque visitur.

Quanto alle lodi, che meritasse questa Città per le fabriche, & amenità del luogho, lascierò giudicarle à chiunque vuol prestar fede ad Horatio, *il quale, par che voglia più tosto lodar l'opacè* Tiburtino, *che altra cosa piu excellente, incomminciando le lodi sue, dice:* Altri dicono, e lodano la chiara Rhodi, altri Mythilene, altri Ephesco, altri Corintho, altri Bacco à Tebe, Apolline à Delpho, Giunone Argiva, altri Micene, e li Tempii di Tessaglia; e Lacedemone, altri Larissa; ma io, ô *Planco*, loderò la Tiburtina, è ti esorto à star di buona voglia, come faceva Teucro, quando in campo si trovava discosto dà Salumina.

Si che Horatio, *se non vi havesse havuto la sua Villa, non haurebbe punto scritto di questo luogho, nè lodato il suo vino, così ancora* Martiale *non hauria scritto, se non fosse stato alcun suo amico che per queste parti hebbero dà far qualche cosa.*

E se questi hanno detto à loro proposito, e fatta mentione del vino della Città, che haurebbero detto loro, s'havessero veduta la VILLA HADRIANA, *la quale unisce tutti i sette Miracoli del Mondo.*

Certamente questa Villa, come V. S. E. hà veduto, e considerato, non è potente Signor dè nostri giorni, che la possi comprendere nella mente, non che credere, che si trovasse sì fatta fabrica, che si può assomigliare à tutte le belle cose, che furono, e che saranno giàmai presso li posteri, & ad ogni altra unica fabrica, sì per la materia, sì per la grandezza del luogho, sì per l'ornamento; la qual giace due milla passi da Tivoli, *in un Colle vario di sito e di piano.*

A punto bisognava alla commodità delle cose varie che vi fabricò quel Prencipe, la longhezza del Colle, dove poggiano gli edifitii, l'una testa è verso Tramontana, l'altra verso Mezzogiorno; la longezza è trè milla passi ò poco meno, la larghezza è varia, ma la più larga parte è quanto sarebbe la settima parte della lunghezza: l'uno dè lati della longhezza è voltato all' Oriente, e l'altro all' Occidente verso la pianura di Roma.

Questo Colle tutto è circondato da una Valle attorno larga più, ò meno di trecento piedi, che circonda in tutto d'intorno alla Villa sei milla passi.

Il Colle dunque è edificato tutto tanto sotto terra coma sopra terra, di Albergi, e di Giardini pensili. In tutto il sito si contiene tanto spatio, che chi hà giuditio di Architettura, vedrà esservi formate novanta Piazze, cinte di Portici, e Stanze, l'una non come l'altra, nè di sito, nè di forma, e tutte per corte entrate, e vie comunicano l'andito l'una all' altra.

In tutto il Colle con le dette Valli, con brevità quanto più si potrà, scriveremo che cose vi erano, & à che fine drizzate, e che bellezza potessero havere, & à che studio fabricate.

Certamente loro sono di tal perfettione, che non solo invidia fanno, mà gran dolore porge alla posterità solo à nominarla, non che à vederla, di essere il mondo privo di sì degna memoria, la quale veramente (secondo dice Spartiano *nella* Vita di Adriano) *fù ordinata, e descritta trà le piu belle*

A Quantum vero pertinet ad laudes Civitatis hujus, & ædificiorum pulchritudinem, locique amœnitatem, sufficiet mihi unius *Horatii* testimonium, qui præ omnibus *opacum* laudans *Tibur*, hoc pacto singulare ejus decantat encomium, Libro I. Carm. Ode VII.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insigneis, aut Thessala Tempe.
Sunt, quibus unum opus est, intactæ Palladis Urbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptam frondi præponere olivam.
Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Argos, ditcisque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis,
B *Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda*
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro detergit nubila cælo
Sæpe Notus: neque parturit imbreis
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero: seu te fulgentia signis
Castra tenent: seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Quum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona.

Quod nisi ipse *Horatius* hanc Villam oculis suis vidisset, nequaquam descripsisset locum & vinum ejus laudasset; ut neque *Martialis*, nisi & ipse ibidem quendam habuisset ex amicis, qui possessiones in eadem Regione suas habuisset.

C Quod si hi vina hujus Urbis, prout conveniebat rei describendæ, laudarunt, quid quæso dixissent, si oculis licuisset usurpare VILLAM HADRIANI, quæ una quasi cuncta Orbis Septem Miracula complexa est.

Et sane quod ad hanc Villam attinet, quam & vidit & cum cura admirata est V.S.E. non exsistit tantus temporibus nostris vir, qui complecti possit mente, nedum credere, unquam fabricam exstitisse talem, quæ comparari potuerit omnibus istis elegantiis, quæ in hac Villa fuerunt, qualesque apud nullos existent unquam posteros. Utpote quum plane unicum fuerit & singulare hoc Ædificium, tam materiæ respectu, quam loci ambitu, atque ornamentorum exquisita cura. Fuit autem duobus a *Tibure* milliaribus, in Colle partim, partim in Planicie. D

Admodum autem ad varietatem structuræ, quam elegerat hic Princeps, accommodata fuit ipsius Collis extensio in locis illis, ubi fabricas suas erexit; quarum frons altera versus Aquilonem sese extendit, altera meridiem versus; longitudo Collis enim trium plus minus est milliarium, latitudo vero varia, ubi quidem latissima est, septimam longitudinis partem continet. Longitudinis latus alterum ad Orientem, alterum ad Occidentem spectat, versus Planiciem qua Romam itur.

E Circum undique Collis hæc cingitur Valle quadam trecentos circiter pedes lata, integer enim Civitatis ambitus sex mille passuum est.

Tota itaque Collis Ædificiis fuit repleta, non tantum supra sed & subtus terram, Arbustis atque Hortis pensilibus. Integer autem loci ambitus tantæ est extensionis, ut, juxta Architecturæ dimensionem, nonaginta ibidem deprehendi possint Atria seu Fora, singula Porticibus suis atque Ædificiis olim cincta, ita ut & singulorum discrepans structura fuerit, & situs ratione & formæ; quæ tamen omnia per viarum suarum communicationem jungebantur.

F Conabor itaque, quanta maxime potero, brevitate, describere omnia, quæ in Colle & Valle ista, quam descripsimus, fuere memorabilia quondam, atque indagare finem ejus Structuræ, qualemque potuerit habere pulchritudinem, quaque arte & quanto studio fuerit ædificata.

Invidiosæ certe non tantum omnia hæc sunt perfectionis, verum magno Posteris dolori, quod nominari solum, non etiam ostendi possint, erepto jam mortalibus Monumento hoc longe magnificentissimo, quod merito admodum suo laudatur a *Spartiano*, in *Vita Hadriani*; qui narrat digesta & inscripta in eo-

cose delle Provincie più famose del Mondo; perche egli la chiamò Lyceo, Accademia, Poicile, *Tempe, Prytaneo e* Canopo; *e per insino all'* Inferno *vi finse. Le parole di* Spartiano *sono queste, parlando delle cose fatte dà* Adriano *così nel fine della Vita:* Tiburtinam Villam mire exædificavit, ita ut in ea & Provinciarum, & locorum celeberrima nomina inscriberet, ueluti Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcile, Tempe vocarit, & ut nihil prætermitteret, etiam Inferos finxit.

Hora di questi luoghi, qu li, & alla cui imitatione fossero fatti, e perche, diremo quì di sotto ad uno ad uno, secondo li buoni Autori, e secondo pare che l'Architettura istessa del luogho della Villa comporta; sì dirà per la prima parte del Poicile, *poscia degl'altri più di sotto.*

Il Portico, detto Poicile, *fù in* Athene *famoso tanto (per modo di parlare) quanto la Città istessa; detto così dalla varietà delle Pitture, perche* ΠΟΙΚΙΛΗ *cioè* Vario *nella nostra lingua; qual dipinse* Polignoto, *Pittor da* Thaso, *celebratissimo sopra ogni altro della sua età. Tal Portico fù detto* Pisianatteo; *cioè alla* Greca ΠΕΙΣΙΑΝΑΚΤΕΙΟΣ, *& in questo Portico quel dignissimo Pittore depinse la Guerra fatta à* Marathone, *luogho nel Paese* Attico, *fatta da* Milziade *contra à cento milla* Persi, *quali egli superò con tredeci milla* Greci; *e questa fù con mirabile artifitio depinta, e rappresentata con le Armi* Greche, *e* Barbare; *dove si leggeva questo distico in testimonio:*

ΕΛΛΗΝΩΝ ΠΡΟΜΑΧΟΥΝΤΕΣ ΑΘΗΝΑΙΟΙ ΜΑΡΑΘΩΝΔΕ,
ΕΚΤΕΙΝΑΝ ΜΗΔΩΝ ΕΙΚΟΣΙ ΜΥΡΙΑΔΕΣ.

Questa guerra (come degna più che ogn' altra degl' altri tempi à dietro) fù sommamente commemorata, e dipinta, e scritta in testimonio delle cose Martiali di Alciadi, *& alla gloria sua consecrati (come un tempio) li* Campi Maratoni.

Plutarco, *nella Vita di* Cimone, *fa chiarissima mentione del* Poicile Pisianatteo, *e parla della magnifica opera, e liberalità di* Polignoto, *che pingendo in quella parte, che erano l'Historie d'*Ilione *distrutta, e combattuta dà* Greci, *vi fece* Laodice *frà le Donne* Trojane *all' imitatione dell' effigie di* Elpenica, *sorella di* Cimone, *amorosa di esso Pittore.*

Costui fù richissimo Pittore, la onde datosi à quell' Arte, ne fù excellente e magnanimo, perche la faceva senza prezzo alcuno, solo per rapire gl' animi di ciascuno, ch' egli dipinse Tempii, & Battaglie degl' Heroi, & ornò il Foro Ateniense, *il Poicile* Pisianatteo, *senza alcuna mercede, e solo per mera affettione, che egli portava ad* Atene, *& agl'* Ateniesi, *del che il Poëta* Melantio *scrisse così di lui, che non fù punto contrario à quello, che sopra hò scritto.*

ΑΥΤΟΥ ΓΑΡ ΔΑΠΑΝΑΙΣΙ ΘΕΩΝ ΝΑΟΥΣ ΑΓΟΡΑΣΑΝ ΤΕ
ΚΕΚΡΟΠΙΑΝ ΚΟΣΜΗΣΕ ΚΑΙ ΗΜΙΘΕΩΝ ΑΓΟΡΑΙΣΙΝ.

In questo Portico, detto Poicile Pisianatteo, Zenone *detto* Cittiense *dalla Patria, esercitò la sua Philosophia, dove essendo frequentato dà molti Discepoli, furono detti dal Portico* Stoici *per* Stoa, *d'onde viene poi* ΣΤΟΙΚΟΣ, *che significa Portico, perciòche sotto tal Portico, che dal primo fù detto* Pisianatteo, *e dalle varie Pitture di* Polignoto, Poicile, *quei Scolari si chiamavano* Stoici, *della cui Setta* Zenone *fù Prencipe, che vi esercitava la sua professioae.*

Onde dà questo bel nome, e luogho Adriano *Imperatore dottissimo in tutte le scienze, e Arti Liberali, volse che nella sua Villa fosse un simil*

A eodem fuisse celeberrima Provinciarum opera, prout ibidem agnoscebantur *Lyceum, Academia, Pœcile, Tempe, Prytaneum, Canopum,* etiam, ne quid deesset, *Inferi.* Verba *Spartiani* hæc sunt, ubi de Operibus *Hadriani*, in fine Vitæ ejus loquitur: *Tiburtinam Villam mire exædificavit; ita ut in ea & Provinciarum, & locorum celeberrima nomina inscriberet, veluti Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcile, Tempe vocarit; & ut nihil præmitteret, etiam Inferos finxit.*

B De hisce locis, illisque, ad quorum imitationem facta sunt, singillatim jam porro dicemus, probantes omnia ex idoneis Auctoribus & ipsius Architecturæ regula, quæ in condenda hac Villa observata fuit. Prius itaque de loco *Pœcile* dicto, dein de reliquis acturi sumus.

Porticus, *Pœcile* dictus, nobile admodum *Athenis* fuit ædificium, non minus ipsa Urbe celebratum. Appellata ita fuit a Picturarum varietate, *Varium* enim sermone nostro sonat vox *Græca* ΠΟΙΚΙΛΗ. Pixit vero illam *Polygnotus*, Pictor *Thasius*, omnium ætatis suæ in hac arte longe celeberrimus. *Pisianacteum* a Græco ΠΕΙΣΙΑΝΑΚΤΕΙΟΣ, Porticus hæc dicta fuit; depinxerat autem in hac egregius ille pictor Prœlium *Marathonium*, qui locus in *Attica* fuit, C memorabilis victoria *Miltiadis*; quam cum tredecim *Græcorum* millibus obtinuit contra centum *Persarum* millia. Admirabili autem penicillo cernere hoc erat ibidem expressum, ita ut mirifice quoque arma *Græcorum* atque *Barbarorum* exprimerentur; legebatur & hoc Disthichon tanquam rei gestæ testimonium:

ΕΛΛΗΝΩΝ ΠΡΟΜΑΧΟΥΝΤΕΣ ΑΘΗΝΑΙΟΙ ΜΑΡΑΘΩΝΔΕ,
ΕΚΤΕΙΝΑΝ ΜΗΔΩΝ ΕΙΚΟΣΙ ΜΥΡΙΑΔΕΣ.

Hoc prœlium, ut omnium, quæ ante acciderant longe nobilissimum, maxime fuit celebratum, depictum etiam atque descriptum in testimonium bellicæ virtutis *Alciadarum*, ejusque rei gloriæ, velut in D Ædem Sacram consecrati fuere *Campi Marathonii.*

Clarissimam mentionem *Pœcilis Pisianacteæ* hujus facit *Plutarchus* in Vita *Cimonis*, atque insigniter prædicat magnificam operam atque liberalitatem *Polygnoti* Pictoris. Hic, quum illam Porticus depinxerit partem, in qua Bellum atque Excidium *Trojanum* repræsentabatur, *Laodicen* inter Matronas *Trojanas*, ad habitum oris amatæ sororis *Cimonis* effinxit *Elpenices.*

Fuit idem Pictor longe ditissimus, unde & artem illam excellenter non tantum, sed & summa cum animi magnitudine exercuit. Neque enim pretium pro ea quæsivit ullum, laude atque admiratione spe- E ctatorum omnium contentus. Hac ratione depictis Heroum præliis Templa Deorum, & Forum exornavit *Athenarum*, præsertim *Pœcile Pisianacteum*, nulla mercede accepta, atque ex mero animi affectu erga Cives atque Patriam, unde singulari encomio, & quod cum modo dictis consentit, ornatur a *Melanthio* Poëta. Est autem tale:

ΑΥΤΟΥ ΓΑΡ ΔΑΠΑΝΑΙΣΙ ΘΕΩΝ ΝΑΟΥΣ ΑΓΟΡΑΣΑΝ ΤΕ
ΚΕΚΡΟΠΙΑΝ ΚΟΣΜΗΣΕ ΚΑΙ ΗΜΙΘΕΩΝ ΑΓΟΡΑΙΣΙΝ.

F In eadem hac Porticu, *Pœcile Pisianacteo, Zeno*, a Patria *Cittieus* dictus, Philosophiam docuit, ubi quum multi admodum convenirent dicipuli, a Porticu dicti sunt iidem *Stoici*, a ΣΤΟΑ scilicet, cujus derivatum ΣΤΟΙΚΟΣ *Porticum* significat, quoniam scilicet Auditores suos *Zeno* exercebat docebatque in hac Porticu, quæ primo *Pisianacteum*, dein, a variegatis *Polygneti* picturis, *Pœcile* dicta fuit: Discipuli autem *Zenonis* inde sese *Stoicos* appellarunt, Sectam formantes cujus princeps *Zeno* fuerat.

Ad hujus itaque loci tam pulchri atque celebris similitudinem, exercitatissimus in omni doctrinarum atque scientiarum genere *Hadrianus* Impera-

un simil luogo, come una Scola, overo Gymnasio, accommodato per quelli della Setta Stoica, *i quali* Giovenale *chiama in un luogho delle sue Satire* Stoicidas; *quasi seguaci della Setta, chiamata dal luogho.*

Hora questa parte; qual per la forza dell' Architettura può esser quella, dove hora veggiamo quel gran muro, che faceva un doppio Portico, l'uno verso Tramontana, e l' altro verso Mezzogiorno, li quali Portici partendosi dalle cave & Exedre, che sono in testa al muro, & alli Portici, abbracciavano due gran Piazze, che con tutto lo spatio di detto edificio sono dà ottocento piedi di lunghezza, e di larghezza poco meno del terzo della longhezza; dà ciascuna di queste Piazzè dipendono infiniti altri appartamenti con altre Piazze minori, di cose accommodate, opportune allo studio, e piacere delle cose, che ivi sì facevano, rappresentanti la forma del Gimnasio, ò vogliamo dire allo studio delli Stoici.

Sotto di queste due Piazze sono le Crypte; secondo si soleva fare sotto ad ogni Portico, le quali Piazze dal lato, che riguarda Mezzogiorno, e dall' altro, che è à Ponente, per mezzo di una Scala doppia per trè diversi piani, mena in trè diversi Corridori, l' uno sopra l'altro, che sono stati accommodati per ordini, e distanze, che sono nella Ripa dè detti duoi lati, che mettono in piano le due Piazze; le quali stanze secondo à i nostri giorni sì dice, erano gl' alberghi delle Guardie degl' Imperatori.

Dalle teste di queste due Piazze verso l'Oriente sono più cose edificate; Bagni, luoghi delle Diete, l'Eroico, e Biblioteca, con diverse Piazzette avanti à ciascun luogo, le quali gli servono per Atrii, e per Vestibuli allo scoperto.

Nella testa delli Portici di mezzo, che corrispondono scambievolmente alle due gran Piazze, che fanno il Poicile, *è una gran Cavea, per le cui entrate sì và in un Tempio accommodato alla Dieta delli* Stoici, *dove erano negl' angoli colonne & altri luoghi accommodati alli Dei Propitii di tali studii.*

Il Pavimento di questa Dieta, ò Tempio era tutto di Porfidi & altri mischi in diverse forme fatti e tagliati; le sue piante delle medesime Pietre mischiate, le quali ò dalli Barbari, *ò pur dà nostri* Christiani *sono state spente & annullate, per far le Chiese di* Tivoli; *e se non sì fossero vedute à terra cavandovi, già mai sì sarebbero considerati tali ornamenti.*

A lato alla dieta è un altro luogho ornato di un Portico Ovato, nel mezzo della Piazza sua è un edificio Ottagono, che per ogni lato fa porte e nichi, & altri repositorii di Statue, dove di dentro, e di fuori erano molte Imagini dè Dei; e vi scaturivano Fonti; dentro per loro fregi erano intagliati Mostri Marini, tanto di forma humana, come d'ogni animale terrestre, e marino con code di Delphino, con Donne & Amori *à cavallo, in altri ci erano intagliati carri tirati da diversi animali, & Augelli guiduti da certi* Cupidini *alati, ò vogliamo dire* Intelligenze, *che fanno un giuoco Circense; alcuni dè carri hanno per suoi cavalli Struzzi, altri Arieti; Capre e Leoni, altri, Cavalli proprii, Tigri, e Colombe, quasi mostrando, che ogni spetie corre ad un fine terminato, ò alla Morte, ò alla Generatione.*

Queste cose, parte sono state portate à Roma nell' Horto dell' Cardinale Farnese, *parte ridotte in* Tivoli *murate per le case, e parte sono in potere di V. S.* Illma.

A tor, locum etiam in Villa sua ædificari jussit pro Scola, seu Gymnasio, accommodatum illis qui *Stoicæ* Sectæ erant, quales *Stoicidas* appellat *Juvenalis*, prout sectatores Sectæ a loco isto denominat in loco quodam Satyrarum suarum.

Hodie pars illa Villæ forsan in isto loco cognoscitur, ex Architecturæ ratione, ubi magnus iste Murus est, qui duplicem efficit Porticum, alteram Aquilonem versus, alteram vero versus Meridiem; quæ Porticus divisæ invicem per caveam atque Exedram, quæ sunt in initio Muri & utriusque Porticus, duo ingentia complectuntur Fora, quæ cum universo spatio istius ædificii octingentos pedes longa, B lata vero sunt paullum minus tertia parte longitudinis suæ; Ad singula Fora hæc pertinent infinita alia ædificia cum aliis Foris minoribus, iisque rebus quæ stadio conveniunt, & opportuna sunt iis exercitiis, quæ ibidem in loco illo repræsentabant formam gymnasii & quasi Scolam *Stoicorum* istorum.

Sub istis Foris duobus Cryptæ sunt, quales fabaicari solebant sub omnibus Porticibus, quæ Fora, a latere illo, quod Meridiem versus spectat, alterumque quod versus Occasum est, Scalæ cujusdam duplicis opera, in tres planicies divisa, exeunt in di- C versas Stationes sibi invicem superimpositas, quæ aptatæ sunt per ordines atque distantias, quæ sunt in Ripa duorum dictorum laterum, quibus duo Fora in planum mittuntur. Quæ quidem Stationes ad nostra usque tempora, ut perhibent, hospitia fuerunt cohortis Prœtoriæ Imperatorum.

Ab initio Fororum horum duorum Orientem versus plura exstitere ædificia; Balnea, Diætæ, Heroicum, & Bibliotheca cum variis Forulis ante singula loca, quæ quidem pro Atriis inserviebant & Vestibulis sub dio.

Ad initium Porticuum in medio, quod circumundique respondet ingentibus illis duobus Foris, D quæ *Pœcile* efficiunt, magna est Cavea, quam si subeas, ingressus patet in Templum aptatum Diætæ *Stoicorum*, ubi in angulis erant Columnæ atque alia commoda locandis Statuis Numinum Præsidum talium studiorum.

Pavimentum ejusdem Diætæ seu Templi, totum olim erat ex lapide porphyrite, aliisque miscellis variæ formæ sibi invicem coaptatis. Bases Columnarum ex iisdem lapidibus mixtis coagmentatæ erant; quæ omnia vel a *Barbaris*, vel ab ipsis *Christianis*, nostris sublata & corrupta fuerunt, ad exstruendam Ecclesiam *Tiburtinam*, & nisi detecta talia hæc orna- E menta effodiendo terram fuissent, nunquam cognitio illorum ad nos pervenisset.

Ad latus Diætæ alius locus est exornatus Porticu Ovalis figuræ, inque medio Fori ejusdem ædificium Octangulum est, quod per singula latera Portas habet & ædiculas, aliaque loca Statuis reponendis commoda, ubi intus & extra multæ Deorum erant imagines; scaturiebantque Fontes insuper eodem in loco. Interius etiam pro ornatu varia exsculpta erant Monstra Marina, hominum non tantum, sed & omnis generis animalium forma, cum cauda etiam Delphini Marina erant, Monstra *Amores* mulieresque dorso inequitantes secum ferentes. F Alibi visebantur a variis animalibus tractæ bigæ, Cygnique alatis Cupidinibus ductoribus, tanquam Ludos Circenses celebrantibus. Quibusdam ex bigis istis Struthiones pro equis erant, aliis Arietes; Capræ, Leones, Equi etiam proprie dicti, Tigrides præterea, atque Columbæ; quasi innueretur cuncta simul ad unum concurrere finem, sive mortem, sive generationem.

Hæc omnia, partem *Romam* avecta sunt, atque reposita in Horto Cardinalis *Farnesii*, partem *Tibure* adhibita ut parietibus insererentur, partem in potestate S. V. Ill^mæ^ sunt.

Post

A *Dopoi questo bel luogo ornato di tante belle cose, di Colonne, e di Statue, lavorato con estrema eccellenza, con Pavimenti miracolosi, così non fossero dalla malignità de gl' huomini consumati, si vede il grande, e bellissimo edificio rovinato, dove era la Biblioteca con trè ordini di Stanze, Corridori di fuori, dove sì può considerare le divisioni dè libri secondo le sue materie, ò di Philosophia Morale, ò d' altra; è di Medicina; e d' Historie; e de gl' Autori Greci, e Latini. In questo luogo, come in tutti gl' altri, sì vede, che v' erano Statue & altri belli ornamenti agiustati, e dipinti, & istuccati con va-* B *ghissime inventioni.*

A canto alla Biblioteca sono altri appartamenti à guisa di Tempii, e di Exedre, e Diete, & Albergi piccioli, e grandi, con li suoi Portici e Fonti, & altri piani de' Giardini.

Più oltre, verso Tramontana, per il cui verso sono tutti i lumi, e porte di detti luoghi, è un gran spatio, con un muro ornato di venticinque Nicchi, avanti à questi era un Portico per ambulatione, che circondava attorno il Giardino.

Nelli fianchi di questo luogo sono altri Poggi più bassi con altre Piazze, e Loggie; & in fronte è una piscina dà purgar l'acqua; altri luoghi C *con altre Muraglie ornate di Portichetti piccioli, di donde di sotto alli piedi d'altre Statue ivi poste, uscivano acque, le quali facevano fronte ad una altra Piazza, ch' era con altri Appartamenti suspesa da altre ripe, con grossi muri ornati di Statue dà trè lati.*

In un Poggio della Villa, *che stà più basso di questo, si vede un gran Teatro, col suo pavimento lavorato di quadretti di diversi colori, di bianco, azurro, giallo, rosso, e verde, con quattro altri alloggiamenti con le Piazze, e Portici; fabricati non con Colonne, mà con pilastri, nella cui Piazza già facendovi cavare V. S. Ill:* D *sì viddero tra li Basamenti e Nicchi di Statue in numero quaranta, che vi erano, delli quali sì trovarono solamente trè torsi bellissimi di tanto numero di esse Statue.*

I Pavimenti di questa Piazza, e Portici erano seligati di marmo Augustale segato à tavole quadrate à lato; à questa Piazza era un' altra molto più bella, fatta di Colonne con belle Statue, quali trovò M. Gio Battista Bucciola di Tivoli:

Dopoi questi luoghi è la Piazza, che moderna- E *mente sì dice* dell' Oro, *la quale è fatta con diversi Appartamenti d'intorno, di rustico lavoro incrostato, per rappresentar le Ripe rusticamente; secondo ricercano i luoghi in Villa accommodati.*

Questo è quanto alla Villa *verso il* Poicile *verso Tramontana; Mà verso Mezzogiorno hà altre Piazze e Bagni, con le sue Pinacoteche, e hanno i lor lumi à Tramontana & à Levante, dove ancora sono i luoghi accommodati alli Tepidarii e Frigidarii, & Empoduterii, per quelli, che sì bagnavano.*

Vi sono luoghi da lottare, detti Xysti, *al scoperto & al coperto, & i luoghi dove sì spoglia-* F *vano per ungersi per lottare; & li Laconici luoghi calidi, che havevano i lumi à Mezzogiorno & à Ponente, per starvi à digerire i cibi nel tempo dell' Inverno, variamente ornati, e di Marmi, e di Stucchi mezzostati e dipinti.*

Trà il Poicile *e li due Poggi, che sono gl' Appartamenti dell'* Accademia, *(della quale diremo dopoi) giace una Valle longhissima, assai più che non è la proportione di un Cerchio da far Givochi Circensi, che à destra & à sinistra ha varii Ap-*

Post egregium locum hunc, tot pulcherrimis rebus exornatum, Columnis atque Statuis, summa arte elaboratis, Pavimentis etiam admirandæ subtilitatis, miraculo futuris, nisi malignitate hominum fuissent consumpta, apparent locus & ruinæ maximi & pulcherrimi ædificii, ubi quondam erat Bibliotheca, cum triplici ordine Stationum in gyrum sese flectentium; ubi considerari poterat divisio librorum secundum materias suas, seu Philosophiæ Moralis, alteriusve; seu Medicinæ; sive Historiarum; Auctorumque *Græcorum* atque *Latinornm.* Eodem in loco, ut & ubique Statuæ fuere, aliaque exquisitæ ambitionis ornamenta, sculpta pictaque, arte & inventione delectationem afferentia.

Ad angulum Bibliothecæ alia loca sunt, in Templorum formam, Hexedrarum etiam, Diætarum, Hospitiorumque parvorum grandiorumque, una cum Porticibus suis, Fontibus, Areis, atque Hortis.

Magis ulterius, versus Aquilonem, ubi onmes fenestræ atque portæ locorum dictorum sunt, grande spatium est, cum Muro viginti quinque Ædiculis ornato. Ante Porticus erat ambulationi destinatus, totum Hortum circuitu suo includens.

Ad ejusdem loci latera alii sunt Tumuli, magis depressi, cum aliis Palatiis atque Ædificiis, & in fronte est Piscina pro purganda aqua: alii item loci cum aliis Muris, parvis Porticibus ornati, desubter quibus, ad aliarum Statuarum ibidem positarum pedes, aquæ prosiliunt, quæ recta occurrunt alteri Foro, quod cum aliis Ædificiis suspenditur quasi ab altera ripa, cum prægrandibus muris, Statuis item a tribus lateribus exornatis.

In Tumulo etiam *Villæ*, qui depressior adhuc magis est, ingens conspicitur Theatrum, una cum Pavimento suo, quod elaboratum est ex lapidibus parvis quadratis versicoloribus, albis, cœruleis, flavis, rubris, viridibusque, cum quatuor aliis Ædificiis, una cum Foro atque Porticibus, non cum Columnis fabricatis, verum pilis, in quo Foro, quum quondam D. V. Ill$^{ma.}$ excavari terram faceret, Bases & Ædiculæ Statuarum quadraginta numero inventæ sunt, quæ quondam ibidem fuerunt; ex quibus cunctis, tantoque Statuarum numero tres pulcherrimæ tantum sunt detectæ.

Pavimenta Fori istius atque Porticuum strata erant Marmore Augustali, dissecto serra in tabulas quadrilateras, eratque, ad Forum idem, aliud longe pulcherrimum, Columnis pulchrisque Statuis exornatum, quas invenit Dominus *Joannes Batta Bucciola Tiburtinus.*

Post loca illa Forum erat, quod nunc passim *del Oro* dicitur, quod circumdatum erat variis Ædibus, agrestis operis incrustati, ad repræsentandam Ripam agresti more elaboratam, prout exigebat locorum in Villæ talis formam dispositio.

Et hoc quantum ad *Villæ* latus versus *Pœcile*, ad Aquilonem. Verum Meridiem versus aliud habet Forum, & Balnea cum Pinacotheca sua, quæ lumen suum a Septentrione & Oriente accipiunt; ubi adhucdum loca sunt accommodata Tepidariis & Frigidariis, & Empodyteriis, in usum illorum, qui Balneis illis uti vellent.

Sunt & ibidem Luctæ destinati loci, *Xysti* dicti, aperti pariter atque tecti, *Apodytoria* item, ubi exuebant sese, qui oleo perungebantur ad luctationem; *Laconica* etiam Balnea, quæ lumen recipiebant a Meridie & ab Occidente, quo ibidem exercerentur post prandium, tempore Hyberno, varie quoque exornata Marmoribus, exstanti Sculptura elaboratis atque depictis.

Intra *Pœcile* & duos Tumulos, qui ad *Academiam* pertinent, de qua inferius acturi sumus, longissima interjacet Vallis, satis ampla proportione ad Circuli normam pro faciendis Ludis Circensibus, quæ ad dextram atque ad sinistram varia habet Æ-

 dificia,

partamenti dà alloggiare, dà star fermo, è da passeggiare, con Portici dall' uno e dall'altro lato mirabilmente variti di passo in passo, mà corrispondenti à destra & à sinistra; il che rappresenta il luogo che chiamava Adriano Canopo.

In capo di questa Valle è il Tempio del Dio Nettuno, *cognominato secondo il detto luogho, perche* Canopus, *overo* Canobus *per* B. *fia chiamato* Nettuno, *secondo* Strabone, *è una Città cento venti stadii discosta da* Alessandria d'Egitto *per via di terra; che fù detta* Canobo *dà un Governator dè Navi di* Menelao, *che ivi si legge esser sepolto, e morto in questo modo. Essendosi egli addormentato di profondissimo sonno presso la riva del Fiume* Nilo, *fù morsicato dà una sorte di serpe, che si chiamava* Hæmorrhois, *morì, secondo scrive* Strabone, Pomponio Mela, & *il* Commentator *di* Nicandro; & *ivi, dove fù sepellito, era un Tempio di* Nettuno Canopo.

Detto fù ancora Canobo, *ò* Canopo *Dio presso gl'* Egyptii, *della cui ragione*, Suida *è* Ruffino *nel undecimo libro dell'* Historia Ecclesiastica, Philostrato *nel Secondo Libro delle* Vite de' Sophisti *(dove parla di* Herode*) fà mentione del Tempio di* Canopo; *e della forma del Dio ne scrive* Pamphilo Contra Gentili, *perche era fatto col corpo di hydria, e col capo della Statua del detto Nocchiero.*

Solino *dice, che* Alesandro *edificò* Canobo *Città, il qual fù da* Pella *Città di* Macedonia, *illustrata molto dà* Filippo, *e dà* Alessandro *suo figlivolo, secondo dice* Dionisio Afro.

Canopo *ancora è una stella in Cielo, che soura à tutte l' altre riluce, collocata nel Cielo sotto al Fiume* Nilo, *overo* Eridano, *come dice* Plinio, Higino, *e* Strabone.

Propertio *ancor lui chiama* incœstum Canopum, *perche i* Canopiti *furono huomini dati molto alla lussuria, ed alla mollitie, come sono gl'* Asiatici; *perchè, secondo scrive* Strabone, *era* Canopo *una fossa, come un'* Euripo, *notte è giorno piena d' huomini è donne, che cantando, girano e saltando senza vergogna alcuna in barchetta con ogni sorte di dishonestà, che è argomento della lussuria* Canopitica. *Onde à questo proposito per riprensione in un luogho dice* Varrone: ci par di esser molto savii, essendo à guisa di Conopisti. Ovidio:

----- Genialia arva Canopi.

cioè vuole inferire, dato alli piaceri, & à i baccamenti; & *credo che* Canopo *in questo luogo dell' Autore voglia intendere di questo* Canopo, *Città edificata, (come è detto) dà* Alessandro, *per esser molto celebrata, e bella, non troppo di scosta dalla sua* Alessandria.

Sono alcuni, che vogliono intendere l' Autore, che fosse stato dipinto nella Villa Hadriana.

Vi facesse l' Euripo *con quelli Portici d' intorno il Tempio di* Canopo, *come lo veggiamo, lo qual luogo finse, per haver qualche cosa dell'* Egitto (*tanto à lui devoto, per havervi consecrato il suo* Antinoo, *e posto trà gli Dei d'* Egitto) *e per potervi in quella fossa veder quelli piaceri* Canopici, *per non star sempre intento alla cose serie; e saviamente alcuna fiata fà colui che à qualche cosa con mente sana si mette à riguardar le sciochezze dè Popoli; perche se non vi fossero delle cose dishoneste, non si conosceria l' honestà, si che* Adriano, *per veder cose ridicole, alcuna volta vi finse quel che più famoso fosse nell'* Egitto, *e ve lo edificò, come à luogo della Vindemmia, nella quale si facevano sbaccamenti universali per le Vindemmie.*

Il Tempio di questo Canopo *Dio è di forma circolare grande, con pavimento di Mosaico, inventione, che hà bisogno più de dimostratione, che d'altra narrativa.*

A ædificia, pro mansionibus, stationibus, ambulationibusque, cum Porticibus ab utroque latere, admirabiliter per singulos passus variatis, verumtamen inter sese correspondentibus; quibus effigiabatur locus, quem *Adrianus* appellavit *Canopum.*

In summo Vallis istius Templum Dei *Neptuni* fuit, cognomen ab eodem loco adepti; *Canopus* enim, seu *Canobus* (ut alii voluere) appellata, secundum *Strabonem*, fuit Civitas quædam centum atque viginti stadiis *Alexandria*, quæ in *Ægypto* est, terrestri itinere distans, dicta autem *Canobus* fuit a gubernatore quodam Classis *Menelai*, ibidem mortuo atque sepulto, hac occasione. Quum forte alto somno

B oppressus ad ripam *Nili* Fluminis jaceret, a Hæmorroide, serpentis genus est, morsus, interiit, prout scribunt *Strabo*, atque *Pomponius Mela*, ut & *Nicandri Scholiastes*; erat autem in loco, ubi sepultus fuit, *Neptuni* Templum *Canobi* dictum.

Fuit & *Canobi* seu *Canopi* nomine Deus quidm apud *Ægyptios*, de quo agunt *Suidas*, ut & *Ruffinus* Libro XI. *Historiæ Ecclesiasticæ*; *Philostratus* autem Libro II. de *Vitis Sophistarum*, ubi de *Herode* agit, mentionem facit Templi *Canopi*; de Dei vero figura *Pamphilus* scribit in Libro *Contra Gentes*, hydriæ enim corpus habebat tumido ventre, caput

C vero Statuæ Gubernatoris istius adinstar fuit.

Scribit *Solinus* exstructam ab *Alexandro* Urbem *Canobum*, illo scilicet ex *Pella*, Urbe *Macedoniæ*, patre *Philippo*, atque *Alexandro* filio multum illustri, prout *Dionysius Afer* docet.

Est & stella quædam *Canopus* dicta, quæ in Cœlo super reliquas omnes lucet, locata sub *Nilo* Flumine in globo Cœlesti, sive *Eridano*, ut *Plinius*, *Higinus*, atque *Strabo* asserunt.

Propertius quoque *incœstum* vocat *Canopum*, quoniam scilicet *Canopitæ* luxuriæ valde fuere dediti, atque homines mollissimi, prout *Asiatici* passim sunt; erat enim, secundum *Strabonem*, fossa quædam tan-

D quam *Euripus*, quæ *Canopus* dicebatur, nocte atque die plena viris mulieribusque, quæ cantantes saltantesque omni deposito pudore in naviculis quibusdam fœdissime luxuriabantur, quod argumentum *Canopiticæ* perditionis est. Quare hinc *Varro* pro reprehensione alicubi dicit: *Nobis Saperdæ videmur, cum simus Canopici.* Sed &

—— *genialia arva Canopi.*

commemorat *Ovidius*, quo eosdem luxuriæ & voluptati deditos fuisse ostendit; *Canopum* vero ibidem dici puto de *Canopo* Urbe (ut dictum est) ab *Alexan-*

E *dro* ædificata, utpote propter elegantiam suam valde celebri, non longe ab ejusdem *Alexandria* dissita.

Sunt tamen quidam, qui volunt intelligi ita debere auctorem, quod depictus tantum fuerit in *Villa Hadriani.*

Fecit & ibi *Euripum* cum Porticibus, ut cernere est, circa Templum *Canopi*, quem quidem effinxit locum, ut exprimeret *Ægypti* (quæ tantopere addicta illi fuit, ut & *Antinoum* suum consecraverit, atque inter Deos *Ægyptios* retulerit) mirabilia; possetque petulantiam istam *Canopicam* in fossa illa contemplari, pro temperandis seriis rebus. Et non

F insipide illi faciunt, qui quandoque sana mente sese conferunt, ut stultitiam Populorum inspiciant, nisi enim inhonestæ forent res, non dignoscernetur honestæ. Atque ita *Hadrianus*, ut & ridicula aliquando observaret, finxit ibidem quod famosissimum erat in *Ægypto*, atque exstruxit, ut in loco Vindemiæ, ubi conveniret bacchari licentius per temporis istius lætitiam.

Templum Dei istius *Canopi* circularis fuit formæ, ingens, ejusque pavimentum Musivi fuit operis, & talis, ut oculis melius cognosci quam verbis possit describi.

Su-

Soprastante al detto Canopo *sono li spatii del luogo dell' Accademia, la quale ha tante piazze, & Appartementi, che sono cose infinite à narrarle, & in ogni animo generoso inducono tanto stupore, che pare impossibile à nostri giorni farsi sì superba, numerosa, & ornata fabrica.*

Questo spatio (occupato all' ora dalle vigne di Mr. Persio, *e da quelle di Mr.* Simon Petrarca, *e dall' altre di altri Cittadini) si spedisce con venti Piazze, che accrescono la comodità e gratia alle cose necessarie d'essa* Accademia, *senza li spatii grandi, che tenevano occupati li Boschi, e Giardini, che ivi erano compartiti, & à canto all' Atrio suo era un luogo di forma ovata, vario, e di Statue ornato.*

Platone, *figlivolo di* Aristone, Ateniese, *scolaro già del gran* Socrate, *dimorò in* Egitto *tredici anni, per apprendre delle scienze* Egittiache; *à fine ritornato alla Patria, se ne stava nel luogo detto* Gimnasio, *che si diceva ancora* Accademia, *posto fuor di* Atene *mille passi, secondo dice* Suida, *e* Stephano.

Questo era fatto trà belli Giardini, vestiti di altissimi alberi d'Allori, e Platani, detta Accademia *da uno Eroe, che* Accademo *per nome fù chiamato, da cui la Scola del Gimnasio sono stati detti* Accademici; *benche tal luogo, pria che* Cimone *plantasse, e vi conducesse acque d'altronde, fosse arido, e sterilissimo; mà egli con la sua fatica lo fè divenire ricchissimo, e bellissimo di acque, & ornatissimo di amenissimi alberi, e giardini dà passeggiare, e vero luogo da Filosophare lo ridusse; Onde non senza cagione gli* Lacedemoni *ancora che guastassero ogni cosa con la guerra all' intorno d'*Atene, *perdonarono à sì bel luogo, massime per esser chiamato di* Accademo, *over* Cademo, *uno di quei, che di* Arcadia *seguirono* Castor, *e* Polluce, *figliuoli di* Giove, *che nacquero sotto la riva d'*Eurota *fiume, che in questo luogo fù sepolto.*

Fù di tanta stima ancora presso li Romani, *che infinitamente fù comendato, & esaltato trà le cose più excellenti, che si possono fare per dare opra alli Studii delle Arti Liberali.* Cicerone, *trà gl' altri, come amico delle cose di* Platone, *chiamò la sua Villa* Accademia, *e la edificò non molto lontana da* Pozzuolo, *presso il* Lago Averno, *e vicino à* Baja *& à* Miseno, *dove fece Fonti ornatissimi, e Portici varii, e li munì di ornamenti, e di cose dà starvi necessarie, dove non solo ripose gl' Autori, che havevano scritto, mà li Ritratti de' Poeti, e Filosofi.*

Per tanto il più che poteva si sforzava di dimorarvi con concorso di tutti gl' Illustri Cittadini, che erano datti à simili studii, i quali correvano al luogo, come il ferro alla calamita, rapiti dalla bellezza del luogo, e dall' eloquenza di Cicerone, *il quale, col suo ornato parlare, furava gl' animi de galant huomini, non meno che l'*Ercole, Gallico *cognominato, con la forza della sua Filosofia, fortezza & eloquenza, soprastette, e vinse quei Popoli senza battaglia, solamente con le sue affettuose parole, e sue ragioni.*

Fù da ogn' uno adorato, come da gl' altri la virtù di Cicerone *esaltata, con tutta la sua Villa, la quale anco più che la* Tusculana, *e quattordici altre Ville, che egli haveva per tutta* Italia *ben munite; in questa rappresentò il* Gimnasio *& il* Liceo *ombrifero all' imitatione di quel Portico, che usò* Aristotele *per emulation della Setta* Stoica, *e del divino* Platone.

Dopoi Marco Tullio, *tutti gl' altri* Romani *fecero il simile nelle loro Ville; come fù fatto nella* Villa Claudiana *nel* Latio, *in quelle due di* Pli-

Supra dictum *Canopum* sunt spatia locorum, ubi fuit *Academia*, quæ tot Fora habuerunt atque Ædificia, ut exprimi non possint, tantumque generosioribus animis stuporem injiciant, ut impossibile videatur, hisce sæculis tantam molem, respectu magnificentiæ, numerositatis, atque ornatus, excitari posse.

Hocce spatium (quod occupant jam vineæ Domini *Persii*, ut & Domini *Simonis Petrarchæ*, aliorumque civium) viginti amplectitur Fora, ut ita olim, commode & cum voluptate, *Academiæ* huic necessaria suppeditarentur, exceptis tamen ingentibus istis spatiis, quæ occupantur Nemoribus Hortisque, quæ ibidem disposita erant; adque Atrii angulum locus erat figuræ ovatæ, varius, multisque Statuis exornatus.

Plato filius *Aristonis*, *Athenienfis*, magni olim istius *Socratis* discipulus, tredecim annos in *Ægypto* est commoratus, ut disciplinas *Ægyptias* perdisceret. Reversus dein in Patriam, locum, *Gymnasium* dictum, occupavit, qui & *Academia* vocabatur, extra *Athenas* positum mille passus, prout *Suidas* & *Stephanus* affirmant.

Collocatus idem erat inter pulcherrimos Hortos, in quibus conspicuæ altitudinis lauri atque platani virebant. Academia autem dicta fuit ab Heroë quodam *Academo*, a quâ dein Gymnasii Scolâ Secta *Academicorum* nomen accepit. Locus vero iste, antequam *Cimon* eundem arboribus consevisset, atque aliunde aquam conduxisset, aridus fuit atque sterilissimus; hic vero, immensa adhibita opera, ditissimum aquarum copia fecit, atque plantatis pulcherrimis arboribus hortisque, ambulacris umbrosissimis instruxit, atque aptum philosophando locum reddidit. Unde non absque ratione *Lacedæmonii*, quum omnia in bello devastarent circa *Athenas*, pulcherrimo huic loco parci voluerunt, maxime, ut appellato ita ab *Academo*, sive *Cademo*, uno ex comitibus *Arcadibus* filiorum *Jovis*, fratrum *Castoris* atque *Pollucis*, nato ad ripam Fluminis *Eurotæ*, atque hoc in loco sepulto.

Tantæ quoque apud *Romanos* fuit existimationis, ut infinitis laudibus commendaverint atque extulerint, ut præstantissimum toto Terarum Orbe Studiis locum. *Cicero*, inter alios, ut amicus rerum *Platonis*, Villam etiam suam *Academiam* appellavit, atque non longe a *Puteolis* eandem excitavit, apud *Lacum Avernum*, prope *Bajas* & *Misenum*, ubi pulcherrimos Fontes Porticusque varias fecit, atque ornamentis rebusque cunctis necessariis ditavit, neque solum libros, sed & ipsas Poëtarum Philosophorumque effigies, collegit, ibique proposuit.

Ibi locorum iste *Cicero*, prout plurimum potuit, est commoratus, circumcursantibus assidue Illustribus, iisdem studiis deditis, qui concurrebant ad locum illum, ut ferrum ad calamitatem, loci pulchritudine rapti atque *Ciceronis* eloquentia, qui sermonis sui lenocinio elegantiorum hominum furabatur mentes, non aliter, quam *Hercules* ille, *Gallicus* dictus, Philosophiæ suæ viribus atque eloquii persuasione, Populos istos sine prœlio devicit, sibique subjecit verbis atque rationibus expugnatos.

Prout autem omnes *Ciceronis* admirati sunt virtutem, ita Villam hanc ejus summis laudibus extulerunt, plus etiam quam *Tusculanam* ejusdem, & alias quatuordecim, quas idem variis in *Italiæ* locis possidebat, bene exstructas. Habebat in hac expressum *Gymnasium*, atque *Lycæum* umbrosum, ad imitationem Porticus *Aristotelici*, quo utebatur idem ex æmulatione Sectæ *Stoicæ* atque Divini *Platonis*.

Post *Marcum Tullium*, idem omnes fecerunt *Romani*, atque similia in Villis suis loca exstruxerunt; prout factum fuit in *Villa Claudiana*, in *Latio*, in binis

nio Cecilio; dove non solo vi fabricò Gimnasii, mà Hippodromi, Bagni, e Sferisterii, con diversi Atrii, con Platani piantati in mezzo, e con luogi da starvi à studiare, con la commodità della Biblioteca, non senza cagione Adriano volse, che in questa sua Villa fosse il nome istesso dell'Accademia con tutte le sue corrispondenze, con Giardini edificati sopra à gli edificii chiamati Hipogei, che sono Cryptoportici varii con varii luoghi per commodità delle munitioni. Di sopra di essi fece per forza d'arte ornamenti di spesa grandissima, formati in Portici, in Piazze, in Giardini, in Coricei, & in Ephebei, che sono luogi del Gimnasio, dove studiavano li giovanetti e giovanette, e per la commodità loro, e per vaghezza delle habitationi vi condusse l'acqua del Fonte Piconio, chiamata Martia, la quale passando, e divendosi per tutti i luogi della Villa, irrigava i Prati, e giardini, che vi erano.

Principalmente in questa Accademia vi fù un Tempio circolare, come si vede, bellissimo, e dedicato ad Apolline & alle Muse, il quale hà da un lato il vestibulo, ornato di Statue, secondo accennano li luogi di essa. Un altro hà un Atrio ben grande, cinto da muri di forma quadrata, e di fuori cinto di Colonne di marmo bianco col pavimento di Mosaico bianco, con alcune Stanze dipinte, e stuccate pur di candido stucco; mà quelli dell' Atrio con Pavimenti fatti di pietre tagliate minutamente, e connesse insieme con alcuni quadretti & lavori; come ancora sono lastricate tutte le Stanze dell' Atrio dà un' altro lato del Tempio, e la sua Zoteca, dove si tenevano gl' animali rinchiusi; dalla qual Zoteca dipendono altre stanze per li Sacerdoti, e per le Diete degl' Accademici, e per gl' Albergi, non di poca spesa ornate.

Doppo questi edificii vi sono altri Albergi, & altri Portici, cinti di Colonne, e di Muri, varii di siti, e d'artificio, magnificentissimamente fatti, senza gl' altri spatii, che sono fabricati di diversi Corridori, che conducevano dà questo Albergo à quell' altro, con molti appartamenti di Camere, & Anticamere, che sono tutte poste nelle facciate delli siti, che sono da terra sospesi, e mantenuti, altri con forza di muri grossissimi, che sostengono l'equationi delli Portici; poco più oltre à canto allo spatio dell' Inferno, & all' Accademia si vede un' altro grandissimo Teatro, ch' ha una via, che entra nell' Inferno sotto terra, dove sono ancora i luogi, dove si vestivano gl' Histrioni, in piedi; sopra di questo luogo, dicono che nel tempo di Papa Alessandro Borgia furono trovate le Nuove Muse.

Il Proscenio era composto di ventiquattro Colonne Historiate di ordine composito in due ordini, dodici di sopra, & altretante di sotto, di marmo giallo, e rosso.

Il Pulpito era di ventidue piedi di largo dove si recitavano le cose del Teatro; l'Orchestra era lastricata di porfidi e di altri marmi mischi.

Di dietro poi del Teatro erano altre Stanze & altre Diete degl' Histrioni, e Mimi, e Pantomimi, recitatori delle cose del Teatro, in cui si rappresentavano cose Minervali, Mercuriali, Apollinari, Martiali, e Satiriche.

Da questo appartamento per fianco al sito del Inferno si partiva un Portico, longo di mille, e quattrocento piedi, accompagnato dagl' Archi dell' Aquedotto, e finiva nel piano dell' altro grande e maraviglioso appartamento del luogo detto Liceo.

LICEUM dunque, overo LYCIUM, in Greco ΛΥΚΕΙΟΝ. fù luogo in Attica, detto da Lico figlivolo di Pandione, dice Pausania; dove Pisistrato, overo gl' Ateniensi essendo il Prefetto dell' opera Pericle, edificorono il Gimnasio, che Lyco prima

A binis istis *Plinii Cœcilii*, ubi non tantum *Gymnasia* exstructa fuerunt, verum & *Hippodromi*, *Balnea* atque *Sphæristeria*, cum diversis Atriis, plantatis in medio platanis, & Pulpitis in studiorum usum, & Bibliothecis. Atque ita non sine ratione *Hadrianus* in hac sua *Villa* exstare etiam voluit ipsum illud *Academiæ* nomen cum omnibus suis ornamentis, cum Hortis etiam suis ædificatis supra ædificia illa *Hypogæa* dicta, quæ sunt Cryptoporticus variæ, cum variis locis, pro commoditate fabricæ extructis. Supra vero arte mirabili summisque impensis varia fecit ornamenta, Porticus, Fora, Hortos, Coryceos, Ephebeos, Gymnasii loca, ubi adolescentes & adolescentulæ exercebantur; ad quorum commodum, mansionisque amænitatem, illuc conducta fuit aqua ex Fonte *Piconio*, quæ *Martia* appellata fuit, perque singula *Villæ* loca eadem transeuns, Prata atque Hortos, qui ibidem erant, irrigabat.

Præcipue vero in hac *Academia* fuit Templum rotundum, pulcherrimum, prout adhuc agnosci potest, *Apollini* dedicatum atque *Musis*, quod ab altero latere vestibulum habuit Statuis exornatum, prout ex ipsis locis illis videri potest. Ab alterò latere ingens fuit atrium, muris cinctum quadratis, foras etiam in circuitu Columnis albi marmoris incinctum, cum Pavimento operis Musivi, cum Cameris quibusdam depictis atque incrustratis albo; verum Atrii ædificia Pavimenta habent ex minutis lapidibus, commissis invicem quadrato opere atque artificio; prout etiam exornatæ sunt omnes Cameræ Atrii ab alio Templi latere, ejusque Zothecæ, in quo loco concludebantur animalia; ad quam Zothecam pertinebant aliæ etiam Cameræ, pro Sacerdotibus, & Diætis Academicorum, Hospitiisque, quæ omnia hand exiguis impensis exornata fuerunt.

Post Ædificia illa alia sunt Hospitia, aliæque Porticus, Columnis atque Muris cinctæ, & situ & artificio variæ, atque magnificentissime extructæ, præter reliqua spatia, quæ ex variis Ambulacris constant, ab uno Hospitio ad aliud ducentibus, cum multis Ædificiis Camerarum atque Vestibulorum, quæ omnia sita sunt in fronte Molis ipsius suspensæ a terra, atque sustentatæ, reliqua, violentia densissimorum murorum, sustinentium æquilibrium Porticuum, suffulciuntur. Aliquanto ulterius ad angulum spatii illius, quo fuere *Inferi*, ut & *Academia*, alterum grandissimum est Theatrum, quod viam habet, quæ exit in *Inferos* sub terris, ubi & adhucdum supersunt loca, in quibus vestiebantur ornabanturque olim Histriones. Supra locum istum tempore *Alexandri Borgiæ* Pontificis, inventas quondam narrant Novem *Musarum* Statuas.

Constructum erat Proscenium ex viginti quatuor columnis Historiatis, varii ordinis, duplici serie, superiori scilicet atque inferiori, marmoris flavi atque rubri.

Pulpitum viginti duos pedes erat latum; ibi autem theatralia recitabantur. Orchestra strata erat porphyrite aliisque marmoribus mixti generis.

Post idem Theatrum aliæ erant Cameræ, atque Diætæ aliæ Histrionum, Mimorum, atque Pantomimorum, qui Theatralia recitabant, atque repræsentabant Minervalia, Mercurialia, Apollinaria, Martialia, & quæ ad Scenam spectabant.

Ab ista Structura ad latus *Inferorum* occurrebat olim Porticus, mille & quadringentos pedes longus, Aquæductus Arcuationes conjunctas habens, exibat autem is in plano alterius magni atque admirabilis Ædificii, loco, *Lyceo* dicto.

Lyceum itaque, seu *Lycium* ΛΥΚΕΙΟΝ *Græcis*, locus in *Attica* fuit, ita dictus a *Pandionis* filio *Lyco*, teste *Pausania*, ubi *Pisistratus*, seu *Athenienses*, Præfecto operis *Pericle*, exstruxerunt *Gymnasium*, qui locus primo *Lycus*, dein *Lyceum* fuit appellatus, &, prout

fù chiamato il luogo, *& ultimamente* Lyceo; *il che dice* Suida, e Callimaco, *che fù dedicato ad* Apolline, *dove* Aristotele *istituì la Setta sua* Peripatetica, *detta dal verbo* ΠΕΡΙΠΑΤΕΩ, *che vuol dire* passeggiare, *che così* Aristotele *nel* Lyceo *imparava alli suoi scolari*, *onde essi furono detti* Peripatetici, *alla* Greca, ΠΕΡΙΠΑΤΗΤΙΚΟΙ. *Et ivi* Aristotele *insegnò tredici anni continui*, *e poi fù forzato à partir d'* Atene, *e se ne andò à* Calcide, *ove poi* (*secondo scrive* Gregorio Nazianzeno) *morì disperato*, *per non potere arrivare la cagione del flusso, e reflusso dell'* Euripo *di* Negroponte, *che da sei in sei hore cresce, e manca*, *e dicendo*: Poiche Aristotele non ha l' Euripo, l' Euripo habbia Aristotele. *Così detto si buttò dentro*, *e vi si annegò*.

Mà lasciando da parte questo, *per non essere al nostro proposito*, *diremo dell' Origine della Scola* Lycea Peripatetica. *Fù* (*secondo scrive* Diogene) *essendo ito* Aristotele *per Oratore degl'* Ateniensi *al Rè* Filippo, *padre del suo* Alessandro, *fù proposto alla Scola* Accademica Xenocrate, *ove egli sperava d' esser posto*. *Tornato egli adunque da tal Legatione*, *e veduta la Scuola in governo à chi non haurebbe voluto*, *fece elettione del* Lyceo, *overo ordinò il suo* ΠΕΡΙΠΑΤΟΝ, *cioè* Passegio, *ove egli passeggiando in sù*, *e in giù*, *circolarmente con li suoi Scolari*, *fù chiamato* Peripatetico.

Adriano *adunque per memoria di un sì celebrato luogho d' huomini così eccellenti in* Atene, *volle che nella sua* Villa *fosse il* Gimnasio, *chiamato* Lyceo, *il quale era pieno di arbori*, *& altre cose*, *à guisa di Giardini*, *con Portici longissimi*, *onde* Ovidio *nel secondo delle* Metamorphosi *nella Favola di* Mercurio *&* Herse:

Dispiciebat humum, *cultique Arbusta Lycei*.

e Prisciano, *ove egli recita di* Cicerone,

Inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo.

Questo Lyceo, *come si vede*, *è verso la parte della Villa*, *che più verso al Mezzogiorno inchina*, *dove erano*, *secondo i suoi vestigii*, *longhissimi*, *e bellissimi Portici d'intorno à luoghi piantati d'arbori*, *con molte maniere di varii Appartamenti*, *dove sono vestigii d'un Tempio*, *con alcune Diete*, *e Xisti da lottare al coperto*, *& al scoperto*, *con varie ambulationi coperte*, *e incrostate di marmo*, *con le volte dipinte*, *e stuccate*.

Trà gl' altri luoghi sono due Piazze, *overo Giardini*, *circondate di fabriche*, *che per la vetustà loro sono spiante*, *guaste*, *e coperte d' herbe e di sterpi spinosi*, *& annullate*, *come sono tutte le cose humane*, *che piene di miserie*, *e di vanità*, *collapse*, *e dispregiate divengono*; *li quali luoghi erano divisi dà un longhissimo muro di quattro cento piedi in circa*, *che haveva al Mezzogiorno un Portico*, *e à Tramontana un' altro*, *li quali Portici sono nelle teste loro contenuti da quattro Cavee*, *ò vogliamo dire Exedre*, *luoghi dà Statue*, *e dà starvi firmo à mirar la longhezza delli Portici*, *e delli Giardini*; *dal lato*, *che riguardano Oriente*, *in una testa sono varii Alberghi*, *dove si vede principalmente*, *mà rouinato un cubiculo e un* Procetone, *cioè una camera*, *e una anticamera à canto ad altre Stanze*, *dove havemo veduto una cosa bellissima*, *e desideratissima dà Moderni*, *& è il modo come si scaldavano le Stanze con gl' Hypocausti appresso gl' Antichi*.

Questo luogho in vero di questa camera hà di sotto nello Hypogeo un Hypocausto, *cioè focolare*, *che spirava come fanno i nostri camini*, *dove si faceva il fuoco*, *& à lato à questo era un altro fornello*, *dove ponevano le bragie senza fumo*, *le*

A prout testantur *Suidas* atque *Callimachus*, dedicatus *Apollini* fuit, eoque in loco *Aristoteles* Sectam suam *Peripateticam* instituit, a verbo ΠΕΡΙΠΑΤΕΩ dictam, quod *deambulare* significat, deambulans etenim inter discipulos suos *Aristoteles*, ita illos docebat, unde & ipsi ΠΕΡΙΠΑΤΗΤΙΚΟΙ, id est *Peripatetici* dicti sunt apud *Græcos*. Tredecim vero annos continuos ibidem docuit *Aristoteles*, quibus exactis, coactus fuit discedere *Athenis*, atque *Chalcidem* sese contulit, ubi (prout *Gregorius Nazianzenus* scribit) vitam præ mærore animi finiit, quod fluxum atque refluxum *Euripi Chalcidensis*, qui per sex continuas horas crescit atque minuitur, ratiocinatione sua percipere non

B posset; ita ut, præfatus illa: *quoniam Euripum non capit Aristoteles*, *Aristolem Euripus capiat*, sese præcipitem ab alto deturbaverit, atque in undis interierit.

Verum omissis hisce, ut parum ad propositum nostrum facientibus, quædam de origine Scolæ *Peripateticæ*, videlicet *Lyceo*, dicemus. Narrat *Diogenes Laertius*, eo tempore, quo Orator ab *Atheniensibus* ad Regem *Philippum* mitteretur *Aristoteles*, illum *Alexandri* sui patrem, præpositum Scolæ *Academicæ* fuisse *Xenocratem*, quam ipse occupare animo præceperat. Quum itaque rediisset a Legatione sua, videretque in adversarii sui potestate Scolam, *Lyceum* elegit, ibique *Peripatum* suum, seu *Ambulationem*

C ordinavit, atque ibi, nunc in hanc, nunc in illam, cum discipulis suis, partem deambulans, *Peripatetici* cognomen accepit.

In memoriam itaque loci tantopere celebrati, *Adrianus* etiam, ad imitationem virorum *Athenis* olim excellentium, exstare in *Villa* sua voluit *Gymnasium*, & ipsum *Lyceum* dictum, quod arboretis erat plenum, aliisque rebus, in Hortorum morem, una cum longissimis Porticibus, unde *Ovidius* Libro II. *Metamorph.* in Fabula *Mercurii* & *Herses* dicit ℣. 710.

Dispiciebat humum, *cultique Arbusta Lycei*.

& ex *Cicerone* citat *Priscanus*,

D *Inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo*.

Lyceum hoc, prout apparet, versus partem *Villæ* est, quæ ad Meridiem maxime inclinat, ubi, juxta vestigia sua, longissimæ atque pulcherrimæ erant Porticus, quæ in circuitu arbustis consitæ erant, cum Ædificiis plurifariam exstructis, ubi & vestigia apparent Templi, cum Diætis quibusdam atque Xystis, pro lucta, apertis atque coopertis, marmoreque incrustatis, depictis atque tectorio illitis fornicibus.

Sunt inter alia loca Fora duo, sive Horti, qui cir-

E cumdantur fabricis, quæ vetustate temporis dissipatæ sunt atque penitus ad nihilum redactæ, spinis dumisque horridæ, prout omnia rerum humanarum, plena vanitatis & miseriæ, in ruinas prolabuntur atque exitium. Hi loci longissimo muro divisi erant quadringentorum in circuitu pedum, qui ad Meridiem Porticum, ut & similem alteram ad Aquilonem, habebat, quæ quidem Porticus in initio suo continentur quatuor Caveis, seu Exedris, Statuarumve locis, atque Consistoriis ad spectandam inde Porticuum istarum longitudinem, & Hortorum; a latere, Orientem spectante, quodam in fronte operis Æ-

F dificia fuisse observantur, ubi adhuc in primis apparet, sed ruinosum, cubiculum *Procetonis*, id est, Cameræ seu Vestibuli ad angulum aliarum Mansionum, ubi pulcherrimam rem, atque a recentioribus desideratissimam vidimus, modum scilicet quo Veteres olim Hypocaustis suis Mansiones istas calefacerent.

Et sane locus Cameræ istius subtus in Hypogeo habet Hypocaustum, nobis *focolare*, quod spirat velut camini nostri solent, ardento foco, eratque alter parvus furnus ad ejusdem latus, ubi pruinæ, quæ sine fumo erant, reponebantur, quæ ardore suo

quali riscaldavano quel luoghetto; & usciva nella stanza di sopra il caldo per cinque tuboli, ò vogliamo dire fistole quadrate, alte dà terra, murate nel cantone della camera, per quei forami esalavavi l' ardore, le quali bocche sono elevate dal muro, quanto importano cinque dita, nè punto facevano di brutto à vedere; perche accordate con sue cornici, e con le pitture di tutta la camera, accrescevano gratia e vaghezza piu tosto al luogho.

Hora quel che restarebbe dà raccontare dell' altre cose guaste, che sono presso al Lyceo, *sono infinite materie di Casamenti, i quali per la desolatione sua fatta da Christiani, non se ne ritrahe cosa certa del suo ornamento, mà come le* Piante *loro fossero, le disegnaremo al meglio, che si potrà, col dimostrarle nella* PIANTA.

Che questo luogho fosse così stranamente annullato, credo ciò fosse, per esser denominato della Setta Stoica, e Peripatetica, come inimichè della Christiana Religione, parendo à quei buoni huomini, che li costumi di quelli, e le Statue & ornamenti guastassero il ben fare di quelli, che venivano alla perfetta fede Catolica, acciòche vedendo tante belle cose, non fosse loro materia di vacillare; per questo quei Christiani, che per ornar le Chiese, i Pavimenti, che vi hanno levati à confusione de' Gentili, gl' hanno, per lo migliore consecrati nelle nostre Chiese, e mentre levavano quelli assiduamente, come nemici del luogo, e de gli Dii de' Gentili, ardevano nel calcare le imagini di quelli, e toglievano, e sfodravano d' ogni bellezza li luoghi, acciò che già mai alcuno havesse ardire di restituirli nella sua forma.

Per tanto verremo al resto delle cose della Villa Hadriana. *Quivi più oltre àl* Liceo *era il* Pritaneo, *luogho oltre modo grandissimo, e maravigliosissimo, dove mirabilmente all' intorno si veggono in diversi luoghi appartamenti. Mà prima che di di lui si dica, scriveremo à che imitatione* Adriano *lo fabricò nella Villa* Prytaneum, *overo* Pritanium, *perche nell' uno, ò nell' altro modo si trova scritto presso gli Authori.*

Era un luogo anco in Atene, *dove si faceva il Publico Consiglio, come in* Roma *il Palazzo* de' Conservatori, *e quei che amministravano quelle cose, che nel* Pritaneo *si ordinavano, si chiamorono* Pritanes, *e quest' offitio era delle dieci Tribù d'* Atene, *le quali successivamente l' una all' altra per lo giro d' un' anno, à sorte cavate, ivi governavano il tutto, onde dà tal luogo hanno formato il verbo* ΠΡΥΤΑΝΕΥΕΙΝ, *che significa* amministrar la Città, e le cose di quel Palazzo, dette ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ; *il cui nome è derivato da* ΠΥΡΟΣ, *che vuol dire* frumento, & ΤΑΜΕΙΟΝ, *che vuol significare* Repositorio, *come à dire* ΠΥΡΟΤΑΜΕΙΟΝ, *cioè* Repositorio di Grano, *onde poi per mutatione hassi fatto* ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ, *per traspositione di lettere.*

Le Dieci Tribù Areopaghe, *che governavano, furono instituite nel secolo, che Giove regnava in* Candia, Pandione *in* Arcadia, Cecrope *nell'* Attica, *il quale* Cecrope *ridusse gl'* Ateniesi *à vivere sotto una Città, overo fù* Teseo, *figlivolo di* Egeo, *mà questo sia come si voglia, qui non è al proposito entrare nella diversità dell' Historie, basta che la cosa fù così ordinata.*

Dopoi il Diluvio venne per la sceleragine di Lico, *figlivolo di* Pandione, *il quale uccideva, e rubbava i forastieri, trà tanti Rè, che all' hora nel Mondo regnavano, solo* Cecrope *era buono, il quale mostrò a gl'* Ateniesi *il Costume del vivere sotto le buone leggi, e sotto la munitione di una Città ben provista, & ordinò le* Panathenee, *Fe-*

locum calefaciebant; exibat verò ad superiorem Cameram calor per quinque tubulos, seu fistulas quadratas, ut ita dicam, illisque alte ex terra sublatis, ad angulum Cameræ exstructis. Ex hisce foraminibus ardor exibat, erantque ora hæc ex muro exstantia ad quinque fere digitorum altitudinem; nec tamen indecora occurrebant, utpote convenientia cum cornicibus suis, ut & totius Cameræ picturis, atque inde haud parva loco gratia & voluptas accreverat.

Quod jam nobis restat adhuc dicere de reliquis rebus devastatis, quæ prope *Lyceum* sunt, sunt infinitæ Ædiculæ, quæ per miseram, quam a *Christianis* passi sunt, ruinam, nullam jam plane faciem aut ornatum habent. Veruntamen *Ichnographiam* quondam illarum delineabimus, ut poterimus optime, in ipsa ICHNOGRAPHIÆ demonstratione.

Quod autem ita plane locus hic desolatus fuerit, inde factum credo, quod de Secta *Stoica* atque *Peripatetica* fuerit cognominatus, quæ quum inimica censeretur Religioni *Christianæ*, bonis illis viris belle agi visum fuit, omnes illius Memorias, Statuas, atque Ornatus diruere, pro perfectiore fructu Fidei Catholicæ, ne scilicet a rebus tam pulchris a via veritatis abriperentur. Et hinc *Christiani* illi, qui, pro ornandis Ecclesiis suis, Pavimenta, quæ ibidem erant, sustulerunt, adque ad Gentilium confusionem meliori usui in Ecclesiis nostris dedicarunt, quique id fecerunt assidue, pariter, & ipsius Loci Sacri, & Deorum *Gentilium* inimici, imagines & ornatus eorundem, quantum potuere, conculcavere & protrivere, imo omnia eorumdum ornamenta, nullo pulchritudinis & artis habita ratione, ita annihilarunt, ut nulli plane fas sit, pristinæ ea omnia formæ restituere.

Atque nunc id quod ulterius restat ex *Villæ Hadrianeæ* rebus, videamus. Præter *Lyceum* ibidem *Prytaneum* erat; qui locus admodum erat amplus, ubi mirabili arte diversis in Circuitu locis Ædificia collocata conspiciebantur. Verum antequam quidem de illis dicam, enarrandum est, ad quod exemplar *Hadriamus* ædificaverit in *Villa* sua *Prytaneum*, sive *Pritanium*, utroque enim modo scriptum apud Auctores invenitur.

Erat & locus *Athenis*, in quo Publicum habebatur Consilium, prout *Romæ* fieri solet in Palatio *Conservatorum*, iique qui administrabant res *Prytanei* appellabantur *Prytanes*, eratque officium illud decem *Athenarum* Tribuum, qui singulis annis per ordinem Tribuum, ex iisdem annuos creabant Magistratus, sorte lectos, quibus totius Reipublicæ cura commissa erat, unde ab isto loco formatum fuit verbum ΠΡΥΤΑΝΕΥΕΙΝ, quod significabat, *Urbem & Palatii istius, quod Prytaneum dicebatur, res administrare.* Derivatur autem appellatio a ΠΡΥΤΑΝΕΥΕΙΝ, id est *frumento*, & ΤΑΜΕΙΟΝ, quod *Repositorium* significat, ut ita conjunctim sit, *Repositorium frumenti*, unde postea, mutatis atque transpositis literis, factum est ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ.

Decem Tribus Areopagiticæ, quæ constituebant Magistratum, institutæ fuere isto tempore, quo *Jupiter* in *Candia*, tenebat Imperium, *Pandion* apud *Arcades*, & in *Attica* terra *Cecrops*, qui quidem *Cecrops* persuasit *Atheniensibus*, ut simul in una cohabitarent Civitate, quod *Theseo*, qui *Ægei* fuit filius, alii assignant. Verum quocumque modo res se habeat, neque enim diversas Historicorum opiniones discutiemus, sufficit nobis, ita, ut jam dicemus, huic rei exordium esse factum.

Post Diluvii tempora, quod accidit scelere *Lyci*, filii *Pandionis*, qui peregrinos occidebat atque spoliabat, inter tot Reges, qui tum regnabant in Orbe, solus bonus inventus est *Cecrops*, qui edocuit *Athenienses*, obedientes bonis vivere legibus, munirique simul Civitatis communis mœniis, & porro in Urbe sua bene constituta *Panathenaica* instituit, Festum

ste di Minerva, *in memoria dell' unione di questi Popoli, le quali cose tutte* Adriano *fece per fingere il luogo detto* Pritaneo, *col depingere e scolpire.*

Nel Pritaneo *si nudrivano quei, che per la Patria havevano fatte cose egregie, e questo non era piccolo premio à quelli, che dalla Patria venivano premiati, & honorati, & era luogo di honore honestissimo; il che mostra* M. Tullio *del primo* dell' Oratore, *parlando di* Socrate, *il quale essendo accusato per haver introdotto altro costume degli Dei, fù posto in prigione, e finalmente ingratamente gli fecero bevere il veleno.*

Le parole di Tullio *in quel luogo sono queste*: Interrogatus Socrates, cum esset reus, quam quasi æstimationem commeruisse sese maxime confiteretur: respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus, & præmiis decoraretur, & ut victus ei quotidianus in Prytaneo publice præberetur. *Quantunque* Socrate, *secondo* Marco Tullio, *lo addomandasse nel punto che egli era per esser condannato in carcere, alcuni Commenti dicono, che* Socrate *vi fosse già instituito nel* Pritaneo *per l' ordinario vitto, e vestito, mà mentre l' ottenne, egli fù carcerato; Mà sia come si voglia, tutte l' Istorie* Greche *sono confuse, e piene di varie opinioni.*

Per tanto, Adriano *ancora (come si e detto) fece il medesimo luogo nella* Villa, *come vole il sudetto* Spartiano, *il quale senza dubbio alcuno tengo, che fosse quivi rappresentato magnificamente, secondo il rispetto d' un Prencipe di tutte le Genti, di tutte le richezze, e di autorità, quanto si può excellente in ogni scienza perito, ove egli il Consiglio Publico, & il premio poteva dare, & ordinare per servitio della* Villa, *per li Governatori, e per quelli della Setta* Stoica *e* Peripatetica, *e degl' altri huomini virtuosi, che vi si intertenevano in sì gran* Villa, *anzi una Città, & un Paradiso Terrestre.*

Questo luogo del Pritaneo *convenientemente si vede ornato di Piazze, e Loggie, e luoghi d' ogni forma, fatti in un Poggio altetto un poco, e bene accommodato alla vista d' appresso, e da lontano con stanze dà studiare, senza le cose, che ivi sono edificate sotto terra nel* Hipogeo, *con i suoi* Bagni, Apoditerii, *& Critti da passeggiare al fresco; & in diversi cantoni d' altri luoghi d' intorno, & appresso al principale edifitio dell'* Pritaneo *si veggono altre stanze disperse per li campi, i quali dovevano essere i Granari, dove infinitamente sono spatiosi campi da fare Horti, e Giardini in questo & in quell' altro Poggio, ò recesso del luogo, per tutto si rappresentano ruine delle fabriche che vi erano. Di più, in diversi luoghi si veggono alcuni piccioli Tempietti ruinati, dove erano i principali luoghi delli loro Dii, che si veggono, che servivano per le sepolture di quelli, che nella* Villa *morivano, il che dimostrano le olle, ò vogliamo, dire pignate, che servivano per cinerarii de' corpi morti, e queste sono poco discosto dal detto* Pritaneo, *sopra luoghi coltivati, e fabricati d' alcune fabriche della* Villa; *perche si come viventi quelli godevano il* Pritaneo, *morti godevano quei Tempietti: e le cose della Vita, e della Morte sono sempremai vicine; Così molto bene furono le cose di questa* Villa *dispensate, così fosse intiera, e conservata.*

Questa parte del Pritaneo *è stata già habitata dà Moderni, e fatta in forma d' un Castello, chiamato di* S. Stephano. *Gl' habitatori di questo hanno alterato, e guasto con moderne fabriche tutto il bello, e buono di sì degnissimo luogo, & hanno*

A stum *Minervæ*, in memoriam unionis Populorum istorum. Quas quidem res omnes *Hadrianus*, in loco isto *Prytaneo* dicto, depingi atque exsculpi olim curavit.

Victum etiam accipiebant in *Prytaneo* omnes illi, qui res egregias pro Patria gesserant, quod quidem illis haud exiguum erat præmium, utpote quod virtute sua pro Patria ab eadem meruerant, honorque honestissimus, id quod *Cicero* demonstrat libro I. *de Oratore*, ubi agit de *Socrate*, qui accusatus, quod alienigenos introduceret Deos, & novam Religionem, quum in carcerem intrusus esset, atque condemnatus ad mortem denique & veneni potum, meruisse se ajebat, ut illi publice victus in *Prytaneo* præ- B beretur.

Marci Tullii ipsius verba, loco isto, hæc sunt: *Interrogatus Socrates, cum esset reus, quam quasi æstimationem commeruisse sese maxime confiteretur: respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice præberetur.* Licet autem *Socrates* hæc, juxta *Ciceronem*, protulerit eo tempore, quo condemnato mox instaret pœna mortis; Commentarii tamen quidam dicunt, addictum jam *Socrati* victum atque vestitum in *Prytaneo* fuisse, verum non percepisse honorem C istum, condemnatum ante atque occisum. Verum de his nil disputabimus, quum confusæ valde *Græcorum* res & variarum plenæ sint opinionum.

Hadrianus itaque, ut modo diximus, hunc etiam locum in *Villa* sua adumbrare voluit, quod & *Spartianus*, citatus jam in præcedentibus, docet, qui sine dubio in eo consentit, ibidem, ut ab omnium Gentium Principe, omnium divitiarum possessore, tantæque in omnes auctoritatis, magnificentissime hoc exstructum fuisse, ut ibi quasi Publicum haberet Concilium, virtutique daret præmia, atque curaret necessaria, quæ *Villæ* istæ inservirent, Præpositis ejusdem, ut & qui Sectæ essent *Stoicæ* aut *Peri-* D *pateticæ*, aliisve hominibus virtute præditis, qui in tanta continebantur *Villa*, atque ibidem Civitatem & Paradisum quasi Terrestrem efficiebant.

Hic *Prytanei* locus convenienter Foris atque Ædificiis fuit exornatus, aliisque omnigenæ fabricæ structuris, in Colle quodam elevatiore locatis, atque recte accommodatis ad conspectum, sive ex propinquo, sive ex longinquo, una cum Stationibus studiis aptis; & hæc omnia præter illa, quæ ibidem sub terris fuere ædificata, in *Hypogeo*, cum *Balneis* suis, *Apodyteriis*, atque Porticibus subterraneis, ad captandum in ambulatione frigus. Visuntur etiam ad- E huc in variis angulis aliorum locorum in circuitu, & prope maximam illam & primariam *Prytanei* molem, aliæ fabricæ & stationes per agros dispersæ, quæ videntur fuisse Granaria, quum ibi infiniti sint campi pro Arboretis atque Hortis faciendis; in altero etiam isto tumulo, sive recessu loci, passim apparent ruinæ fabricarum, quæ ibidem fuerunt. Sed & in variis insuper locis ruinæ parvulorum Templorum conspiciuntur, ubi præcipua Deorum suorum erant loca, condebanturque, qui in *Villa* eadem moriebantur, quod ollæ etiamnum demonstrant, sive *pignate*, ut nobis dicuntur. Inserviebant vero excipiendis conservandisque cineribus mortuorum; non longe vero absunt a *Prytaneo* isto supra cam- F pos quosdam, & loca exculta ornataque ejusdem *Villæ*; sicut enim viventes *Prytanei* ibidem commodis fruebantur, ita mortui Templa parva illa occupabant. Et sane, sicut Vitæ atque Mortis vicinæ semper sunt res; ita & cum ratione disposita apparerent *Villæ* hujus omnia, siquidem integra adhuc & conservata exstarent.

Hæc *Prytanei* pars inhabitabatur jam olim a privatis hominibus, exstructa in formam Castelli, quod vocatur *S. Stephani*. Iidem vero incolæ, recentibus suis ædificiis diruerunt atque dissiparunt omnia pulchra ac visenda dignissimi hujus loci, inque rui-

ridotta ogni bellezza in ruina, e privato d' ogni sua cosa, & hanno ingoffito, acciòche ogni cosa giaccia in questa nostra miseria cagliata, & arsa sì dà Barbari, *come dà* Christiani, *incuriosamente hanno desolato ogni particella delle belle cose che vi erano.*

Hora trà lo spatio delli campi dell' Accademia, *& il* Liceo, *e la Valle, che circonda la* Villa *è il luogo, detto* Inferno, *il qual spatio occupa dà ottanta moggia di terra in circa, il quale ha dà quattro Poggii grandi, che fanno gran Piazze, l' una contigua all' altra; di sopra sono le bocche rotonde, che fanno lume alle vie di esso* Inferno, *il quale è tagliato nella materia nativa, e fabricata manualmente sotto terra, come alcuni Antri, che sono in* Beotia *alla Palude* Acherusia.

Queste sono vie grandissime dà andarvi à cavallo per dentro quattro à coppia, e sono d' un certo andamento, che sembrano Laberinto, d' intorno alle Ripe, che tengono i lati dell' Inferno; *nelli mezzi dè suoi lati si veggono trè bocche con trè vestiboli, quasi dimostrando (il che credo) le tre Infernali Bocche d'* Asia, *dell'* Affrica, *e dell'* Europa, *per le quali fù formato* Cerbero, *cane guardiano dell'* Inferno, *accioche per trè parti potesse abbaiare, e spaventare l' anime dè Morti.*

In questi Vestiboli dovevano esser finte, ò di Pittura, ò di stucco, òvero di scultura alcune favole, come quella d' Orfeo, *cantante per ricuperare l' anima di* Euridice, *over lamentandosi di haver perduta quella. Vi doveva essere il Ratto di* Proserpina. Giunone, *quando scese all' Inferno per le* Furie, *che mandò in casa di* Panteo, *e forse vi fù fatta la favola di* Prosommo, *che accompagnò* Bacco *in tal luogo, & ancora come* Ercole *menò via* Cerbero, *e come* Teseo, *e* Peritoo *andarono à veder le parti inferne, e come vivo ancora vi andò* Enea, *per veder l' ombra dell' anima di* Anchise, *e simili altre Favole vi dovevano esser fatte.*

Di dentro poi non vi dovevano mancare dell' altre Favole, che fanno à proposito alle pene dell' Inferno, *principalmente vi doveva essere rappresentato il Trono di* Plutone, *overo* Giove Stigio, *il Tribunale di* Minos, *di* Radamanto, *le'* Erinni, *e tutte le* Furie, *il tormento di* Titio *con l' Voltore, quello di* Sisifo *col sasso, quel de* Ixione *con la ruota, le* Belide *scelerate Sorelle, che uccisero i loro mariti. Sopra tutto* Tantalo, *il qual per haver communicato l' ambrosia, e nettare a gl' huomini, e dato à mangiar la carne del figlivolo da gli Dei fù posto ligato al* Inferno *con un sasso cadente sopra il capo, con gl' arberi de' frutti appresso, e col fonte, e si moriva dalla fame, e dalla sete, secondo dicono tutti i Poeti; e queste & altro Favole vi dovevano esser espresse, per mostrar che il luogo si dicesse* Inferno.

Di sopra à questo per onde si veggono i lumi, e cataratte, il sito è cinto di Portici, e spatii dà farvi li Campi di Beati, che erano Giardini dell' Inferno, *detti* Elisii, *dove era la Torre di* Saturno, *e vi correvano fiori d' oro, & ivi trionfavano, e godevano il ben fare, secondo i meriti.*

Hora per l' ultima parte è dà dichiarare, che cosa siano le Tempe, *ch' erano in questa istessa* Villa.

Queste sono le Valli sudette, che sono d' intorno alla Villa, che girano dà sei mila passi, le cui Ripe sono tutte edificate ò tagliate nella materia nativa, & incrostate di pietre pomici, portate quivi dal [1] *Monte* Hona *per vestir le Ripe alla rusticana, le quali sono ornate ancora in molti luoghi di Statue; e sopra i Poggi delle Ripe at-*

[1] *Monte Hona*] In MS. est *Monte hona*, forte pro *Montagna*.

A nas redegerunt omnem loci pulchritudinem, direptis universis ejusdem rebus atque corruptis, ita ut omnia in tanto miseriarum cumulo interierint, devastata a *Barbaris* pariter atque *Christianis*, qui per injuriam atque incuriositatem omnes vel minimas residuæ pulchritudinis particulas ibidem plane sustulerunt.

Jam inter *Academiæ* campos & *Lyceum* Vallis est, quæ circumdat *Villam*, & locum ab *Inferis* ita dictum; quod spatium terræ octoginta fere occupat jugera, *moggia* nobis dicta, & quatuor satis magnos Colles continet, qui magna efficiunt Fora, sibi invicem contigua. Supra sunt rotunda foramina, quæ
B lumen *Inferis* immittunt, exstructis excisisque ex materia ibidem nativa, manuum opere, ut sunt & Antra quædam in *Bœotia*, ad Paludem *Acherusiam*.

Viæ hic sunt longe latissimæ, ita ut quatuor simul equites conjunctim pertransire possint, flexumque habent peculiarem, quasi Labyrinthi circuitum & errorem, juxta Ripam, quæ ad latera pertingunt *Inferorum*. In medio laterum ejusdem tria conspiciuntur foramina, cum tribus vestibulis, ad denotanda quasi tria *Inferorum* ora, *Asiæ* videlicet, *Africæ*, atque *Europæ*, unde & tricipitem *Cerberum* illum infernalem fecere canem, ut a tribus lateribus allatraret atque perterrefaceret advenientes
C Mortuorum animas.

In hisce Vestibulis necesse est depictas, exsculptas, aliove modo expressas fuisse Fabulas quasdam, ut illam *Orphei*, pro recuperanda uxoris *Euridices* anima, cantu Inferos demulcentem, vel perditam denuo lamentantem. Repræsentari etiam *Proserpinæ* debuit Raptus, ut & *Junonis* ad *Inferos* descensus, ad accersendas *Furias*, easque in *Panthei* ædes mittendas; & forsan fabula etiam ibidem depicta fuit *Prosommi*, qui ad illa loca *Baccho* comes fuit, & quomodo *Cerberum* abstraxerit inde *Hercules*, atque ad visenda loca illa simul iverint *Theseus* atque *Perithous*, vivus etiam loca illa adierit *Æneas*, ut umbram inviseret
D *Anchisæ* patris, quales complurimæ aliæ Fabulæ ibidem etiam expressæ olim videbantur.

Sed nec intus Fabulis materia defuit, *Inferorum* rebus accommodatis. Ita videtur ibidem expressa fuisse Dei *Plutonis*, seu *Jovis Stygii*, Regia, *Minois* Tribunal, ut & *Rhadamanthi*, præterea *Erynnues* atque omnes simul *Furiæ*, cruciatus præterea *Tytii* cum vulture, *Sysiphi* saxum, *Ixionis* rota, sceleratasque sorores *Belides*, quæ una simul nocte maritos suos interfecerunt. Præcipue esse ibi debuit *Tantalus*, qui, pro eo, quod ambrosiam cum nectare hominibus communicasset, Diisque filioli sui
E carnes apposuisset, apud *Inferos* pœnæ isti fuit alligatus, ut Saxum in caput sustineret cadens, habetque ad manus oculosque pomaria cum fructibus, fontisque limpidam aquam, fugientibus simul utrisque, ubi esuriens appetiisset, ita ut fame & siti assidue, secundum Poëtas, cruciaretur. Hæ enim & similes Fabulæ ibidem exprimi debuere, ut *Inferorum* ea crederetur esse Regio.

In superiori parte, ubi foramina diximus esse immittendo lumini, Porticibus locus cingebatur & spatio tali, qui repræsentare Beatorum posset Campos, Hortos *Inferorum* ab Antiquis *Elysios* nuncupatos,
F ubi Turris fuit *Saturni*, & aurea prata, lætique agebant perpetuum ævum, qui vitam exegerant inculpatam.

Restat jam tandem exponere, quidnam olim fuerit *Tempe*, quali nomine etiam in *Villa* hac locus inventus fuit.

Inserviebant huic amænitati Valles istæ, quas in circuitu *Villæ* esse diximus, sex mille passuum in ambitu, quarum Ripas omnes nativa ornat structura; pumiceis enim lapidibus incrustatæ sunt; a Monte *Hona* illuc advectis, ut rustico more exornarentur, quæ etiam multis in locis Statuis exornantur. Supra Colles autem Riparum in *Villæ* cir-

torno alla Villa *erano Loggie, che soprastavano alla Valle delle* Tempe, *per le quali si godeva la veduta di esse* Tempe, *& ancora gl'altri luoghi da lontano.*

Tempe *sono luoghi celebratissimi in* Tessaglia, *scritti (meglio che, da tutti gl'altri Scrittori) da* Eliano *nella* Varia Istoria. *Questi sono luoghi amenissimi, che secondo* Diodoro Sicolo *al Libro Quinto dice*, Tempe di Tessaglia; *le fece* Ercole, *che d'intorno al* Peneo *fiume cinge, dove essendo stagni, le riserrò, cavando una fossa, nè fece Campi amenissimi, acciò che la fertilità di essi fusse per gratia delli* Greci. Tempe *nasce del verbo* ΤΡΕΠΩ, *cioè* voltare, *perche (dicono li* Greci) *hà molti giri, e rivolti, il che è molto à proposito alle dette Valli della* Villa Hadriana, *che hanno luoghi alti, e bassi, e varii in una Valle che circonda assai paese, dove* Adriano *fece alcuni Casamenti, de' quali havemo veduto nel scassare alcune vigne li fondamenti loro à nostri giorni; dove trà gl'altri viddi un luoco fabricato bellissimo, con un fonte, dove si trovorno fragmenti di più Canali, trà quali si trovò quello, che ha in* Roma *Mr.* Marco Antonio Palosio, *che cade col giogo al Collo, come un cader* Fetonte, *per esser già le* Tempe *sacre ad* Apolline, *Padre di quel fanciullo.*

Plinio *al Lib.* IV. *Cap.* VIII. *fà mentione delle medesime* Tempe Thessàliche *così:* Tempe vocantur quinque millia passùum longitudine, & ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra lævaque leniter convexis jugis. Intus vero luco viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu. Accipit amnem Euroton, nec recipit, sed olei modo supernatantem (ut dictum est Homero) brevi spatio portatum abdicat, pœnales aquas, dirisque genitas, argenteis suis misceri recusans. Strabone *parimente al Libro Nono delle cose più famose di* Tessaglia *dice:* Hæc est media Thessalia, felicissima Regio, ea excepta, quam Flumen alluit & inundat, quoniam Peneus per mediam labens, compluribus assumtis amnibus, sæpius effunditur; antiquis autem seculis (ut fama est) totus campus stagnabat, quem aliis ex partibus montes coërcebant, cum etiam littus altiora campis haberet loca, terra autem Montibus fractis obruta, quæ nunc vocantur Tempe, & ab Olympo abscissâ Ossa, per eum hiatum Peneus effluxit in Mare, & oram illam siccatam reddidit. *Sin qui* Strabone *scrive delle* Tempe, *e del* Peneo, *che vi passa, e delli Monti, e Stagni resiccati: Mà sono altri Autori, che dicono esservi il Monte & il Fiume, detto* Titarum & Titarenum, *oltre al Monte* Olympo & Ossa; *onde* Homero *divinamente dice:*

Quique circa desiderabilem Titaresium arva incolebant,
Qui in Peneum immittit pulchrè fluentem aquam.
Neque hic Peneo commiscetur argenteos vortices habenti,
Sed in ipsum supernè influit tanquam oleum.

Cioè dice il Poeta v'erano trà quei, ch' andarono alla guerra di Troja, *quei Popoli, che habitavano presso il Fiume* Titaresi, *il quale passa sopra al* Peneo, *e non si mescola con esso, mà gli corre di sopra, come oglio, perche è un ramo della Palude Stigia, e la ragione perche questi due Fiumi non si mesticano l'acque loro insieme, la rende dignissimamente all' uso de' Poëti* Lucano, *la quale distende con questi versi del Sesto Libro quì*

circuitu Ædiculæ erant imminentes Valli ubi *Tempe* erat, in quibus, locis residentibus, pulcherrimus locus iste, aliique e longinquo siti, prospectum sui dabant elegantissimum.

Est autem *Tempe* celeberrimus in *Thessalia* locus, quem præ omnibus aliis Auctoribus eximie descripsit *Ælianus* in *Varia* sua *Historia*, Lib. III. Cap. I. longe vero amænissimus iste locus fuit, qui secundum *Diodorum Siculum* Libro Quinto, *Tempe Thessalica* dicitur. Narratur *Hercules* Flumine cinxisse *Peneo*, & cum ibidem loci stagni essent, emisisse aquam, fossâ excavata, pulcherrimosque in tantum illos reddidisse Campos, ut propter amænitatis & fertilitatis gratiam a *Græcis* nomen *Tempe* adepti fuerint, quod est a verbo ΤΡΕΠΩ, quod *vertere se* significat; multos enim, ut *Græci* ajunt, gyros & flexus habuit, quod & valde congruum est Vallibus hisce *Villæ Hadrianeæ*, quæ loca alta habet pariter atque depressa, variaque, una in Valle, quæ magnum agri occupat spatium, ubi structuras quasdam fecit *Hadrianus*, quarum etiam fundamenta quædam detecta sunt, in excavandis vineis, nostris etiam diebus; ubi ipse inter alia vidi locum pulcherrime exstructum, cum Fonte, ubi plurima canalium inveniebantur fragmenta, inter quæ etiam fuit illud quod nunc *Romæ* possidet Dominus *Marcus Antonius Palosius*; qui quidem Fons ab alto delabitur, tanquam collo temone percusso, velut *Phaëton* ex cœlo cecidisse olim fertur, sacra enim *Apollini*, patri *Phaëtontis*, quondam *Tempe* fuerunt.

Celebrat eadem *Tempe Thessalica* Lib. IV. Cap. VIII. *Plinius*, his verbis: *Tempe vocantur quinque millia passuum longitudine, & ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra lævaque leniter convexis jugis. Intus vero luco viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu. Accipit amnem Euroton, nec recipit, sed olei modo supernatantem (ut dictum est Homero) brevi spatio portatum abdicat, pœnales aquas, dirisque genitas, argenteis suis misceri recusans. Strabo* pariter Libro Nono inter *Thessaliæ* celeberrimas res *Tempe* enumerat, hisce verbis: Ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ μέσα τῆς Θετταλίας, εὐδαιμονεστάτη χώρα, πλὴν ὅση ποταμόκλυστός ἐστιν. Ὁ γὰρ Πηνειὸς διὰ μέσης ῥέων καὶ πολλοὺς δεχόμενος ποταμοὺς, ὑπερεκχεῖται πολλάκις· τὸ δὲ παλαιὸν, καὶ ἐλιμνάζετο, ὡς λόγος, τὸ πεδίον, ἔκ τε τῶν ἄλλων μερῶν ὄρεσι περιειργόμενον, καὶ τῆς παραλίας μετεωρότερα τῶν πεδίων ἐχούσης τὰ χωρία· ὑπὸ δὲ σεισμῶν ῥήγματος γενομένου (τὰ νῦν καλούμενα Τέμπη) καὶ τὴν Ὄσσαν ἀποσχίζοντος ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου· διεξέπεσε ταύτῃ πρὸς θάλασσαν ὁ Πηνειὸς, καὶ ἀνέφυξε τὴν χώραν ταύτην. Et hæc sunt, quæ de *Tempe* & *Peneo* quidem illuc labente, montibusque ac stagnis siccatis *Strabo* scribit. Verum alii Auctores ibi, præter *Ossam* & *Olympum*, Montes *Titarum* & *Titaresium* agnoscunt, unde divinitus cecinit *Homerus* Libro *Iliad.* II, versu 751.

Οἵ τ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο·
Ὅς ῥ' ἐς Πενειὸν προΐει καλλίρροον ὕδωρ·
Οὐδ' ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ,
Ἀλλά τό μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει, ἠΰτ' ἔλαιον.

Enumerat enim ibidem Poëta, inter illos Populos, qui e *Græcia* ibant ad oppugnandam *Trojam*, accolas Fluminis *Titaresii*, qui super *Peneum* labitur ita, ut cum aquis ejusdem non permisceatur, verum olei instar superinnatet, utpote rivus *Stygiæ* Paludis. Cur vero non permisceantur hæc duo flumina eleganter & Poëtice effert *Lucanus*, versibus inferius allatis, quibus ostendit, nihil inferis rebus cum superioribus esse negotii. *Strabo* insuper Lib. IX.

di sottoscritti, la cui sentenza dice egli, le cose degl' Inferi non hànno dà far con le cose dè Superi, *del che parlando ancora* Strabone *nel Nono Libro, non poeticamente dice la sua ragione, mà la rende naturale, che l'acque del* Titareso, *per esser di materia grossa mescolate e grassa, & quelle del* Peneo *chiare, e limpide, e lievi, han dato luogo alla Favola, che* Peneo *gli passa sopra come oglio.*

Peneo *nasce dal Monte* Titaro, *e fù chiamato ancora* Eurota *dalli posteriori, passando per mezzo le* Tempe, *trà il Monte* Ossa, *e* Olimpo, *e* Titareso, *dicono, che nasce dalla Palude* Stigia, *onde* Lucano, *così imitando l'autorità di* Homero, *scrisse:*

Solus in alterius nomen cum venerit undæ
Defendit Titaresus aquas, lapsusque superne
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare Paludibus Amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, Superumque sibi servare timorem.

Mà Tempe *propriamente sono luoghi varii di più gomiti, irrigati abbondevolmente d'acque; & essendo così, è necessario, che l'Imperatore* Adriano *chiamasse nella sua Villa* Tempe *quella Valle bellissima, posta verso Oriente, trà la gran Montagna, che scorreva per l'*Olimpo *e per* Ossa *Monte, & il Colle con varii gomiti, dove fabricò tutte le altre cose; perche da quì passano acque, come dall'altro lato della Valle verso* Roma; *e l'acque sono varie che nascano, l'una sà di sapore ferrigino, la quale era tenuta per l'acqua* Stigia, *e la chiara e buona, per lo* Peneo. *Senza che quì venivano trè gran Ruscelli d'Acque portate dà due grandi Aquedotti, le quali servito che havevano in diverse parti della Villa, dovevano fluire, e fare il* Titareso, *e* Peneo.

Hora sono celebrate non solo le Tempe *di* Tessaglia, *mà molte altre; e le più famose dopo le* Tessaliche *sopradette sono le* Medie *nella Provincia di* Media, *e quella di* Cerna, *secondo scrive* Dionisio Afro *del sito della terra* Τέμπεα Κέρνης, *&* Cicero *ad* Attico *nomina; le* Tempe Rheatine, *dove egli fù chiamato per avocato contro quei di* Terni *in favore de'* Rheatini, *per le cause delle aperture del Lago* Velino.

Veramente cosa mirabile vedere il sito di Rieti, *par' che la Natura si sforzasse (per esser quello in mezzo d'Italia) à fare un Giardino circondato dà Monti varii, di Castelli cinto, e di Montagne, e piacevoli Colline, Fonti, e Laghi, con un dilettevole Fiume, che per mezzo corre chiarissimo, chiamato il* Velino, *ove oltre alla bella cultura, che vi si fà continuamente, il sito rosso delle pedine de' Monti rende una grandezza, anzi un' amore, che vide gl'animi degl' huomini, e gl' invita à visitarli, e chiamargli ad habitare in quelle parti, ove ancora sono Castelli posti in luoghi alti, e nelli Piani Laghi profondi, che hanno Isole d'Alberi, sopra che vanno vagando à nuoto, come fanno gl' augelli da acque.*

La onde non senza cagione Vespasiano *Imperatore, quando poteva distaccarsi, & allontarsi dalla gravità delle guerre, e dal grave peso del Governo, vi andava spesse volte, e per suo piacere vi dimorava, & in queste Parti nella sua* Villa Cotiliana, *dove egli nacque, si passava.*

Così dunque Adriano *tirato dalla gratia del nome dè luogi detti,* Tempe, *e dalla fama, che havevano, ornò la sua Villa di varii appartamenti, simili in alcune Colline di sopra le Tempe nelli estremi termini della* Villa, *acciòche in tutto, e per tutto fossero imitati li Castelli, che erano in* Tessaglia, *e nella* Media, *ò in altri luogi di esse.*

IX. de eodem agit Fluvio, non tamen ut Poëta, sed Geographus, rationes adfert cursus hujus naturales, fabulæ scilicet locum dedisse, quod *Titaresii* quidem aqua densa, turbida, & gravis sit, *Penei* vero levis, limpida, atque clara.

Nascitur *Peneus* Fluvius ex Monte *Titaro*, atque etiam appellatus fuit *Eurota* a posterioribus Scriptoribus; pertransit medium *Tempe*; inter Montes *Ossam* atque *Olympum*, nasciturque ex Palude *Stygia*, unde ita *Homerum* imitatur citatus modo *Lucanus* Libro VI. versu 371.

Solus in alterius nomen cum venerit undæ,
Defendit Titaresus aquas, lapsusque superne
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare Paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, Superumque sibi servare timorem.

Proprie autem *Tempe* appellantur loca, quæ plurimos flexus & angulos habent, multa aqua irrigatos, unde necessario Imperator *Hadrianus* in *Villa* sua *Tempe* appellavit Vallem hanc pulcherrimam, sitam Orientem versus, inter magna Montium juga, quæ porriguntur inter *Olympum* atque *Ossam* Montes, ut & Collem cum variis angulis suis, ubi reliqua omnia fabricavit; inde enim aquæ labebantur, ut ab altero Vallis latere *Romam* versus; Variæ vero inde nascuntur aquæ, & inter illas est quæ pro *Stygia* habebatur, sicut & alia clara atque lucida, pariter pro *Peneo*. Præterea tres pleni aquarum Rivi adducebantur per ingentes duos Aquæductus, qui vario *Villæ* usui inserviebant, quum & *Titareso* & *Peneo* cursum subministrare deberent.

Sed neque sola *Thessalica Tempe* adeo sunt celebria, verum etiam etiam alia multa, famosissima autem post *Tempe Thessalica* sunt *Medorum* in terra *Media*, & *Cernæ*, juxta *Dionysium*, de *Situ Terræ*, qui ita laudat Τέμπεα Κέρνης versu 219. *Cicero* etiam ad *Atticum* laudat *Rheatinum Tempe*, quo vocatus & adductus fuerit à *Rheatinis*, ut illorum causam contra *Ternitanos* defenderet, in apertura concreti Lacus *Velini*.

Admirabilis sane visu Situs *Reatinus* est, apparet enim constitutam esse Regionem illam in meditullio *Italiæ*, quasi Hortum, undique circumdatum variis Montibus, cinctum Castris variis, & Collibus amoenis, Montibusque, Fontibus præterea instructum & Lacubus, Flumine præterea pulcherrimo, *Velino* dicto, qui limpidissima interfluit aqua, ubi præter aliam pulchritudinis culturam, quæ assidue ibi exercetur, Montium pedes rufo suo colore magnificentiam quandam atque amorem ingenerant oculis adspicientium, illosque velut invitant ad sese propius visendos, ac sedes penes se figendos, ubi adhucdum sunt Castra posita in sublimi; in Vallibus vero profundis Lacus sunt, qui Insulas habent, instructas Arbustis, aquis volucrum aquatilium more superinnatantes.

Hinc non sine ratione Imperator *Vespasianus*, ubi a belli gravis muneribus, atque Reipublicæ quiescere pondere vellet, sæpius commeare illuc fuit solitus, & propter singularem loci amoenitatem ibidem commorari, habens in Regionibus istis *Villam* suam *Cotilianam*, ubi idem & natus fuit, & discessit.

Ita denique *Hadrianus* gratia nominis locorum istorum, qui *Tempe* vocabantur, adductus, famaque permotus, *Villam* suam exornavit variis Ædificiis similibus in Collibus quibusdam superioribus, *Tempe* vero collocavit ipsum in extremis *Villæ* terminis, atque in omnibus illis accurate imitatus fuit Castra *Thessalica*, atque in *Media*, aliisve locis, exstantia.

FINIS.

IN-


INDEX AUCTORUM,

Qui citantur & illustrantur.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

FINIS.





FRANCISCI MARTII,

Canonici, Nobilis & Jurisconsulti Tiburtini,

HISTORIA TIBURTINA AMPLIFICATA.

Accedunt Dedicatio CAROLI MARTII & Illustrissimi Abbatis MICHAELIS JUSTINIANI, Patritii *Genuensis*, ex Dominis DI SCIO, Prolegomena ad Lectorem,

UT ET VITA

FRANCISCI MARTII.

Latine ex *Italicis* reddita, Præfatione atque Indicibus aucta

Cura

SIGEBERTI HAVERCAMPI.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS
L. S. D.

Repetitâ prælis plus semel Martii *nostri Historiâ* Tiburtinâ, *hortantibus amicis, & præcipue Nobili Abbate* Justiniani[1], *Opus suum augere cœpit Auctor noster, atque inscripsit* HISTORIAM AMPLIFICATAM, *verum, morte præventus, fratri* Carolo Martio *edendam reliquit, quod ille fecit, adjuvante dicto* Justiniani, *cujus Prolegomena præcipuè Nobilitatem Familiæ* Sancta-Cruciæ (*Cardinali enim ejus Nomini dedicatum Opus fuit*) *comprehendunt. Addiderat idem* Justiniani *diffusam* Gubernatorum Tiburtinorum *Historiam; Hanc*[2], *ut ad scopum nostrum non pertinentem, resecuimus, quum maxime ea, quæ ad Antiquitatem spectarent, colligere, esset animo nostro propositum. Prodierat vero* Italicè (*cujus notas numerales in margine Nostra etiam habet Editio*) Romæ, *apud* Philippum Mariam Mancini, *anno* MDCLXV. *Dominorum* Bigoni (*quorum sæpius in Vita* Martii *nostri & Opere ipso invenies mentionem*) *sumtibus. Vale.*

[1] In prioribus enim Editionibus, quarum prima fuit edita *Tiburi* apud *Franc. Felicem Mancini* in 8°. anno MDCXLVI. opus suum deduxerat modo ad Partum Virginis, adeoque tres tantum consummaverat libros. Postea vero instituit pertexere ad sua usque tempora, verum opus reliquit inperfectum, in octavo desinens libro.

[2] Recentia enim non modo tempora sunt, quæ persequitur, sed omnia fere spectant ad res Ecclesiasticas; videtur enim voluisse perficere, quod interruptum morte sua reliquerat *Martius.*

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO CARDINALI
SANCTA-CRUCIO,
EPISCOPO TIBURTINO.

Scripsit Canonicus *Franciscus Martius*, frater meus, *Historiam Tiburtinam*, quæ, quoniam pluribus placuit, repetita typis fuit annis præteritis. Hinc ipsi nata lubido est eandem amplificandi, quousque liceret, per continuas infirmitates, atque negotia plurima, tam domestica, quam publica, quibus pro Patria sua fungebatur, sperans ita impetrare plenam satisfactionem curiosorum Memoriarum *Tiburtinarum*, quem in scopum omnem adhibuit diligentiam pro extrahendis in lucem eisdem ex tenebris oblivionis.

Cogitabat autem novo hoc labore Omnibus ostendere penitius illud suum desiderium bene de Patria sua merendi, atque sub glorioso Nomine E. V. observantiam publicare suam multis nominibus E. V. debitam. Verum, morte interceptus, non potuit implere hanc tam nobilem gratitudinis suæ cogitationem; quare ego, ut hæres voluntatis ejusdem, atque ipse etiam E. V. obstrictus, propter beneficium in filium meum *Julium Martium* collatum, Canonicatus honore, post patrui sui mortem, dignatum, & in eadem quidem Cathedrali, rectà ad TE proficisci Opusculum hoc volui, pro implenda summa & suprema voluntate Fratris mei, atque manifestando simul obsequio meo devotissimo versus E. V. TIBI enim ultro cedere aliàs etiam deberet Tutela Libri, qui complecteretur Monumenta Civitatis summopere a TE exornatæ, non modo Temporalibus sed & Spiritualibus bonis. Experta sane maxime E. V. curam singularem atque benevolentiam est tempore isto, quo dira pestis contagio *Romæ*, atque vicinis in locis grassata est; quæ omnia, quum late expressa sint in Historia Additamentisque Episcoporum atque Gubernatorum, conscriptis a Domino Abbate *Justiniani*, nihil mihi jam restat, nisi E. V. suppliciter obsecrare (prout toto animi facio affectu) ut & lætis auribus atque benignis accipiat hanc obsequii mei prædicationem (quam quidem ego pro infinitis debeo beneficiis, atque debere me profiteor palam, una cum universa domo mea) velitque ulterius alis protectionis suæ umbram mihi meisque facere.

E. V. REVERENDISSIMÆ

Humil. & Obligatiss. Servus

Dabam *Tibure* XV.
Octob. MDCLXV.

CAROLUS MARTIUS.

MICHAEL JUSTINIANI
Abbas
CURIOSO LECTORI SALUTEM.



emoria firmæ gratæque amicitiæ, quæ inter me, atque Canonicum defunctum Franciscum Martium *fuit, induxit me, non solum ut promoverem impressionem dignissimæ ejus* Historiæ Tiburtinæ *(licet hactenus publicari a me nequiverit propter longam ab Urbe* Roma *absentiam, atque alia gravia negotia) verum etiam ut adderem Librum inscriptum de Episcopis atque Gubernatoribus ejusdem Urbis, pro majori ejus ornatu, & materiæ dignitate, tuaque digna satisfactione. Ipsaque Operis Dedicatio, quæ ad Eminentiss.* Sancta-Crucium *facta fuit, movit me, ut participem facere te vellem notitiarum conspicuarum prosapiæ ejus* Romanæ, *Nobilis non minus quam Antiquæ, quæ ad notitiam meam pervenit.*

Secundum eruditissimi [1] Crescentis *opinionem eadem descendit a* Valerio Publicola, *pro probatione rei adducentis, quod ad hodiernum usque diem retineat Jus Patronatus loci, apellati* S. Mariæ de Publicolis, *agnomen vero* S. Crucis *habeat, ut affirmat doctus* [2] Mandosius, *quoniam illi pro insigni eadem est. Facundus ille* [3] Sanseverinus *circa Pontificatum* Sixti IV. *hanc, & illam* della Valle, *appellat Familias* Romanas, *divitiis, gloriæ magnitudine, & honoribus valde conspicuas.* [4]Paulus *etiam III. Pontifex Summus, Vir longe prudentissimus, in causa Statutorum* Romanorum, *pro dote & favore* Juliæ Sancta-Cruciæ *&* Petri Pauli della Zecca, *ejusdem sponsi,* [5] *ad illorum causam adjuvandam hæc producit verba:* Cum contrahentes fuerint, & sint de nobili gente, & insignibus Familiis. *Ut adeo Nobilitate sua conferri mereatur, jure merito, cum* [6] Columnensibus, [7] Ursinis, [8] Savellis, [9] Cæsarinis *&* [10] Cæsiis, *ut &* [11] Capizucchis, [12] Maximis, [13] Matthæis, [14] Zeccis, [15] della Valle, *&* del Bufale, Romanis; *cum* [16] Piccolominis Senensibus; *ut & cum* [18] Soderinis, *&* [19] Corsinis, Florentinis; *cum* [20] Baglionis, Perusinis; *cum* [21] Malatestis, Ariminensibus; *atque* [22] Albericis, Orvietanis.

Pro-

[1] In *Corona Nobilitatis Italice* Parte I. p. 341. & Parte II. p. 572. [2] In Tractatu de *Ingratitudine* Cap. XLVII. allato a *Carolo Cartari*, Decano Advocatorum Consistorialium, in Indice ejusdem pag. 310. [3]. In *Historia Domus Ursinæ* Lib. VIII. pag. 3 [4] In *Motu proprio* sub li. 30. Januar. MDXL. apud Nobiliss. Marchionem *Tarquinium Sancta-Crucium*. [5] In Scriptura Autentica visa a me in Volumine crasso apud dictum Cardinalem Carolum *Sancta Crucium*, A. MDXXIII. matriomio contracto inter *Lucretiam Columnam* & *Paulum Sancta-Crucium*. [6] In Scriptura eadem A. MDVII. inter *Hieronymam Sancta-Cruciam*, & *Troilum Ursinum*, innuitque idem *Sansovinus* dicto loco, in Viris Illustr. Lib. II. p. 7. [7] In dicta Script. A. MDXXIV. inter *Mariam Savelli*, & *Onuphrium Sancta-Crucium*. [8] In Scriptura apud Marchionem *Tarquinium*. [9] *Ughellius* in *Italia Sacra*, Tom. I. inter Episcopos *Cerviæ*, Num. XLII. pag. 498. [10] Eadem Script. in Familia *Capizucchi*, A. MCDLX. inter *Margaritam Sancta-Cruciam* & *Baptistam Capizucchi*; & A. MDLI. inter *Porciam Sancta-Cruciam* & *Dominicum Capizucchi*, fratrem Cardinalis, atque in Script. itidem penes Card. *Sancta-Crucium* MDLII. [11] In d. Scriptura, A. MDXXXIII. inter *Victoriam de Maximis* & *Onuphrium Sancta-Crucium*. [12] In eadem Script. A. MDLXXVII. inter *Constantiam Sancta-Cruciam* & *Jacobum de Mattheis*, fitque ad A. MDLXVII. mentio *Hortensiæ Matthæi*. [13] Supra ad Num. 4. [14] *Sansovinus* d. l. p. III. [15] In d. Script. A. MCCCCLXXI. in *Bernarda Sancta-Crucia* & *Jacobo del Bufalo*, atque nunc in *Porcia Sancta-Crucia* & *Hyacintho del Bufalo*. [16] In dicta Script. inter Marchionem *Tarquinium* (& in lapide Marmoreo, posito in Campo *Florum*, e regione Palatii *Ursinorum*, A. MDIV.) atque *Constantiam Piccolomini*. [17] In dicta Script. Cardinalis A. MDLXV. inter *Margaritam Soderini* & *Georgium Sancta-Crucium*. [18] Apud *Vivionum* inter *Margaretam Corsinam*, sororem *M. Neri Corsini*, Thesaurarii S. Ecclesiæ, & Marchionem *Scipionem Sancta-Crucium*. [9] In Script. Cardinalis, A. MDLXXXII. inter *Margaritam Sancta-Cruciam* & *Guidonem Baglioni*. [20] In dicta Scriptura A. MDXLIX. inter *Aureliam Sancta-Cruciam* & *Pandulphum Malatestam*, Comitem *Soriani*. [21] Inter *Magaritam Alberici* & Marchionem *Tarquinium Sancta-Crucium*. Vivionus. [22] In Epistola Dedicatoria Secundæ Partis Elenchi Cardinalis *M. Felicis Contilori*.

[23] In

P R O L E G O M E N A.

Propter hanc priscam suam & nobilem prærogativam, & multitudinem Virorum Illustrium, quos produxit variis temporibus, tam pacis quam belli artibus claros, testimonium de hac Familia scriptum reliquit [23] Jo. Maria Contilorus, Auditor Principis Barbarini, atque dignus nepos Felicis Contilori, Jurisconsulti, atque Historici Sacri, multæ laudis; loquens enim ad dictum Dominum Cardinalem Sancta-Crucium ita scribit: „ At enim, & generis antiquitate, & majorum splen„dore, qui per multa sæcula, & titulis, & fascibus, & non minus gloriosissimis palmis, & sacra ipsa purpura claruerunt, „& propria insuper sapientia, pietate, religione, & potissimum zelo in Sedis Apostolicæ dignitate, reque Romana tuenda „nemini cedis.„

Bellatores produxit Familia hæc inter alios [23] Georgium, qui circa annum MCCCCXCIII. strenuus armorum ductor appellatur; sicut & [25] Antonium, qui militavit in Regno Neapolitano, tempore Magni Capitanei, atque anno MDVII. pro meritis suis obtinuit a Rege Ferdinando Catholico, pensionem annuam perpetuam, confirmatam illi anno MDXIX. a Carolo V. Imperatore, Nepote ejus atque Successore, [26] Magister præterea Campi creatus fuit, a Sancta Ecclesia, Anno MDXVI. & [27] Bellicis Instrumentis Machinisque præfectus Anno MDXXI. Capitaneo Generale, seu Duce Summo, Juliano de Medicis, Duce Nemausi, & [28] fratre Leonis X. Summi Pontificis. [29] Onuphrius quoque eximius fortissimæ turmæ Ductor fuit apud Venetos, sicut egregie testatur Leonardus Loredanus Summus Venetæ Reipublicæ Dux seu Dogus ad Annum MDXVII. [30] Petrus, maritus Constantiæ Piccolominiæ (neptis Pii III, & proneptis Pii II. Pontificum Romanorum, magnæ pietatis atque literaturæ) [31] Burgi atque Castelli Gubernationem habuit circa Annum MDIII. postea vero munere [32] Thesaurarii Generalis functus fuit in Abruzzo, pro Odeto di Fois, Capitaneo Generale Sacri Fœderis, Anno MDXXVIII.

Inter illos, qui, laudabili instituto, Magistratum in Patria sua gesserunt, sufficiet nominasse illum, qui adhuc vivit, Marchionem Valerium, Magnum Eleëmosynarium.

Multa autem [33] Castella possedêre Sancta-Crucii in Statu Ecclesiastico, præcipue vero Sanctum Gregorium (nunc magnanimi Cardinalis Caroli Pii) titulo Principatus, præterea Practicam, Vianum, Oriolam, Rotam, & Montenerum, quibus in præsenti gaudet Marchio præstantissimus Scipio Pietraforte, Academicus Honestæ Disciplinæ & Humanioribus addictus studiis.

Togatorum ex hac Familia primus, quem, ut JCtum nominat [34] Bellamera, atque Advocatum Consistorialem, fuit Petrus; qui vixit Anno MCCCC. Successit eidem in munere eodem Andreas, circa Annum MCCCCXXX. qui interfuit Concilio Florentino, celebrato Anno MCCCCXXXIX. ab Eugenio IV. constantissimo Pontifice, præsente Joanne Palæologo, penultimo Imperatore Græco Constantinopolitano, Actaque ejusdem conscripsit, quæ [35] duobus post sæculis edita fuerunt cum Annotationibus quibusdam Horatii Justiniani, Custodis Bibliothecæ Vaticanæ, atque dein Cardinalis, Magni Pœnitentiarii atque Bibliothecarii. Confecit idem [36] Anno MCCCCXLVI. Constitutiones atque Taxas Salariorum Officialium atque Notariorum. Magnæ exstitit existimationis apud [37] Alphonsum Arragonensem I. Regem Neapolis, qui, ut judiciosus æstimator præstantium virtute virorum, usus ejusdem opera fuit Romæ in rebus Regni sui. Conjicitur insuper Andreas iste, quo magis observantiam suam erga Regiam Majestatem demonstraret, insolitum Romanis nomen Alphonsi cuidam ex nepotibus suis imposuisse, immatura morte rapto Anno MCCCCLXXII. sicut sequens ejusdem testatur [38] Epitaphium:

FLEBILIS ALFONSVS CLARÆ VIRTVTIS
ÆPHEBVS. QVE 3. GENS. ALTA CRV-
CIS PVBLICOLÆ. 9. DEDIT
CONDITVR. HIC. FRATRVM. SPES.
MAXIMA. GLORIA. MOR. ANTE.
DIE 3. RAPTI 3. MORS. CAPIT. O FACINVS
FRATRES. FRATRI. BENEMERENTI
OBIIT ANNO DOMINI MCCCCLXXII. SEPT.

Præsens etiam [39] Andreas hic fuit (prout affirmat accuratissimus Chartarius) Barlettæ, quando anno MDLIX. Ferdinandus, Rex Neapolis juramentum præstaret in manus Cardinalis Latini, Titulo S. Joannis & Pauli, cujus meminit Sansovinus in Domo [40] Ursina, Legati a Papa Pio II. pro Investitura ejusdem Regni, concessi ipsi ab eodem Papa, licet antea a Calixto III. prædecessore suo negati. Factus [41] Advocatus Fiscalis Cameræ nominatur Anno MCCCCLX. in Monitorio misso a dicto Pio contra Sigismundum, Ducem Austriæ, propter obsessum ab eodem Brunetti Cardinalem S. Petrum in Vinculis. [42] Sub Pontificatu Pauli II. reformavit Statuta Romana, fuitque [43] Advocatus Populi Romani Anno MCCCCLXVIII. atque intervenit [44] causæ Platinæ, celebris Historici, qui Vitas Summorum Pontificum conscripsit. [45] Vitam cum multa gloria finivit Anno DCCCCLXXII. Testamento suo jubens, ut liber a se compositus De Vita Pontificum nostri temporis (qui forte idem est, cujus mentio fit in Actis Concilii Florentini, sub titulo [46] Diarii Curiæ Romanæ) traderetur primo Pontifici & Collegio Cardinalium, una cum salutari admonitione; alii vero libri, inscripti, de Justitia Romani Imperii, ut & de Bello & Pace, mitterentur ad Imperatorem; illi vero Baculus senectutis senis Advocati; Acta Concilii Ferrariensis, & Florentini; de Votis; de mea Conscientia, in Libraria Minervæ conservarentur. Horum attamen Operum, excepto illo de Actis Concilii, nullum jam exstat vestigium.

Successerunt illi in Advocatione Consistoriali Tarquinius & Pompilius, quorum [47] hic quidem Anno MDXXXI. Aprilis die XXII. proposuit commissionem in Consistorio (ubi Henricus di Mendoza, Hispanus, Episcopus Bergomensis, & Cardinalis, Galero fuit ornatus) & mortuus est Anno MDXXXVII. [48] Ille autem Anno MDXXI. Aprilis die XX. commissionem proposuit

[23] In Scriptura Car. Ann. MCCCCXCIII. [24] In Privilegio Caroli V. Imp. Barcellon. 15. Sept. quod citat adsignationem Regis Ferdinandi; apud Marchionem Tarquinium. [25] Ex Orig. Patent. sub. li. XI. Feb. MDXVI. apud eundem. [26] Ibidem li. 8. Augusti. MDXXI. [27] Platina in Vitis Pontificum. Additamenta ejus in P. Leone X. p. 568. [28] In Ducali Benserviti, sub 2. Aug. MDXVII. apud eundem Marchionem. [29] Supra ad Num. 16. [30] In dicta Scriptura Cardinalis, penes me. [31] In Orig. Patent. in Urbe Chieti, 26. Febr. MDXXVIII. penes d. Marchionem. [32] Vivianus & Rota A. MCCCCXCIII. in Script. Card. S. Gregorii. Erat Card. Prosperi Sancta-Crucii, apud d. Marchionem; Practicæ, Orioli apud d. Card. Marcellum & me; Monreneri, apud dictum Marchionem. [33] Conf. IX. Num. XXII. apud d. Cartarium in d. l. p. 15. in Petro. [34] Cartarius l. c. pag. 5. in Andrea. [35] Romæ A. MDCXXXVIII. typis Compr. de Prop. Fide. [36] Cartarius d. l. [37] Elicitur ex conscriptis ejusdem literis, quarum apographum est in Bibliotheca Card. Bernardini Spadæ. [38] Romæ, in Ecclesia prædicta S. Mariæ de Publicolis. Verum Epitaphium hoc, quod (ut videri potest) per numeros hic illic in Itala Editione concipitur & male videtur scribi, ita mihi videtur legendum esse:

Flebilis Alfonsus, claræ virtutis ephebus,
Quem Gens alta Crucis Publicolæ dederat,
Conditur hic; Fratrum spes maxima gloria Gentis, vel *Mortis*
Ante diem raptum Mors capit; ô facinus!

[39] Chartarius d. l. [40] D. l. pag. 97. lib. VII. [41] Chartar. d. l. [42] Idem ibid. [43] In Breviario, dato Nonis Maji MCCCCLXVIII. penes d. Marchionem. [44] Platina l. c. in Vita Pauli II. pag. 305. [45] Chartarius d. l. [46] Facto A. MCCCCLXXII. 12. Jan. cum Codicillo MLCCCCLXXII. 5. Jan. penes Card. d. [47] Supra N. 35. [48] Chartar l. c. p. 121.

[49] Idem

posuit in Consistorio congregato per Cardinalem Joannem di Lorena, atque Anno MDXXVI. Pallium rogavit pro Archiepiscopo Bituricensi, eodem modo ut Prosper, de quo inferius acturi sumus.

Inter illos, qui in Domum hanc Ecclesiasticas intulerunt dignitates, primum locum obtinuit Onuphrius, frater dicti Andreæ, qui quum vitæ bonitate multum commendabilis esset, ut & doctrinæ soliditate, atque eruditione, dein quoque multarum rerum experientia, ex Canonico Basilicæ Lateranensis promotus fuit a Papa Nicolao V. die Aprilis XXIV. Anno MCCCCXLVIII. ad [49] Tricarici Ecclesiam in Basilicata, & postquam in variis Christiani Orbis partibus Nuncius fuisset Apostolicus, atque maximos sustinuisset labores, præsertim pro Sacro Fœdere, ad meliorem vitam abiit Romæ, die 20. Octobris Anno MCCCCLXXI sepultusque fuit in Ecclesia S. Mariæ nova, dicta etiam S. Franciscæ Romanæ, verum translatum postea corpus ejus inde fuit in Ecclesiam prædictam S. Mariæ de Publicolis, ubi Epitaphio hoc fuit exornatum ejus sepulcrum:

Amissum tellus si flevit *Romula Brutum*,
Si *Crucium* & *Scauros* si *Cicerona* Patrem,
Publicolæ vita defunctum corpus *Honophri*
Ecclesia ob mores & bene facta fleat.
Pro qua bis *Gallos* bis *Rheni* flumina vidit.
Pro qua nil fugiens plurima damna tulit.
Tricarius Præsul, Referendi & munus habebat
Romanus Patriæ famaque magna suæ.
Denique Legatus Lateris transmissus ad Urbes
Belgas, *Burgundi* frænet ut arma Ducis.
Cum bello ruerent *Leonidæ* mœnia gentis,
(Aut populi, aut Domini sorte dolenda sui)
Tantum concepit generosa mente dolorem
Stamina quod vitæ rupta fuere suæ.
Non animo quisquam major, non aptior alter,
Consiliis Patriæ cultor, & Ecclesiæ.
Eloquio & lingua pollebat clarus in omni
Historia, & notum juris utrumque genus,
Quem gens alta *Crusis* genuit, nec lustra peregit
Quinque bis; *Andreas* mortua membra locat,
Qui frater natu major dat corpora saxo;
Lucida credibile est spiritus astra petit.
MCCCCLXXI. Vigesimo
Octobris.

[52] Prosper, filius JCti Tarquinii, incomparabilis virtutis, non modo, satis juvenis adhuc, exstitit Advocatus Consistorialis sub Pontificatu Pauli III. succedens patruo suo Pompilio, [53] defuncto Anno MDXXXVII. quum ipse Patavii studiis adhuc Legalibus operam navaret, ubi & Doctoratus honorem accepit, verum postea etiam Auditor Rotæ exstitit Anno MDXLII. ætatis Annorum XXXVIII. [54]. promotus a Marcello Crescentio ad titulum Cardinalitiæ Dignitatis, atque Episcopatum [55] Chisami, in Candia, factusque insuper fuit Nuncius Apostolicus per eundem Paulum Anno MDXLVIII. missus in Germaniam, ad Ferdinandum, Regem Romanorum, atque ad Imperatorem Anno MDLI. per [56] Papam Julium III. in Galliam, ad Henricum II. atque Anno MDLX. [57] a Papa Pio IV. in Hispaniam, ad Philippum II. in Portugalliam, ad Sebastianum, & in Galliam rursus, ad Carolum IX. ubi temporibus quum esset turbulentissimis, mirabiliter grande suum impendit ingenium pro Christiana Religione, unde ab eodem [58] Pio, Anno MDLX. Cardinalis creatus fuit, non minus propter merita sua erga S. Ecclesiam, quam commendationem Catharinæ [59] de Medicis Reginæ, matrisque Caroli, et cujus denominatione pariter Anno MDLXVIII. accepit Archiepiscopatum Arelatensem, ubi maxime accrevêre ejusdem merita in defensione Fidei Catholicæ contra Hæreticos, qui florentissimum illud turbaverant Regnum; Episcopus denique Albani factus propter prædictas rationes, Anno MDLXXXIX. vivere desiit Romæ, honoratam relinquens memoriam virtutis suæ atque zeli; sepultus vero fuit in Ecclesia S. Mariæ Majoris, ubi in Monumento ejus hæc verba leguntur [60]:

PROSPERO SANTACRVCIO
S. R. E. CARD. EPISCOPO ALBANO
QVI OB EXIMIAS ANIMI INGENIIQVE VIRTVTES
POST PRIMARIA PALATINA OFFICIA
ET ECCLESIASTICAS DIGNITATES
A PIO IV. PONT. MAX. CARDINALIS CREATVS
LEGATIONIBVS
GERMANICA LVSITANIA HISPANICA ET GALLICA
FLAGRANTE INTESTINO BELLO PROVINCIA
EGREGIA CVM LAVDE FVNCTVS
MAXIMISQ. TOTO VITÆ
PRO REPVBLICA SVSCEPTIS LABORIBVS
OBIIT ÆTATIS LXXVI. MDLXXXIX.
MARCELLVS EX FRATRE NEPOS POSVIT.

Scripsit hic Prosper, lingua Latina, stylo purissimo [61] Vitam suam, atque Commentarios [62] Belli Gallici, ab initio Francisci II. Regis Christianissimi, usque ad finem Anni MDLXVII. quos ipsemet legi. Bononiæ præterea, Anno MDXXXIII. præsentibus Papa Clemente VII. & Carolo V. Imperatore, Orationem cum magno applausu habuit, [63] in Diæta Pragensi alteram Anno MDXLIX. & [64] tertiam congratulatoriam ad Papam Pium IV. Ex eadem Familia Scipio, ex matre nepos Cardinalium Pauli & Frederici Cæsiorum, virtutis atque doctrinæ egregiæ, Episcopus factus fuit Cerviæ Anno MDXLV. a Papa Paulo III. prædicto. Interfuit Concilio Provinciali [66] Ravennati, celebrato Anno MDLXVIII. a Carolo Julio della Rovere, Archiepiscopo, & postquam laudabiliter Ecclesiam suam administrasset per spatium annorum triginta cum uno, renunciavit honorem illum fratri suo Octavio Anno MDLXXVI. supervixitque ipse usque ad Annum MDLXXXII. cum multa animi tranquillitate. [67] Octavius, Episcopus factus Cerviæ, diligenter curæ Ecclesiæ suæ attendit, atque Nunciaturæ Apostolicæ [68] Turini, atque in Germania, ubi mortuus est, circa Annum MDLXXXII. in magna bonitatis & sapientiæ laude, rebus suis domesticis prudenter admodum atque pie administratis usque ad finem Anni MDLXXXI. [70] Sylvius, nepos Cardinalis Prosperi, primum Archidiaconus fuit, postea vero Archiepiscopus Arelatensis, Anno videlicet MDLXXIII. magnoque animo & pietate Ecclesiam suam rexit, tam tempore pestis, famis & belli, quam Rhodani inundatione, aliisque Divinis castigationibus; Capucinos in Urbem atque Saloni introduxit, & denique magno morbo correptus

[49] Idem d. l. p. 105. [50] Ughellius l. cit. 7. Num. XXVII. p. 204. in Episcopo Tricarici. [51] Platina d. l. p. 306. & Ughell. l. c.
[52] Jo. Anton. Petramellara in Continuatione Vitæ Paparum & Cardinalium pag. 332. Ciaccon. & Additam d. l. in Vita Pii IV. A. MDLXV. Anton. Pappazzoni in Add. Dec. XVIII. Recentior. in f. Ughell. l. c. in Episc. Albani N. CII. p. 317. Cartar. d. l. p. 121.
[53] Idem in Vita sua MS. apud Cardinal. d. & in Bibl. d. Card. Spadæ. [54] Idem ibid. [55] Id. ibid Card. Sforza Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. lib. X. Cap. XVI. Num. III. & IV. pag. 882. Cap. XVII. Num. I. & VII. p. 884. [56] Pallavic. l. c. lib. XIII. Cap. V. N. VI. pag. 24. [57] Pallavic. l. c. lib. XIV. Cap. XV. N. VIII. p. 160. l. XV. Cap. I. N. IV. p 176. & l. XXIV. Cap. XI. N. II. p. 1043. & VII. p. 1045. [58] Petrum Ciaccon. & Ughell. l. c. [59] Sammarthani in Gallia Christiana, Tom. I. in Archiep. Arelatensi N. LXXXII. [60] Ughell. & Sammarth. l. c. [61] Invenitur penes d. Card. Sancta-Crucium & in Bibl. p. m. Card. Bern. Spadæ.
[62] In Bib. eâdem Tom. VI. p. 255. [63] In Bibl. Ambrosiana Mediolanensi. [64] D. l. & in Vita ejus. [65] Ughell. l. c. [69] Ex
[66] Ex d. Conc. MDLXVIII. 10. Maji. [67] Ughell. l. c. [68] Ex Scripturis apud Card. & Paulo Sacrato in Epistolis.
Testamento ejusdem apud d. Card. [70] Sammarthani l. c. N. LXXXIII. [71] Mi-

reptus, *Archiepiscopatu suo sese abdicavit Anno* MDXCIX. *aliquanto post tempore vitam hanc mortalem cum laude relinquens, atque sepultus in Ecclesia* Prassidæ, *ubi in Tabula Marmorea hoc ei a nepote* Bartholomæo Sancta-Crucio *positum legitur Epitaphium.*

DEO OPT. MAX.
SILVIO SANTACRUCIO, ARCHIEPISCOPO ARELATENSI VIRO PROBO, MORIS, ET MENTIS IMPAVIDÆ, QUI ANNOS AMPLIUS XXX. IN SUMMA GALLIÆ FLUCTUATIONE SUÆ CLAVUM ECCLESIÆ CONSTANTISSIME TENUIT, BARTHOLOMÆUS SANTACRUCIUS AMANTISSIMO, AC BENEMERITO PATRUO POSUIT ANNO SALUTIS MDCIII.

Antonius *Cardinalis, primo Protonotarius ex numero Participantium, Gubernator* Viterbi, Campaniæ, *&* Maritimæ, *in* Galliam *sese contulit, Anno* MDCXXV. *comite* Francisco Barberino, *nepote Papæ* Urbani, *& Legato a Latere (olim condiscipulo suo) dein Archiepiscopo* Seleuciæ, *& Nuncio Apostolico in* Polonia *Anno* MDCXXVII. *his verbis ad* Hungariæ *Regem*: „ [71] *Cæterum Præsul hic, qui ex vetustissima* Romanæ *nobilitatis familia genitus, amplum quoque meritorum patrimonium congessit, non egebit sane ullius commendatione ad demerendam voluntatem Majestatis Tuæ, ad quam facilis aditus iis patere dicitur, qui generis claritudinem propriis laudibus exornant.* „ *Comes hic Regi* Sigismundo *exstitit in bello contra* Gustavum, *Regem* Sueciæ, *pauperes etiam contagii tempore eleëmosynis suis sustentavit,* Ruthenorum *unionem magna sollicitudine promovit, atque ita fidelissimi Ecclesiæ ministri partes omnes implevit, ut Anno* MDXXIX. *ad ejusdem Regis instantiam creatus fuerit Cardinalis ab eodem* Urbano, *Legatus præterea* Bononiæ, *Archiepiscopus Civitatis* Chiesi, *dein* Urbini, *& postquam indubitata signa pietatis suæ atque zeli in administranda eadem Ecclesia dedisset, alias etiam invalidior, gravi valetudine correptus* Romæ *exspiravit Anno* MDCXLI. *die* XXV. *Novembris, atque sepultus est in dicta Ecclesia* S. Mariæ de Publicolis.

Prædictus Dominus Cardinalis Marcellus, *Canonicus quondam S.* Petri, *Prælatus Congregationis* de Buongoverno, *Vice-legati* Bononiæ, *Commissarius cum ampla facultate in* Romania, Ferraria, *&* Bononia, *quum bellum Ducis* Parmensis *vigeret, Prælatus insuper* della Consulta, *Cardinalis factus est ab* Innocentio X. *Pontifice Summo Anno* MDLII. *non minus per propria merita, quam instantiam* Regis Poloniæ, *& postea Episcopus quoque* Tiburtinus, *permissu ejusdem Consultæ Congregationis Episcoporum & Regularium, renovavit prædictam Ecclesiam* S. Mariæ de Publicolis, *Anno* MDCXLIII. *ubi hanc rem testatur sequens Inscriptio:*

D. O. M.
MARCELLUS SANTACRUCIUS DE PUBLICOLIS
VALERII FILIUS.
ÆDEM HANC S. MARIÆ IN PUBLICOLIS
A MAJORIBUS IN FAMILIÆ JUSPATRONATUM
ERECTAM ET AB ANDREA SANTACRUCIO
DE ANNO MCCCCLXV. RESTITUTAM
A FUNDAMENTIS RESTITUIT
CUJUS UT NITORI CONSULERET, MONUMENTA
MAJORUM PLURIMA EVERTIT, ET EORUM
CINERES E CONDITORIIS SUIS HUC
TRANSFERENDOS CURAVIT, NE LOCO
DISJUNGERENTUR MORTUI, QUOS SANGUINIS
VINCULO NATURA CONJUNXERAT VIVOS
QUIBUS OLIM ET IPSE ADJUNGENDUS
EUMDEM SIBI DEFUNCTO SUISQUE
SANTACRUCIIS LOCUM DESTINAVIT.
ANNO DOMINI MDCXXXXIII.

Sacristiam insuper adornavit Cathedralis Tiburtinæ, *adhibitis expensis multorum millium scutatorum, pietatis suæ monumenta, zeli præterea atque doctrinæ, exercens, in beneficium non minus Reipublicæ* Christianæ, *quam suæ Ecclesiæ atque Diœceseos.*

---

[71] Minuta *Brev.* cum aliis, quæ inveniuntur penes eruditum meum amicum *Josephum Vinc. Marascia*, Doctorem *Panormitanum* & Sacerdotem in *Hieronymo Caritatis*, in Urbe *Roma*.

VITA
CANONICI FRANCISCI MARTII,
Conscripta ab Abbate
MICHAELE JUSTINIANI,
Patritio Genuensi, *ex Dominis* di Scio.

Franciscus Martius, Nobilis atque Jurisconsultus, Canonicus & Historicus *Tiburtinus* (quæ inter primarias Urbes est *Latii*) satis magnam Legum doctrinam notitiamque possedit, eruditus valde in Historiis, tam Sacris quam Profanis, quibus summo incumbebat studio, ubi a domesticis occupationibus non revocaretur, neque opus esset ut Sacro Choro præsens adesset; imo in quibuscunque aliis literis Humanioribus exercitatus, quibus a juventute sua, in Congregatione Nobilium penes PP. *Jesuitas* exercitatus, operam dederat.

Advocati munus, ut & Judicis Sedialis, Capitis præterea Militiæ, atque Loci-tenentis pro assistentia Vice-Gubernatoris, bona cum fama in Patria sua exercuit, non minus, quam officium Examinatorum *Synodalium*, Auditoris D. Principis *Carbognani*, *Julii Cæsaris Columnæ*.

Defendit, ut publice repræsentans, intrepide rationes Civitatis, in controversia Judiciali, atque descriptione inter eandem atque Aulam Episcopalem, tempore Episcopatus Cardinalis *Julii Romæ*, Decani Sacri Collegii, ut

&

& locum S. *Gregorii* (Principatus olim Dominorum *Barberini*, Nepotum Papæ *Urbani VIII.* & nunc Domini Cardinalis *Caroli Pii*) cum exitu paris ſatisfactionis partium, atque peculiari ſua laude.

Renovavit in decorem & utilitatem Patriæ ſuæ, Academiam Literarum Humaniorum, introductam ſæculo præterito, quum ibi commoraretur *Franciſcus Bandinus Piccolomini*, Archiepiſcopus *Sienæ*, dimiſſam poſtea in ſuis eandem conſtituens ædibus, ad quas ſolebant animi exhilarandi gratia convenire Illuſtriſſimi viri, quos inter numerabantur Cardinalis *Bernardinus Spada*, mortuus non minori Eccleſiæ quam eruditorum damno; Dominus Frater *Dominicus Marini*, Archiepiſcopus *Avenionis*, & frater P. M. Fr. *Jo. Baptiſtæ Marini*, Generalis Prædicatorum; *Franciſcus Tontoli*, Epiſcopus *Iſchiæ*; *D. Auguſtinus de Belli*, Epiſcopus *Soræ*; Fr. *Philippus Viſconte*, Epiſcopus *Catanſari*, & generalis olim *Auguſtinianorum*; atque *Ridolphus Dulcinus*, Epiſcopus *Squillatii*, præter Dom. Cardinalem *Marcellum Sancta-Crucium*, Epiſcopum ſuum; Dominos *Carolum de Vecchi*, Epiſcopum Clusii & Secretarium Sacræ Congregationis Concilii *Tridentini* (cui dedicavit Carmina *Latina* doctiſſimi patrui ſui *Joſephi Martii* olim dedicata ab ipſo Cardinali *Benedicto Giuſtiniani*, Legato *Marcæ* & *Bononiæ*) *Ludovicus Buſſi*, Vicelegatus Domini Cardinalis *Jo. Stephani Donghi*, Legati *Romaniæ* & *Ferrariæ*, Votario Signaturæ, Prælato S. Conſultæ; *Ludovicus Bevilacqua*, Auditor Rotæ *Romanæ*; *Auguſtinus Premoli* & *Laurentius Trotti*, tempore iſto Gubernatores Urbis.

Eminuêre inter ipſos Academicos *Jo. Carolus Nardini*, Juriſconſultus, Archidiaconus, & Vicarius *Tiburtinus* & *Terracinenſis*; *Petrus Roncetti*, Juriſconſultus & Archipresbyter; *Tiberius Croce*, Canonicus, Theologus; *Nemeſius Cenci* & *Antonius Continenza*, Juriſconſulti, *Franciſcus* denique *Maſi*. Legebantur etiam compoſita in eadem erudita opera *Fabii Croce*, Archipresbyteri Collegiatæ S. *Petri*; ſicque omnes fuerunt *Tiburtini*.

Ejus pariter hortatu introducta *Tibure*, magni Civitatis & pauperum commodo atque emolumento, fuit ars lanificii, per *Bernardinum* & *Antonium Mariam Bigoni*, *Bergomenſes*.

Genius ejus atque occaſio illi pariter peculiaris erat, pro conciliandis ſibi animis omnium hominum, & præcipue literatorum, qui laudabili curioſitate atque animi relaxandi gratia *Tibur* ſeſe conferre ſoliti erant, ubi coram, ſicut alias per literas, cum eodem agere conſueti erant.

Inter priores quidem ad Notitiam meam pervenerunt, præter Cardinalem *Spadam* cum Domino *Virgilio*, fratre ſuo, Commendatore multum laudando Hoſpitalis S. *Spiritus* in Urbe *Roma*, Dominoque *Sigiſmundo*, nepote ſuo, Canonico Baſilicæ S. *Petri*, Votario Signaturæ & Prælato Conſultæ, nunc Gubernatore *Fani* & *Spoleti*, Marchione denique *Horatio*, pariter nepote ſuo, Domini *Antonius Cerri*, Pater Domini *Caroli* Decani Auditorum *Rotæ*, & Auditorum Domini Cardinalis *Franciſci Barberini*, Vicecancellarii S. Eccleſiæ; Marchio *Valerius Sancta-Cruce* (vera *Chriſtiani* iſtius nobilis imago) frater Cardinalis *Antonii*, paterque dicti Domini Cardinalis *Marcelli*; Marchio *Antonius Palucci Albertoni*, Pater Domini *Palucci*, Auditoris *Rotæ* Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, & *Scipionis Palumbaræ*; *Carolus Morone*, Canonicus S. *Laurentii* in *Damaſo*.

Inter alios vero literarum amantes doctoſque numerabantur ibi *Joſephus Maria Suareſius*, Epiſcopus *Vaſonis*, *Ferdinandus Fürſtembergius*, Camerarius ſecretus S. N. Domini *Alexandri* VII. & nunc Epiſcopus *Paterbornenſis*; *Carolus Cartarius*, Decanus Advocatorum Conſiſtorialium, & Archivii Apoſtolici in Caſtello Præfectus, *Lucas Holſtenius* Camerarius Honorarius, Canonicus *S. Petri*, & *Vaticanæ* Bibliothecæ primus Bibliothecarius, ſicut & ſucceſſor ejus *Leo Allatius*; *Ferdinandus Ughelius*, Abbas S. *Vincentii* & *Anaſtaſii Romæ*, atque Procurator Generalis Congregationis *Ciſtercienſis*; *Vincentius Armannus*; *Joſephus Baptiſta*; Fr. *Franciſcus Macedo*, Religionis *Minorum Obſervantium*, Lector Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in publica Univerſitate, ſeu *Sapientia*, atque Controverſiarum in Collegio de Propaganda Fide; P. *Kircherus Jeſuita*. P. D. *Joſephus Silos*, *Teatinus*, Confeſſor Ducis *Cajetani*, Gubernatoris nunc *Mediolani*, atque Vice-Regis *Siciliæ* deſignati. P. D. *Jo. Auguſtinus di Signori della Lengueglia Somaſco*; *P. Paulus Aringhius*, Congregationis Oratorii *Romani*; *Jacobus Albanus Gibbeſius*, Lector Eloquentiæ in dicta *Sapientia*, omnibus cognitus per varia eaque digniſſima opera, quæ vario tempore ab eodem in lucem edita ſunt.

Amici ex civibus ſuis maxime intimi, quantum ego ſcio, hi erant præter dictos Academicos: *Marcus Antonius Croce*, filius *Valeriani*, nepos, & aliquando Capitaneus præſidii Domini Cardinalis *Martii Ginnetti*, Vicarii & Legati *Germaniæ* & *Ferrariæ*; atque *Marius Carolus Mancini*, JCtus, nobilis uterque; *Hieronymus* præterea *Verallus*, & *Sebaſtianus Meliorius*, ex ejuſdem Urbis eruditis.

Pietatem non modo colebat exercebatque caritatem (cujus effecta cernimus in reſtauratione Eccleſiæ *Nunciatæ*, atque ſacris introductis) verum amabat quietem publicam pariter & privatam, unde paſſim & Eccleſiaſticis & ſæcularibus premebatur curis. Circumſpectus erat & tamen affabilis in converſatione, in rebus gerendis cautus & ſincerus, unde nihil mirum eſt, ſi ob tantas virtutes plurimum dilectus fuerit & ab Epiſcopis, ut Dom. *Mario Urſino*, dictiſque Cardinalibus *Roma* & *Sancta-Crucio* (ex quibus alter, ſeu prior, illi contulit Canonicatum, poſterior vero ſimilem Canonicatum Nepoti ejus *Julio Martio*, poſt patrui mortem) verum etiam a Gubernatoribus & Vicegubernatorum; præſertim vero a dicto Cardinale *Barbarini*, & Cardinale *Petro Vidone*, Legato *Bononiæ*; ut & a Domino *Alexandro Urſino*, Votatore utriuſque Signaturæ, aliiſque, ſuperius adductis.

Quantum vero & ad me ipſum attinet, teſtem affectus ſui habeo Orationem dicti Patrui ſui, mihi inſcriptam, compoſitam in laudem Domini *Vincentii Juſtiniani*, patrui Cardinalis *Horatii Juſtiniani*, Magni Pœnitentiarii & Bibliothecarii, Vice-Legati *della Marca*, & Epiſcopi *Gravinæ*, quum anno MDXC. patriæ illorum eſſet Gubernator, multaſque mihi contulit Notitias ad meum *Tibur Riguardevole*, nondum adhuc typis evulgatum, ſpectantes, unde etiam ipſe concinnavit atque amplificavit Hiſtoriam hanc, non ſine ſollicitis meis exhortationibus, quum cernerem illum appropinquare vitæ ſuæ extremis annis, catarrhis fluxionibuſque obnoxium & conſumtum, ſicut interitum ipſi accelerarunt tandem undecima die menſis Aprilis anni hujus MDCLXII. implentem annos quinquaginta tres, menſes tres, & viginti quinque dies, honoratam relinquentem memoriam nominis ſui parentibus atque amicis, ſuperioribus inferioribuſque, univerſæ denique Patriæ, cujus præeminentiam omni tempore atque ubique ſemper acerrime vindicaverat atque defenderat.



ILLUSTRISSIMI ATQUE REVERENDISSIMI DOMINI

JOSEPHI MARIÆ SUARESII,

Patritii Avenionensis, & Civis Tiburtini,

Episcopi Vasionensis,

CARMEN GRATULATORIUM.

Magnificæ molis fastigia, proxima cœlo,
A Latio perhibent ædificata Duce;
Ælius ille, cui nomen dedit Hadria; carpsit
Quæ clara in variis nunc monimenta locis;
Inde Stoa, & Prytaneum, Academia, Thessala Tempe,
Thermæ, Arcusque: Fora, ac Templa, Theatra, lacus;
Hinc Stygis effigies, Lethæa & stagna, Canopus,
Deliciæque simul (Nile) fuere Tuæ;
Diruta cuncta jacent, Vastis confusa ruinis
Rudera humus, sentes, arbor, & herba tegunt!
Agricola stimulante trahit quà Taurus aratrum,
Effata insignes edocuere Sophi;
Carmina panxit ibi Vates, ubi Busequa plangit,
Et dixit Rhetor quà vaga balat ovis;
Quaquè Canes latrant, & nidos fingit Aëdon
Suetus erat plagas ingeminare pugil;
Longus adhuc murus superest, & plurima passim
Apsis hiat, cryptæ, parietinæque labant;
Cætera ferali consumpsit dente vetustas
Invida, sive alia clade sepulta premit;
Aggreditur magno reparare hæc MARTIUS ausu,
Albuneæ, & medicas pingit olentis aquas;
Describit reliquas Villas, ubi Romula proles
Otia captabat grata, diserta manus;
Narrat & Heroum Christi fortissima gesta,
Texitque omnigenam Tiburis Historiam;
In quam juris habet nihil ævi cana senectus,
Quin magis hanc firmat temporis ipsa fuga,
Dira luis, flammas quoque temnens illa voraces
Non concussa imbri, non Aquilone ruet;
Perque oculos, perque ora virum memoranda volabit,
Et decora hinc serus discet avita nepos.

Perillustri, & Admodum Reverendo Domino

FRANCISCO MARTIO,

CANONICO TIBURTINO.

Non minus ego Lucæ Holstenio debeo, quàm alii se mihi debere fatentur, quibus ad amicitiam tuam aditum aperui. Certe jam multis humanitatem mihi tuam prædicavit Henricus Meringius Tibure redux, ut etiam nunc læter, & harum latorem, convictorem meum, eadem nota tibi commendare audeam. Idem Meringius jam tunc idipsum, quod tuis ad me literis scribis, de Balsamo nobis significarat, diversas pyxides amicis Romanis distribui, & quia nullæ supersunt, cum proximo Veredario in Germaniam scripsi, ut aliquot recentes pyxides huc Romam destinaret, quas expecto. Nunc solum hanc promulsidem offero. Vive, & Vale. 2. Novemb. 1654. Romæ.

Eruditionis, ac Virtutis Tuæ

Studiosissimus

Ferdinandus Furstembergius

Modo Episcopus Paderbornensis, & Princeps Imperii.

ERUDITISSIMO VIRO

FRANCISCO MARTIO

TYBURTINO,

S. P. D.

Athanasius Kircherus.

Quem mihi pro tua in me fide non ita pridem concredideras, de Antiquitatibus Tyburtinis librum, uti abstrusioris doctrinæ illecebris refertum comperi: ita incredibili quoque voluptatis sensu delibutus quatriduò penè totum legendo absolvi; è quo, fateor, eas me, quas jamdudum unicè nosse desideraram, hausisse notitias, à paucis indigitatas, à te vero ex omnibus tricis evolutas. Magnam procul dubio inibis gratiam apud eos, qui reconditis hujusmodi antiquitatum recessibus delectantur; adeo eximiam ubique prodis in difficultatibus eruendis peritiam, in semesarum consumptarumque penè temporis edacitate inscriptionum lectione solertiam, earumque cum veterum Authorum monumentis concordiam, quàm adeo demonstras clarè, & dilucidè, ut eas apodictica quadam evidentia ostendere videaris. Quæ tum primum mihi innotuerunt, cum præterlapsa autumnalium feriarum rusticatione, nec non jucundissima tua conversatione Tybure fruitus, priscorum monumentorum vestigia studiosè, te duce, examinarem. Unde hoc à te quam obnixissimè contendo, ut elucubrationes tuas quantocyus publicæ lucis bono committere non cuncteris, ut quod tam utile, & fructuosum, atque adeò multorum votis concupitum hucusque fuit; eo Resp. Litteraria magno suo damno non defraudetur. Quod si feceris; Næ, mundo te haudquaquam otiosum vixisse; quin potius meritorum tuorum cumulo, non devinxisse duntaxat Doctorum animos, sed & eosdem hoc singulari sanè beneficio evicisse, cum immortali nominis tui honore meritò gloriari poteris. Vale mi Marti, unicum amicitiæ meæ decus. Romæ septimæ Kalendas Decembris 1661.



A. M. G. D.

SPECULUM TYBURTINUM,

Quod à Francisco Martio Tyburtino Canonico, & Juris utriusque Prudenti suis in Historiis expositum commendat Tiburtibus Vincentii Gloria Societatis Jesu.

Unde tibi magnis quæsita superbia Fastis
  Obveniat, patrium Tibur, & unde Pudor,
A propriis relegens poteris condiscere Fastis:
  Utere; pro Speculi Martius Orbe dedit.
Aspice, Te puerum, juvenemque Senemque videbis,
  Quantus amor fueris, quantus ubique metus.
Hinc Tibi clara petes Heroum exempla tuorum,
  Quosque Sagi jactat laurea, quosque Togæ;
Ut Regum venerata tuos insignia Fasces,
  Arbitra libertas cum Tibi jura daret.
Agnosces, quid sis, cum noris quale fuisti,
  Quaque Vetus disces arte referre queas.
Aspice Te, si mutati tua lumina Vultus
  Offendent, Vultus argue, non Speculum.

Aliud in idem Argumentum.

Historiam, Vitæ Speculum bene dixeris, in quo
  Quid Prudens fugias, quidve sequare, legas
Aspice Te, Speculum Socrates quod amaverat olim,
  Martius hoc offert, hoc Tibi Tibur habe.
Fortè magis placeant extincti Tiburis ora,
  Quam Vivi, vitæ si tamen Umbra loco est.
Luce tui Speculum si fortè calescat Amoris,
  Ad Te concepta luce redibit Amor.

In Laudem Auctoris Tiburtinis Historiis optimè de patria promeriti.

Æternum Patriæ redivivi nominis ævum
  Francisci reparat Pagina digna Cedro
Quantus Is? Herculeas Heros Tiburtibus Arces
  Argolicus statuit, restituit Latius.
Plus est Extinctis amissam reddere Vitam,
  Quid dare: Franciscus reddidit, Ille dedit.

FRANCISCI MASII TYBURTINI,

In Laudem Auctoris ad Civitatem Tiburis,

EPIGRAMMA.

Stemmatibus quondam variis celebre, atque superbum;
  Argeo in primis nomine, Tibur eras.
Hinc æterna tibi prodivit gloria laudum,
  Quæ vix hoc paucis tempore scita manet.
Omnibus hanc memorat Franciscus, reddit & ævo:
  Sic hujus memorem, Teque ita redde parem.

SONETTO.

Al sudetto.

DEL tutto il destruttor lieto godea
  Mirarsi Genitor d'eccidii, e lai,
  A la possa di cui languent' homai
  De varii Eroi, l'alto valor cedea.
Vinto dal suo poter anco parea:
  Di Tiburto l'ardir, valido assai,
  Mentr' oscurar, de suoi gran figli i rai
  Con l'arme dell' oblio folle credea.

Hor non di Spada; mà di penn' armato,
  Esce il MARTII, à la pugn' ardito, e altero
  E il tempo abbatte, e in un rintuzza il fato.

Che prode dicitor', saggio guerriero,
  Di chiaro stil di gran valor fregiato:
  Rende à la patria sua l'antico Impero.


Caterina Robella Sabucci



CAN-

C A N Z O N E
DEL FU ARCIPRETE
FABIO CROCE
AL CANONICO
FRANCESCO MARTII
NOBILE TIBVRTINO.

SAGGIO scrittor l'opra ampliata in cui
Nuovi Heroi tua penna à noi rimembra,
Pinta Tela mi sembra,
Ch' addita nè lor pregi i vanti tui.
Mercè, ch' in picciol giro
Da la tua mano effigiati io miro
Trà vari tratti de l'Ingegno, & Arte
Gli honori tutti, e di Minerva, e Marte.
Pennelleggi si ben co i fini inchiostri
Gli incliti gesti loro entro i tuoi fogli,
Che ciò, che in essi accogli
Sparso trà l'ombre lor chiaro dimostri
Che sono i tuoi colori
Famosi misti di veraci Authori,
Che figura non formi, ò fatto, ò sito,
Ch'io la tua man non lodi, e'l colorito.
D'un vasto mar l'onde hor frementi, hor chete,
Quasi in breve Urna almo nocchier racchiudi,
E perch' assai vi sudi
Pensi fermarti infra l'Herculee mete;
Schiva pensier si strano,
Che certo il tuo sudor non sarà vano,
Che sai, ch' il Ciel di coronar promise
Quei, ch'à vegliar non à dormir si mise.
Ch' ò quanto in ver con le memorie antiche
A le virtù gli spenti spirti accendi
Ch' ò che gran ben comprendi
Ne l'honorate tue degne fatiche.
Ch' ò qual t'ergi trofeo
Più, che coi suoi sudori altri non feo,
Che in alto stil di questa Patria scrisse
E l'origo di lei, le glorie disse.
Il NICODEMI Avo mio caro il sai
Quanto à scriver di lei l'ingegno eresse,
E ciò, ch' ancora espresse
CARDOLI il più noto in quest' opra il fai,
E quel, ch' anco la penna
Del RE gentil con meraviglia accenna,
Mà che? dal retto Dir, che qui si vede
E la gloria, e l'honor Ciascun Ti cede.
Poi che Tù con diffuse, e ferme note
Pura qual' è la verità palesi,
Havendo i sensi appresi
Sol da lei, ch'ingannar unqua ne puote,
Onde ciò, che rammenti
L'apprendesti in Altrui, non te l'inventi,
Ch'altro non v'è del tuo fiorito Ingegno,
Che la bell' Arte sol, l'ordine degno.
Mercè, che dee Chi gravi Historie scrive,
Da chimere, ò da sogni esser alieno,
E di facondia pieno
Far' apparir l'estinte glorie vive,
Che i casi memorandi
D'opre famose, ò di virtù de brandi
A' trofei, à trionfi, à mitre, à palme
Destan le menti, e invigoriscon l'Alme.
Quindi Pirro il gran Rè de gli Epiroti
De le prische prodezze il suono udito
Fessi cotanto ardito,
Ch' hebbe spesso secondi i proprii voti:
Ond' è, che dir solea,
Ch' à lui Città più soggiogate havea
L'Historia col suo dir facondo, e vero,
Che l'Essercito suo potente, e fiero.
L'Historia, e chi nol sà? luce è verace,
Che il bene, e il mal cortesemente addita,
Maestra è de la vita,
E de l'Antichità nuntia sagace
De Tempi attestatrice
Di virtù, de l'honor seme, & radice.
Scola è di verità, perenne fonte
Che l'onde sempre à dissetarne hà pronte.
Ch'ella stimola i cori ad opre illustri,
L'otio, e'l vitio à schivar ben cauta impara,
E con fama assai chiara
Fà viver l'homo al gran girar de lustri,
E cò vetusti essempi
Spinge ad amare i Buoni, e abborrir gl'empi.
E ragguagliando d'ogni Clima i doni
Fà, ch'il nome immortal s'oda, e risuoni.
Dal Choro Aonio, hor qui Calliope porti
La Poetica sua, che dolce è tanto,
MELPOME usi il canto,
E dia col suono Euterpe alti conforti,
Che se à la dotta Clio
Mostrar l'Historia sua viene in desio, Il titolo di *Peregrino Ibero* è stato mutato in *Ville Tiburtine*, secondo si vede stampato.
Ben sia con lor, ch'ogn' altra Musa al certo
Ogni pregio, ogn' honor ceda al suo merto.
E quindi MARTII auvien, ch'io stò perplesso
L'Idilio mio, ch'è il PEREGRINO IBERO,
Ch'il Canto hà lusinghiero
Far, ch'il mondo, ch'è un Momo, il veggia impresso;
Perche se ben ragguaglia
Di questo suol l'origo, e quanto ei vaglia,
Conosco ben, ch' in dir di lui gli encomi
Pianta onusta è di frondi, e non di pomi.
Però mentr' hai si puro, e chiaro stile
Con cui tanto diletti, e tanto giovi,
Erri se Tù rimovi
La mano in proseguir l'opra gentile.
Deh segui, suda, e gela,
E dà l'ultima mano a questa tela.
Ch' allhor del Ciel sortì la gloria Alcide
Che quì finir di faticar si vide.
A lui vanne veloce
Canzone, e dille pur, cho non si Stanchi,
E mentre può, di colorir non manchi.
Che non sono del Tiro, ò d' Indo honori,
Mà son grane del Cielo i Suoi colori.



I N D E X
A U C T O R U M,
Qui citantur & illuſtrantur.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

O. Archiep. Patrac. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hiacynthus Libellus Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.





FRAN-

FRANCISCI MARTII,

Nobilis atque JCti Tiburtini,

HISTORIA TIBURTINA

LIBER PRIMUS.

1 *Situs, ac altitudo Polaris Tiburis, ejusque Horoscopus.*



IBURTINA Civitas supra pulchrum, amœnumque collem inter Mediterraneas *Italiæ* urbes sita est, [1] situque tàm apto gaudet, ut major ejus pars in planitie ædificata sit: manet ipsa sub quadragesimo secundo gradu altitudinis Polaris, ac sub *Scorpionis* Horoscopo, quantum ex indiciis quidem conjici potest, nulla enim de hoc habetur certitudo.

Fruitur *Tibur* ex *Occidente* longa, ac aperta planitie ad mare, vagoque hoc aspectu lætatur Regia mundi, à qua civitas hæc sexdecim distat milliaribus.

Mons Catillus nunc Mons Crucis.

Mons quidam inter alios surgit ex Orientali plaga, qui à prisca *Catilli* Sede (*Tiburti* germani) *Catillus* olim, vulgò *Carellus* fuit dictus; hodie
2 verò [2] *Mons Crucis* vocatur; ad cujus pedes initium sumit via illa *Valeria*, à Nostratibus *Realis* dicta, vel à ruinis villæ, & à tumulo ibidem *Syphacis*, *NUMIDIÆ* Regis, in viciniis ibi versus *Anienem* etiamnum existentibus; vel quia per *Abruzzum Neapolim* ducat.

A *Septentrione* verò cingitur à profunda valle, per quàm variis lapsa modis, eadem *Anienis* aqua tàm pulchrum, atque varium præbet aspectum, ut locum hunc, velut Scholam, frequentantes Pictores opera sua miranda sæpius reddiderint.

Ab *Austro* tandem majorem olivetorum suorum partem Civitas hæc admiratur; ubi priscarum deliciarum, *Brutorum*, *Cassiorum*, *Pisonum*, ac *Adrianorum* reliquiæ (licet à Tempore corrosæ, ac dirutæ), nihilominùs tamen admiratione dignæ conspiciuntur.

Fluvius Tiburis antiquitùs vocatus Pareusius, posteà Anio & quare.

Irrigatur *Tibur* à fluvio quodam, antiquioribus temporibus *Pareusio* vocato; sed quùm à *Catheto* nobilissimo Adolescente rapta fuisset *Salia* formosissima virgo, *Anii Tuscorum* Regis filia, atque *Romam* deducta; Pater autem ejus, *Cathetum* frustrà insecutus, præ dolore in hunc se mersisset fluvium, postea ab illo nomen *Anienis* accepit; ut hisce testatur *Plutarchus*: [3] *Rex Tuscorum* Anius *egregia forma filiam habuit*, Saliam *nomine*, *quam virginem custodia præcipua tenebat*. Cathetus, *nobilissimus adolescens, qui cum aliquando puellam colludentem aspexisset*, *adamavit*, *atque vim amoris continere non potuit*, *raptam filiam* Romam *deduxit*, *Pater insequens*, *cum raptorem prehendere non valeret*, Pareusium *insiliens fluvium*, *ei nomen dedit*; Anienem *posteà appellatum constat*.

3 *Anienis Fluvii origo.*

Ab *Hernicis Trevirorum* Montibus (ubi originem suam sortitur, erumpens hic Fluvius, currit per *Simbruinas* valles ad subjacentes campos, indè ad *Æquicolos*, & tandem versus *Tibur*, ubi vix fines ingressus, ac per altas rupes descendens, horrendum præcipitii sui strepitum auribus præbet, ac diversimodè in varios ramos se dividit, pars ejus altera à profundo absorbetur barathro, & non procul hinc à terra quasi rursus ejecta, ad irrigandos campos *Tiburtinos* celeri currit gradu; pars altera per obscuras incedens cavernas, grani, oleique molis versandis, & ustrinis Ferrariis, cupreisque, ac pellium, chartarum, pulverum, aliorumque similium officinis inserviens, multo cum labore defluit.

Reliqua pars ad risus, ludosque vocata, in Serenissimorum Principum *Estensium* Hortis magnificum de se prebet spectaculum, adeo ut ab ultimis *Europæ* finibus Illustriores ad sese spectandam vocaverit Principes: Præsertim cùm hodie à magnanimo Principe *Rainaldo*, Cardinali *Senensi*, novis pulchræ, majestuosæque Architecturæ Fontibus, amœnæ hæ deliciæ in dies augeantur.

Anio autem fluvius, hisce in Hortis jucundis industriosisque cum cursibus maxima cum admiratione aspicientium excitata, ad irriganda viridaria, privatorumque civium pomaria, varios in rivos, quasi humiliatus descendit; ut *Horatius* [4] suo jam tempore scripsit

> *Et præceps* Anio, *&* Tiburti *Lucus*, *& uda*
> *Mobilibus pomaria rivis*

Dividit hic præterea fluvius à *Sabinis Latium*, 4 juxta *Halicarnassei* [5] dictum: *ANIO fluvius ad TIBUR* de *alta rupe præcipitatus per campos deinde labitur*, *SABINOS* à *ROMANIS disterminans*, *amœnus aspectu*, *& potu non ingratus*, *donec in TIBERIM influat*: Sic etiam scribit & *Cluverius* [6] de Antiquiori *Latio*: *Sub SABINIS itaque juxta TUSCOS fuerunt LATINI*, *non totius ITALIÆ solum*, *sed Orbis universi gens nobilissima. Terra eorum LATIUM dicta*, *arctis finibus inclusa ab ANIENE*, *TIBERI ad CIRCEUM usque Promontorium*, *quod vulgò nunc est CIRCELLI.*

Anio divisit à Sabinis Latium.

Anienis Pontes.

Super *Anienem*, ab sua orgine usque quo in *Tyberim* influat, duodecim numerantur Pontes, quorum primus est *Comminacchii* in territoriorio *di Trevi*, propè *Subiacum*, alii duo deinde, *Sancti Antonii*, ac S. *Francisci* sunt pontes.

Quartus pons, (ex ligno constructus) apparet inter *Austam* & *Maranum*, prædia pariter Abbatiæ *Subiaci* subjecta. Quintus (pariter ligneus) intrà *Rubianum* & *Anticolim Conradum*, Vicos ad Excellentissimum dominum *Julium Cæsarem Columnam*, Principem *Carbonani*, spectantes.

Sextus extra *Vicovarii* Terram cernitur. Positus est septimus *Tibure*, è regione ejusdem fluminis lapsus; non adeò à Civitate procul, ubi *Sabinos* versus itur per pontem ligneum, qùum annis præteritis violentiâ aquarum ruptus fuerit ille ex lapidibus, simul cum *Cœlii* Mausoleo, quod penès eundem, tamquàm vallum, erectum fuerat; ex cujus nomine hodierno etiam die vocatur *Ponticelli*, quasi *Pons Cœlii*.

No-

1. *Phil. Cluver.* in *Univers. Geograph.* Lib. II. Cap. XVII.
2. *Servius* in *Æneid. Virg.* Lib. VII.
3. In Opusc. Paralell. 77.
4. *Od.* 1. Lib. 1.
5. *Rom. Ant.* Lib. V.
6. *Introd. in univers. Geogra.* Lib. 3. Cap. XVII.

A Nonus est in via *Romana*, Pons *Lucani* dictus, per milliare *Tibure* distans.

In *Via Tiburtina* conspicitur *decimus Pons*, ab *Antonino Pio* erectus, magnificè posteà restauratus à *Mammea*, *Alexandri* Imperatoris matre, à qua *Mammeji*, indèque *Mammoli* nomen accepit.

Undecimus in *Nomentana*, duodecimusque in *Salaria* via, tribus miliaribus *Roma* procul, apparet, ubi *Manlius* de *Gallorum* illo Gigante opima spolia retulit; hic à *Gothis* eversus, à *Narsete*, *Justiniani Imperatoris* strenuo Duce, posteà reædificatus fuit.

B *Tiburtinum* insuper Solum non tantùm à prædicto *Aniene* fluvio, sed etiam à pluribus aliis rivis, & fontibus locupletatur; inter quos famosiores sunt illi, Abbatiæ Monachorum *Olivetanorum Sancti Angeli*, villæ *Hadrianeæ Rivellensis*, item qui per civitatem dividitur, amœnissimusque aquæ aureæ rivulus (*Accorius* dictus) omnium aliorum optimus, apud quem multùm delectatus *Marchio Bernardinus Spada*, illustri eruditione Antiquorum Æmulus, sic ingeniosè canebat.

Auriferum celebrare sinum Pactole *relinque*,
Tiburis *huic fonti convenit omne decus*;
Hisce Midas *etenim verè perfusus in undis*
Pro gratis animis aurea dona dedit;
Hùc propereni ergo Vates Hebrione *relicto*,
Nam potaturis aurea vena fluet;
C *Quælibet*, *ut propriis adjungat crinibus aurum*
Danias, *his fontem mergere anhelat aquis*;
6 Arboribus *tectam* Phœbus *si cerneret undam*,
Haud ponto; hic radios conderet occiduos.

Nec minoris æstimantur ad medelam aquæ *Ferratæ*, quemadmodum & illæ *Albulæ*, ac *Sulphuratæ*, de quibus fusiùs suo loco acturi sumus.

D Fertilitas Tiburis. Abundans est hæc nostra Patria vino exquisito, oleo, quolibetque alio fructuum genere, præsertim *Pergulensibus* uvis, huic Patriæ nostræ solo singularibus, quæ horridis etiam Decembris, Januariique mensibus recentes, & incorruptæ servantur in hortis *Tiburtinis*, qua de re quoque *Horatius Tiburi* nomen fertilis tribuit, quando dixit [1]

Sed quæ TIBUR aquæ fertile perfluunt.

Strabo de hac loquens civitate ait [2]

Hoc in loco mira est fructuum abundantia.

E *Plinius* quoque in Historia Naturali minimè oblitus est *Tiburtinis* fructibus peculiare dare elogium; cap. enim III. *Lib.* XIV. sic scribit: *Municipii uvam* Pompei *nomine appellant*, *quamvis* Clusinis *copiosiorem. Municipii*, *&* Tiburtes *appellavêre*, *quàmvis Oleaginam nuper invenerint à similitudine olivæ*; & Lib. XVII. Cap. XVI. *tot modis insitam arborem vidimus juxta TIBURTES TILIAM omni pomorum genere onustam*, *alio ramo nucibus*, *alio baccis*, *aliunde vite*, *ficis*, *pyris*, *punicis*, *malorumque generibus sed huic brevis vita fuit.*

F Virescunt præterea *Tiburtinis* in agris olentes *storaces*, *terebinthi*, plurimaque alia salutifera simplicia, quorum pascua cum odoriferarum herbarum ac suavium repleta sint, pecudum carnes reddunt molles ac delicatas, *Tiburtinum*que mel pro exquisitissimo prædicatur.

7 Plurium præterea ibi sunt avium aucupia, ferarum venationes, item, piscationes abundantes ibi haudquaquam deficiunt, *Anienis* enim aqua Truttas valdè sapidas, aliosque gratos pisces illis, qui in eo, aliisque rivis piscantur, maxima copia alit.

1. Od. 3. Lib. III.
2. Lib. V.

A Dives hæc Regio est rebus ad ædificandum necessariis; abundat præsertim perfectissima calce, ac famosa petra *Tiburtina* (aliter *Travertina* vocata) sine qua majores nostri post se haud reliquissent sumptuosas illas memorias, *Amphitheatri*, *Pantheonis*, plurimorumque aliorum ædificiorum, nec mirifica illa *Vaticani* machina appareret; hodieque magna cum omnium admiratione conspicitur Lapis ille destinatus sustentaculo decoro Amplorum peristyliorum, vastam ejusdem *Vaticani* plateam ambientium, opus equidem dignum Monarcha, sed *Alexandri* corde prædito, unde jure meritò dicitur: Calx, & petræ Tiburtinæ. Peristylia mirandi Vaticani à Papa Alex. VII. erecta.

B *De Tiburtino Marmore Roma nitet.*

Et, quod magis confert ad incolarum utilitates, aëre ibi fruuntur iidem non mediocris perfectionis, ut in ejus laudem sequentia *Martialis* carmina testantur: Lib. IV. epig. 47.

Ardea *solstitio*, Pæstanaque *rura petuntur*,
Quique Oleoneo *sydere fervet ager*,
Cum Tiburtinas *damnet* Curiatius *auras*
Inter laudatas ad styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere, *cum mors*
Venerit, *in medio* Tibure Sardinia *est.*

C Hoc idem testatur gloriosæ Memoriæ *Urbanus Octavus* summus Pontifex, sequentibus carminibus ad *Gabrielem Chiabreram* missis: 8

Non cuspis ensis sceptraque regia
Non fulgor auri, *non gena floribus*
Decora primævis, *nec aër*
Tusculus, *aut* Anienis *ora*
Lectove præstans rore Calabriæ,
Dum vernat arbos, *non aqua* Clusii,
Quæ manat Etrusco *salubris*
Fonte, *diem volucrem morantur.*
Læthalis anus impedit, *omnibus*
Immitis æquè, *forfice quæ genus*
Mortale funestans adurget
Atropos, *horribilique vultu &c.*

D *Schottus* quoque in tertia *Itinerarii* sui parte ait:

Tibure *plurima visu dignissima reperiuntur*, *cum ea Civitate florente*, *suburbanis Principum*, *dignissimorumque Civium prædiis vestita*, *triumpharet de voluptatum omnium genere*, *propter Cœli temperiem*, *&* *commodam soli fæcunditatem incredibilem.*

Fama quondam quoque erat, vulgarisque apud Antiquos opinio, aërem *Tiburtinum* veteri obscuratoque ebori pristinum reddendi candorem vim habuisse: ut testantur *Silius Italicus*, [3] *Propertius* [4], *Martialis* pluribus in locis, præsertim verò in Lib. VIII. epigr. XII. *Lycorin* deridens; Ebora obscurata albescebant Tibure.

E *Dum* Tiburtinis *albescere collibus audit*
Antiqui dentis fusca Lycoris *ebur.*
Venit in Herculeos *colles; quid* Tiburis *alti*
Aura valet, *parvo tempore nigra redit.*

Et in Epigr. CXL. Lib. I.

Tibur Herculeum *migravit nigra* Lycoris 9
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Et Epigr. XXVIII. Lib. VIII.

Lilia tu vincis, *nec adhuc dilapsa ligustra*,
E Tiburtino *monte*, *quod albet ebur.*

F Inter optimas mundi terras meritò numerari meretur Civitas nostra, concurrentibus in eam tot ac tàm variis qualitatibus: summoperè ab *Halicarnasseo* [5] sic dicente, expetitis. *At ego terræ opes non æstimo ex una aliqua frugum specie*, *nec me subit desiderium habitandi*, *ubi arva tantum sint pinguia*, *aliarum verò rerum ad vitam utilium*, *aut nulla aut admodum parva copia*, *sed quæ tibi maximè sufficit*, *adventitiisque bonis minimè indiget*, *eam puto optimam.* Mi-

3. De *Bell. Punic.* Lib. XII.
4. Lib. IV. eleg. 7.
5. Lib. I, *Rom.* antiq.

Mirum idcircò non est, si *Horatius* hanc Urbem omni aliæ regioni, licet nobilissimæ, præponendam esse judicavit, [1] intrepidè canens: A

Laudâbunt alii claram Rhodon *aut Mitulenen*,
Aut Ephesum, *bimaris*que Corinthi
Mœnia, *vel* Bacchi Thebas, *vel* Apolline Delphos
Insignes, *aut* Tessala Tempe:
Sunt quibus unum opus est intactam Palladis *urbem*
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptam fronti præponere olivam
Plurimus in Junonis *honorem*
Aptum dicet equis Argos *ditesque Mycenas:* B
Me nec tam patiens Lacedæmon
Nec tam Larissæ *percussit campus opimæ*
Quam domus Albuneæ *resonantis*,
Et præceps Anio, & Tiburti *lucus*, & *uda*
10 *Mobilibus pomaria rivis*

alioque in loco apertè dixit [2]

Parvum parva decent, *mihi jam non regia Roma*,
Sed vacuum Tibur *placet &c.*

Et comparatione instituta inter *Tibur*, & *Romam* Cardinalis *Bernardinus Spada*, Purpuræ splendor, memoriæ gloriosæ, ita cecinit:

TYBURIS ET ROMÆ COMPARATIO C

Aut socia aut hostis, *nunc par*, *nunc æmula* Romæ,
Et major natu Tyburis *ora fuit.*
Tros, Grajum*que genus*, Mars, & Tirynthius *auspex*,
Numen uterque ferox, *semen uterque* Jovis,
Romulidum *genetrix errans ad* Tiburis *amnem*
Rapta est flumineo nuptaque Rhea *Deo.*
Vitricus hinc Anio, *privigna est Martia proles*,
Atque parens Romæ, *pro patre* Tibur *habet.*
Albula Romanum, Tibur *fuit* Albula *nomen*
Nunc quoque vix differt à Tyberone Tybris
Quaque sub Augusto *lateres in marmora vertit* D
De Tiburtino *marmore* Roma *nitet.*

Cogito, quod cum *Anio* noster fuerit urbis *Romæ* Fundatoris susceptor, uti fabulatur [3] *Ovidius*, & in hoc Epigrammate *Tiberonem* nuncupatum fuisse, tamquam *Tybri* majorem. Supradicta carmina adnotata reperiuntur in *Deliciis Tiburtinis* Excellentissimorum *Cæsiorum*, quibus fruebatur dominus *Virgilius Spada*, ut & Cardinalis quoque ejus frater, à quibus eædem deliciæ pulchriores redditæ fuêre in sylvestri parvulo vivario, ac in Horto dilatatæ, ampliatæque in Palatio, in quo in Festo sancti *Matthei* Apostoli Anno MDCLXI Eminentia sua suo quàm maximè dilecto *Tiburi* magno cum infortunio, leniter sanitatem amittere incepit, ac postea *Romam* transiit ubi die decima Novembris defleta fuit tanti viri mors, ut refertur à Patre *Francisco Macedone* (celeberrimo inter nostræ ætatis ingenia Literato) sequentibus carminibus: (11) E

12 In obitum

Eminentissimi Principis

CARDINALIS SPADÆ

NÆNIA LYRICA

Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino

D. VIRGILIO SPADÆ

Fratri dicata.

Mortis fraus & astutia.

Qui te legentem Mors videat satos
Per prata flores, ac avida manu
In pulchriores irruentem
Purpurei cupidam decoris,
Amare credat: tàm benè seligis
Quoscumque prendis; non alios Amor,
In prata si blandus veniret
Ac legeret, *sibi destinasset.* (*Simulat amor.*)
Sed qui metentem viderit improba
Te falce prensos, & *roseum decus*
Ferro secantem, *mox recisos*
Barbarica rabie prementem;
Odisse norit: conscius impiæ (*Exercet odium.*)
Fraudis: retectas ille tyrannidis
Agnoscet artes, & *tremiscet*
Attonitus feritate monstri.
Teque execratus Tartareis *ream*
Diris vovebit, *sed truculentior* (*Tyrannis ejusdem.*)
Tu facta Diris, *innocentem*
Falce metes, *tumuloque condes.*
13 *Experta nunc est Curia funere* (*Ad interitum Card. Spadæ insidiosè obrepit. Eum perimit. Proh! quem virum. Illius eximiæ corporis, & animi dotes referuntur.*)
Romana SPADÆ, *purpurei Patris*,
Fingentis astutos amores
Insidias, *rabiemque mortis.*
Eheu, *prehendit pignus amabile*,
Quo Roma *nullum carius in sinu*
Gestavit umquam, *quem vocabant*
Delicias, *Columenque cives:*
Gentis Togatæ præsidium & *decus*
Scientiarum lumen, & *aureæ*
Ætatis exemplar, Latinas
Qui veterum revocavit Artes.
Vivum Lycæum, *nobile literis* (*Scientia rerum & Doctrinarum, Humanarum.*)
Sacris, *profanis nectare Rhetorum*
Sparsum, *Poësis melle mixtum*
Ambrosios referens sapores.
Quæ forma claro, *quæ species viro?* (*Oris, & corporis dignitas.*)
Proh! quanta in amplo corpore dignitas?
Dignus videri, *mox amari*
Seposita gravitate dignus.
Pollebat alti viribus ingeni (*Ingenium Judicium Eloquentia.*)
Maturitatem judicii gravis
Præ se ferebat, *pondus ingens*
Menti inerat, *Venus apta verbis*
Et vasta rerum Vis memor, *omnia* (*Memoria. Historiarum omnium notitia.*)
Quæ lecta posset condere, & *edere*
Collecta rursum, *sivè Græcæ*,
Sivè Italæ *monumenta Gentis.*
Accessit usus rebus in arduis (*Rerum experientia.*)
Legationum, *quas obiit*, *Togæ*,
Belliqne prudens, & Latinum
Mecurium *sapienter egit.*
14 *Fulsit senatus Purpurei Jubar*, (*Legationes. Munia, Honores. Literarum, & Literatorum patrocinium.*)
Et consulentis gloria Curiæ
Doctesque Mæcenas *suarum*
Largus opum, *miseris asylum*
Certum Poëtis: quos gravis opprimit
Semper sequaci lege necessitas,
Hos fovit, & *mixtus canentum*
Sæpe choris decus afferebat
Arti jacenti; quam premit invidi (*Poëticum studium.*)
Vis dira vulgi, *dum gravibus viris*
Suadens Camænis *abstinendum*
Nobilium negat esse curas.
Sed SPADA *vindex impiger extitit* (*Et in Poëtas propensio.*)
Injuriarum: cultor Apollinis
Versusque fudit, *docto movit*
Pectra manu, *cecinitque voce*
Ergo Camænas *perpetuus dolor* (*Causæ dolendi eo mortuo.*)
Jure occupabit. Justior haud fuit
Unquam dolendi causa. Quantum
Roma *decus*, Latium*que perdis!*
Injurioso Mors pede proruit (*Jactura quanta.*)
Stantem columnam, *gloria nominis*
Qua nixa Romani *manebat*
Et Veterum generosa Virtus.

[1] Od. 7. Lib. I.
[2] Lib. I. Epist. 7.
[3] *Ovid.* in *Amoribus* Lib. III. eleg. 4.

Candorque priscus, grataque Comitas,
Simplex honestas, ingenuus pudor,
Moresque sinceri, tenorque
Innocuæ sine fraude vitæ.
Nec alma virtus, nec sapientia
Nec vota Romæ *publica, nec preces,*
Nec prona Alexandri *voluntas*
Indomitam tenuêre mortem.
15 *Quamquam ille Ternos cum Clypeo minax*
Strinxisset enses, irruit impetu
Mors obstinato, falcis uno
Tres gladios violavit ictu.

Arma gentilitia. Tres gladii. Mortis, vis, & immanitas.

Momenta nemo detinet incita
Fatalis horæ, nec locus, aut dies
Quemquam juvabit, SPADA morbum
Tiburis *in medio salubris*
Contraxit, ex quo decubuit diù
Romæ, *morando fata, sed exitus*
Vitæ imminebat: Tibur olli
Sardiniæ *peperit calores*

Mors ejus *Romæ.*

Feralis æstus, Hoc Anien *gemit*
Neglectus undas, villaque Cæsia
Formosa quondam, nunc decore
Ac nitido viduata cultu.
Heu mæsta plorat, quem sociant propè
Atestis *udæ deliciæ domus,*
Et villa, Mæcenas *sonoro,*
Nomine, quam decorat, gemiscit.
Et quæ ruinis prodita maximis,
Rursumque duris obsita vepribus
Regnantis Augusti superbum
Servat adhuc opus Adriani.
Pulsata vocum murmure, fletibus
Respondet Eccho, quà Lyrici patet
Sedes Horati, *cui* Sibyllæ
Dant socios monumenta questus.
Eructat undas Albuneus *lacus*
Ira calenti fervidus igneas:
Qua transit urens prata, campos
Funeris it violentus ultor.

Anienis Lacrymæ. Cæsiæ Villæ lugubres sordes. *Atestinæ* item Villæ Luctus, necnon Mæcenatis. Et *Adriani* Imperatoris.

Et Horatii Flacci.

Albuneæ vehemens dolor. Tiburis, & Nympharum fletus.

16 *Nec* Roma, *SPADÆ dedita Tiburi*
Cedit dolendo; clarius ingemunt
Tybris*que, Germanæque Nymphæ*
Quas proprius tremefecit ictus.
Lugent plateæ, rostra, palatia,
Delubra, circi, pulpita, Curiæ.
Et Aula Cætus purpurantis
Præcipuo spoliata Flore.

Communes totius Urbis Luctus.

Unus dolori, tu modus, & mora
Post dira restas funera Virgili,
Tu rebus afflictis Columna,
Præsidium domui labanti,
Supplere Fratris tu poteris vices
Germane Frater, sanguine, moribus,
Virtute, maturæque mentis
Consiliis, pietate, rerum
Usu sacrarum: Tu similem geris
Desiderati Fratris imaginem;
Sic ora vivus, sic ferebat
Ille manus, oculosque, Talis
Obibat urbem, vertice cæteros
Erectus omnes, celsior indole
Quem turba, quem plausus faventum
Ponè sequi solitus Quiritum.
Quod si levamen respuerit mali
Urbs obstinatis dedita luctibus
Causas relinques tu dolendi,
Sed nimium minues dolorem.

Apostrophe consolatoria ad Virgilium Spadam Fratrem.

Canebat Macedo.

17 SISTE VIATOR
HIC SITUS EST

Eminentissimus Princeps Cardinalis BERNARDUS SPADA: seu potius non is, sed ejus pars mortalis nam immortalis ad superos iit. Fama *vice sui*

A *cum desiderio relicta: Hujus ope ubique vivit: Hujus pennis volat, linguis sonat, oculis custoditur, ne irrepat oblivio. Non periit, quem excepit in sinum parens memoria. Ac sicut ille omnium gesta ante se temporum complexus est mente; ita illius virtutes sequentia post eum sæcula in orbem colligent, & decurrentis filo temporis innodabunt, æternabuntque. Vixit uti mortalis, egit uti æternus. Omnes in illum velut ex compacto confluxere dotes; non tàm ut* 18 *eum ornarent, quàm ut ab eo ornamentum acciperent.* Spadarum *nobilem stirpem, & domi claris titulis, & foris bellicis honoribus, auxit: auctam propagare studuit, & illustribus familiis inseruit. Sacræ* B *militiæ Nepotum sanguinem Religiosè adduxit.* Venetam *Rempublicam ob præclara adversus* Turcam *hostem bellandi studia, & vivus coluit, & armis suorum & opibus defendit, & moriens legato auro juvit. Species ei digna Imperio, sed Animus Imperio superior. Vix ulli animæ contigit augustius domicilium: Nulli domicilio nobilior hospes fuit. Sed heu! non domicilium sed hospitium fuit. Generosus sine fastu, gravis citrà fastidium, magnificus intra moderationem, humanus magis quàm facilis. Amabilis intra reverentiam. Prope amorem, non procul à cultu. Alliciebat benevolentia, sed continebat admiratione. Doctissi-* 19 *mus Literatorum hominum, atque adeò ultra* Mæce- C natem *Patronus. Obstruxit luminibus, quibus non caruit, dignitatum, splendore virtutum. Horrori vitiis fuit, màximè sordidis. Gratiam non tàm paravit, quàm meruit. Ab odio sibi non timuit, quod benevolentia extinxit. Obtrectationi materiam benefactis substraxit. Invidiam cum posset incurrere, arcuit admiratione. Erga fortunam ita se gessit, ut illam ignorare videretur. Rexit se se, suaque consilio. Illius tantùm fortunæ privatæ, ultra gentilitiam conscius, cujus virtutum opera, faber fuit. Contentus suo, castigavit nota, ne quid immoderatè optarent. Domesticis occupationibus, & studiis doctrinarum fruendum se dedit: Publicis negotiis reli-* D *quit usuram sui. Collegêre ingentes ex ea fructus Legationes, quas obiit. Continuit se inter obedientiam Principum, extra ambitionem. Gloriam non negle-* 20 *xit, sed non nimis curavit. Cuncta in rectè factorum conscientia sita habere voluit, qua nullum majus virtuti Theatrum est. Hac fretus sperat resurgere, & immutari.*

Scribebat *Macedo.*

Sed ut ad Urbem *Tiburtinam* redeam; ipsa hodierno die quatuor habet portas, quarum *Prima* 21 est illa *Romana*, *Porta Collis* vocata, quæ antiquitùs erat in *Mæcenatis* Villa, eo ipso in loco hodie *Porta Obscura* dicto, ubi antiquæ *Viæ Valeriæ* vestigia apparent, amplis tecta arcubus, vacuisque E mediis intùs ordinatè dispositis, ut viæ lumen afferant; in quorum uno sculptum apparet, cujus mandato hæc eadem via tecta fuerit. Legitur enim.

Tiburis Portæ quot sint, earumque nomina.

[1] L. OCTAVIUS, L. F.
VITULUS
C. RUSTICUS. C. F.
FLAVOS
ITER IIII. VIR
D. S. S.
VIAM INTEGENDAM
CURAVERE.

De qua *Obscura Porta* sic ait *Pius* Secundus lib. v. suorum Commentariorum:

F *In ipsa* Urbe Tiburtina *nihil est, quod magnopère mireris, præter ædificium quoddam vetustum, maximis & altissimis fornicibus erectum,* Portam Obscuram *hodie vocant, indè olim fuit in Urbem aditus, & depositis ibi mercibus, vectigalia solvebantur, atque fuerunt olim, seu negotiationibus, aut publicanis, seu claris viris ampla, & pulcherrima diversoria, nunc bobus stabula patent, & super te-* *stu-*

1. Extat apud *Grut.* pag. 150. Num. 2.

studinibus, sublimique tecto horti olerum.

22 *Secunda* est antiquissima *Castelli veteris* Porta, Abbatiæ *Sancti Angeli*, Monachorum *Olivetanorum*, hodie *Porta Sancti Angeli* dicta: ab antiquis verò *Cornuta* vel *Cornutiana* vocata; forsan quia per eam major cornutorum animalium copia ingrediebatur, vel quia talem formant figuram ille duæ viæ, quæ extra ipsam, altera per *Abruzzum*, altera verò per *Sabinos* sese extendunt:

Tertia, in via *Subiacensi*, vocatur *Porta Sancti Joannis*, à contigua hujus nominis Ecclesia; vocatur etiam *Porta Pratorum* propter prata, quæ non procul hinc virescunt.

Quarta vocatur *Sanctæ Crucis* ab, Ecclesia Parochiali hujus tituli hic sita, quæ propter deliciosorum prospectuum venustatem, propter situs amœnitatem, ac ingressus magnificentiam, aliis speciosior judicatur.

Antiquum in Tiburtina Civitate Amphitheatrum. Hic propè elevatur Fortalitium à gloriosa *Pii Secundi* memoria circa nobilis cujusdam Amphitheatri ruinas ædificatum, ut ille ipse in eodem libro quinto testatur, dicens: *Non procul ab Arce vestigia erant cujusdam nobilis Amphitheatri, quæ omnia Arx ipsa consumpsit*

Tiburis partes quatuor, ac earum nomina. Dividitur Civitas hæc in quatuor partes, sive plateas; *prima* quarum est illa *Sancti Pauli; Secunda Castelliveteris*, *Tertia Trevii*, *Quarta Sanctæ Crucis*; unde ex quadraginta Urbis Consiliariis tertio quovis anno in festo *Sancti Thomæ* quatuor eliguntur Cives; ex una quaque parochia unus, *Antiqui*, vel *Capsulatores* vocati. Eligunt isti, vel in capsulas ponunt per tres futuros annos Magistratus Officiales, qui formatur à *Capite militiæ* (sic enim vocatur ejus deum Magistratus Caput) atque tribus Prioribus, quolibet tertio mense mutandis.

23 *Electio magistratus, aliorumque Officialium Tiburtis quomodo fiat.*

Eliguntur insuper ab hisce quatuor Antiquis quadraginta Consiliarii, decem pro qualibet quarta Civitatis parte, qui totum Consilii corpus conficiunt, ac ab ejusdem ministris in capsulas ponuntur, veluti, Depositarius, Sigilli publici Custos, Platearum Magistri, aliique similes.

Judex Tiburis, ejusque jurisdictio. Inter Magistratus officiales numerantur Judex Civitatis, *Sedialis* appellatus, qui hodierno tempore in civilibus causis æquale jus Tribunalibus Episcopi, & Gubernatoris possidet, cujus causæ in appellationis gradu ad sedem tantum Apostolicam suosque competentes judices devolvuntur: sæculo tamen præterito causæ appellationum Gubernatoris, vel Comitis, Judicisque Civitatis ad Militiæ Caput, ejusque Vicarium attinebant, qui propterea peculiare Tribunal, propriumque Cancellarium tenebat, uti in primo libro, *Statutorum Tiburtinorum* distinctè legitur.

Jurisdictio antiqua Capitis militiæ

Judicaturæ, Munus Capitis militiæ, Priorumque *Tiburis*, sexto quolibet mense Doctoribus Civibus per vices juxta eorum doctoratus antiquitatem confertur.

24 Civitas hæc directè subdita est Sedi Apostolicæ, à qua ad eam mittuntur Gubernatores, antiquitùs *Comites* vocati, qui dum *Tibur* Populo suberat *Romano*, ab ipso deputabantur, in omnibus tamen causis civilibus atque criminalibus procedendum erat una cum *Judice Sediali* ab Urbe electo, uti in supradictis Statutis legitur. Videtur hodierno etiam die *Tibure* antiquum ædificium, *Aula Comitum* nuncupatum: Quoniam autem interdùm hoc *Comitis* nomen omissum fuerat, illo *Gubernatoris* succedente, *Clemens Septimus* (felicis Memoriæ) *Tiburtinorum* precibus peculiaribus literis patentibus nomen *Comitum* innovavit, quemadmodum in iisdem hic appositis legitur:

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus Civitatis nostræ Tiburtinæ.

CLEMENS P. P. VII.

Dilecti Filii salutem & Apostolicam benedictionem, Precibus vestris super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, vobis, ut Rectores vestræ Civitatis, *pro tempore existentes*, Comites *appellentur, prout antiquitùs appellabantur, salariumque habeant, quod ipsi Comites habere consueverunt ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum, concedimus, non obstans, quod à certo tempore citrà iidem Rectores vestri* non Comites, sed GUBERNATORES, *vel eorum Locum tenentes appellari consueverint, quodque in salario ejusdem Gubernatoribus, seu Locum tenentibus assignato à veteri consuetudine variatum sit, cæterisque contrariis quibuscumque; datum* Viterbii *sub Annulo, Piscatoris die XXVIII. Julii MDXXVIII. Pontificatus nostri Anno quinto.* 25

Tubernatores Tiburenses olim Comites vocabantur.

Hoc necessarium explicatu judicavi, ut errorem auferam eorum, qui legentes *Comites Tiburtinos*, Dominos Urbis eosdem & non simpliciter Gubernatores credidêre; citò tamen hic evanuit titulus, à Pontifice enim ipso *Clemente* eodem anno MDXXVIII. illùc missus fuit tamquam Gubernator Cardinalis *Pompejus Columna*, cui auctoritate Apostolica (licet aliquibus intermissis Gubernatoribus) ad hujus Civitatis regimen sequentes successêre Cardinales.

Series Eminentissimorum, qui Gubernatores fuêre.

Post Cardinalem igitur *Columnam Tiburis* Gubernator fuit anno MDXXX. *Hercules Gonzaga* Cardinalis *Mantuæ*.

Anno MDXXXV. *Nepos* Papæ *Pauli* Tertii, *Alexander* Cardinalis *Farnensis*.

Anno MDXXXVIII. *Joannes Dominicus* Cardinalis *de Cupis*; anno MDXLIX. *Hippolitus Estensis* Cardinalis *Ferraræ*. anno MDLV. *à Paulo Quarto* Populo *Romano* Urbe reddita, ab ipso magno honore Primus *Tiburis* Gubernator missus fuit *Angelus* Marchionis *Balthassaris Paluzzii Albertini* Patritii *Romani* Pater: Brevi verò temporis spatio Camera Apostolica reposita fuit in Dominio, *Ferrariæ*que Cardinalis ad eam Urbem regendam remissus, illique anno MDLXXII. successit Cardinalis *Aloisius Estensis*, cui

Anno MDXCVII. successit Cardinalis *Bartholomæus Cæsius*, cui anno MDCV. successit *Alexander Estensis*, post cujus obitum hanc Civitatem rexêre Eminentissimi Papæ *Urbani Octavi* Nepotes, *Franciscus* nempè & *Antonius* Cardinales *Barberini*, ab anno MDCXXIV. usque ad MDCXLVI. in primis Cardinalis *Franciscus*, posteà Cardinalis *Antonius*, rursusque Cardinalis *Franciscus*, Argumentum absque dubio clarum horum Heroum amoris erga Patriam nostram: Postremò Sanctitas Papæ *Alexandri Septimi* anno MDCLVIII. hanc Urbem decorare volens, ipsam optimæ Eminentissimi Cardinalis *Flavii Chigii* Nepotis sui, custodiæ tradidit, cujus patrocinii effectus statim experti fuêre, auctoritate enim sua, non sine domini *Laurentii Trotti*, Vicegubernatoris sui, nobilisque *Mediolanensis* cura, in Urbem inductum fuit Lanificium (magnum pauperibus auxilium ac Civitati commodum) opere & expensis *Bernardini Antonii*que *Mariæ Bigoni*, mercatorum *Bergomensium*, *Romæ* commorantium, qui ibi omnes officinas eidem Arti necessarias ædificari curarunt; & pannis *Tiburtinis* non ordinariæ perfectionis evadentibus, ad immortale nomen benefici Gubernatoris, Civitas in Aula Magistratus hanc Inscriptionem poni mandavit: 26

27 EMINENTISSIMO, ac REVERENDISSIMO
PRINCIPI
FLAVIO CHISIO J. R. E. CARDINALI
ALEX. VII. P. O. M.
EX FRATRE NEPOTI
QVI HVIC CIVITATI VIX CONCESSVS
GVBER. EAM. LANIFICIO
AVXIT
NON SINE INGENTI PAVPERVM
LEVAMINE
S. P. Q. T.
GRATI ANIMI MONVMENTVN. P.
A. D. M. D. C. LVIII.

Bigoni Introductores Lanificii in *Tiburis* urbem, eorumque privilegia.

Introductoribusque supra nominatis fuerunt à Civitate, eodemque Eminentissimo Gubernatore, multa indulta, ac privilegia concessa, quæ insuper à Sanctitate Domini Nostri Papæ *Alexandri* Septimi per diploma Apostolicum benigniter hoc tenore confirmata fuêre:

ALEXANDER
PAPA SEPTIMVS.

28 Ad futuram rei memoriam. *Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii BERNARDINUS, & ANTONIUS MARIA BIGONI mercatores Almæ Urbis nostræ, quod alias Artem Lanæ in Civitatem nostram TIBURTINAM vigore mandatorum dilecti Filii nostri FLAVII Titulo S.* Mariæ de Populo *S. R. E. CARDINALIS CHISII nuncupati, nostri secundum carnem ex Fratre germano nepotis, ac dictæ Civitatis Gubernatoris, introduxerunt cum diversis Capitulis per eos unà cum dilectis etiam filiis Communitate, & Hominibus ejusdem Civitatis concordatis, & à memorato FLAVIO CARDINALI, seu ejus auctoritate approbatis tenoris, videlicèt qui sequitur. IN NOMINE DOMINI AMEN. Die decima quinta mensis Septembris millesimo quinquagesimo octavo indictione undecima, sedente sanctissimo in* Christo *Patre D. N. ALEXANDRO divina Providentia Papa Septimo: Anno Pontificatus quarto. Coram Illustrissimo, & Reverendissimo D. LAURENTIO TROTTO: utriusque signaturæ Sanctissimi D. N. Papæ Referendario Vicegubernatore Civitatis* Tiburis *pro Eminentissimo D. FLAVIO S. R. E. CARDINALI CHISIO perpetuo Gubernatore, comparuit in cubiculis Palatii residentiæ dicti illustrissimi domini Vice-*
29 *gubernatoris illustris Dominus BERNARDUS BIGONUS, pro se & Domino ANTONIO MARIA suo Fratre in Urbe mercatoribus, & exposuit aliàs ad ipsius, & dicti sui fratris instantiam & favorem, & ipsorum precibus fuisse, & esse emanatas litteras dicti Eminentissimi domini Cardinalis CHISII, ut à tergo registratas, dominationi suæ illustrissimæ directas, & præsentatas, & quas dictus Illustrissimus dominus Vicegubernator ea, qua decuit reverentia recepit, legit, & mihi &c. dedit registrandas, prout & registratæ fuerunt, & manet tenoris infrascripti:* A tergo. *Valde Illustri, ac admodum Reverendo domino Vicegubernatori* Tiburtino. *Locus ✠ Sigilli impressi, & intus.*

Quoniam consideratum fuit ex Introductione Artis Lanæ hanc in Civitatem nullum oriri posse damnum Reverendæ Cameræ, ut etiam à dominatione vestra confirmatur, poterit vigore hujus necessariam tribuere permissionem ANTONIO MARIÆ & BERNARDINO BIGONO mercatoribus, juxta formam Capitulorum cum Communitate decretam; quoniam hoc publico cum beneficio successurum putatur; dominationique vestræ omnia bona precor: Affectuosissimus vester F. CARDINALIS CHISIUS; Tiburis *nunc V. gubernator. Et cum in vanum videatur,*
30 *quod gratiosè ex Principis benignitate conceditur, nisi executioni curetur demandari; Idcircò cum suus, Fratrisque finis sit libere uti concessis, ne frustratoria videatur gratia obtenta, petiit, & enixè institit à Dominatione sua Illustrissima ex vi communicatorum facultatuum super confirmatione, & validitate alias*

A *petitorum privilegiorum à Communitate in Consilio, habito vigesima quarta Martii proximè præteriti, & in congregatione coadunata dominorum Deputatorum in dicto Consilio septima Aprilis firmatorum, & postmodum relatorum, & approbatorum in alio Consilio decimatertia ejusdem: & quorum tenor talis est.*

In favorem Dominorum BERNARDINI, ANTONIIQUE BIGONI Introductorum ARTIS LANÆ in Civitate Tiburtina.

Quoniam Ars Lanæ magnam adfert utilitatem Communitati ubi introducitur, propter Populi introducendi copiam, non tantùm ad servitium talis Artis, sed etiam Publico, propter ejusdem Artis indigentiam, & pau-
B *peribus præsertim propter continuum Laborem: Propterea Introductoribus supradictis annuendo, declaratur, eos infra scriptis privilegiis & exemptionibus frui debere durante dicta Arte; & quoniam non sine maximis expensis, laboribus, incommodisque Introductorum, ipsamet introductio fieri queat; Inprimis cum supradictis Dominis Introductoribus ædificia, Fullonum præla, aliæque preparationes huic Arti inservientes construendæ sint; per speciale privilegium eis conceditur (uti petunt) quod nullus alius tàm hujùs civitatis, quam advena, cujuscumque status, gradus, & conditionis, sub titulo etiam Communitatis, nec* 31
ullo alio modo possint, nec facere debeant aliud Ful-
C *lonum prælum, nec aliquid aliud, ut supra, per futurum centum annorum spatium; Prælum verò illud, quod hodie per opus Fratrum de* Rubeis Susannæ *laborat, & existit in platea* Lupa *vocata ac conterminum molæ olei Monachorum* Subiaci *Sanctæ Scholasticæ, ut & alteri olei molæ* Hervesii *de* Rubeis Susannæ, *magis quam nunc est tàm instrumentis quàm muris augeri nolumus, nec aliud in eo elaboraretur, quàm panniculi, qui de præsenti topho elaborantur, sub pœna scutatorum quinquaginta, quorum dimidium applicandum erit festivitati Immaculatæ Conceptionis, reliquum verò Communitati, subitæ insuper demolitionis confecti ædificii: omnes præterea*
D *mercatores, ac laboratores villosorum pannorum aliarumque rerum ad Artem spectantium, teneantur suos pannos ad dictum Introductorum prælum mittere, & non alibi, pretio apud alios mercatores consueto, sub pœna illos perdendi, & alia, quæ ad aliud missi sint prælum; quorum tertia pars Communitati, tertia Introductoribus, ultimaque Accusatori tribuetur.*

Item; quod nulli (ut suprà) concessum sit tingere, sed pannos, panniculos, telas laneas, semilaneas & similia adferri debeant ad officinas Tinctorias ab Introductoribus supradictis, vel eorum ministris construendas, Civibus exceptis ad proprium, familiarumque
E *suarum usum, dummodo panni mercatorio modo elaborati non sint, eosdem pannos Introductoribus indicare cives minimè desinant sub pœnis, ut supra.*

Item, quod circa larida ad saponem pro usu Prælorum ad novum obolorum per libram carnium vectigal, conveniendum erit, nullumque tributum solvendum ingressu eorum in Tiburtinam *Civitatem, libera pariter erit cujuslibet olei copiæ introductio ad usum dictorum Prælorum absque tributi alicujus solutione, cum facultate insuper emendi in Civitate quantitatem illam usui Artis necessariam, superiorum tamen facultate præmissa.* 32

F *Item, quod Introductores, quilibetque alius mercator, & negotiator, qui quolibet tempore elaborabit, aut elaborari curabit, res ad dictam Artem pertinentes, possint minutim, in copia vendere (eorum lubitu) laboratoribus, ac manufactoribus eorum Laborum ac mercedum causa, grana, aliaque Legumina, eadem emendo ubi & quo modo velint, vinum, ac tali de causa poterunt introducere ducenta dolia extranei vini, facultate insuper emendi in Civitate quod illis opus erit: Caseum quoque, modo eo Civibus*

bus concessio, juxta Capita Vectigalis popinarum absque ullo obstaculo, impedimento, vel contradictione, illudque poterunt etiam in Urbem & extra inferre, absque eò quod pro tali introitu & exitu, censum ullum aut telonium solvere teneantur.

Item, quod pro emptione lanarum, aliarumque mercium ad Artem Tinctoriam spectantium, Introductores, alique dictæ Artis, teneantur eas statera
33 *magna quatuor pro centum more* Romano *ponderare, absque eo quod cogi possint solvere duos per centum dicto* Romano *more; nec minùs tertiam duorum per centum, ut Ars Lanæ* Romæ *solvit, sed integri quatuor illi per centum sint, ac esse debeant ad emptorum dictæ Artis beneficium* Tibure *commorantium. Utque Introductores dicto negotio facilius incumbere possint, immunes erunt à militaribus vigiliis, aliisque functionibus similibus. Per dominationem vestram illustrissimam illorum executionem permitti, illaque exequi, servari, ac executioni demandari, & ad omnem bonum & meliorem finem, & effectum firmari, & confirmari pro Communitatis & instantium beneficio, & ita &c. & non tantùm illo &c. Sed & alias &c. & omni &c.*

Qui Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Vicegubernator visis, & auditis prædictis, & ut supra gestis, factis, & à Communitate permissis, atque concessis, in vim, & executionem facultatum prædicti Eminentissimi Domini CARDINALIS CHISII, ipsi illustrissimo Domino Vicegubernatori communicatarum, & concessarum; prædicta Capitula una cum toto illorum tenore, prout se habent, vice, & nomine dicti Eminentissimi D. CARDINALIS CHISII approbavit, confirmavit, illisque robur, & firmitatem dedit, illaque exequi, & perpetuo servari mandavit, atque decrevit, & quatenus opus sit, pro majore illorum robore, & firmitate, ac perpetua validitate, eodem nomine decretum necessarium, & opportunum interposuit, non tantummodo modo, & forma præmissis, sed & alias &c: & omni &c. L. TROTTUS VICE GUBERNATOR.

34 *Ego* Sebastianus Meliorius Tiburtinus, *publicus Apostolica Auctoritate, ac ad præsens Cancellariæ Communitatis Illustrisimæ* Tiburis *Notarius: quia prædicta apparent in actis Cancellariæ prædictæ & de illis vocatus exstiti, extraxi, publicavi, & solito signo signavi requisitus. In fidem hac die XV. Aprilis MDCLXI.*

Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, præmissa pro firmiori illorum subsistentia, & observatione, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desiderent, Nos specialiter ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes supplicationibus eorum nomine super hoc humiliter porrectis, inclinati, Capitula præinserta sicut præmittitur confirmata, & approbata: auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint, in iisdem supplemus. Decernentes, easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & de-
35 *finiri debere; at irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apo-*

A *stolicis, nec non quatenus opus sit, dictæ Civitatis* Tiburtinæ, *& aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illarum tenore præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.*

Datum Romæ *apud S.* Mariam *Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Maii MDCLXI.*

B *Pontificatus nostri Anno Septimo.* S. Ugolinus

Loco ✠ *Annuli Piscatoris*

Nunc Amice Lector specimine quodam Patriæ meæ rerum proposito, poteris (si tibi gratum est) lectionem Historiæ ejusdem ab origine legere Libro sequenti.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS.

C CIvitas (hodie *Tibur* vocata) primò habitata fuit ab *Hispanis*, qui à *Lycori* Fluvio, vel a *Sicano* dicti fuêre *Sicani*, ut colligitur ex *Sextio Græco* Historico [1], & [2] *Solino*.

Primi Tiburis habitatores ante Tiburtum, qui & quomodo vocati.

Secundùm verò *Dionysii* [3] sententiam primi incolæ totius regionis quæ ad *Romanos* spectavit (nostræque præsertim) fuerunt *Barbari Siculi*, à quibus nomen accepisse putatur Oppidum *Siciliæ*, juxta *Solinum*: & ejus pars *Siculetum*, ut ex verbis patet *Dionysii*, qui loquens de *Aboriginibus* sic ait: *præter alias Civitates condiderunt (quæ restant nunc quoque)* Antemnates, Tellentes, Ficu- 38
D lentes *propè montes* Corniculos, *ac* Tiburtinos, *apud quos hodieque* Siculetum *pars urbis dicitur.*

Verùm ego Literatorum elegantiorum disceptandum relinquo ingeniis, hujus Civitatis antiquissimos habitatores, cum hæc quidem nullum veræ historiæ fundamentum contineant, subjungente Dionysio: *Urbem terræ marisque totius, quam nunc* Romani *habitant, primi in omni memoria tenuisse dicuntur* Barbari Siculi, *gens indigena; superiore verò tempore aliosne Colonos habuerit, an inculta fuerit, nemo potest certò dicere.*

Nec ego hic varias congregare opiniones cogito; sed tantùm adferre eas, quas fortiores judicavi, mihi persuadens, civibus meis hæc satis fore ad originis nobilitatem, majorumque
E suorum egregia acta comprobanda, illosque ad imitationem eorundem excitandos; nec illis mirandum videri debet, hanc Urbem aliquàntum ab antiquo decore declinatam intueri, hic enim longævæ ætatis, humanarumque vicissitudinum effectus est; imò mirandum, post mille annorum cursum, post tot bella, post tot varios, extraordinariosque casus, adhuc eam absque situs mutatione existere, quòd plurimis Urbibus haud quaquàm contigisse videmus, licet & ipsis in terrarum Orbe celeberrimis, quarum nec minimæ quidem hodiè apparent reliquiæ.

F *Siculis* igitur felicissima fruentibus pace, evenit, ut *OEnotrus*, Filius *Lycaonis* Regis *Arcadiæ*, non contentus Regni parte quod inter vigintiduos fratres dividendum erat, unâ cum magna *Arcadum* turba, aliis comitantibus *Græcis*, *Pelo-* 39
pon-

---

1. Lib. VI. *Antiq.*
2. Cap. VIII. & II.
3. Lib. I. *Antiq. Rom.* in princ.

ponneſum deſerere, & alibi propitiam màgis fortunam quærere decreverit: Quapropter Mare *Jonio* transfretato, diverſimodè Orbe peragrato, in Occidentali *Italiæ* plaga conſedêre, ut enim ait *Dionyſius* [1] *Arcades primi Græcorum habitaverunt* Italiam *trans ſinum* Jonicum, *deducti ab* Oenotro, Lycaonis *Filio*; qui, ſicut *Locis Montanis* delectabantur, *Aborigines* vocati fuêre, ut ipſemet *Halicarnaſſeus* docet [2] *Oenotrios dictos à Græcis Aborigines à Montanis ſedibus: Arcadicum enim eſt, habitatione montium delectari.*

Aborigines quare vocati.

Bellum inferunt *Siculis*.

Hi ergo debellatis *Umbris*, crudele, & aſperum bellum *Siculis* noſtris intulêre, qui tamen longo tempore viriliter eis reſtiterunt. *Aborigines* verò, auxilio quorundam *Pelasgorum* (qui recenter ex *Theſſalia* venerant) fortiores redditi, acriùs inſtiterunt; qua de cauſa *Siculi* perterriti de tota patria *Aboriginibus* cedenda deliberârunt, ſic Dionyſius: [3] *At* Siculi Pelasgis *ſimul &* Aboriginibus *bello impares; liberis, & conjugibus cum auro & argento ſublatis, totam Regionem ſuam eis ceſſerunt.* Siculi autem in Inſulam *Sicaniam* confugientes à ſuo nomine *Siciliam* vocarunt, quod tertia ætate ante bellum *Trojanum* evenit, ut ipſe Hiſtoricus ait. *Mutato nomine, Inſula vocari cœpit* Sicilia, *atque* Siculum *genus reliquit* Italiam *ante bellum Trojanum ætate tertia.*

Siculi relinquunt totam patriam noſtram *Aboriginibus*, & ſe conferunt in *Sicaniam* ab eis vocatam *Siciliam*.

Originem traxerunt ii *Siculi* è *Liguria*, ſic à *Siculo* earum Duce nuncupati, qui ante *Græcos* in
40 *Italia* regnavit, ac poſteà, ut ſuperiùs dictum fuit, ſe tranſtulerunt in *Siciliam*, ut ex dicto *Dionyſio* [4] colligitur, ac ex aliis Auctoribus, à ſublimi calamo Jo. *Bernardi Veneroſi*, Patritii *Genuenſis*, in ſuo *Ligure expergefacto* citatis.

Aborigines ergo unà cum *Pelasgis*, (qui ſimul vixerunt, ut ait *Dionyſius*, [5] domini evaſerunt totius regionis illius à *Siculis* deſertæ, & hujus noſtræ præſertim, hodierno diè *Tibur* vocatæ, quæ ab ipſis *Græco* ſuo idiomate *Polyſtephanon* appellata fuit ſecundùm *Abrahamum Ortelium* in ſuo *Geographico Theſauro*, quod *Italis* per ſimplex *i* ſcriptum vernacula noſtra lingua *Coronam Civitatum* ſignificat, *multitudinem* verò *Coronarum*, *per y* ſcriptum denotat.

Cum autem in *Græcia Etheocles*, & *Polynices* fratres in *Thebarum* Regno patri ſucceſſiſſent, ad evitandas mutuas lites, decreverunt, ut quilibet eorum per annum alternatim regnaret; *Etheocles* uti major natu, regalibus vicibus initium dedit: quo in gradu conſtitutus, omnibus legibus ſuperior eſſe voluit.

Oſtendit itaque *Etheocles* Fratri ſe nullum æqualem ſibi habere velle: *illumque eſſe dominum, qui màgis formidatur*, quique poteſtatem habet illa deiciendi in terram capita, quæ nutibus ſuis parata ſeſe haud proſternunt, multò tamen màgis ea, quæ ſibi reſiſtere vel per ſomnium cogitarent.

Ad hæc fulgura *Polynices*, conſilium fugæ arripuit, atque timoris alis velox *Argum* ſe contulit, ubi *Adraſtus* Rex non tantùm ejus eſt miſertus, ſed etiam ad regales cum *Argiva* filia ſua nuptias eundem erexit.

41 *Adraſtus* intereà *Tydeum* alterius filiæ maritum, ut *Polynicis* vices in Regno peteret, ad *Etheoclem* miſit; *Tydeus* dirum ab *Etheocle* datum reſponſum Regi *Adraſto* retulit; Rex juſta accenſus ira, contra *Etheoclem* bellum ſuſcepit, ac cum Principibus *Capaneo*, *Hippomedonte*, ac *Parthenopeo* fœdus iniit.

1. Lib. I. *Antiquit. Rom.*
2. Lib. II.
3. Lib. II.
4. Lib. I.
5. Lib. I.

A Noluerunt hi bello huic ſe committere absque *Amphiarao* Regis *Adraſti* cognato, magnæ æſtimationis, ac peritiæ Duce, qui cùm ſe *Thebis* periturum prævidiſſet, ne bello huic intereſſet, tàm cautè ſe abſconderat, ut inveniri vix potuerit. *Argiva* (cui præ aliis res cordi erat) ad auri ſe convertit potentiam, *Eriphilæque*, *Amphiarai* uxori, magnam auream catenam dono dedit, ita per uxorem è latebris extractus maritus *Amphiaraus* unà cum aliis ad Bellum *Thebaicum* proficiſci coactus fuit.

Scribit *Plutarchus*, [6] intereà dum Duces illi qui *Polynicem* comitati ſunt in caſtris epularentur,
B Aquilam telum *Amphiarai* rapuiſſe, deindeque illud ex alto remiſiſſe, & in terram fixum, in Laurum mutatum fuiſſe eo loco, ubi poſt triduum *Amphiaraus* ex curru pugnans à terra (prodigioſè aperta) una cum curru abſorptus fuiſſe dicitur, in cujus memoriam Civitatem, vel Oppidum ibi ædificatum, *Harma*, ideſt Currus, vocatum fuiſſe: *Plutarchi* verba hæc ſunt: *Quùm duces, qui* Polynicem *ſecuti fuerant, convivium agerent, quædam Aquila deſcendens, telum* Amphiarai *in ſublime tulit, moxque dimiſit, id autem humi fixum in laurum verſum eſt, quo in loco cum poſtridiè dimicarent,* *Amphiaraus una cum curru abſorptus eſt, ibique*
C *oppidum hac etiam ætate vocatur* Harma, *id eſt* Currus.

Mors prodigioſa *Amphiarai*, *Tiburti* Avi.

42

In hoc quoque bello *Etheocles* & *Polynices*, ſe invicem occidentes, periêre, mortemque (excepto *Adraſto*) omnes alii confœderati Principes invenerunt.

Paulò pòſt innovatum fuit bellum, cujus ſupremum Imperium, conſilio *Apollinis*, *Alcmæoni Amphiarai* Filio, atque *Catilli* Majoris fratri datum fuit, qui tàm audacitèr exercitum *Argivorum* contra Filium *Etheoclis* duxit, ut eum debellaverit, & *Thebas* ingreſſus, urbem depopulatus fuerit, ac prorſus deſtruxerit; divitibusque
D dein ſpoliis oneratus triumphans *Argum* rediit, ubi ejusdem oraculi hortatu, matrem *Eriphylem* interemit, eo quod Patrem *Amphiaraum* prodidiſſet: verum mente captus, reliquum vitæ miſerrimè tranſegit, juxta *Statium* Poëtam, & *Diodorum Siculum*, apud quem hoc in quinto Fabulo ſarum ſuarum Hiſtoriarum libro legitur.

Alcmæon, *Tiburti* Avunculus poſt victoriam *Thebanam* occidit matrem & demens fit.

Oecleus igitur videns *Amphiaraum* Filium à terra abſorptum, nurum occiſam, nepotem inſanum, totamque domum Diris velut devotam, ſolemnibus ſacrificiis Diis conſecravit *Catillum* Nepotem, alterum *Amphiarai* filium, totamque ejus prolem, atque ita ſolemnibus peractis votis eos Pa-
E triam (jam illis infauſtam) deſerere coëgit.

Catillus Pater *Tiburti* ex mandato *Avi Oeclei Argo* diſcedit.

Antiqui *Græci* ſimilibus infortuniis filios ſuos ex patria mittere conſueverant, qui, utpotè ſacrati, tutelæque Deorum commendati, vocabantur *Juventus Sacra*, ut dicit *Dionyſius*: *Egreſſa eſt quædam Sacra Juventus ad quærendum victum à ſuis emiſſa Parentibus more antiquo*; vocabantur pariter, *Devoti Vere ſacro*, quia Veris tempore ex ædibus ſuis ſolemniter emittebantur, juxtà *Cælium Rodiginum* in ſuis *Antiquis Lectionibus*.

Juventus ſacra, quare ſic dicta.

43

Hiſce igitur cœremoniis, conſecrationibusque Avi *Oeclei*, Patriam deſeruit cum ſuis *Catillus*, ſecundùm *Sextium Græcum* [7], *Solinum*que, [8] ſcri-
F bentes ita:

Catillus *enim* Amphiarai *filius, poſt prodigialem Patris apud* Thebas *interitum,* Oeclei *avi juſſu, cum omni fœtu, vel ſacro miſſus*; propter dictas igitur rationes illud *vel*, legi potiùs deberet *vere ſacro*. Ami-

6. In *Opuſ. Parall.* II.
7. Lib. VI. *Antiq.*
8. Cap. VIII.

A Amicitiam & fœdus iniit *Catillus* cum *Evandro Mercurii* Filio, qui propter seditiones quasdam, relicto *Pallantio*, versus regiones nostras proficiscebatur; ejus Classis Dux fuit *Catillus*, uti ex testimonio *Catonis* subjungit *Solinus*, [1] *Tibur, sicut Cato facit testimonium, à Catillo Arcade præfecto Classis Evandri &c.*

Sexaginta annis antè *Trojanum* bellum pervenerunt isti in *Italiam*: sic *Dionisius*: *Non multo post alia Classis* Græcorum *in eam* Italiæ *partem appulit, sexaginta fermè annis antè bellum* Trojanum, *profecta à* Pallantio, *Urbe* Arcadica, *eam Coloniam deduxit* Evander Mercurii *filius*.

B *Faunus*, *Aboriginum* Rex, temporibus illis regnabat, qui humaniter hos novos recepit *Græcos*, facultate eis præbita eligendi (ubi maximè placuisset) sibi ipsis habitacula, ut ait *Halicarnasseus* [2]; *Apud Aborigines regnum à Majoribus acceptum tenebat* Faunus (*à* Marte, *ut ferunt*, *oriundus*) *vir fortis & prudens*, *is paucos illos* Arcades *comiter exceptos donavit agris, ipsorum arbitrio.*

44 — 1. d. lib. 1.

Evander elegit sibi collem non procul à *Tiberi*, quem ex Patriæ nomine, *Palatinum* nuncupavit, qui deinde inter septem *Romanos* Colles numeratus est; *Catillus* autem sexdecim milliaribus ab *Evandro*, hoc in loco, hodie *Tibur* dicto, moratus est, eumque adeò amplificavit, ut plurimi indè *Civitatem Catilli* nuncupaverint, sic *Horatius* Od. 18. primi libri:

Mons *Palatinus Romæ*.

Catillus sibi Civitatem hodie *Tibur*, elegit.

Nullam, Vare, *sacra vite prius severis Arborem,*
Circa mite solum Tiburis, *& Moenia* Catilli.

& *Silius Italicus* lib. 8.

Hinc Tibur, Catille, *tuum.*

Tres filios habuit *Catillus*, *Tiburtum*, *Catillum*, & *Coracem*; qui cum in hac Civitate socios pati non possent, paucos illos *Sicanos* aut *Siculos* (infaustas præteritorum bellorum reliquias) persequi incepêre, qui forsan *Aboriginum* pietate ibi remanserant, expuleruntque illos ab antiqua sua habitatione á *Solino* dicta *Oppidum Siciliæ*, parte (ut aiunt) nunc hujus Civitatis, qui locus hodie *Castrum Vetus* nuncupatur.

Tiburtus, *Corax* & *Catillus* *Catilli Filii*.

Tibur nomen à *Tiburto* accepit.

Cum verò hi tres fratres prorsus Civitatis Domini remansissent, à nomine *Tiburti*, majore natu, *Tibur* ipsam vocarunt; sicuti *Sestius Græcus*, & *Solinus* [2] testantur.

45 — 2. lib. 6. Antiq.

Catillus *enim* Amphiarai *filius post prodigialem Patris apud* Thebas *interitum*, OEclei *Avi jussu*, *cum omni fœtu*, * vel *sacro missus*, *tres liberos in* Italia *procreavit*, Tiburtum, Coram, *&* Catillum, *qui depulsis ex oppido* Siciliæ *veteribus* Sicanis, *à nomine* Tiburti *fratris*, *natu maximi*, *Urbem vocarunt.*

Idem asserit *Virgilius* lib. VIII. *Æneid.*

Tum gemini fratres Tiburtia *mænia linquunt*
Fratris Tiburti *dictam cognomine Gentem*
Catillus*que*, *acerque* Corax, Argiva *Juventus.*

Testatur *Plinius* ætate sua in *Tiburtina Terra* tres extitisse Ilices, ubi *Tiburtus* se Principem *Tiburis* constituens, eique nomen tribuere cupiens, secundum antiquorum morem auguria cepit. Tiburtes *quoque*, ait ille, *multò antè Urbem* Romam *originem habent*, *apud eos extant ilices tres*, *etiam* Tiburto *eorum Conditore vetustiores*, *apud quos inauguratus traditur.*

Tibur à *Tiburto* nomen accepit, sexaginta annis ante bellum *Trojanum*, & quingentis circiter antequam à *Romulo* & *Remo Roma* conderetur; quod fuit quadringentis cum triginta duobus annis post captam *Trojam*, ut ex solidioribus sententiis concludit *Halicarnasseus* [3].

3. lib. 1. Antiq.

Post Ilium *captum* CCCCXXXII. *ann.* Albani Romuli, *&* Remi *ductu Coloniam miserunt* Romam *anno primo septimæ* Olympiadis.

A quo non abest *Eusebius* [4] dicens, à capta *Troja* usque ad primam Olympiadem quadringentos vel ad summum quadringentos & sex esse annos, quibus aliis triginta duo primæ Olympiadis additis usque ad primum septimæ, impletur supradictum spatium quadrigentorum triginta & unius, vel ad summum quadringentorum triginta septem annorum, qui elapsi fuerunt ab interitu *Trojæ* usque ad fundationem *Romæ*, quibus, si addere volumus sexaginta annos ante bellum *Trojæ*, quo tempore hanc in terram appulit *Catillus*, concludendum erit, *Tiburtum Tiburis* Dominum vixisse quadringentis nonaginta cum duobus annis, antequam *Romulus Romæ* dominaretur, milleque ducentis quadraginta tribus, antè adventum *Christi* Domini; ita ut usque ad Salutis nostræ annum millesimum sexcentesimum sexagesimum unum, anni duo mille octingenti & nonaginta quatuor numerentur.

4. in Chron. 1.

46 — Dominatio *Tiburis* ante *Romanam* ann. 1292. & ante nativitatem *Christi* 1243.

Tiburti reliquos Fratres singulos Civitatem ædificasse, testimoniumque rei ejus esse volunt Civitatem *Coræ*, inter *Volscos* non procul ab Urbe *Velletri*, à *Corace* ædificatam, & Montem *Catillum* propè *Tibur* aliàs *Montem Carellum* dictum, ita vult *Servius* super hos *Virgilii* versus VII. Æneid.

Cora fundata à *Corace Tiburti* fratre.

Tum gemini fratres Tiburtia *nomina linquunt.*

C *De Græcia tres fratres venerunt in Italiam*, Catillus, Coras, *&* Tiburtus. *Hi simul omnes unam fecerunt Civitatem & eam de fratris majoris nomine appellarunt* Tibur, *licet & alias fecerint singuli.* Catillus, *undè mons* Catilli, *quem* Carelli *dicunt per corruptionem: &* Coras, *cujus nomine est Civitas in* Italia.

Antonius Mancinellus ad octavam *Horatii* Od. lib. primo, de *Tiburto*, ejusque Fratribus loquens, sic commentatur, *Non desunt qui dicant singulos Oppidum condidisse, Testis est mons, qui adhuc* Catillus, *&* Cora *Oppidum inter* Volscos. 47

Hercules intereà fortissimus *Argivorum* Heros, ad nostra appulit littora, cujus nomen, virtusque miro consensu ab universis celebrata exstat propter domita monstra, prostratos Gigantes, debellatos hostes, ejectos Tyrannos, Potentium arrogantiam coërcitam, terminos exundantibus fluminibus impositos, eradicatas inter populos discordias, stabilitam pacem, ac ubique data singularia beneficia, & præsertim propter Regionem (hodie *Romanorum*) à barbara illius celebris *Caci* tyrannide vindicatam; Quapropter heros iste cum gaudio, & lætitia insigni ab omnibus habitantibus *Palatinum* Montem acceptus, ac veneratus fuit.

Adventus *Herculis* in *Italiam*.

E *Evander* autem, ut audivit hunc esse *Herculem* illum, quem ex *Carmenta* Matre per raram suam virtutem immortalem evasurum perceperat, ipsum divinis honoribus dignum judicavit, omniumque primus, juvencum indomitum illi sacrificavit: *Dionysius* hoc narrat his verbis:

Evander *verò*, *quoniam antè audiverat à matre* Carmenta, *esse in Fatis*, *ut natus* Jove, *&* Alcmena Hercules, *immortalis ex mortali virtutis ergo fieret*, *mox ubi hunc ipsum esse didicit*, *occupare volens eam gratiam primus omnium divinis dignatus est honoribus*, *extructaque ara ex temporali*, *præ nimio studio mactavit ei juvencum indomitum.*

Primum ab *Evandro* adoratus.

F Cujus exempli æmulatione moti omnes alii populi idem efficere studuerunt, huic Heroi Templa, ac Altaria erigentes, ut subjungit idem *Dionysius*: *Passim per* Italiam *Templa huic Deo dicata sunt*, *Aræque oppidatim*, *& per vias.* 48

Et quia *Hercules* longiori apud cives suos mora ibidem usus creditur, eisdem beneficiorum suorum impressam relinquens memoriam, mirum haudquaquam est, si à Fundatoribus *Tiburtinis* gratitudine peculiari, atque divina veneratione celebratus fuerit; Civitas enim ejus nomini sacra fuit, ideòque *Herculea* dicta, ut ferunt *Strabo*, *Suetonius*, nec

M. Martius. B non

non *Martialis*, aliique Poëtæ, tùm antiqui tùm hodierni: in honorem etiam *Herculis Victoris* in eâdem erectum est Templum, magnificentia, cultu solemni, tempore cæcæ illius Gentilitatis celeberrimum Orbe universo, ut eruditissimus *Josephus Martius* adnotavit, loquens de immortalibus meritis *Vincentii Justiniani*, tunc *Tiburis* Gubernatoris, *Marchæ* postea Vicelegati, indeque *Gravinæ* Episcopi, Oratione in laudem ipsius, huic suæ Patriæ edita anno MDXC. sequentibus verbis: *Opinamur verè* Herculem *illum, cum in* Latium *demum pervenisset*, Cacum*que suorum abactorem boum trucidasset*, Tibur *quoque apud* Græcos *suos invisendos se contulisse, ubi cum multa in eos beneficentissimè præstitisset, honoribus amplissimis honestandum, memoriam viri immortalem reddendam, atque commendandam esse decreverunt. Quid multa? præ pietate, ac veneratione, quam in illum conceperant, ut beneficiorum essent memores, eum summa religione colere instituerunt, templum, cujus etiam*
49 *in hodiernam diem monumenta perdurant, magnificentissimè estruxerunt, ita ut* Herculis Tiburtis *fama in nationes emanaverit.*

Templum hoc mirandum verè erat propter sumptuosam ædificii structuram, Marmoribus exquisitissimis ornatum, ut Juvenalis, per hyperbolem, Villam *Centronii* laudans, sic in Satyra XIV. innuit.

> *Ædificator erat* Centronius, *& modo curvo*
> *Litore* Cajetæ, *summa nunc* Tiburis *arce*,
> *Nunc* Prænestinis *in montibus alta parabat*
> *Culmina Villarum;* Græcis *longèque petitis*
> *Marmoribus vincens Fortunæ*, *atque* Herculis *ædem.*

Pulchrum illud majestuosumque reddebant amplæ, longæque Porticus densis columnis sustentatæ, ubi magnus *Monarcha Augustus* non dedignatus est persæpè populis suis jus administrare, ut in illius vita scripsit *Suetonius:* Tibur *etiam, ubi in Porticibus* Herculis *Templi persæpè jus dixit;* quæ Porticus, ut antiquæ earum ruinæ nobis indicant, jungebantur mirando olim *Mæcenatis* Palatio. Ibi magna cura publicum servabatur ærarium copiosis Thesauris locuples, juxtà *Appiani* [1] sententiam, unà cum celebri Bibliotheca *Tiburtina*, de qua mentionem facit [2] *Gellius*, tunc quando *Tibure* nolente ipso à potu aquæ nivis abstinere, doctissimus quidam ejus amicus coactus fuit *Aristotelis* textu è Bibliotheca *Tiburtina* desumpto, ipsi ostendere, quam nocuum esset tali
50 potu uti, quod à *Gellio* his verbis expressum fuit [3]: *In* Tiburte *rus concesseramus hominis amici divitis, æstate anni fragrantissima, Ego, & quidam alii æquales, & familiares mei, Eloquentiæ, & Philosophiæ sectatores; erat nobiscum vir bonus, &* Peripatetica *disciplina benè doctus, &* Aristotelis *unicè studiosissimus. Is nos aquam multam ex diluta nive bibentes coërcebat, severiùsque increpabat. Adhibebat nobis auctoritates nobilium medicorum, & cum primis* Aristotelis *Philosophi, rei omnis humanæ peritissimi, qui aquam nivalem frugibus sanè, & arboribus fœcundam diceret, sed hominibus potu nimio insalubrem esse: Talemque & morbos sensim, atque in diem longam, visceribus inseminare. Hæc quidem ille ad nos prudenter, & benevolè, & assiduè dictitabat. Sed cum bibendæ nimis pausa fieret nulla, promit è Bibliotheca* Tiburti, *quæ tunc in* Herculis *templo satis commodè instructa libris erat,* Aristotelis *librum, eumque ad nos adfert, & hujus saltem, inquit, viri sapientissimi verbis credite, ac desinite valetudinem vestram profligare; in eo libro scriptum fuit, deterrimam esse potui aquam è nive. Causa ibi adscripta est hujusmodi. Quoniam cum aqua frigore aëris duratur, & coit, necessum est fieri vaporationem, & quandam quasi auram tenuissimam exprimi in ea, & emanare: id autem, inquit, in ea levissimum est, quod evaporatur: manet autem quod est graviùs, & sordidiùs, & insalubriùs, atque id pulsu aëris verberatum in modum, coloremque spumæ candidæ oritur. Sed aliquantum quod est salubriùs difflari, atque evaporari ex nive, indicium illud est, quod minor fit illa, quæ ante fuerat, quam concresceret.*

1. *Tiburtinus* Thesaurus in *Herculis* Templo.
2. lib. 5. bell. civil.
3. *Attic. Noct.* lib. 19. cap. 5.

Aqua nivis segetibus utilis ac plantis, nocua verò homini.

Bibliotheca *Tiburtina* in *Herculis* Templo.

Hoc ubi legimus, placuit honorem doctissimo viro habere Aristoteli, *atque ita postèa ego bellum, & odium nivi indixi, alii inducias cum ea variè factitabant,* 51

Propter majestatem suam vocabatur hoc *Templum Maximum*, ejusque Ministri maximæ erant æstimationis, illi præsertim celsioris ordinis Sacerdotes vocabantur *Herculani Augustales*, de quibus *Tibure* variæ leguntur inscriptiones, quarum aliquas hoc in loco ponere lubuit:

Sacerdotes *Herculani Augustales.*

CALVINÆ
M. SILLANI. FIL.
DELICIO
IVNIÆ S. P. F.
TYRANNIDI
VXORI OPTVMÆ
C. ALBIVS LIVILLÆ L.
TIMECLVS
HER
AVGVST.

in Cathedrali veteri *Tiburis.*

P. MVMMIO P. F. CAL. SS.
SENNA. . . . RVTILIANO
COS. AVGVRI PROCOS.
PROVINC. ASIÆ LEGATO AVG.
P. R. MOESIÆ SVPERIORIS
PRÆF. ALIMENT. PER AEMILIAM
VICTRIC. AER SATVRNI LEG. VI
VICTRIC. PRÆTORI TRIB. PL. QVÆST.
TRIB. LEG. MACED. X. VIRO.
STILITIB. IVDIC. PATRONO MVNICIPII
CVR. FANI H. [4] V. SALIO
HERCVLANII AVGVSTALES.
L. D. S. C.

In domo Doctoris *Sicini Sebastiani.*

4. id est *Herculis Victoris.*

C. SEXTILIVS
VV. [5] TIBVRTIVM
LIB. EPHEBVS
HERCVLANIVS
AVGVSTALIS
. . . . . CVR. . . . . .
ÆD. VRB. IV. VIR.
HERC. AVG.
TIBVR. PATRONO
S. C.

52 in diruta Ecclesia sancti *Antonini.*

5. Id est Virginum Vestalium.

G. LAVINÆ RVFINÆ
. . . IVS F. HERACLIÆ
. . . . . AB ORDINE
II. . . . AVGVSTAL.

Affixum Domui è regione fontis *Trevii.*

SENATVS POPVLVSQVE
TIBVRS.

In base Colossi sinistri ad Epuiscopatum.

Discimus ex sequenti marmore similes dignitates venales fuisse, dum *Titus Claudius Salvianus*, gratis assumptus fuit ad ordinem *Herculanorum Augustalium*, ut sequitur.

TI. CLAVDIO
SALVIANO
HERCVLANO
AVG. GRATIS
CREATO
PVBLICARIO.

In Hortis S. *Mariæ de Angelis* P. P. *Somaschi.*

De Curatoribus verò *Templi Herculis*, votis eidem solutis sequentes pariter leguntur inscriptiones. 53

PRO SALVTE
AVGVSTÆ
. . . . IVS. L. F.
H. V. V. S. id est
Herculi Victori Votum Solvit.

in Ecclesia Abb. P. P. Monachorum *Olivetanorum.*

H. V. V. S.
C. IVLIVS C. F.
PAL. RVFVS
TRIB: MILITVM BIS
FANI CVRATOR
V. Q.
AB ÆRRARIO SATVRNI

In scalis Ecclesiæ *P. P. Capucinorum*

D. M.

D. M.
P. RVSTICELLIVS
SALTATOR
HER. VICT. M.

Propè Ecclesiam Sancti Andreæ.

C. ÆMILIO L. F. FAB:
ANTONIO EQVITI ROMANO
Q. Q. PATRONO MVNICIPII
OMNIBVS HONORIBVS
HONESTE PERFVNCTO
CVR. FANI HERC. VICT
PONTIFICI.

54 Et in sequenti lapide & base dexteri Colossi, vel statuæ *Egyptiacæ* in platea Cathedralis Ecclesiæ leguntur nomina (ut creditur) ministrorum Templi Herculis præcipuorum

Q. POMPEIO. Q. T. SENECION
ROSCIO MVRENÆ. COESIO SEX.
JVLIO FRONTINO-SILIO DECIANO
JVLIO EVRICII; HERCVLANEO. L.
LVTIO, VIBVLLIO. PIO. AVGVSTANO. ALPINO
BELLICO. SOLERTI. JVLIO APRO.
DVCENNIO. PROCVLO, RVTILIANO
RVFINO. SILIO. VALENTI. VALERIO
NIGRO C. L. RVSIO. SAXA. AMINTIANO.
SOLIO. PRISCO. PONTIFICI. SODALI
HADRIANALI, SODALI, ANTONIANI.
VERIANI. SALIO. COLLINO. QVÆSTORI
CANDIDATO. AVGG. LEGATO PR. PR. ASINÆ
PRÆTORI. SORTITO. PRÆFECTO. ALIMENTORVM.
XX. VIRO. MONETALI SEVIRO PRÆTOR.
FERIARVM LATINARVM. Q. Q. PATRONO,
MVNICIPI. SALIO. CVRATORI. FANI. H. V.
S. P. Q. T.

1. Italiæ Sacræ tom. 1. in Episcopi Tiburt.

Abbas Ughellius, de tota *Italia* optimè meritus, de prisca hujus Templi veneratione sic scribit [1]. *Tanta hoc Templum apud priscos Gentiles florebat religione, ut nullam umquam expeditionem, nisi illo adito, positisque votis, adornarent, ut de* Augusto, M. Antonio, *aliisque traditum est.*

55 Templum Herculis restauratum, Herculique Saxano dicatum.

Hoc deinde Templum unà cum penuario, & culina à fundamentis à *Servio Sulpitio Trophimo* restauratum fuit, & memoriæ *Herculis Saxani* ab eo dicatum ipsis Kalendis Decembris, Consulibus *Lucio Turpilio Dextro*, & *Mecio Rufo*, ut per antiquum Lapidem in Ecclesiæ Cathedralis platea existentem confirmatur, à *Francisco Scotto* in tertia Itinerarii parte sic relatum

HERCOLI SAXANO
SACRVM
SER. SVLPICIVS T. TROPHIMVS
ÆDEM ZOTHECAM CVLINAM.
PECVNIA SVA
A SOLO RESTITVIT
K. DECEMBRIS
L. TVRPILIO DEXTRO
M. MECIO RVFO COSS.
EVTICHIVS SER. PERAGENDVM
CVRAVIT.

Hercules quare Saxanus dictus.

Adeptus est *Hercules Saxani* nomen juxtà priscas fabulas, quando deficientibus ei armis in periculoso illo prælio contra *Albionem*, *Bergionem*que *Neptuni* filios, *Jovis* auxilium imploravit, qui illicò in favorem ejus saxorum pluviam misit, quibus formidabiles illos Gigantes superavit; dicunt. propterea inter Sydera illam Constellationem apparere *Herculis Engenasi*, hoc est, *Genuflexi*, secundum *Hygini* sententiam *de Syderibus*;

56 Agros verò, ubi hoc accidit, *Lapidarios* vocatos fuisse, qui à *Solino* in *Liguria* repositi fuêre, & à *Pomponio Mela* in *Gallia Narbonensi*, aut in

A *Provincia*, in littore idcircò *Lapideo* dicto, ut ipsemet refert, dicens: *Littus ignobile est*, *Lapideum*, *ut vocant*, *in quo* Herculem *contra* Albionem *&* Bergionem Neptuni *liberos dimicantem*, *cum tela defecissent*, *ab invocato* Jove *adjutum*, *imbre lapidum ferunt*.

Templum Herculis in honorem S. Laurentii Martyris sacratum.

Erectum erat *Herculeum Templum* eò quidem loco, ubi invictus *Laurentius* Martyr Archidiaconus, Sanctæ Elesiæ Thesaurarius à *Tiburtinis* tamquàm Tutelare Numen colitur, quod temporibus *Constantini Magni* ejus glorioso nomini dicatum, atque pro Cathedrali Templo declaratum fuit.

Structura antiqua Cathedralis Tiburis.

Templum hoc paulò longiùs eo, quo nunc conspicitur loco videbatur, divisumque erat tribus
B peristyliis, à densissimis sustentatum columnis ex *Tiburtino* marmore, *Jonioque* ordine elaboratis, quæ deinde muro munitæ ad parastatarum seu pilarum formam reductæ fuerunt.

Suggestus prisci Templi ipsemet erat (ut ejus antiqua structura nobis indicat) qui nunc quidem cernitur in novo. Ecclesiæ pavimentum purissimis variorumque colorum marmoribus contextum erat, industriosaque arte permixtum, Figuræque in eodem diversæ musivi operis, maximi æstimabantur.

Admirationis quoque non parvæ apparebat in Presbyterii medio Ciborium marmoreum, quod
C more prisco ad Pyramidalem formam pulchrè insculptum, quatuorque super columnas positum, Sanctissimo Tabernaculo speciosum formabat 57
Thronum, in cujus frontispicio magna Dei Mater musivè sculpta venerabatur, mediis Sanctis Martyribus *Alexandro* Papa, Levitaque *Laurentio*, potentissimis *Tiburtinæ* urbis Protectoribus.

Ante hoc majus Altare in pavimento, marmore insculpta effigies seù imago cernitur PETRI STAGLIÆ *Romani*, olim *Tiburensis* Episcopi, una cum gentilitiis suis, ac circùm eam hæc leguntur.

HIC REQVIESCIT CORPVS NOBILIS VIRI PETRI *STAGLIA* DE VRBE EPI-
D SCOPI TIBVRTINI, QVI OBIIT Anno DOMINI MCCCLXXXXVIII MENSE DECEMBRIS, CVJVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

In pariete verò lateris sinistri ad Chorum admirari licebat nobilissimum marmoreum tumulum, industriosè elaboratum, statuamque jacentem ANGELI LVPI TIBVRTINI, olim quoque Episcopi *Tiburtini* cum inscriptione sequenti:

Angelo Lupo *Ponti.* Tiburtino, *Juris Utriusq: Consultiss. sacrarum litterarum*, *&* *rituum peritiss. integritate*, *fide*, *&* *castimonia claro*, *veroque totius* Latii *Patri*, *cujus in primis indè* Reatinorum, 58
E Tiphernati, Asculan. Fanen. Pessusin. Picentium, *Cœterorumque Popul. quos mira justitia*, *magnanimitate*, *&* *abstinentia gubernavit*, *desiderio funerato. Fratres* Petrus Lupus. *Pont.* Soranus, Leonardus, *&* Prosper *benemerito*, *&* *pientissimo posuerunt. Vixit LXIII.*, *mensibus III*, *diebus octo. Obiit* Anno Salutis MCCCCLXXXV.

In sacello *Sancti* - *Marii* apparet hoc sepulchrum, quod in nostra restaurata Cathedrali Ecclesia splendidè ornari curavit *Marius Carolus Mancinus*, Patritius *Tiburtinus Romanæ Aulæ* familiaris, suo consilio hùc allatum, deficientibus tamen aliquot ejusdem priscis membris, negli-
F gentiæ causa amissis, è regione cujus, candido marmore, singularique elaborato scalpello, situm est integrum mortis simulacrum, sub cujus falce hoc sequens legitur Epitaphium.

D. O. M.
MARIO MANCINO EX LVPIS TYB.
I. V. D.
GENTILIVM
SVORVM EXIMIO IMITATORI EAQVE

ÆTATE
CLARO
QVIS ILLE FVERIT EX HOC OBTVTV VIDE
CVIVS FIDES, ET PRÆSTANTIA NON MINVS
A. SVMM. PONTIF. GREGORIO XIII AC
SIXTO V. QVAM
A PLERISQVE ITALIÆ PINCIPIBVS
JVRIS CONSVLTATIONE
VRBIVM, POPVLORVMQVE GVBERNIO
VARIO GRAVIORIQ.
MVNERE DIV COGNITA FVIT
MARIVS CAROLVS MANCINVS. A. I. V. D.
AVO M. D.
ANNO SAL. MDC. LIII.

Alius ſpecioſus erigebatur tumulus ad dexterum latus propè ſanctiſſimi *Salvatoris* Sacellum, ornatus ſtatua pariter jacente *Angeli Leonini*, olim Epiſcopi *Tiburtini*, deinde Archiepiſcopi . . . . in cujus Urna ſcriptum reperiebatur

60 [1] *Similes eſſent alii*, *quæ* Parthica *tela*
Religio metuit, *nunc metuenda foret.*

1 Leg. *Huic* vel *Si.* &c.

Inferius hæc erat inſcriptio:

Angelo *ex vetuſta Tiburtina* Leoninorum *Familia*, *Philoſophiæ*, *cæterarumque Artium liberalium ſcientia eruditiſſimo*, *gratiſſ. aſpectu*, *ſingulari facundia*, *innumeriſque Naturæ dotibus prædito. Summis Pontific.* Alex. VI. *qui eum ad* Tiburtinam *Eccleſiam promovit.* Julio II. *qui ad* Turritan. *tranſtulit.* Leoni X. *qui grandiorem etiam dignitatem conceſſurus affinitate honeſtavit*, *Cariſſ. eorum nomine ad diverſos Reges & Principes Chriſtianos Legatione magna omnium gratia*, *& admiratione fideliter prudenterque perfuncto.* Camillus *Epiſcopus* Tiburtinus *nepos*, *&* Vincentius *Pontificiæ cuſtodiæ Præfectus*, *frater*, *Patruo optimo faciend. curarunt. Anno ſalutis Chriſtianæ MDXVII.*

61 Mirificus hic Tumulus hodie (licet priſcis careat ornamentis) apparet in ſiniſtro lateralis Portæ novæ Eccleſiæ ambulacro per Abbatem *Andream Carolum*, & *Angelum* Fratres *Leoninos* transvectum, nè prorſus ſuorum majorum memoria oblivioni traderetur.

Epitaphium *Marci Antonii Crucii, Tyburtini* Epiſcopi.

Duabus in paraſtatis ab utraque parte viæ mediæ Eccleſiæ affixi duo ſtabant lapides, in quorum primo ſculptum legitur Epitaphium *Marci Antonii Crucii* Tiburtini, ſucceſſoris *Camilli Leonini* ejuſque conſobrini, ſequentibus verbis:

D. O. M.

Marco Antonio Crucio *Epiſcopo* Tiburtino, *ſingulari integritate & innocentia viro*, *qui cum* Leoni X. *&* Clementi VII. *Pont. Max. familiaris*, *& gratus exſtititiſſet*, *mortuus eſt tandem ſenio confectus in patria*, *& Eccleſia ſua*, *non ſine totius civitatis*, *& familiæ ſuæ lacrymis*, *& mærore*, *annum agens* LXXIV. Jo. And. Crucius *Epiſcopus* Tiburtinus *patruo*, *& prædeceſſ. benem. poſ. Anno MDLXXIV. Non. Aug.*

Epitaphium *Joannis Andreæ Crucii*, nepotis & ſucceſſoris.

62 In ſecundo lapide ſic legebatur *Joanni* Andreæ Crucio. *J. V. D. Epiſcopo* Tiburtino, *prudentiſſimo*, *patriæ gratiſſ:*, *& virtutum omnium genere ornatiſſ. qui cum* Tridentino *Concilio honorificè interfuerit*, *urbem veterem rectè adminiſtraverit*, *atque in patrimonii provincia Legati vices optimè peregerit*, *multiſque principibus familiaris & gratus ſemper extiterit*, *pluribus tandem exantlatis laboribus*, *in patriæ ſinu moriturus conſenuit. Obiit anno Domini MDXCV.* 4. *Non. Febr. vixit ann.* 66. *menſes V. dies XX.*

Fons Antiquus Baptiſmatis in priſca Cathedrali.

In fine autem ſiniſtri Lateralis Ambulacri inveniebatur Labrum marmoreum octangularis formæ pro fonte ſerviens baptiſmatis, in quo Catechumenos baptiſare conſueverant in ſolemnitatibus Paſchatis, & Pentecoſtes, juxta Canonem duodecimum S. *Silveſtri* Papæ in Synodo *Romana*.

A Per triplices graduum ordines ad hunc fontem patebat deſcenſus, quod antiquum indicabat ritum baptiſandi trina in aquæ immerſione, ut affert *Tertullianus* [1]. 63

1. In Lib. de corona militis.

In medio hujus ſacræ Piſcinæ fons erigebatur pulcherrimus, à rivulo quodam ab *Aniene* emanante, ebullire aquam Paſchalibus diebus faciens in ampliſſimam concham ad Sacri Baptiſmatis uſum, ex quo Eccleſiam noſtram Cathedralem unam ex primis veri Dei cultui dicatam fuiſſe colligimus.

Antiquitas *Chriſtiana* unicum admittere Baptiſterium in qualibet Civitate conſueverat, hocque in
B ſolis Cathedralibus Eccleſiis, (uti in noſtra reperiebatur) cujus formæ plura in *Italiæ* Civitatibus inveniuntur, *Romæ* præcipuè apud Sacroſanctam Lateranenſem Baſilicam, *Bononiæ*, *Ravennæ*, *Florentiæ*, *Parmæ*, & alibi, ut obſervatur à *Panvino* in libro ſuo de *Baptiſmate*, & *conſecratione Agni Dei*, eruditiſſimis commentariis doctiſſimi *Suarez Vaſonenſis* Epiſcopi illuſtrato.

Cathedralis *Tiburtina* innovata à Card: *Roma*.

Cathedralis hæc Eccleſia ſub ſæculorum pondere oppreſſa, ac ferè cadens Anno MDCXXXV. à magnanimitate Cardinalis *Julii Romæ*, Epiſcopi *Tiburtini* ſolo æquata fuit, anno deinde MDCXL. conſummata majeſtate illa, decoreque hodierno,
C ut nobis lapis ſuper majorem Eccleſiæ portam teſtatur, in quo ſculptum eſt.

D. O. M.
JVLIVS CARDINALIS ROMA MEDIOLANENSIS 64
EPISCOPVS TIBVRTINVS
S. LAVRENTII BASILICAM
TEMPORIS INJVRIA
FATISCENTEM
SOLO ÆQVAVIT, ET A FVNDAMENTIS
RESTITVIT
ANN. SAL. M.D.C.XI.

In fundamentorum horum effoſſione duæ detectæ fuerunt Antiquæ Inſcriptiones, ex quibus
D clariùs confirmatur Templum ibi extitiſſe *Herculis* (ut ſupra dictum eſt) & ſunt ſequentes.

C. VIBI VSC. F. VEL.
PVBLIANVS SCR. Q.
PRÆF. COH. VIIII.
TRACVM EQVITVM ALAE
TRIBVNVS MILITVM ETS.
LEG. IIII. MACEDONICÆ, ET
LEG. XXI. RAPACIS
IN GERMANIA
REVERSVS INDE
HERCVLI INVICTO D. D.

E FORTVNÆ PRAETORIÆ
SACRVM
L. MVCIVS NICEPHOR.
MAG. HERCVLI AVG.
GN. COPONIVS EPAGATVS
CVRATORES PRIMI D.S.P.
CVLTORIBVS D.D.

Novæ Cathedralis conſecratio, Sanctorumque corpora.

Nova *Sancti Laurentii* Eccleſia die prima Februarii MDCXLI à benefica ejuſdem Cardinalis Epiſcopi Fundatoris manu, dieque ſequenti, cum plauſu, jubiloque Univerſali divinis reddita officiis, ac poſitis in Concha Marmorea ſub Ara Majori (undè extracta fuerant) ſacris corporibus Sancti *Generoſi* Martyris, *Sæverini* Monachi *Tiburtini*, 65
F Sancti *Romuli*, unà cum venerabilibus oſſibus Sanctorum quadraginta Martyrum, divæque *Redemptæ* Virginis, ſervatis aliis in reliquiariis, pretioſis pignoribus Sanctarum Virginum *Romulæ* & *Erundinis*, Sanctæ *Redemptæ* ſodalium conſecrata eſt.

Generoſus hic Princeps ſimplici hoc Eccleſiæ ædificio minimè contentus, eam adornare voluit pretioſis ſupellectilibus, aliiſque ſacris utenſiliis, Organo præſertim valdè ſonoro, ab induſtrioſa manu *Julii Cæſaris Burtii* nobilis *Parmenſis* formato; Anno deindè MDCL. idem

Prin-

Princeps eam amplo porticu ferreis clathris restricta nobilitavit: dum verò magnanimum ejus cor cogitationes, aliis generosiores, ædificiis excitandis nutrit, magni scilicet Hospitalis condiendi, Ecclesiæque Sancti *Pauli*, argentearumque statuarum ad reliquias nostræ Cathedralis imponendas, à morte raptus *Romæ* die 16. Septembris Anno MDCLII, & tamquàm, Sacri Collegii Decanus, solita equestri transvectione sepultus fuit in Nationali Ecclesia Sancti *Caroli* (cujus ille Protector erat) cum sequenti Epitaphio:

Mors Cardinalis *Romæ*, ejusque laudes.

66 HIC IACET.
IVLIVS CARDINALIS ROMA S. R. E.
CARDINALIS EPISCOPVS OSTIENSIS, ET TIBVRTINVS
SACRI COLLEGII DECANVS. VIXIT
ANNOS 68 EADEM QVA NATVS
DIE, ET HORA
OBIIT 16 SEPTEMB. 1652.
NVDAM HANC INSCRIPTIONEM
VTI TESTAMENTO PRÆSCRIPTAM
IN FRATERNÆ MODESTIÆ,
AC PROPRIÆ OBEDIENTIAE
MONVMENTVM GREGORIVS ROMA
POSVIT.

In conspectu extant Solis, in oreque Famæ miranda ejus pietatis opera, magnificentia, Sacerdotalisque vigilantia; quapropter hujus Principis prodigæ manus effectus minimè adducam sumptuosa non tantùm in Cathedrali ædificia (ut supra dictum est) Episcopatus ampliationem, Seminarii fundationem, sed etiam ampla stipendia duobus Religiosis Præceptoribus, suis Coadjutoribus, continuis ac non cessantibus Dioecesis suæ instructoribus, elargita, præter Musicos, & Confessores suæ Cathedrali inservientes; nec dicere morabor expertum fuisse *Tibur* octodecim ejus Episcopatus annis, paupertatem sublevatam, justitiam æqualiter administratam, redivivam Ecclesiasticam disciplinam, divini cultus exactitudinem, decus & splendorem in Templis.

67

Marcellus Cardinalis *S. Crucis Tiburtis* Episcopus crecitus.

Tàm grave damnum unius mensis spatio *Innocentius decimus* restauravit creando in *Tiburtinum* Episcopum *Marcellum* Cardinalem *Sanctæ Crucis*, priscum Romanum semen, nobilissimumque celebrium *Publicolorum* germen, cujus pia magnanimitas, oculata vigilantia omnibus temporibus elucescere visa fuit, gradu verò splenduit maximo tempore pestis detectæ *Romæ* versus finem mensis Maii, Anni MDCLVI, quo, opere, consilio, prudentibusque præcautionibus & victualibus, Eminentissimus iste præservationi Urbis, aliorum vicinorum locorum studuit, opportunè utens amplo arbitrio, eidem ad hæc ab *Alexandro* septimo Pontifice Maximo collato.

Pietas, & Vigilantia Cardin. *S. Crucis* tempore pestis.

Fuit *Angelus* Consolator Terris Dioecesis suæ peste infectis, necessariis ad vitam carentibus, auxiliò orbatis, & consilio, ac in imo miseriarum delapsis, eisdem amplum continuumque victualium, ministrorum, medicinarumque usum tribuendo, eosque quotidie visitari curando per Auditorem *Æmilium* nunc Jesuitam, & *Augustinum Vulpianum* Aulicos suos fideles, semper statum eorum audiendi cupidus, ut eis opportunè auxiliari posset.

Ab angustiis cordis agitabatur zelotypus Pastor,
68 quando defunctos sui ovilis custodes, vel à morbo detineri audiebat: difficillimum enim erat in exiguo Sacerdotum numero similibus sese periculis expositurос reperire; nihilominùs adeò invigilavit, & tempore providit opportuno, ut sine sacramento (Pœnitentiæ saltem illo) obiisse aliquis vix inventus fuerit.

Angustiarum hisce curis in mediis magnanimus hic Princeps, *Equitis Bernini* arte, Sacristiam in nostra Cathedrali erigi curavit, quæ nobilitate structuræ, armariorumque selecto ornamento nuceo ligno magna cum arte elaboratorum, admirationi etiam præsenti tempore existit; supra cujus marmoream Januam ex parte interiori, sequens legitur inscriptio:

VT HONORIFICENTIVS SANCTORVM RELIQVIAE CVSTODIANTVR
ET DECENTIVS SACRA PARAMENTA SERVENTVR
AEDEM HANC AERE SVO A FVNDAMENTIS
EXCITAVIT, ET ORNAVIT
MARCELLVS CARDINALIS SANCTA CRVCIS
ROMANVS, EPISCOPVS TIBVRTINVS.
ANNO SAL. M.D.C.LVII.

Utque executioni traderetur hujus Eminentissimi Fundatoris scopus, die prima *Maji* in specioso repositorio collocatæ fuêre in istius novæ Sacristiæ sacello, magno decore, Sanctorum quorumdam reliquiæ, quæ à multis sæculis in variis nostræ Cathedralis Ecclesiæ tabernaculis venerantur.

Nec mihi ommittendum est confugium (præter humanas curas) hujus Civitatis in terroribus supra narratis, ad almam Dei Matrem, ejus potentissimum implorantis Patrocinium, sub firma spe, quod sicuti Cives, Reginam Cæli, in primitiis ipsis purissimæ conceptionis, præservatam fuisse à communi peccati originalis lue firmiter tenebant, sic ipsi vi tàm speciosi privilegii ab imminenti pestilentia sese illæsos mansuros haud quaquam dubitabant. Quapropter vigesimo quarto die mensis *Junii* MDCLVI, Consilio summa cum devotione congregato, solemnique juramento præstito, votum editum fuit ac mandatum, ut publicaretur demonstratio hæc in honorem Immaculatæ ejusdem Beatissimæ Virginis Conceptionis, quæ ab Eminentissimo Episcopo nostro decreta quoque & declarata fuit.

Votum factum à Civitate *Tiburtina* in honorem immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis.

Res equidem miranda? Paulò post grassata est pestis in Oppido *Sancti Pauli* penès *Tibur*, ubi præcedenti die plurimi convenerant Oppidani ad victualia sibi ipsis procuranda, simul & peccata confitenda, quorum aliqui in reditu periêre, divina nihilominus misericordia, Virginisque gloriosæ auxilio, eorum Civitas, aliorumque deinde infectorum populorum à circum grassante peste libera remansit, atque per totum illud horridum tempus, optima, universalique sanitate gavisa est

Voto publicato, internam erga Paradisi Reginæ devotionem ostendere quisque studuit, in propriis domibus, publicisque in plateis ejusdem Potentissimæ virginis imagines pingi curans, *Immaculatæ Conceptionis titulo.* Super Portas Civitatis, & super omnes alias civium affixa fuit sequens oratio.

Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis,
Per Immaculatam Conceptionem Mariæ semper Virginis,
Libera nos à peccato, & Peste, & miserere nobis.

Deinde ad hujus impletionem voti, eleëmosynis diversimodè collectis, arte illustris *Joannis Francisci Grimaldi* Bononiensis, penicilloque ejus nobiliter depictum, pretiosis alabastris, purissimisque marmoribus ornatum fuit unum ex sacellis Cathedralis Ecclesiæ (sic decernente Eminentissimo Episcopo) in honorem *Immaculatæ Conceptionis Mariæ semper-Virginis*, Liberatricis nostræ, cujus dies festus Pontificalibus functionibus, ejusdem Episcopi eruditis precibus, *Romanæ* Aulæ selectorum Musicorum melodiâ, magnifico apparatu, rigorosis abstinentiis, sacramentorum frequentia, Populorum etiam advenarum concursu, luminaribus, vesperis duabus festivis

Sacellum in Cathedrali Conceptionis B. V., ejusque solemnitas.

per totam Urbem accensis, aliisque publicis pietatis, lætitiæque Universalis testimoniis, quolibet Anno celebratur in Cathedrali, ubi tantæ, ac singularis gratiæ memoria (præter Psalmos, aliaque spiritualia cantica) suaviter sequens canitur *Rythmus* à summa ipsius *Cardinalis Sancta Cruce* piètate editus, ac Musicis modulis à *Francisco Baretta* nostri Cathedralis Templi Musicæ Præfecto redditus.

Dies iste celebretur
In quo piè recensetur
Virginis conceptio.
Virgo magna generatur
Deo placet, & formatur
Hodie concipitur.
Flos de virga processurus,
Sol de stella nasciturus
Christus *intelligitur.*
O quàm felix & præclara
Nobis grata, Deo clara
Fuit hæc Conceptio.
Gaude Tibur *gaudio pleno*
Præservatum à veneno
Virginis potentia.
Gratulemur ad festivum
Jucundemur ad votivum
Virginis præconium.
Sic Laus Deo decantetur,
Ut in ea collaudetur
Virginis conceptio
Sit mens supplex, vox sonora,
Sit jucunda, sit canora
Cordis jubilatio.
Salve verbi sacra Parens,
Flos de spina, spina carens
Flos spineti gloria.
Nos spineti, nos peccati
Spina sumus cruentati
Sed tu spina nescia.
Ab æterno vas prævisum,
Vas insigne, vas excisum,
Manu Sapientiæ.
Tu cœlestis Paradisus,
1 Leg. *Tu* &c. [1] Libanus *non incisus*
Vaporans dulcedinem.
Salve mater Salvatoris
Clarum intus, purum foris
Factum ab Altissimo.
Mater bona, quam rogamus
2 Leg. *Tu* *Da* [2] *nobis, quod optamus*
Tuos esse Filios.
Te rogamus voto pari,
Laude digna singulari,
Ut errantes in hoc mari
Nos in portu salutari
Tua sistat gratia.
Amen.

Redeamus ergo ad *Tiburtinas* Antiquitates in proximo libro omissas.

FINIS LIBRI SECUNDI.

73

LIBER TERTIUS.

Latinus, Rex Aboriginum, à quo dicti sunt Latini.

1 Lib. 1. Antiq: Rom.

Tiburtinam pacificè Regente Urbem *Tiburto*, *Aboriginibus* dominabatur *Latinus*, à quo iidem *Aborigines Latini* vocati fuêre: *nec ita longe post* (ait *Dionysius*) [1] *veteri appellatione mutata, una cum Aboriginibus*, à *loci Rege*, *Latini nuncupati sunt.*

Faunus, Regis *Latini* Pater, post obitum inter Deos relatus fuit, nemusque una cum fonte, ibi contiguo, in Solo *Tiburtino* penes aquas sulphureas *Albulas* ei sacratum fuit, à quibus sacer

A fons, nemus, Nymphaque *Albuneæ* nomine nuncupati fuerunt, juxtà *Servium* super sequentia *Virgilii* carmina [2]. 2 Lib. VII. Æneid.

At Rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, *nemorum quæ maxima sacro*
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim.

Tàm celebris erat locus iste, ut ex omni parte convenirent populi, super quæsitas res responsa relaturi, ut idem Poëta addit: 74

Hinc Italæ *gentes, omnisque* Oenotria *tellus*
In dubiis responsa petunt.

Huc (ut supra notavit *Virgilius*) confugit [3] Rex *Latinus*, ut sciret, an perficienda essent *Laviniæ* Filiæ suæ sponsalia; cui (secundum eumdem Poëtam) sic Paternum Oraculum respondit. 3 Responsa Oraculi Latino Regi data

B

Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis.
Externi venient generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, *vertique, regique videbunt.*

Æneas interim *Anchisis*, *Veneris*que Filius, cum Classe sua ab *Ilii* ruinis fugiens *Laurentum* appulit, Anno trigesimo quinto Regni *Latini*, juxtà *Dionysium* Lib. primo sic dicentem. Adventus Eneæ in Laurentum.

C *Post digressum* Herculis, *ætate altera circiter annum quintum supra quinquagesimum, ut ipsi* Romani *perhibent, Rex* Aboriginum *erat* Latinus, *filius* Fauni, *sed semen* Herculis, *annum agens Regni sui quintum, & trigesimum; per id tempus* Trojani *cum Ænea post captum* Ilium, *profugi appulerunt* Laurentum, *in littus* Aboriginum.

Ad horum Adventum advenarum concurrerunt illicò armati *Aborigines*, eos expellendi gratia. Colloquium cum Rege petiit *Æneas*, quo obtento, adeò illum admiratus idem est, ut victus

D ab ejus majestate, vique dicendi, remanserit *Latinus*, eumque domum receperit, & non contentus fœdere cum ipso facto, affinitatis quoque vinculo (filiam *Laviniam* in sponsam ei dando) adstringi voluit, de illo advena, ut futuro Genero, oraculum *Fauni* in prænarrata responsione putans esse locutum. 75 Lavinia Latini filia Eneæ desponsata.

Ira quapropter acerrimâ accensi fuêre non solum Rex *Turnus*, & matertera *Amata*, *Latini* Uxor, sed alii etiam vicini populi, ignotum advenam naturali Domino prælatum fuisse cernentes, asperum idcircò bellum adversus *Æneam* excitaverunt.

Inter quos venit peculiaribus cum copiis *Tiburtus*, qui auxilio hujus belli magnam armorum

E copiam una cum aliis Civitatibus, à *Virgilio* nominatis, fabricari curavit, [4] 4 Æneid. Lib. 7.

Quinque adeò magna positis incudibus Urbes
Tela novant, Atina *potens*, Tiburque *superbum*,
Ardea, Crustumeri*que*, & *turrigeræ* Antemnæ,
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umborum Crates: *alii thoracas ahenas*
Aut leves Ocreas *lento ducunt argento.*
Vomeris hùc, & falcis honos, hùc omnis aratri
Cessit amor, recocquunt patrios fornacibus enses.

Quæ carmina sic à *Caro* versa sonant:

F

Cinque grosse Città con mille incudi
A fabricar, à risarcir si danno
D'ogni sorte armi. La possente Atina,
Ardea *l'antica*, Tivoli *il superbo*,
E Crustumerio, *e la Torrita* Antenna,
Quì si vide cavar elmi, e celate
Là torcere, & courir targhe, e pavesi
Per tutto risortir, aguzzar ferri,
Annestar maglie, rintuzzar Corazze,
E per fregiar più nobili armature
Tirar lame d'acciar, fila d'argento;
Ogni bosco fà lancie, ogni fucina

Dis-

Disfà vomeri, e marre, e spiedi, e spade
Si forman da i bidenti, e dalle falci.

Ustrinæ antiquissimæ *Tiburæ* & quare *superbum Tibur* vocetur.

Ex quibus colligitur quàm magna fuerit *Tiburtina* Civitas, & quam antiquæ extiterint ustrinæ, ferrariæque armorum opificinæ, quæ & hodie in ipsa reperiuntur, & consequenter Epithetum *Superbæ* à Poëta hìc superiùs Civitati huic datum: eidem non tributum fuisse superbiæ ostendendæ gratia vel virium (ut quidam malignè interpretantur) sed ad gloriam, nobilitatemque ejus indicandam, quo modò *Romanos*, ac *Trojanos* laudavit in primo Eneid.

Hinc populum latè regem, belloque superbum,

In principio pariter Lib. tertii.

Postquam res Asiæ, Priami*que evertere gentem*
Immeritam visum superis, ceciditque superbum,
Ilium, *& omnis humo fumat* Neptunia Troja.

Eodem quoque modo intellexit Eques *Marinus*, Poëta celeberrimus, in carminibus quibusdam
77 suis, ab *Amore* quasi recitatis ipso in solemni hastiludio *Tibure* habito in Horto *Estensi* coram magnanimo Principi Cardinali *Estensi*, ubi de hac Urbe loquens *Superbæ* titulum ipsi dedit his carminibus:

Toccammo appena il fortunato lido,
Che di purpurei fior sempre si veste,
Che la sonora fama, e'l chiaro grido
Pervenne à noi dell' honorate feste,
Onde à questo SUPERBO antico nido
D'honor, di gloria, e di virtù celeste,
A questa delle gratie altera sede
Lieti volgemmo immantinente il piede.
Piaccia a voi dunque ò degli Estensi *Heroi*
Splendor sovrano, e sempiterno pregio,
A Voi degli Ostri alto ornamento, à Voi
Pria del Pò, *poi del* Tebro *honore, e fregio*
Piacciavi consentir, che possiam noi
Nell' arringo d'honor chiaro, & egregio,
Entrar cò gl' altri, & ch'iò costor conduca,
Essi sian miei guerrieri, io sia lor Duca.

Præter arma à *Tiburto* subministrata *Turno*, misit etiam illi milites suos, Ducibus *Catillo* & *Cora* Fratribus, quorum fortitudinem citato Lib. sept. canit *Virgilius* 670.

Tum gemini Fratres Tiburtia *mœnia linquunt*
Fratris Tiburti *dictam cognomine gentem,*
Catillus*que, acerque* Coras, Argiva *juventus;*
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenæ, cum vertice montis ab alto
78 *Descendunt Centauri*, Omolen, Othryn*que nivalem*
Linquentes: cursu rapido dat euntibus ingens
Sylva locum, & magno cedunt virgulta fragore.

Ostendit idem Poëta Regem *Turnum* gentium *Tiburtinarum* fortitudini summoperè confisum fuisse, quando illum inducit eos *Camillæ Volscorum* Reginæ inter celeberrimos exercitus sui Duces, commendantem XI. *Eneid.*

Tecum acer Messapus *erit, turmæque* Latinæ,
Tiburti*que manus.*

Nec in minimo quidem ab hac sua opinione deceptus fuit *Turnus*, pugna enim cum hostibus inita, *Tiburtini* (hoste fremente) clarum fortitudinis suæ testimonium præstarunt, ubi *Catillus* præcipuè eminuit, & inter alios occidit Gigantem *Herminium* ut idem Poëta subjungit:

. . . . . Catillus Jollam
Ingentemque animis, ingentem corpore, & armis
Dejicit Herminium.

Remulus Tiburti filius.

Narrat prætereà ipse hoc in bello per manus *Euryali*, in celebri ab illo facta strage, aliis omissis, *Rhamnetem* occisum, spoliatumque fuisse vestibus pretiosis, ac cingulis illis aureis, olim à *Cædico* divite *Remulo Tiburtino* dono datis (vel ut scribit *Servius*) Filio *Tiburti*, & ab Nepote deinde hæreditate possessis, demum jure belli ad
Rhamnetem provolutis, juxtà *Virgilium* IX *Eneid.* 79

Euryalus *phaleras* Rhamnetis, *& aurea Bullis*
Cingula, Tiburti Remulo *ditissimus olim*
Quæ mittit dona, hospitio cum jungeret absens
Cædicus: *ille suo moriens dat habere nepoti:*
Post mortem bello Rutili, *prædaque potiti:*
Hæc rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat.

Finem huic bello imposuit *Turni* & *Latini* mors; *Æneas* per hæreditatem *Laviniæ* uxoris in *Latinorum* Regnum successit, qùum centum & quinquaginta ante ipsum annis rexissent eosdem *Janus, Saturnus, Picus, Faunus,* & *Latinus*, secundum *Eusebii* Chronicum dicentis; *Ante Æneam*, Janus, Saturnus, Picus, Faunus, & Latinus *in* Italia *regnaverunt annis CL.*

Regum *Latinorum* series.

Tiburtus post mortem collocatur inter Deos.

Annis tribus regnavit *Æneas* post *Latinum*. Temporibus circiter hisce secuta fuit gloriosa nostri *Tiburti* mors, & ipse divinis honoribus dignus judicatus fuit; ejusque nomini sacratum fuit nemus, & fons, ut asserit *Stephanus* de *Urbibus*, & indicat *Horatius* Od. 7.

Et præceps Anio, & Tiburti Lucus &c.

Eneæ vero *Ascanius* filius successit, qui triginta annis post ædificatam *Laviniæ* Urbem, Imperii sedem *Albam*, ab ipso constructam, transtulit, quæ deinde omnium *Latinorum* Regum sedes fuit: regnavit is annos XXXVIII. 80

Sylvius is, sic nuncupatus, quia in sylvis nutritus, suffragiis populi evectus fuit ad Regnum, & quoniam natus ex *Ænea* & *Lavinia*; *Julioque Ascanii* Filio, ab eodem populo ultro collatum in illum fuit sacerdotium. Imperavit *Sylvius* annis viginti, & novem, à quo deindè ejus successores Reges *Sylvii* nuncupati fuêre: *Æneas*que *Sylvius*, ejus filius & successor, regnavit annos triginta & unum.

Latinus Sylvius imperavit annos quinquaginta, *Alba* verò *Sylvius* triginta novem.

Sylvius, seu *Ægyptus Silvius*, annos viginti quatuor tenuit sceptrum, *Capys Sylvius* autem annos viginti Octo.

Capetus Sylvius regnavit annis tredecim, *Tiberinus Sylvius* annis octo; de hoc Fluvius *Albula* nomen accepit *Tyberis*, in eo enim submersus fuit.

Agrippa Sylvius regnavit annis quadraginta, *Aremolus* autem, vel *Remulus Sylvius*, annos decem & novem.

Aventinus Sylvius regnavit annos triginta septem, *Proca* verò *Sylvius* annos viginti tres.

Post obitum *Procæ Numitor* regnavit; pulsus Regno fuit ab *Amulio* Fratre, qui suam tyrannidem exercuit usque dum celebres illi gemini *Romulus* & *Remus*, fundatores *Romæ*, ex *Rhea Numitoris* filia nati, occiso *Amulio*, avum suum maternum in Regnum reposuêre. Imperium *Latinorum* ii fratres inter sese *Albæ* tenuerunt (secundum *Eusebium*) annis quadraginta & quatuor.

Cluilius Latinorum Rex bellum *Romanis* infert.

Cluilius deinde regnavit, qui novæ *Romanæ* potentiæ incremento zelotypia actus, ad eam reprimendam *Tullo Hostilio* tertio *Romanorum* Regi bellum inferre decrevit; fervescente tamen bello isto cursum vitæ ipse absolvit, ejusque loco electus fuit ab *Albanis Mettius Suffetius*. 81

Pugna inter Fratres *Curiatios Albanos*, & *Horatios Romanos*.

Considerans verò hic perniciem maximam è bello provenientem, multis rationibus persuadere Regi *Tullo* institit, ut minùs perniciosò, cruentove modo eidem bello finis imponeretur, atque ita paullò post in hæc pacta utrique convenerunt: Quod tres fratres *Curiatii Albani*, aliique tres *Horatii*, *Romani* fratres, invicem dimicantes tali modo huic bello finem imponerent, ut scilicet, qui victus esset vicissetve, eadem patriæ servituræ domina-

minaturæve in perpetuum fata secum traheret. Sancitis hisce conditionibus, statutis, ac adhibitis juramentis, repagulum ingressi sunt Fratres, ubi post longam, strenuamque pugnam *Romanus Horatius* duobus superior fratribus, peremptisque omnibus *Curatiis*, victor evasit, Patriamque suam *Romam* Dominam illius celebris Urbis *Albæ* (*Latinorum*, *Romanorum*que matris) reddidit, uti referunt *Dionysius* [1], & *Livius* [2].

1. lib. p. *Antiq. Rom.*
2. Dec. 1. lib. 1.

Paullò post crudeles alieni Imperii effectus experta *Alba* est; Rex enim *Tullus*, in pugna quadam contra *Fidenates*, detecta *Metii*, *Albanorum*que perfidia, eorumque consensu cum hostibus percepto, *Albam* Urbem à fundamentis diruit; eoque auctore quatuor curribus à ferocissimis equis in diversum tractis crudeliter laceratus fuit *Metius Suffetius*; sicque *Alba* à *Latinis* populis per quadringentos octoginta septem annos ut
82 Mater, atque Caput Regni in honore fideliter habita, miserrimè periit, Regesque *Latini* simul cum illa exstincti fuêre.

Tullus Romanorum Rex obedientiam à *Latinis* petit.

Misit deindè Rex *Tullus* ad Urbes singulas *Latini* nominis Nuncios, *Tibure* minimè omisso, ab illis obedientiam exigens, petensque quod cum ipse superasset *Albanos*, *Latinorum* Principes, ad suum quoque Imperium transirent Civitates reliquæ *Latino Regno* subjectæ; sic *Dionisius* [3]:

Rex Romanus, *dimissis per triginta Colonias Legatis, postulabat, ut imperata facerent, quod ad victores cum aliis* Albanorum *rebus transisset etiam* Latinæ *gentis Imperium.*

Responsa *Latinorum* ad Regem *Tullum*.

Quibus *Tiburtini* sicuti & alii *Latini* privata minime tribuere reponsa voluêre, sed universali in *Ferentino* (ubi solebant) congregato Concilio, omnium votis in libertate morari, Imperiumque *Romanis* haudquaquam concedere in sese, statuerunt, ut idem Historicus affirmat hisce verbis:

Legatis à nulla Civitate privatim responsum est, sed in dicto Ferentinum *gentis Latinæ Concilio, decreverunt Imperium* Romanis *non concedere.*

Hinc *Tiburtini*, cæterique sociati cum illis populi liberè vivere inceperunt, se ipsos Rerumpublicarum more gerentes, à nemine dependentes, nisi quantùm amicitia, reciprocumque inter *Latinos* fœdus ad publicam tranquillitatem postularet; hac de causa moris semper fuit (si quando opus esset) congregare Concilium in sacra *Ferentini* Sylva,
83 Urbium *Græcarum* instar, quæ inter sese Generale habebant Concilium, *Amphyctyonicum* vocatum.

Palatium Senatus *Tiburtini*.

A Senatoribus suis regebatur *Tiburtina* Respublica, qui ad Reipublicæ commodum congregari consueverant in amplo sumptuosoque Palatio, loco amœno, eminentique, ac media Urbe sito, cujus, diebus etiam hisce ultimis, apparebant reliquiæ penes Ecclesiam olim Collegiatam *Sancti Pauli*, ubi fragmenta quædam densarum columnarum, amplos, longosque hujus palatii Porticus sustinentium conspiciebantur, cujusque arcus constructi fuerunt à *Marco Turpilio*, *Marco*que *Popilio* hujus tunc Reipublicæ Quæstoribus, uti antiqua Inscriptio ibi reperta testatur.

M. TVRPILIVS L. F.
M. POPILIVS M. F. Q.
FORNICES.
DE S. S. E. C.

Duo pariter Marmora, annis elapsis eodem in loco reperta, antiquum hujus Palatii situm indicant; in quorum altero, unius ferè spithamæ magnitudinis, hæc sculpta sunt verba.

S. P. Q. TIBVRS.

In alio quoque erat:

LOCVS SENAT.

84 Idem testantur vetustissimæ reliquiæ substructionum, quæ sub domibus, plateisque his in viciniis observari solent.

In Senatorio isto Palatio heroicas benemeritorum suorum actiones marmore inscribi mandabat Senatus *Tiburtinus*, cujus rei observationem testatur (*Romanorum* etiam Imperatorum tempore) Lapis in muro Divi *Pauli* in honorem *Cai Popilii* affixus, indè domum meam gratia Eminentissimi Cardinalis *Romæ* translatus; Inscriptio ipsa talis est:

C. POPILIO. C. F. Q. VIR. CARO.
PEDONI. COS. VII. VIRO. EPVLON.
SODALI. HADRIANALI. LEGATO
IMP. CÆSARIS, ANTONINI. AVG.
PII. PRO. PR. GERMANIÆ SVPER, ET
EXERCITVS IN EA. TENDENTIS. CVRATORI
OPER. PVBLICOR. PRÆF. ÆRAR. SATVR.
CVRATORI. VICAR. AVRELIÆ. VETERIS. ET
NOVÆ. CORNELIÆ ET TRIVMPHALIS.
LEGATO. LEGIONIS. X. FRETENSIS.
A. CVIVS CVRA. SE. EXCVSAVIT. PRÆTORI
TRIBVNO. PLEBIS. Q. DIVI. HADRIANI
AVG.
IN OMNIBVS. HONORIBVS. CANDIDATO.
IMPERATORI TRIB. LATICLAVIO LEG. III.
CYRENAICÆ. DONATO. DONIS.
MILITARIBVS A DIVO HADRIANO. OB.
IVDAICAM. EXPEDITIONEM. X. VIRO.
STILTIBVS IVDICANDIS. PATRONO.
MVNICIPI. CVRATORI: MAXIMI, TEMPLI
SENATVS P. Q. TIBVRS.
OPTIME. DE REPVBLICA. MERITO.

Seminarium *Tiburtinum* erectum à Cardinali *Romæ*.

Maximis dicti Cardinalis *Romæ* expensis in hoc situ erectum apparet *Seminarium Tiburtinum*, pulchrum ædificium, ejusdem peculiari prudentia institutum anno MDCXXXV. nobilitate, commoditate, ac situs amœnitate celeberrimis etiam Collegiis invidiam commovens.

Bellum *Tulli* Regis *Romanorum* contra *Latinos*.

Rex igitur *Tullus*, gentium *Latinarum* deliberatione audita, eos nempè Imperio suo sese subjicere nolle, iisdem bellum intulit; at *Latini* (hoc jam anteà bello prævisi), arma sibi curaverant, creatis in supradicto Concilio exercitus sui Ducibus, *Spurio Uccilio Laviniense* unà cum *Publicio Corano*.

Sed quoniam hoc in bello nullæ diræ umquam sequutæ sunt strages, nec exercituum conflictus, semper autem incursionibus tantùm usi fuerint, 86
grave haud fuit, hos populos ad pacem reducere, quæ anno hujus belli quinto sancita fuit; ut idem *Dionysius* asserit; primaque hæc est, quam inter *Latinos* omnes & *Romanos* factam fuisse invenio, licèt non adeò longè duraverit, mortuo enim paullo post Rege *Tullo Hostilio*, *Anco Martio* successori fidem minimè servandam esse putarunt *Latini*, atque inceperunt propterea deprædari devastareque *Romanam* Regionem; unde coactus fuit *Ancus* bellum illis indicere, ut ipsemet *Dionysius* scribit libr. tert. Hoc modo *Latini* sibi ipsis moverunt bellum, non solùm diuturnum, sed ipsis valdè noxium, periit quippe in eo magna militum copia, multæ eorum Civitates expugnatæ fuêre, quarum coacti fuerunt cives in monte habitare *Aventino* penes Urbem *Romam*: juxta *Livium* [4].

Pax inter *Romanos* & *Latinos*.

Latini pacem *Romanis* non servant.

4. d. lib. 1.

Tarquinii Prisci vit.

Finem habuit hoc bellum pace secundò cum *Romanis* facta, quæ tamen post *Anci* Regis mortem denuò violata fuit à *Tarquinio Prisco*, qui formidabili cum exercitu profectus, tota *Latinorum* Regione devastata, potitus, inter alias Civitates, fuit *Corniculo*, quam dirissimis hostilitatis odiis, ferro, ignique penitùs ad nihilum redegit.

Hac cudelitate *Latinorum* corda adeò exacerbata fuêre, ut (Concilio congregato) omnibus suis viribus in *Romanorum* perniciem utendum ex communi sententia decreverint. Quapropter ea qua 87
poterant celeritate numeroso exercitu collecto, audaciter *Romanorum* campos invaserunt, opulentaque spolia, cum magna Captivorum copia repor-

portarunt. Cum autem uterque exercitus ad justa venisset prælia, adeo æquali vi certatum fuit, ut, ad quem horum inclinaret Victoria, discerni haud posset; verum tandem ad *Romanos* adeò inclinavit, ut quidam *Latini* perterriti sponte sese *Romano* dederint Imperio; iique fuère *Fidenates* & *Camerini* cum quibusdam aliis Oppidis & Urbibus; Hoc ubi *Latini* perceperunt, timentes ne reliqui hoc sequerentur exemplum, & ne, deficientibus viribus, servilem obedientiam *Romanis* præstare omnes cogerentur; indixerunt illico Concilium in consueto *Ferentini* luco, in quo jusserunt, ut in qualibet Urbe *Latinorum* & oppido eligerentur homines ad bellum apti, nunciique pariter mitterentur ad *Sabinos*, *Thuscos*que populos, ad unionem, fœdusque secum faciendum; Quod ubi factum, consensum libenter *Sabini Latinorum* petitioni præbuère, eisdem celerrimè auxilium præstaturos sese promittentes; eadem pariter responsa tulère à quinque *Latinis* Populis, *Clusinis* nempè, *Aretinis*, *Volaterranis*, *Russellanis*, ac *Vetuloniensibus*, qui multis ab hinc annis *Viterbienses* vocati fuère. *Hi fuère*, (ait *Dionysius*) *Clusini*, *Aretini*, *Volaterrani*, *Russellani*, *Vetulonienses*.

Fidenates Populi & Camerini Romanis se tradunt.

Fœdus inter Latinos, Thuscos & Sabinos.

88 Hodierno etiam die, amore, vicissitudineque beneficiorum reciproca, viva conservatur hujus fœderis memoria, ut utrique jure ambarum Civitatum fruantur, & ad Magistratus, aliasque publicas dignitates indiscriminatim admittantur.

Amor, & municipium inter Viterbienses & Tiburtinos.

Robore hoc igitur *Latiæ* Respublicæ per novum *Thuscorum*, *Sabinorum*que fœdus accepto, majoribus viribus pluribusque in partibus *Romanos* aggressæ sunt, quibuscum sæpe dimicarunt; Fortitudo tamen, & Fortuna Regis *Tarquinii Prisci* adeò *Latinos* subegit, ut coacti fuerint pacem petere & fœdus pangere cum *Romanis*, à quibus tertiò omni urbanitatis genere recepti fuerunt, adeò ut nulla ex eorum Urbibus damnum aliquod passa sit, cuique integrâ Libertate relictâ, ut refert *Dionysius*: [1]. *Rex Romanus agros suos Latinis fruendos, & Civitates, suo quoque jure uti permisit.*

Tertia pax inter Romanos & Latinos.

1. d. lib. 1.

Hac in pace, amicitiaque cum *Romanis* diu perseverarunt *Latini*, *Tarquinius* enim eorum auxilio multis in bellis usus fuit, ut narrat *Dionysius*, postque ejus abitum in amicitia perseverarunt cum *Servio Tullio* successore ejus, qui semper *Latinorum* amicissimum sese demonstravit, magnaque familiaritate, ac fiducia erga eorum Duces usus fuit, ut notat *Livius* [2] *Inter proceres* Latinorum, *cum quibus publica*, *privatimque hospitia de industria junxerat*; Putaturque idem agros aut villam quandam ad montem propè Civitatem possedisse, quæ vallem monti subjectam amplexa fuerit, ita ut pars montana, *Servitulliæ*, Vallisque *Tulliæ* nomen ab eodem adepta fuerit, quibus & ipsis vocabulis, licet aliquantulum corruptis, hodie etiam appellatur locus.

2. d. lib. 1.

89 *Villa Servii Tullii Romanorum Regis in Urbe Tiburis.*

Transivit deinde fœdus *Latinorum* hoc æquali jure amicitiæ ad *Tarquinium Superbum*, qui *Servio Tullio* socero suo impie perempto, illius locum, & Regnum occupavit, instigante *Tullia* uxore sua, ejusdemque *Servii Tullii* filia, cujus scelus in perpetuum abominandum manebit: Videns enim ea regium defuncti Patris cadaver publica in via, proprioque in sanguine volutatum, crudelitate immani, qualis nec in bruta cadit animalia, rheda, qua ipsa vehebatur, supra Parentis corpus transire ausa est. Hac de causa, & propter tyrannidem suam summo à *Romanis* odio semper habitus *Tarquinius* fuit: Quod ipse optimè cognoscens, arctum fœdus cum gentibus exteris, *Latinis* præcipuè, inire studuit, & ut amicos hos semper necessitatibus suis paratos inveniret, & porro potentiam suam stabiliret, faciliusque ad optatum finem cogitata sua perduceret. Longa itaque coram

Crudelitas Tulliæ, Tarquinii Superbi uxoris, contra cadaver Patris.

A *Latinorum* Concilio (luco solito *Ferentini* congregato) Oratione habita, obtinuit, ut singulæ *Latii* Urbes conditiones, & pacta pacis, olim inter *Romanos* & *Latinos* statuta, solemni juramento confirmarent, populosque insuper omnes *Hernicos*, atque duos ex *Volscis*, *Eccetranos* nempè & *Antiates*, ad hoc fœdus una cum reliquis pellexit. 90

Atque ut hi populi mutuum commercium retinerent, arctiorem suscipiendo amicitiam, fœdusque ante memoratum eò strictius servando, dedicatum fuit positumque, suasu Regis ejusdem in Monte *Albano*, medios inter populos, nomine expensisque communibus *Romanorum*, *Latinorum*, *Volscorum* & *Hernicorum* Templum *Jovi Latiali*, ubi Populi hi cuncti, qui sex & quadraginta numerantur, certis diebus quotannis, docente *Dionysio* lib. cit. IV. convenerunt ad peragenda sacrificia, ferias, nundinas & epulas; conventibus verò solemnibus præpositus erat præses & princeps, vocatus *Præfectus Latinarum feriarum*; qui Magistratus permansit etiam temporibus Imperatorum *Romanorum*, ut finis inscriptionis cujusdam indicat, quæ insculpta visitur Marmoreo stylobatæ alterius ex duabus *Ægyptiacis* Statuis in foro S. *Laurentii*, ut antea lib. II. explicatum a nobis est.

C Denique degerunt hi Populi invicem ita conjuncti, ut solvi non posse fœdus initum atque amicitia inter illos videretur. Verùm enim vero cui ignotum est illud Meum & Tuum in statu Polytico sufficere pro dissolvendo nodum nexumque benevolentiæ, etiamsi arctissimo fœderis nexu firmatæ?

Siquidem cùm *Romani* ductu *Junii Bruti* & *Tarquinii Collatini*, primorum Consulum, immite jugum Regii dominii excussissent, expulso *Tarquinio Superbo*, ob vim illatam *Lucretiæ*, fœminæ celeberrimæ, a *Sexto* Regis filio; & ut restaurare-tur, frustra Rex exul tentasset auxilium *Porsennæ*, Regis *Hetruriæ*, ope idem *Octavii Mamilii*, generi sui, in partes *Latinos* vocavit. Hic in Comitiis publicis Populi *Latini*, eloquentia vique orationis, & rationibus, quas suppeditabant quæstus & ambitio, quod gener esset Regis, & quidem Regis *Romanorum*, ita animos *Latinorum* immutavit, ut immemores veteris *Romanorum* amicitiæ, omnino neglectis spretisque fœderis legibus, quod inter ipsos jurejurando confirmatum erat, uno ore constituerint, arma in *Romanos* convertere, omnique anniti vi, ut expulsum Regem in Regnum reducerent. Placitum hoc jurejurando stabilitum fuit, atque ab unoquoque Populo *Latino* laudatum, & inprimis à nostris *Tiburtinis*, teste *Dionysio*, lib. V. qui ut nullum læderet horum Populorum, quod fieri sæpe propter ordinem recensionis solet, nomina ipsorum secundum alphabetum maluit recensere, ut subjecta hisce cernuntur: 91

Tarquinius Superbus VII. Rex Romanorum ejicitur.

In hoc fœdus nomina dederunt 92

Populi uniti partium Tarquinii Superbi.

Ardeatæ	Norbani
Aricini	Prænestini
Bovillani	Pedani
Bubetani	Querquetulani
Corani	Satricani
Cornetani	Scaptenses
Gabini	Setini
Laurentini	TIBURTINI
Lanuvini	Tellini
Lavinienses	Trebiani
Labicani	Tusculani
Nomentani	Veliterni.

Itaque quod ad *Latinos* attinet, bellum cœptum

ptum est adversus *Romanos*, factis quibusdam prædis; sed Consulibus *Aulo Sempronio Atratino* & *Marco Minatio*, inducias invicem pacti sunt, qua tempestate constantia & fortitudine fœminas *Romanas* superarunt *Latinæ*; siquidem promulgata licentia, qua permitteretur & fœminis *Romanis*, quæ *Latinis* nupserant, & *Latinis*, quæ nuptæ erant *Romanis*, ut in Patriam reverterentur, *Romanæ* statim ac gnaræ potestatis essent datæ, relictis ædibus atque conjugibus *Romam* redierunt; verùm exemplum non secutæ sunt *Latinæ*, quippe quæ optimè memores, sese à Conjugibus adscitas esse socias, dum animus artus regeret, ut rebus ad voluntatem fluentibus, sic contra votum cedentibus, perseverantissimè omnes, si à duabus solis discedas, apud Conjuges remansêre, auctore *Dionysio*, initio lib. VI.

Amor fœminarum *Latinarum* in Conjuges.

93

Elapsis verò hisce induciis, *Latini* bellum appararunt, quamquam non æquale eademque audacia animique concitatione omnes, cùm pluribus illorum subiret sera pœnitentia, quòd operi manum admovissent; verùm cùm mox incitaret illos *Octavius Mamilius* Præfectus ipsorum, tam precibus & rationibus, quàm donariis, fortissimum exercitum quadraginta millium peditum, triumque millium equitum in bellum educere decreverunt.

Copiæ *Latinorum* quadragies mille peditum & ter mille equitum.

Hac tempestate Consulatum *Romæ* gesserunt *Titus Virginius* & *Aulus Postumius*, qui ob bellum prudenter administratum factus est Dictator, & *Titus Ebutius Helua* Tribunus Equitum: hi ubi resciviissent, copias *Latinas* in itinere esse occupatas, nocte, festinatione summa exercitum suum duxerunt, qui continebat viginti & quatuor mille pedites, præter mille Equites, substiteruntque prope lacum *Regillum*, nunc vocatum *di Santa Pressede*, vel *di Grisi*, haud procul a castris *Latinorum*: omnibus itaque utrarumque copiarum viribus collato pede præliatum est, diuque invicem certatum fortissimè, ita ut ingenti multitudine utriusque partis cæsa, Marte diceres pugnâsse æquo; *Romani* tandem superiores evaserunt; siquidem cùm in pugna interfecti jacerent omnes *Latinorum* Duces, gregarii milites atque equites in fugam sese conjecerunt, quamvis superstites paucissimi essent, narrante *Dionysio* lib. VII. adeo ut vix è quadraginta & tribus millibus superfuerint salvi decies mille, quare ipse judicat, hanc cædem summe notabilem fuisse illarum, quæ usque ad hoc tempus evenissent.

Copiæ *Romanæ* viginti & quatuor millium peditum & mille Equitum.

94 Victoria *Romanorum* reportata à *Latinis*.

Cædes *Latinorum* dignissima, quæ notetur.

Dictator *Postumius* postea magnopere celebratus fuit propter triumphum è fœderatis hisce populis reportatum, ita ut à devictis *Tiburtinis*, utpote ducibus inter eosdem & principibus, dictus fuerit *Tiburtinus*, *Ovidio* sexto *Fastorum* canente:

Aulus Postumius triumphat de *Tiburtinis*, ceu principibus *Latinorum*.

> *Scilicet hic olim* Volscos Æquos*que fugatos*,
> *Viderat in campis*, Algida *terra*, *tuis*;
> *Unde suburbano clarus* Tiburte *triumpho*,
> *Vectus es in niveis* Postume *victor equis.*

Hunc exitum obtinuit bellum *Latinorum*, tantaque & tam communis fuit ærumna, ut *Tiburtinis*, sic cæteris populis fœderatis, ut nulla domus expers lacrymarum fuerit; quare summè cautos fecerunt pericula, ne postmodum aures patefacerent hominibus ex affectibus propriis tam periculosa suadentibus, qui nil nisi proprium quæstum quærunt, parvique aut nihili æstimant, aliorum inde proventurum interitum.

Quapropter *Latini*, cùm *Volsci* ad ipsos misissent Legatos, ad ineundum fœdus contra *Romanos*, in præsentia memores inauspicati belli pri-
95 stini exitûs, *Romam* Legatos ablegarunt, Consulibusque auxilia contra *Volscos* obtulerunt, ut auctor est *Livius* lib. II. Decad. I. addens, *Romanos* ad hoc compensandum, gratis, sine ulla redemptione reddidisse *Latinis* sex millia captivorum, qui domum suam omnes, vestibus optime coöperti, remissi fuerunt, atque decenter ornati; pergit dein, hanc causam fuisse, quare senatus *Romanus* censuerit, pacem fœdusque *Latinis* danda; quæ tandem secuta fuerunt in has conditiones, à *Dionysio* circiter finem lib. VII. ita recitatas: *Romanis*, & *Latinorum Populis omnibus mutua pax esto, dum Cœlum, & terra stationem eandem obtinent, & neutri alteris bellum inferant, aut aliunde hostes inducant, nec bellum inferentibus iter tutum præbeant, & bello infestatis opem ferant totis viribus, prædamque, ac spolia æquo jure dividant, de privatis contractibus lites judicio dirimantur intra decem dies, in foro ejus Populi, ubi contractus is factus sit, Conditionibus fœderis nihil addatur, aut dematur, nisi de consensu Romanorum, & Latinorum populorum omnium.*

Capti Latini à Romanis restituuntur.

Termini Pacis inter Romanos & Latinos.

Conditiones verò pacis, & terminos jurejurando firmarunt omnes *Romani* & *Latini*, incideruntque columnæ æneæ: notante *Livio* cit. lib. II. hoc evenisse Consulibus *Spurio Cassio*, & *Postumio* circiter annis CCLXV. ab Urbe Condita; cujus palàm meminit *Cicero* Oratione pro *Cornelio Balbo* his verbis: *Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio, & Postumio Cominio COSS. quis ignorat? quod quidem nuper in Columna ænea meminimus post rostra incisum, & perscriptum fuisse.* 96

Verùm enim vero vix *Tiburtini* hac pace quodammodo refecti erant, quin iterum à *Sabinis* premerentur, qui excursionibus *Anienem* usque, fines ipsorum omnes vastarunt, Palatia comburendo, agrosque prædando; hos autem copiæ *Romanæ*, Imperatore *Aulo Postumio* citissimè expulerunt, auctore *Livio* cit. lib. II. qui narrat *Sabinos*, *Æquos Volscos*que conjunctos, paulò post idem aggressos fuisse, damnum summum inferendo territorio *Tiburtino*, cæterorumque Populorum sociorum in vicinia; cùm verò non concederent *Romani*, ut *Latini* vim propria vi repellerent, hoc periculo ipsos liberarunt, hostibus stragem maximam inferendo.

Sabini vastant territorium Tiburtinum.

Nec ideo diu otio pacis fruiti fuere; siquidem *Hetrusci*, & præcipuè *Vejentes* conjuncti cum *Sabinis*, clade extrema fines *Romanorum* affecêre, unde in auxilium *Latinos Hernicos*que vocare coacti fuerunt; quos socios *Publius Valerius* Consul duxit ad oppugnandos hostes; acciditque, ut dum ipse intentus exisset conatibus *Vejentium* reprimendis, *Volsci Æqui*que, castrametati in pagis *Latinorum*, spoliarent diriperentque oras ipsorum, quibus citimi *Tiburtini*, ut detrimentum majus sufferebant, sic ad resistendum procliviores erant & expeditiores, quare ipsi simul cum cæteris *Latinis*, opeque sola *Hernicorum* adjuti, qui castris ipsos exuerant, non modò res direptas receperunt, verùm etiam spolia ditissima insuper adepti fuerunt, auctore *Livio* alleg. lib. 2. Præterea dum gereretur bellum à *Volscis* & *Æquis* anno trecentesimo primo ab Urbe condita *Appius Claudius*, homo notissimus, atque illorum Decemvirorum unus, qui res omnes locaque omnia Imperii *Romani* sibi vindicârant, mortuus in Carcere inventus fuit, quo detrusus erat incitante *Virginio*, homine plebi charissimo, quòd insidias struxisset pudicitiæ *Virginiæ*, ejus filiæ, ita venustæ, ut nihil supra; quam ut in potestatem suam redigeret, lite ficta adjudicaverat *Marco Claudio*, clienti suo, quasi genita esset è serva quadam sua, quamobrem *Virginius*, cùm ipsi nullum restaret medium servandæ libertatis pudicitiæque filiæ miserrimæ, coactus fuit in medio foro occidere ipsam, additis his verbis à *Dionysio* lib. II. recitatis: *Liberam te, & honestam, filia, ad Manes tuorum proge-*

97 *Tiburtini* damna resarciunt illata à Sabinis.

Appius Claudius Decemvir, in Carcere mortuus.

Virginia Puella *Romana* interfecta à Patre.

genitorum mitto, nam viventi neutro horum tibi potiendum erat.

Gravis & miserabilis casus ita Populum ad iram incitavit, ut sublatis decemviris *Appium* carceri includeret, ubi mortem sibi conscivit, notante *Livio* lib. 3. Decad. I. vel jussu Tribunorum plebis, ut refert *Dionysius*, interiit, & *Marcus Claudius Appii* cliens, & socius sceleris mortis damnatus fuit, vita tamen, intercedente *Virginio*, ipsi con-
98 cessa est, Patriumque vertens solum, *Tibur* exul se recepit, docente *Livio* lib. cit. 3.[1] M. Claudius *assertor* Virginiæ, *die dicta damnatus, ipso remittente* Virginio *ultimam pœnam, dimissus* Tibur *exulatum petiit.*

1. nel d. lib. 3.

B Cùm omninò *Tiburtini* constanter adhærerent paci, fœderique, (inter *Romanos* & *Latinos* post pugnam ad lacum *Regillum* per seculum jam continuato) maximam *Romanis* suspicionem movit defectio ipsorum; cùm, (postquam *Galli Senones Romam* incenderant,) *Romani* ipsi coacti fuissent manum conferre cum *Volscis* continuis sævisque hostibus, & iidem victoria insigni reportata, inter captivos cognovissent nonnullos è populis *Latinis*, & præcipuè è *Velitris* & *Circeis*; quare ut communem in omnibus Populis *Latinis* fœderis rupturam hanc acceperunt *Romani*, atque consultarunt de bello ruptoribus fœderis pacisque communis inferendo.

C Quapropter *Latini*, ut cladem hanc evitarent, simul & amoverent suspicionem, confestim Legatos *Romam* miserunt indicatum, Milites illos *Latinos* contra ipsos publico assensu non militasse, verùm sponte sua, addentes & alias rationes, ut qui persisterent in fœdere integri. *Romani* verò excusationem multorum ex his Populis, & inprimis allatam à *Circejensibus* & *Velitris* rejecêre, quibus insuper durissimum responsum dedêre, narrante *Livio* lib. 7. Decad. I. *Per eosdem dies* Latinis, *&* Hernicis, *simul Colonis* Circejensibus, *& à* Velitris, *purgantibus se* Volsci *crimine belli, ca-*
99 *ptivosque repetentibus, ut suis legibus in eos animadverterent, tristia responsa reddita.*

Legatos Veliternorum malè duriterque excepère Romani.

D At verò *Romanis* summè placuerunt causæ allatæ pro *Tiburtinis* ab Legatis ipsorum, unde & voluerunt in vulgus edere *Tiburtinorum* constantiam & amorem, quem integrum in sese foverent; insculpserunt verò testimonium hoc tabulæ æneæ in Templo *Castoris* suspensæ, die quinto Maji, circiter annum trecentesimum sexagesimum & octavum ab Urbe Condita, qui tertius erat post captam *Romam* à *Gallis Senonibus*, quibus intercesserunt *Lucius Cornelius* & *Aulus Manlius*, *Sextus Julius* & *Lucius Postumius*; hi vel hoc anno, vel priori fuerunt Tribuni Militum auctoritate Consulari.

Legatos Tiburtinos decoravère Romani.

E Legati *Tiburtini* cum summa lætitia Patriæ suæ Tabulam hanc domum retulerunt, fueruntque cum gaudio publico, ut æquum erat, recepti, tradentes Inscriptionem memoratam, ceu decus singulare sanctumque, Sacerdotibus Templi *Herculis*; ideoque non absurdum judicandum erit, statuere, quod Tabula hæc ipsa ænea præteritis annis fuerit reperta, eruendo fundamenta domus citerioris Templi *S. Laurentii*, olim Templi *Herculis*, atque prope hanc simul caput marmoreum, quod autumant repræsentare Dictatorem *Tiburtinum*,

F quoniam moris erat Rebuspublicis Communibusque *Latinis* (ut & *Romæ* fieri solebat,) necessitate urgente, Dictatorem constituere; ut auctor enim *Livius* est libro allegato septimo, *Tusculi* creatus
100 fuit Dictator, qui excusaret populum suum apud *Romanos*, cùm ipsos fidem rupisse suspicarentur; vel forte exhibebit caput Prætoris *Tiburtini*, ad opinionem doctissimi nostri *Nicodemi*, qui ipsam Inscriptionem *Tabulæ* ita recensuit: *Hujus Consulti exemplar exstat clarissimum formosis ænea in Ta-*

Dictator Tiburtinus.

A *bella litteris incisum, quod hisce temporibus, dum ædium quarundam apud S.* Laurentii *effoderentur fundamenta, est repertum, & juxta, caput quoddam marmoreum, quod* Tiburtis *Prætoris esse creditur imago.*

L. CORNELIVS. C. N. F. SEN. CON. A. D.
III. NON. MAIAS. SVB. ÆDE, KASTORVS.
SCR. ADF. A. MANLIVS. A. F.
SEX. IVLIVS. L. POSTVMIVS. S. F.
QVOD. TEIBVRTES. V. F.
QVIBVSQVE. DE. REBVS. VOS. PVRGAVISTIS.
EA. SENATVS. ANIMVM. ADVORTIT.
B ITA. VTEI. AEQVOM. FVIT.
NOSQVE. EA. ITA. AVDIVERAMVS.
VT. VOS. DEIXISTIS. VOBIS NONTIATA ESSE.
EA. NOS. ANIMVM. NOSTRVM
NON. INDOVCEBAMVS ITA FACTA ESSE
PROPTEREA. QVOD. SCIBAMVS.
EA. VOS. MERITO. NOSTRO.
FACERE. NON. POTVISSE.
NEQVE. VOS. DIGNOS. ESSE. QVEI. EA. FACERETIS.
NEQVE. ID. VOBEIS.
NEQVE. REIPOBLICAE. VOSTRAE.
OITILE. ESSE FACERE. 101
C ET. POSTQVAM. VOSTRA. VERBA SENATVS. AVDIVIT.
TANTO. MAGIS. ANIMVM. NOSTRVM.
INDOVCIMVS. ITA. VTEI.
ANTE. ARBITRABAMVR.
DE. EIEIS REBVS. AF.
VOBEIS PECCATVM NON. ESSE.
QVONQVE. DE EIEIS. REBVS. SENATVI.
PVRGATI. ESTIS. CREDIMVS.
VOSQVE. ANIMVM. VOSTRVM INDVCERE.
OPPORTET ITEM. VOS.
POPVLO. ROMANO. PVRGATOS. FORE.

D Postea non paucis Civitatibus *Latinis*, propter fœdus ruptum, bellum intulêre *Romani*, atque inter alias *Antio*, *Velitris* & *Prænesti*, quod ubi fortissimè bellum & obsidionem sustinuisset, cum Castellis munimentisque suis octo adactum fuit sese permittere *Romanis*; bellum dein anno CCCXCV. ab Urbe Condita indixêre *Hernicis*, quos etsi superarunt, non tamen feliciter rem gessêre; etenim, auctore *Livio* lib 7. Decad. 1. amissêre ibi Consulem, multosque Præfectos militares, quapropter anno proximo iterum eos aggressi sunt, & nemine obstante ullo modo, vi occupârunt *Ferentinum* oppidum *Hernicis* subjectum,

Antium, Velitræ & Præneste cum octo suis munimentis deditionem fecêre Romanis.

Ferentinum, Urbs Campaniæ à Romanis occupatum.

E reversique *Romam* viâ Anagninâ duxerunt copias, ut per oppidum *Tibur* transirent; quo à *Tiburtinis* 102
percepto, extemplo convocatur Senatus; hunc verò attonitum dubiumque consilii, quid in tam inopina ultimaque necessitate facere oporteret, gravissimus quidam ipsorum honoratissimusque (ut à verò abhorrere non videtur) ita allocutus est:
„Res ita se non habet Cives, ut tempus consulendo terere liceat, siquidem antè *Romani* intra „mœnia *Tiburtina* erunt, quam nos, quid necessarium, quid utile, concludere possumus. „Quin in ultima necessitate oportet consilia capere, quæ maximè adjuvant præsentia mala, &

F „quæ aliis imminentibus occurrere possunt. Quare mihi quidem videtur, ut *Romanis* venientibus, sive amicis, sive hostibus, portas oppidi „claudamus, transitumque planè prohibeamus; „etenim veniant amici, quis obsistere valet, „quis refrænare petulantiam exercitus victoris, „imò militis tam assueti rapinis, tam proclivis ad „vim inferendam, quæ itaque non subeunda „erit injuria, quod detrimentum, quæ vanitas &

Oratio Tiburtini senioris cujusdam inter consultantes de impediendo Romanorum transitu.

„stultitia, si stolidi admittamus in domum nostram? utique responderitis, si transitu arceamus, nos reos futuros esse fœderis fracti, & amicitiæ, (quæ adeo apertè cum *Romanis*, jam per annos quinque & viginti servamus, ipsique vicissim erga nos servarunt) violatæ, quorum etiamnum hodieque in Templo *Herculis* recens servatur memoria & monumentum, adeoque ipsis ratio esset inferendi nobis bellum cruentissimum. Verum enimvero minus officiet, bellum timere futurum, quàm præsens sustinere, nec nos esse primos ru-
103 ptores, & *Romanos* leges amicitiæ pacisque dicam violaturos, cum rem nullam, quæ suspicionem possit afferre amicis, illis sit abscondenda, nec in domos eorundem liceat irrumpere armatos atque instar hostium. Quæso, quid coëgit *Romanos* hac via longiori, hoc compito minus assueto *Romam* petere? nisi ut Victoriam, ut belli fortunam persequantur, atque ab uno confecto bello ad aliud pergant, subactoque *Ferentino*, etiam ditioni suæ adjiciant *Tibur*. Et quis non intelligit, quis non capit, ipsos aliud nihil in animo habere, nisi sensim Populos subigere, & tandem omnibus dominari? cùm satis videamus, satis experiamur, ipsos quomodocunque quærere venarique occasionem violandi fœderis, rumpendi amicitiam. Satis notum est, satis apparet, quomodo rem gesserint *Antii*, *Velitris* & *Præneste*, quid *Hernicis* fecerint, quid *Ferentinis*. Imo quæ commodior occasio ipsis erit hâc, opprimendi *Tibur*, obtentu fœderis & amicitiæ? Hæccine Civitas prima quæ ita capta fuit? Deficerentne causæ rationesve *Romanos* in vulgus edendæ, quòd hoc permissum, hoc ipsis concessum fuerit? Ego quidem, quod in me est, certum habeo, id ipsum, quod jam in nos tentant, & quod vos adeo confundit, non aliud esse, ac sagacissimum stratagema ac militarem versutiam, quippe qui satis expertes, satis gnari nostræ potentiæ, peritiæque armorum, non videbuntur sibi benè aptèque fecisse, si nobis bellum inferant, quòd tot tamque potentes hostes undiquaque habeant; quamobrem per amici nomen, publicumque fœderis obtentum, nos securos retinere avent, atque fidei suæ mancipatos, usque quò, vicinis sociisque omni potentia privatis, viduatis, nosmet ipsi omni spe,
104 omni expectatione auxilii ullius exteri seposita, tandem sine ulla libertatis spe reliqua, sub illorum potestatem superbissimam reciderimus; dies hic, tempus hoc, meâ sententia, mox adest, ipsis advenientibus, ni vos noveritis declinare tantum periculum.„

Conclusio Senatus *Tiburtini*. Portæ *Tiburtinæ Romanis* clausæ.

Audita hac Oratione, in sententiam senioris ivêre cives, ut defensionem videlicet pararent; quare dimisso Senatu, statim portas oppidi clauserunt, arma sumserunt, muros ascenderunt, quinimo præ se tulit quivis, vitam potius deponere, quàm transitum concedere *Romanis*; qui *Tibur* venientes videntesque præclusum introitum, omniaque commode provisa beneque custodita, existimarunt, tempus non esse quicquam occipere, verùm reduces *Romam*, ad Senatum referunt, quæ *Tibure* acciderant; nec quoque sibi defuêre *Tiburtini*, quin *Romam* mitterent legatos, ad indicandum terrorem tremoremque sibi incussum, quem exercitus ipsorum sine jure merito populo *Tiburtino* intulerat, ita ut coactus fuisset ad faciendum id, quod effecerat, ad suam patriæque salutem retinendam; *Romani* vero exprobrantes *Tiburtinis* vacillantem erga sese fidem, oblatam occasionem existimarunt indicendi ipsis bellum, ut narrat *Livius* dicendo: *Ea ultima fuit causa, cum multæ ante querimoniæ ultro citroque jactatæ essent, cur per Feciales bellum* Tiburti *Populo indiceretur*. Ita-

Romani indicunt *Tiburtinis* bellum.

A que à *Romanis* Dictator creatur *Titus Quintius Pœnus*, indicio aperto, quàm bellum hoc ab ipsis haberetur gravissimum.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

105

INter hæc *Romani*, *Gallos Senones Romæ* appropinquâsse, rescientes, statuerunt expeditionem in *Tiburtinos* differre, atque hostibus tam callidis, tamque formidabilibus obviam ire. *Tiburtini* vero
B occasionem oblatam hujus casus arripientes, societatem cum *Gallis* non dubitavêre inire, ut *Romanorum* progressus impedirent, quod ita effectum dederunt:

Castra metati erant *Galli* (narrante *Livio* lib. VII.) *Salaria* via, trans pontem *Anienis* nostri, tribus milliaribus à *Roma*; *Romani* verò in citeriori fluvii ripa castra posuerant; & post prælia de occupando ponte crebra, eximia corporis magnitudine *Gallus* quidam processit, & quanta potuit, maxima voce provocavit *Romanos*, ad monomachiam pugnamque singularem lacessendo quemcunque ipsorum. Provocationis impatiens *Titus Manlius*, vir
C altioris animi, veniâ ab Dictatore postulatâ, fortissimè in procerum vastumque pergit longurionem, ipsumque occidit; quare lætus feroxque cum aureo torque, *Gallo* isti detracto, revertitur 106 in Castra *Romana*; ubi cum gratulatione militarique laude gloriosè exceptus fuit, è torque verò memorato *Manlius* cognomen *Torquati* traxit, quod retinuêre posteri ipsius.

Manlius Torquatus Gallum gigantem conficit.

Vicissim hæc victoria necopina tantum attulit copiis *Gallicis* timorem, ut proxima nocte castra relinquentes, festinatione summa effugerent,
D *Tibur*que transirent, ubi recollectæ benignè fuerunt, atque commeatu adjutæ.

Manlius, unde nominatus Torquatus.

Occasio hæc ambobus populis, qui odio in *Romanos* flagrabant, ansam præbuit simul transigendi pactum & fœdus, quo viribus conjunctis hostes opprimerent. Et sicut regnante affectu & ira, vix consilium sapiens vel maturum capitur, verùm subitò ruit quisque ad illa media, quæ scopo suo maximè commoda sunt, nimirum defensioni suæ, oppressionique hostis; ita factum fuit ex improviso fœdus arctissimum & societas inter *Gallos* & *Tiburtinos*, indeque mox *Tibure* exeunt
E *Galli*, palàm & summa cum alacritate copiis *Tiburtinorum* sibi adjunctis, *Livio* testante lib. alleg. VII. *Gallorum exercitus proxima nocte relictis trepidè Castris in* Tiburtem *agrum*, *atque inde societate belli facta*, *commeatuque benignè ab* Tiburtibus *adjutus*, *mox in* Campaniam *transiit*,

Fœdus inter *Gallos* & *Tiburtinos*.

Romani verò his compertis, consilio Populi communi decrevêre, bellum in *Tiburtinos* continuandum, Præfectumque Copiarum *Cajum Petilium* Consulem constituerunt. 107

Tiburtini vero, ex *Campania* in subsidium evocant *Gallos*, quorum ipsi duces in agris *Lavicanis*, *Albanis* & *Tusculanis* spolia rapinasque terri-
F biles collegerunt, addente eodem rerum scriptore: *Ad quorum auxilium cum* Galli *ex* Campania *rediissent*, *fœdæ populationes in* Lavicano, Tusculano*que*, *&* Albano *agro*, *haud dubiè* Tiburtibus *ducibus*, *sunt factæ*.

Tiburtini diripiunt aliquot oppida.

Itaque ad gerendum cum successu hoc bellum adacti sunt *Romani*, ut necessitate tanta accedente, eligerent Dictatorem *Quintum Servilium Ahalam*, Senatusque consulto votum susceptum est, ut bello feliciter finito, *Romæ* Ludi festaque solennia celebrarentur. Quamobrem *Romani Campaniam* invadunt duobus cum exercitibus, altero ducto à Dictatore, altero à Consule; substitit hic haud ita

ita procul oppido *Tibure*, Dictator autem non longè progressus est à porta *Collina Romana*; itidemque sese initiò dispescuerant *Tiburtini*, nam alii in oppido remansêre in refugium *Gallorum*, atque præsidia civitatis, alii vero progressi sunt prope mœnia *Romæ*; ubi pugna inter copias *Gallicas* & Dictatorias vi omni *Romanorum*, spectan-
108 tibus Patribus Matribusque, filiabus filiisque, incepit, in qua, utrinque strage accepta maximâ, *Galli* tandem terga verterunt, fugiendo *Tibur* tanquam in tutum asylum; cùm vero quidam *Tiburtinorum* obviam exissent, utrisque non procul Oppido occurrens Consulis exercitus, intra mœnia ipsos compulit, subjungente *Livio* citato lib. *Magna utrinque edita cæde, avertitur tandem acies* Gallorum, *fuga* Tibur, *sicut arcem belli* Gallici *petunt, palati à Cos.* Petilio, *haud procul* Tibure *excepti, egressis ad opem ferendam* Tiburtibus, *simul cum iis intra portas compelluntur*; locus verò *Tiburi* propinquus, quem *Franciscus* & *Josephus Brigantes Columnæ*, Patritii *Tiburtini*, habent, è cæde *Gallorum* etiamnum nuncupatur *Galli*.

Prælium inter Romanos, Gallos & Tiburtinos.

Locus Galli in finibus Tiburtinis nuncupatur.

Quapropter Consul *Petilius* duplicem meruit triumphum, è *Gallis* nimirum, atque *Tiburtinis* Nec hi talem triumphum è sese parari animo passi fuêre æquo, quippe rem sine ratione existimarunt *Tiburtini*, insimul obesse fortitudini suæ animique magnitudini, si vitæ metu reticerent id, quod in ipsa Civitate *Roma*, ad honorem propriæque gloriæ propugnationem, imo Patriæ longe præstantis superantisque ipsam vitam, palam fieri oporteret; quare conversi ad exprobrandum id *Petilio* triumphatori ovanti, in hæc verba eruperunt: „Tune dicis, te gloriam victo„riæ reportasse contra nos, quasi justum Victo„rem? ecce, potesne locum, ubi pedem contuli„mus, ostendere? reminiscere sudoris à te emis„si; qua virtute, qua fortitudine, qua astutia, ut „vinceres, usus fuisti? imò quæ erat pugna,
109 „quam vicisti, & qua subnixus triumphas? si igi„tur, vos *Romani*, sine prælio, intra mœnia „compulistis paucos quosdam *Tiburtinos*, qui exi„erant spectatum fugientes *Gallos*, & trepidantes, „atque sine discrimine interfecistis, moxque mo„nuistis, eandem ipsos à vobis hostilitatem manere, „nisi sponte sese in Patriam recepissent; si ante „portas nostri oppidi tumultum excitastis, deprae„dicate, res est triumpho non indigna; vobis „promittimus, vobis spondemus futurum, ut tu„multum ejusmodi, qui in metum multò majorem „vos adducet, effecturi ante ipsas portas vestras si„mus.„ Hæc loquuti sunt *Tiburtini*, in triumpho solemni traducti, tanta animi magnitudine, tanta vi, ut Historicus *Patavinus* admiratus, instar rei insolitæ, nec usquam tempore ullo auditæ, narrationi suæ in monumentum sempiternum, hoc modo inseruerit: *Irridere* Petilii *Triumphum* Tiburtes*: ubi enim eum secum acie conflixisse? spectatores paucos fugæ, trepidationisque* Gallorum *extra portas egressos. Postquam in se quoque fieri impetum viderint, & sine discrimine obvios cædi, recepisse se in urbem: eam rem triumpho dignam visam* Romanis, *ne nimis mirum, magnumque censerent, tumultum excire in hostium Portis, majorem ipsos trepidationem ante mœnia sua visuros.*

Petilius Consul triumphum ducit è Gallis & Tiburtinis.

Itaque, ut pergit rerum scriptor, anno proximo, nimirum trecentesimo nonagesimo sexto ab Urbe Condita, ad ulciscendam injuriam *Tiburtini* (nec tamen omnibus viribus copiarum) subitò,
110 noctu perrexêre *Romam*, adscensuri mœnia; quo strepitu perculsi *Romani*, qui securissimi alto somno impliciti erant, buccinarum sonitu tympanorumque, ad arma conclamantium excitabantur, omnesque, ubi impressionem timebant, sese recipiebant, & ubique per mœnia arma disponebant: mox illucescente primo manè experti, paucissi-

Tiburtini subitò portas Romæ affliunt.

A mos esse *Tiburtinos*, animum resumserunt, prodieruntque bifariam ambo Consules *Marcus Popilius Lænas*, & *Cnæus Manlius*, ad fugandos *Tiburtinos*, qui voti compotes, nimirum ut *Romanis* timorem incuterent, reversi sunt domum.

Postea *Romani* per triennium bellum cum *Tiburtinis* gesserunt, cui præfecti fuêre Consules *Romani* creati *Marcus Fabius Ambustus*, nominatusque *Marcus Popilius Lænas*. Hi memores injuriæ tempore prioris sui Consulatus illatæ à *Tiburtinis*, subito in ipsos ducunt exercitum, cui nostrates animosè fortissimeque sese opposuerunt; verùm tandem adactis iisdem intra oppidum sese recipere,
B fines *Tiburtini* miserè direpti fuêre, atque vastati; perduravitque postea bellum, *Cajo Sulpitio Potito* & *Marco Valerio Poblicola* Consulibus novis, qui Legiones suas duxerunt ad detrimentum inferendum *Tiburtinis*. Hi observantes ambos Consules adesse copiis, quum insuetum esset ambobus Consulibus rem gerendam suscipere, animum demiserunt, quare etsi pede collato præliati sunt, tamen prælium, ut solebat, non fortiter fuit gestum, nec solita laude dignum; itaque facillimè victi fuerunt *Tiburtini*, amisso oppido suo, vo- 111
cato *Empulo*, cujus vestigia hodieque habentur in agris *Tiburtinis* in loco Castelli *Madamæ*: *Empu-*
C *lum* (addit *Livius*) *eo anno ex* Tiburtibus *memorando certamine captum, sive duorum Coss. auspicio bellum ibi gestum est &c.* ut autem viderunt *Romani* timore perculsos *Tiburtinos* animoque demissos, statuerunt, non oportere induciis tempus præbere reficiendi vires, verùm continuando bellum plane ad incitas esse redigendos; quare anno sequenti, ductu *Fabii Ambusti* Consulis novi, prælium cruentum & diuturnum commissum fuit cum *Tiburtinis*, quod non desiit, usque quo *Tiburtini* lassi, decreverint arma deponere, *Romanis*que victoribus cedere; nam quum & aliam civitatem, nuncupatam *Saxulam* amisissent, essentque in sum-
D mo discrimine faciendi jacturam reliquorum Castellorum omnium suæ ditionis, *Romanis* deditionem ultroneam facere maluerunt, ideoque mansuete humaniterque erga victos sese gessêre *Romani*; non tamen triumpho de *Tiburtinis* privatus fuit Consul *Fabius Ambustus*, recensente *Livio* allegato libro septimo: *Cum* Tiburtibus *usque ad deditionem pugnatum*, Saxula *ex his Urbs capta, cæteraque oppida eandem fortunam habuissent, ni universa gens positis armis in fidem Consulis venisset. Triumphatum de* Tiburtibus, *alioquin victoria mitis fuit.*

Romani arma in Tiburtinos resumunt.

Empulum oppidum Tiburtinorum occupatum à Romanis.

Romani continuant bellum adversus Tiburtinos.

Tiburtini civitatem Saxulam amittunt

Ambustus Consul triumphum agit de Tiburtinis.

E Hinc conficitur, *Romanos* non modò ostendisse hoc pacto magnitudinem agri *Tiburtini*, latosque fines, verum etiam sibi terribiles se subjecisse hostes, quippe qui triumphum Consuli de iis victis concesserint, quod nemini eveniebat, nisi rem gereret maximi momenti. Nec diu amicitiam *Ro-* 112
manorum servavêre *Tiburtini*, siquidem, annos quindecim post victoriam memoratam, cum reliquis *Latinis*, sociis fœderis, ad propugnandam communem suam libertatem, adacti fuerunt arma vertere in *Romanos*; atque utrinque ab exercitibus ingentibus signa collata fuerunt prope *Vesuvium*, ubi *Latini* adeo fortiter præliati sunt, ut quamquam superarentur, tamen existimarent vi-
F ctoria potius caruisse infortunio suo, quam fortitudine *Romanorum*; hoc autem eò verisimilius ipsis videbatur, quo cædem ipsorum viderant majorem, occisumque Consulem *Valerium*; igitur optarunt iterum aleam belli experiri; quare copiis refocillatis, gradum rursus non dubitarunt cum hoste conferre, in quo bello *Latini* cædem rapinamque experti fuerunt extremam, verùm inde magis exacerbati, quam timore perculsi, jusserunt vehementius solito scribere militem novi-

Pugna Latinorum & Romanorum ad Vesuvium.

tium ex omnibus oppidis Castellisque *Latinis*; atque repente duo exercitus collecti fuerunt, quorum alter, adolescentium electorum, castra posuerat in planitie *Senettana*, alter, robur potissimum continens *Tiburtinorum*, metatus erat ad oppidum *Pedum*, haud ita procul *Tibure* atque *Roma* dissitum, cujus hodie ulterius non superest cognitio, docente *Abrahamo Ortelio*.

Copiæ *Tiburtinæ* prope *Pedum*.

Apparatus hic non levem *Romanis* injecit curam, quippe qui maxime suspicerent summam potentiam, experientiamque *Latinorum*, auctore
113 *Livio*, quamobrem solicitius studuerunt tales hostes pellere atque longius removere; Belli hujus curam commisêre *Publio Philoni*, & *Æmilio Mamercino* Consulibus, tanto quidem studio, tanta instigatione, quantam rei hujus gravitas pondusque exposceret. *Philo* suscepit juventutem *Latinorum* lacessendam, & *Æmilius Pedum* copias duxit. ille victoriam adeptus est, atque *Romæ* triumphavit, hic verò, quasi particeps victoriæ *Philonis*, re expeditioneque ad *Pedum* omissa, citissime *Romam* reversus est, ut etiam triumphum ovans ageret. Verùm regessit: Senatus talem gloriam sese nemini, nisi victori, concedere: igitur prius vinceret, & dein triumphum expeteret. *Æmilius* responso offensus Senatu abiit, quare bellum ad *Pedum* in annum proximum dilatum fuit.

Æmilii Consulis inepta petitio.

Alii dehinc creantur Consules, *Livius Furius Camillus* & *Cajus Mævius*, quibus multa cum cura commendavit expeditionem ad *Pedum* Senatus, ut alia solicitudine omni relictâ quàm primùm hanc solam curam susciperent; quoniam *Latinos* sæpissime profligatos satis jam deficerent vires, ipsis *Tiburtinis* vero semiprostratis, non possent non sperare exitum faustissimum; quare *Furius Camillus Pedum* se confert, *Mævius* verò intellecto *Veliternos*, *Aricinos* & *Lanuvinos* cum *Volscis* conjunctos esse, inexpectatò illis obviam fit ad flumen *Asturam*, ubi hos populos disjecit Consul & fudit; itaque auxilia nulla impetrare potuit *Pedum*, nisi à *Tiburtinis*, qui numerosissimas copias objecêre *Camillo*, fortissimè pugnantes, narrante *Livio* octavo Deca-
114 dis primæ: Camillus *ad* Pedum *cum* Tiburtibus *maximo ac valido exercitu majori mole, quamquam æquè prospero eventu pugnat.*

Veliterni & *Aricini* funduntur ad flumium *Asturam*. Copiosissima auxilia *Tibure* missa *Pedum*.

Denique oppidum *Pedum*, scalis admotis occupavit, cepitque Consul *Romanus*; *Camillus* etiam, ut victoriam urgeret, ad omnes Civitates *Latii* undiquaque duxit exercitum, quæ omnino attritæ, facillime subactæ fuerunt; hinc *Romam* rediit Victor *Camillus*; ibique pompâ gloriosissimâ simul cum altero Consule de populis *Latinis* triumphum egit; *Romani* verò arbitrati victoriam hanc maximè ad utilitatem suam conducere, insuper adjunxêre triumpho aliam rem, quæ ipsis alias infrequentissima esset, nimirum, in memoriam sempiternam Consulum victorum posuêre duas ipsis statuas equestres in foro publico, additque *Livius* pompâ triumphali consummatâ, Senatum de pœna populis subactis infligenda consultâsse, & in hanc pedibus ivisse Sententiam.

Pedum occupatum à *Romanis*. *Romani* omnes *Latinos* superant, aguntque ex ipsis triumphum.

Pœna à *Romanis* imposita *Latinis*.

Lanuvinis. *Lanuvinis* data fuit Civitas, redditæque cœremoniæ suæ & sacrificia.

Aricinis *Aricinis*, *Nomentanis* atque *Pedanis*, ut *Lanuvinis* data Civitas fuit.

Nec negata fuit Civitas *Tusculanis*, quâ gauderent; defectionisque culpa in paucos est rejecta, ita ut tantummodo pœnas dederint auctores ejusdem.

Velitræ destructæ sunt, Civibusque habitacula Transtyberina data, addito edicto ne quis ipsorum in Cistyberinam regionem transiret, nisi sub
115 pœna statuta; oppidum verò, coloniâ eò à *Romanis* deductâ, propediem reædificatum fuit.

A

Antiates privati sunt triremibus, quarum quædam *Romam* in armamentarium deductæ fuerunt, quædam combustæ; atque è rostris puppibusque ipsarum suggestus ille editus in foro *Romano* fuit constructus, quem postea appellavêre *Rostra*, pro quibus dicere soliti fuerunt *Romani*, atque concionem ad Populum habere.

Antiates hodie *Neptunii*.

Suggestus publicus, ubi perorarunt pristini, quare vocetur *Rostra*.

Tiburtibus verò nostratibus, & *Prænestinis* dempta fuit magna pars finium, atque hoc non modò propter defectionem, errorem, inquam, communem reliquis *Latinis* omnibus, sed etiam quòd pertæsi Dominium *Romanum* societatem cum *Gal-*

B

lis inierant, teste *Livio* libro octavo: *Tiburtes*, Prænestini*que agro mulctati, neque ob recens tantum rebellionis commune cum aliis* Latinis *crimen, sed quod tædio Imperii* Romani, *cum* Gallis, *gente efferata, arma quondam consociassent.* Hinc satis superque evincitur, *Tiburtinos Prænestinos*que simul fœdus icisse.

Tiburtes & *Prænestini* pœnas luunt fœderis initi cum *Gallis*.

Evenerunt omnia memorata anno CDXVII. ab Urbe Condita, & ante Servatorem Universi natum anno trecentesimo, quarto & tricesimo.

Attamen non relatum est, oppidum *Tibur* alias dedisse pœnas, præter agrorum amissionem, ut memoratum est, verùm antiqua ipsi relicta est libertas & dominium, ita quidem, ut *Romanus* Victor

C

abstinere prohiberetur prehendendo *Romæ* damnato qui intra confinia *Tiburtina* confugisset, docente *Polybio* libro sexto, tali modò tutos quosdam esse *Neapoli*, *Tibure* & *Præneste*; exemplum- 116
que manifestum factum *Romæ*, annis quinque & viginti post notatam *Latinorum* cladem, relatum est à *Livio* libro nono Decadis primæ, videlicet: *Appium Claudium* & *Cajum Plautium* Censores anno CDXLIII. ab Urbe Condita severe prohibuisse Tibicines vesci & bibere in æde *Jovis*, festis actis & victimis; itaque ægre id eosdem passos, *Tibur* uno agmine abiisse *Româ*, tanquam ad liberum oppidum, nec *Romanæ* jurisdictioni subje-

Exules *Romani* olim securi fuerunt *Tibure*, *Neapoli* & *Præneste*. Tibicines *Roma* abeunt *Tibur* unô agmine.

D

ctum; postea feriis præsentibus animadvertisse *Romanos*, neminem in urbe esse, qui more solito sacrificiis præcineret, & intellexisse, omnes *Tibure* manere, proposito eodem nequaquam redeundi, putantesque summum defectum esse superstitionis inanissimæ in cultu Deorum, Legatos *Tibur* misisse eosdem darent operam precando, ut hi homines meliori quovis modo sibi *Romæ* restituerentur: *Legatos*, scribit *Livius*, Tibur *miserunt, ut darent operam, ut hi homines restituerentur.*

E

Tiburtini verò, qui jam benignitate mutua utebantur erga *Romanos*, animo pronissimo spopondêre, sese adhibituros esse omnem artem satisfaciendi postulatis; itaque hortationibus promissisque pervicaces Tibicines frustra allectos tentarunt, & tandem eos, ut *Romanis* faverent, 117
consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum ejusmodi aggressi sunt. Die festo ad epulas cantu celebrandas Tibicines invitant, ubi nimium vinum suppeditant illis *Tiburtini*, eoque onerant sese Tibicines, ita ut proverbio communi locum dederint: *Ei beve più d'un Pifaro*; id est *superat potando tibicinem.* Quare statim obruti somno, vincuntur, & mox sopiti in plaustra conjiciun-

Adagium.

F

tur, noctuque *Romam* deportantur, atque luce oriente in foro publico relinquuntur; concursu verò populi facto, e somno excitati Tibicines fallaciæque gnari, maximè fremuerunt, volueruntque iterum effugere; blandius autem *Romani* ipsos præmiis & immunitatibus retinuerunt. Rem præterea describit *Ovidius* lib. VI. *Fastorum*, qui libertatem *Tiburtinam* palam facit canendo:

Exilio mutant urbem, Tibur*que recedunt.*
Exilium quodam tempore Tibur *erat.*
Quæritur in scæna cava tibia, quæritur aris,

Du-

Ducit supremos nænia nulla choros.
Servierat quidem, quantolibet ordine dignus
Tibure, *sed longo tempore liber erat.*

Ex versibus hisce patet, *Tibur* numeratum non fuisse inter oppida quæ *Romani* vocarunt Colonias, Præfecturas & Municipia, verùm inter so-
118 cia & fœderata, in quæ auctoritatem aliam nullam exercere poterant, ac leges terminique fœderis concedebant; cæterùm libertate gavisi sunt Cives, sibi relictâ auctoritate administrandi Rempublicam, nec ad alium quemquam aliquid referendi. Propalam faciunt ad vindicandam libertatem verba *Ciceronis*, Oratione pro *Cornelio Balbo: Multi in Civitatem ex liberis fœderatisque populis.* In quibus recenset *Tiburtinos*, addens: *Quomodo igitur* L. Cassinius Tibursi, *pater hujus equitis* Romani, *optimi, atque ornatissimi viri, damnato* Cœlio, *quomodo ex eadem Civitate* T. Coponius *Civis, item summa virtute, & dignitate* T. & C. Coponius, *nostis Nepotes, damnato* C. Masone, *Civis* Romanus *est factus?*

Tibur oppidum liberum, junctumque Romanis fœdere.

Atque in has Civitates fœderatas, ut *Tibur*, concessum erat exulibus *Romanis* effugere, quapropter *Ovidius* Elegia quinta libri. I. de *Ponto*, non dubitat priscis invidere *Romanis*, qui exilium tam jucundum, quàm *Tibur* esset, haberent, canendo:

Quid referam veteres Romanæ *gentis, apud quos*
Exulibus tellus ultima Tibur *erat.*

Eodem seculo, anno, inquam, CDXLVII. ab Urbe Condita, *Marcus Valerius Maximus*, Consul *Romanus*, subactis victisque populis *Marsis*, coloniam prope Lacum *Fucinum* deduxit, à suo nomine nuncupatam *Valeriam*, quæ demum celebris extitit natalibus Pontificis Maximi *Romani*, *Bonifacii Quarti*; voluitque insuper in his tractibus viam sternere aptissimam, ut discere licet è *Livii* libro nono Decadis primæ.

Valeria, Civitas.

Incepit verò via à finibus *Tiburtinis*, prope *Aquas sulphureas*, perrexitque ab veteri porta Civitatis, vocata *Obscura*, ubi via obducta erat capa-
119 cissimis testudinibus, usque Templum *Herculis*, ut concludere est è vestigiis antiquorum ædificiorum, quæ habentur in hac *Porta Obscura*, via *Romana Collina*, vocata *Aula Comitum*, ubi in granariis *Hieronymæ*, filiæ Doctoris *Hippolyti Theobaldi*, Conjugisque *Jo. Mariæ Cocanaris*, Nobilis *Tiburtii*, hæc visitur inscriptio.

Via Valeria.

L. NONIVS L. F. PANSA. TVL.
TVLLIVS TVL. F.. IIIIVIR
D. SS. F. C. C. MANIVS C. F.
L. MACILLIVS L. F.
ITERVM.

Ad hæc in fenestra antiquæ testudinis Portæ obscuræ, citima horto memorati *Theobaldi*, alia talis habetur inscriptio:

L. OCTAVIVS. L. F.
VITVLVS
C. RVSTICVS. C. F.
FIAVOS
ITER. IIII. VIR
D. S. S.
VIAM INTEGENDAM
CVRAVERE.

Deinde transit via *Valeria* extra oppidum, per
120 tractum, etiamnum nuncupatum *Valerium*, vel contractius *Valera*, ubi situs est Mons feracissimus *Primitii Fucci* Patritii *Tiburtini*, atque inde ducta est ad pagum notissimum *Vicovarum*, postea *Carsolos* Castellum Capitis aurei versùs, haud procul pago famosissimo *Tagliacozzo*; protrahiturque ad *Fucinum*, *Marsos* & *Corfinium*, in quibus tractibus sita fuit Civitas *Valeria*, jam olim deleta, secundum *Strabonem* lib. VII. & *Raphaëlem Volater-*

A *ranum* lib. VII. *Commentariorum*, ita scribentem: *Valeria Regio hic*, Straboni *ponitur*, *quæ à* Tiburtinis *initium capiens*, *ad* Marsos, *&* Corfinium *ducit*, *in ea Urbs* Valeria, *Patria* Bonifacii Quarti, *jam exstincta*, *Carseoli*, *quod Oppidum* Plinius, *&* Ptolemæus *inter* Æquicolos *ponunt*, *quæ gens ad* Marsos *pertinebat*, *simul cum* Clastidio, *qui sanè omnes interiêre*, *ex horumque ruinis excitata sunt nova Oppida vicina* Paliacotium, Vicovarum, Celanum.

Atque non diu pòst, anno CDLXXX. Urb. cond. Consulibus *Livio Papirio Cursore* secundùm,
B & *Spurio Carvilio*, procuratum fuit, ut ex pecuniis collectis e præda *Pyrrhi*, Regis *Epiri*, aqua *Anienis* nostri *Romam*, facto aquæductu, derivaretur, præficerenturque operi Monitores duo *Curius Dentatus*, & *Fulvius Flaccus*, sed, mox annis quinque elapsis, obiit *Curius*, quare honor hujus incepti in *Flaccum* solum recidit, qui opus ad finem perduxit (ut nonnulli autumant) intervallo annorum novem; aquagium hocce vocatum fuit *Anienis* veteris, docente *Frontino* libro de *Aquæductibus*.

Aquæductus veteris Anienis.

Itaque cùm eisdem annis vertentibus *Romani* 121
perdomuissent Populos *Lucanos*, accedente auxilio *Tiburtium* fœderatorum, fidem non superat,
C quòd è præda oppressorum Pons in *Aniene*, haud procul *Tibure*, hodieque ex his populis nuncupatus Pons *Lucanus*, exstructus fuerit.

Pons Lucanus.

Profectò, jampridem mutuo affectu optimè stabilito, ita coagmentati erant fœderatique *Tiburtini* cum *Romanis*, ut tempestate, quâ descenderet *Hannibal* ipsis formidabilis, *Roma*que ruinæ esset proxima, non potuerint ipsi invenire locum securiorem, nec aptiorem lustrandis & colligendis copiis in necessitate adeo premente, quàm *Tibur* oppidum, ubi jussu *Fabii Maximi* Dictatoris collectus fuit non modò exercitus *Romanus*, verùm etiam omnes populi socii & fœderati, narrante
D *Livio* libro secundo Decadis tertiæ, atque intervallo annorum sexdecim, quo hoc bellum continuatum est, alacritate non minori, quàm fide & constantia bellum gesserunt *Tiburtini* pro propugnandis *Romanis*; *Silius Italicus* itaque non sine justa causa, in variis hujus belli descriptionibus, ipsorum elogium non dubitat celebrare, quippe qui libro quarto, ℣. 186. scripserit:

Tibur diribitorium Romanorum institutum adversus Hannibalem Carthaginensem.

Tiburtes pro Romanis contra Hannibalem bella gerunt.

. . . *Atque olim celeberrima nomina bello.*
Tiburtes *magnos*, Hispellatem*que*, Metaurum*que*
Et Damum *dubia meditatus cuspide vulnus.*

E Et paulò inferius: 122
Quosque sub Herculeis, *taciturno flumine muris*
Pomifera arva creant, Anienicolæ*que* Catilli.

Præterea libro octavo, ℣. 366.
Hinc Tybur Catille *tuum*, *sacrisque dicatum*
Fortunæ Præneste *jugis*.

Et mox subdit:
Quique Anienis *habent ripas*, *gelidoque rigantur*
Symbrivio.

F Continuarunt verò *Tiburtes* bellum hocce, nunquam defatigati, quod tamen plurimi populi non imitati sunt, qui cùm ulterius non essent sustinendis incommodis belli extremis, *Romanos* planè deseruerunt; itaque nec cædes miserabiles stragesque notissimæ ad *Trebiam*, *Trasimenum*, *Cannas*, nec obsidio, imminensque interitus ipsius *Romæ*, potuerunt unquam ullo tempore *Tiburtinos* à fide constantiaque avocare, quam integram in *Romanos* assiduè servarunt, imo inde magis instigati, avidius ultionem concupiverunt, ultimamque ho-

hostis *Carthaginensis* ruinam, ut sæpissime gloriati sint non sine causa, sese populum dejicere, qui omnibus jam invictus esset factus, & terribilis. Inde incitati fuere, ut nunquam obsidione *Capuæ* desisterent, quæ asylum *Hannibalis* erat, donec *Romano* juri adjiceretur, quare *Tiburtii* unà cum reliquis *Latinis* per redemptionem mutati fuere cum *Capuanis* captis.

Capua civitas.

Itaque ipsi cum *Romanis* feriati fuerunt, pro victoria celebranda, quam adversus ambos ex-
123 ercitus, ducum *Hannibalis* & *Hasdrubalis* adepti erant, tinctis agris *Metauri* sanguine *Carthaginensi*, ubi occisis *Hasdrubale* & hostibus sex atque quinquaginta millibus præter quadringentos, simul vindicata fuit ignominia, ad *Cannas* accepta; quamobrem *Tiburtes* neque his contenti, comitati sunt *Scipionem*, qui facta in *Africam* irruptione, populos illos adegit ad confitendum, non superesse potentiam, quæ diutius fortibus potentibusque *Romanis* obsisteret; imò quamquam *Hannibal*, ut opem Patriæ ferret, reliquisset *Italiam*; nihilominus, *Scipionis* virtuti testimonium præbere coactus fuit. *Syphax* autem, Rex *Numidiæ* potentissimus, divitiis locupletissimus, summaque copia subditorum abundans, natura bellicosissimorum, ut primum conjunctus cum *Carthaginensibus*, ausus fuerat *Romanis* resistere, propediem regnum amisit, & propter conjugem *Sophonisbam*, cujus venustas summa pluris ipso Regno illi æstimata fuit, libertate privatus, superfuit lusus fortunæ infelicissimus, atque testis potentiæ viriumque *Romanorum* clarissimus. Huic à *Scipione Romam* misso captivo, habitare *Albam* primum datum fuit, atque inde *Tibur* est transportatus; ut docet *Livius* libro decimo Decadis tertiæ; ipse, dum vixit, regio Palatio prope Oppidum nostrum ad fluvium *Anienem* usus fuit; quare ferunt, viam ducentem ad Palatium, appellationem *Valeriam* pristinam, propter Regem mutâsse *Viæ Regiæ* nomine, hancque partem fluvii, ubi soleret delectari, vocatam fuisse *Aquam Regiam*, quæ etiamnum haud dis-
124 simili nomine venit nuncupata *Aquaregna*; tractus ille terræ est, quô *Tiburtes* propter æstatem ardentem solent sese conferre, ut refrigerentur.

Syphax Rex *Numidiæ* captus à *Romanis*.

Anno DXLVIII ab Urbe condita. *Syphax* mittitur *Tibur*.

Itaque, quod *Tiburtes* pro *Romanis* tot subiissent ærumnas, tot agressi essent pericula, atque tanta fide pro ipsorum Patria, quasi sua esset, certassent, benignè assiduè habiti sunt à *Romanis*, atque summe æstimati; qui ut clarius demonstrarent benevolentiam & amicitiam, decreverunt, *Tiburtes* unà cum *Prænestinis* nominatim donandos esse Civitate *Romana*, additis immunitatibus, potestate, juribusque reliquorum Civium suorum: ut colligere licebit ex *Appiano* libro primo Bellorum Civilium. Etsi haud ita diu mutuæ benevolentiæ effectu *Tiburtes* frui quiverint, quippe qui omnino, bellis Civilibus ortis, ætate *Tiberii*, & *Caji Gracchi*, jacuerint; hi enim annos plurimos tanta crudelitate invicem sævierunt, ut *Roma* nunquam experta fuerit asperitatem tam hostilem atque feram illatam ab hostibus barbaris, quàm à propriis indigenis hisce & Civibus inter sese furentibus, privatoque commodo & ambitione regnandi assidua noxâ irretitis, siquidem contemplatrix calamitosa videre coacta fuit domos, plateas, foraque inundata sanguine Civium, idque factum ab ambitiosis Civibus, qui, non, nisi ubi non darentur jam homines, quos interficere possent, cædibus manus abstinuerunt: *Eò usque sævientibus odiis, donec deëssent homines, qui occiderentur*, scribente *Floro* libro tertio; vel, ubi opinarentur, quosdam vivos debere sese relinquere, quibus dominarentur, eodem Auctore subjungen-

Tiburtes & *Prænestini* donantur Civitate *Romana*.

A te: *Quis autem illos potest computare, quos in Urbe passim, quisquis voluit, occidit? donec admoneret* Furfidius *vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperarent*. 125

Imò cùm quivis horum turbulentorum populos oppidaque propinqua & fœderata *Romanis*, in partes trahere studeret, eorum non minimam partem effecerunt desolatam; quemadmodum traditum est de turbulenta tempestate *Marii* & *Syllæ*, quæ eadem sors *Tibur* mansisset, nisi prudentissimè sibi cavisset, quod ita effectum est: Consulibus *Romanis Sylla* & *Quinto Pompejo*, Provinciisque inter ipsos distributis, ut erat moris,
B *Syllæ* demandata est expeditio in *Mithridatem* Regem *Ponti*; verùm, qui semel imbiberunt lenissimam Reipublicæ administrationem, difficulter rejici sese ferunt, & quamquam paululum abeunt, statim tamen reversi ad Genitricem tam commodam & liberalem, amplectuntur amoris prætextu quasi communis Rei omnium, commodum privatum propriumque: ita animis populi imprudentis specie boni captis, facilius omne propositum sibi exsequuntur, quod ut plurimum publico officit, atque communi. Alter horum *Marius* erat, lactatus a diuturno tempore in sinu Reipublicæ *Romanæ*, quasi maternis uberibus, ita, ut
C omnia ejus, sua viderentur: etenim sexies Consul fuerat, administraveratque quæstuosissima & excellentissima quæque munera ejusdem; quare pati nequiit, Præfecturam summam belli com- 126
memorati, quod lucrum summum promittebat, alii ac sibi dari, atque ideo ratione non una adducta, per *Sulpitium*, Tribunum plebis, populo persuasit, ut revocato seu rejecto *Sylla*, sese bello dicto præficeret; quod & optato satis illi successit. *Sylla* verò, consilium hoc subolitus, tanta incensus fuit irâ, ut decerneret supplantantem ulcisci indignissimè; quamobrem contractis omnibus, quæ in *Asia* imperio suo subessent,
D copiis, violentissimè *Romam* petiit, armisque oppresso inimicissimo quoque, Capitolium occupavit & Senatum, ita ut quicquid posceret, obtineret; præcipuè autem *Româ* expelli *Marium* cum sociis conjurationis jussit, addita libertate, qua potentiam ipsum interficiendi unicuique faceret; his gestis ad expeditionem *Asiaticam* revertitur; at interea, ipso absente, Consules *Octavius* & *Cinna* creantur; hic acta *Syllæ* rescidi curavit & inprimis effecit, ut in patriam revocarentur *Marius*, suique socii; ipsi verò *Octavius*, à *Sylla* stans, restitit, ita ut opus esset res expetitas rivalibus bello determinare; itaque *Cinna*, viribus
E *Octavio* impar, interfectis plurimis sociis, *Tibur* se recepit, spe allectus, auxilium inveniendi, tum quòd *Tiburtes* paulò antè civitate *Romana* essent donati, *Appiano* referente libro de Bellis Civilibus; tum quia *Marius* amicos haberet plurimos *Tibure*, splendidissimum Palatium seu Villam ibidem possidens, cujus etiamnum appel- 127
lationem retinet locus superstes, quum Templum Societatis Caritatis erga pauperes in carcerem detrusos, vocetur *Sancta Maria in Colle Mario*; Palatium insuper idem in se comprehendit Collegium Patrum *Jesuitarum*, in quo apparent vestigia
F non spernenda.

Dissidium inter *Marium* & *Syllam*, ejusque causa & origo.

Cinna Consul fugit *Tibur*.

Palatium *Marii Tiburtinum*.

Itaque *Cinna Tibur* delatus, in forum Templi *Herculis* se recepit, quò confluxit populus frequens, quòd necopinum Consulis adventum percepisset; ut verò in partes suas alliceret, concionem habuit, ita perorans: „Novi, *Tiburtes* „amicissimi, inopinum vobis esse adventum Con„sulis *Romani*, & tam gravem virum, instar pro„fugi, sese recipere ad vestrum auxilium. Extra du„bitationis aleam positum est, non omnes, me„cum meditari propugnationem amicorum plebi„sci-

Oratio *Cinnæ* Consulis ad *Tiburtes*.

„scitique optimi cujusque à vobis, *Tiburtes*, sta-
„tuti, in quo vos ad instar Civium *Romanorum*
„suffragia dare potestis. Itaque Consul hujus
„rei gratia, ut excellentiam vestram tuerer, à
„Collega *Octavio* & sociis suis dejectus, ut vix
„effugiendo, periculo vitæ me exemerim, atque
„hùc ad vos me receperim, à quibus fortissimis
„spero reprimendam fore audaciam illorum, qui
„dominium soli ineptissimè affectant & appetunt.
„Vos jam nostis, *Marium* vobis tàm dilectum,
„sexies gessisse Consulatum, qui de vita etiam
„sua periclitans fines *Romanos* non dubitavit ex-
„tendere, quin etiam ipse fortissimus, res gessit
„inusitatissimas & summas, ut vestram adstrue-
„ret libertatem; sed nunc populo plebique addi-
128 „ctus, *Roma* ejectus spoliatusque domo & libe-
„ris, extorris ubique degit, nec latibulum inve-
„nit, ubi tutus ab insidiis se abdere possit, qui
„toties gessit imperium in omnes: idque ob pro-
„tervitatem & incrementum *Syllæ*, qui propo-
„suit suis moribus degere; quapropter populus
„*Romanus*, & vos, *Tiburtes* conjunctissimi, vo-
„bis modò vivetis, amisso voto Magistratus eli-
„gendi, rogandique leges; igitur cum ego Con-
„sul omni adhibita potentia, viribus omnibus,
„studerem libertatem restituere pristinam, vo-
„bisque statum priscum, & *Mario* Patriam, *O-*
„*ctavius* Collega, sociique, invidia vestrûm, invi-
„dia *Marii* summi, ausi fuerunt armis arreptis
„atque vi impetuosa tàm justissimo, tàm sanctis-
„simo sese opponere desiderio. Itaque, *Tibur-*
„*tes*, opem non præstabitis, auxilium non adfe-
„retis ulciscendo tot scelera, tot nefaria facta, ma-
„gnitudine animi excellentissimi? nonne pectus
„uniuscujusque vestrum incendetur indignatione,
„cùm percipiatis amicum Republicâ ejectum,
„malesanorum libidini diù subjectâ? cùm videa-
„tis *Cinnam*, tàm amicum *Tiburtinis*, Nobilem,
„Consulem *Romanum*, tàm perversè, tàm indi-
„gnè habitum, tàm sævè exagitatum, ad talem
„statum redactum, ut coactus sit vestram implo-
„rare opem, vestrum auxilium. Ad arma ita-
„que *Tiburtes*, his in patriam suam restituatur a-
„micus, his dometur superbia, atque Tyran-
„norum affectatio dignitatis supremæ, his ju-
„vetur Consul ad vos refugiens, quinimò sta-
„tus plebis potentissimè, & fortissimè in pristinum
„restituatur.

129 Sic fatus est Consul, tantâ auctoritate, tanta ef-
ficacia usus, ut populus jam persuasus videretur,
revera auxilium, opemque ferendam esse, nisi Se-
nex *Tiburtinus* quidam, pollens prudentia & au-
ctoritate, eosdem sedâsset, effecissetque, ut Con-
silium cogeretur, ubi, ut ajunt, ita ferè fatus
est:

Oratio Senis Tiburtis ad Concilium.

„Non dubito, Cives dilectissimi, fore ple-
„rosque, qui infortunium Consulis & calamita-
„tem simul doleant, ac opem optent ferendam;
„verumtamen, antequam quid concludatur, o-
„portet attentissimè habere rationem plurima-
„rum rerum; etenim usu periti sumus, consilia
„vana populi creâsse Civitati nostræ ærumnas
„molestiasque calamitossissimas, atque ferè ruinam
„& exitium secum traxisse summum. Itaque neces-
„se est, principiò advertamus, quamobrem bel-
„lum incipiendum sit, & adversus quem, nimi-
„rum gratia Consulis *Romani* alterius adversus
„alterum, atque pro Civibus contra Cives ipsos,
„quos æque amicitiâ ac illos obligatos habemus.
„Concedo, *Mario* nos esse obstrictos, cui mul-
„ta debemus, quòd statum popularem spoponde-
„rit, ubi nos cæteri etiam, ceu Cives *Romani* vo-
„ta daremus; verùm nec debet negari, ipsum
„hoc præcipuè non intendisse, sed commodum
„privatum respexisse, quò suffragiorum acervo
A „cumulato, faciliùs præficeretur bello *Mithri-*
„*datico*, cujus imperium rectè revera *Syllæ* com-
„missum fuit. Quô jure, meritove socius pri-
„vabitur bello commisso, offensâ nullâ datâ? nonne
„videbitur *Sylla* jure merito *Marium* insectari,
„imò cum ipso patriam? Non ignotum, puto,
„vobis est, quô œstrô percitus, quibus copiis
„armatus, & quanta vi & potentiâ instructus re-
„dierit *Sylla Romam*, imo quanta crudelitate & 130
„inimicitia hostes suos fuderit atque prostraverit?
„ad ultimum, planè experti estis, *Romam* illam
„non solitam timere universum Orbem, propter
„unum illum formidine fuisse correptam, pavore
B „consternatam, ipsique victoriam concessisse, & di-
„cto audientem ipsi fuisse. Itaque quomodo tàm po-
„tenti, tàm felici homini vosmet objicietis? statim
„quum resciverit vos addictos esse partibus rivalis
„hostis, ex *Asia* redux, crudeliter *Romæ* pœnâ de
„hostibus suis sumptâ, more consueto, huc copias
„formidabiles adducet; opus est animadversione
„horum, opus est cura, & antequam concludatis,
„necesse est, *Cinnam* adeatis, animi mœrorem in-
„dicetis, quem accepturi estis de Patria vestra, de
„progenie, de Conjugibus rebusque vestris, eò
„quod certissimum sit futurum, ut excidium extre-
„mum crudelis victor minetur oppido. Quid re-
C „geritis, Cives charissimi? quid cogitatis? quis
„*Syllæ* cuidam ausit obstare? è silentio vestro
„colligo, non placere tantum humeris impone-
„re onus, excidiumque ad sese accersere. Ad
„quid igitur suscipiendum erit nobis? inficias i-
„bimus palàm Consuli, qui animi anxius con-
„clusionem, deliberationemque nostram exspectat?
„ingratosne amico nos præstabimus, hostilita-
„temque declinando futuram, præsentem capie-
„mus? Quod ad me attinet, confiteor, me in
„difficultate tanta hærere? Nihilominùs occur-
„rit cogitatio, quæ securè juvabit præsentem
„difficultatem, nimirum, ut condicamus, polli-
„ceamurque Consuli, nostram Civitatem lo-
D „cum, tempusque convenientia amicitiæ suæ *Ma-* 131
„*rii*que curaturam fore; sed interim, quòd è re-
„liquis populis militem colligere velit, nos ar-
„bitrari conducere, ut quietem solitam ostenda-
„mus *Romanis*, nec in præsenti aliam causam ad-
„feramus indicando, omne id fieri, ut universa
„res administretur prudentia justissima; profe-
„cto autumo ipsum contentum fore hac nostra
„optima voluntate, atque procedente tempo-
„re, quod insuevit firmum stabilimen esse diffi-
„cilium hæsitantiumque rerum, opportunius hôc
„nos capturos esse consilium, ut nosmet ipsos Pa-
E „triamque servemus.

Sententia Concilio universo arrisit, quare respon-
sum datum est Consuli in Senis ejusdem sententiam.



Postea, quàm salubre consilium hoc fuerit,
tempus ostendit; namque *Marius*, ubi cum *Cin-*
na prostrâsset copias ingentes, *Romam* ea-
dem potentiâ, qua expulsus fuerat, ingressus est,
ubi severissimè Consulem *Octavium*, hostem suum,
plurimosque *Syllæ* socios ultus est, quos omnes
vitâ, furiis extremis exagitatus, privavit; Con-
jugem, natosque *Syllæ*, *Româ* expulit, Domum-
que combussit. Hoc ubi *Syllæ* in *Asia* innotuit,

Ultio Marii sumpta ab hostibus.

juravit, propediem *Marium* cum participibus,
F infortunio summo, longè majorem à se crudeli-
tatem experturum esse; quare *Romam* redux,
cum exercitu victore, tam horrendam magnam-
que Civibus intulit cædem, ut *Lucius Florus* exi-
stimaverit iniri justum occisorum numerum non
potuisse, quamvis computet sexaginta quatuor
millia, *Appianus* vero mille homines privatos, 132
nonaginta Senatores enumeret, pluresque sexcen-
tis Equitibus. Præterea, occupato Capitolio,
Reipublicæ *Romanæ* pristinam ademit libertatem,
F. Martius. D sibi-

Cædes ferocissima Romæ edita à Sylla.

sibique imperium supremum, regimenque sine
exceptione vindicavit. Plurima dehinc celeber-
rima locupletissimaque oppida *Italiæ*, quæ *Mario*
*Cinnæ*que addicta fuerant, ærumnas gravissimas à
Sylla acceperunt, ne dicam, excidium ulti-
mum, ut *Faventia*, *Spoletum*, *Terni*, *Sulmo*, &
præcipuè *Præneste*; quod, quia *Marium* Juniorem
fortissimè tueretur, miserrimè direptum fuit, Ci-
vesque ejus omnes fermè interierunt, si à fœmi-
nis discesseris, quibus concessum est liberrimè,
quò vellent, pergere; sunt, quibus placet, plu-
rimas confugisse *Tibur*, oppidum amicum, jun-
ctum *Prænestinis* fœdere. Hinc satis superque
elucet, quanta imminuissent *Tiburtibus* pericula,
si aures *Cinnæ* imploranti opem patefecissent.

Oppida malè accepta à *Sylla: Faventia, Spoletum, Terni, Sulmo, Præneste.*

Cum denique annos plurimos Dictaturam *Ro-
mæ* gessisset *Sulla*, majori animo, quam occupa-
verat, ultrò eâdem abiit, Patriæque libertatem
reddidit pristinam; at *Julius Cæsar*, qui ab in-
eunte ætate, *Sullæ* excellentiam admiratus fuerat,
ultimum consilium damnavit, quippe qui apud
sese constituit primum actum sequi, postremo
excluso, & ut propositum obtineret, cœpit ho-
nores appetere, sine quibus innotescere non licet
cuiquam, & à plebe timeri; itaque haud ignarus,
difficillimè sine divitiis acquiri illos posse, impri-
133 mis ab ephebo, cujus ambientis eos virtus ut pluri-
mùm ignota est, hoc fortissimo nervo Cives, à
parte sua ut starent, studuit obstringere; hinc
palàm tradit *Appianus* Libro secundo bellorum
Civilium, *Cæsarem* principiò pretio emisse Ædi-
litatem, & dein Præturam; nec à fide abhorret,
ipsum *Crispo Sallustio* Coryphæo Historicorum *Ro-
manorum*, pecuniæ gratia, vendidisse Palatium,
quod in finibus *Tiburtinis* possidebat loco, hodie-
que ab ipso nuncupato *Cesarano*, cujus meminit
Marcus Tullius, vel *Tullio* adscripta Oratio
contra *Sallustium*, dicens: *Villam Tiburti C. Cæ-
saris, reliquas possessiones, paraveris.* Cùm verò *Cæ-
sar* ab alio munere ad aliud pergeret majus, ad
tantam pertigit potentiam, ut à Republica, supe-
rato interfectoque *Pompejo Magno*, constitueretur
Dictator, quod pari passu ambulat cum Monar-
cha; cumque gradus honorum, & præsertim su-
premorum, odium aliorum invidiamque capitalem
efficerent, evenit, ut Principes *Romani* nonnulli
invidiam tegendo, fervore restituendi Patriæ li-
bertatem publicam, de interficiendo *Cæsare* con-
jurarent; horum Principes erant *Brutus* & *Cassius*;
quin multi in ea sunt sententia, quòd conjuratio
illa facta sit in Palatio, quod *Cassii* erat in finibus
territorioque *Tiburis*, haud procul Oppido Austrum
versùs, etiamnùm vocato *Carciano* pro *Cassiano*,
cujus rudera visuntur in hortis PP. *Jesuitarum*,
atque *Jo. Antonii Cæsaris Tiburtini*, unde non
procul, loco ulteriori, habentur reliquiæ non-
nullæ Palatii *Bruti* Jurisconsulti, memorati à *Ci-
cerone* Lib. II. de *Orat.* Denique conjurationem
134 malam perficientes, *Cæsarem* adorti sunt, ipsum-
que tribus & viginti plagis confoderunt, ita ut in
terram caderet occisus, proprioque sanguine Re-
giam macularet, quam totam sanguine Civium
anteà impleverat.

Palatium Dictatoris *Cæsaris.*

Palatium *Cassii* & *Bruti.*

FINIS LIBRI QUARTI.

---

135 # *LIBER QUINTUS.*

ARbitratus fuit Populus *Romanus*, unà cum
elatis, *Pompejo* & *Cæsare*, odia, seditiones,
bellaque intestina extincta esse, adeòque ad priscam
rediisse sese requiem & libertatem; imò revera sen-
tentia ipsorum processisset, nisi mortui reliquissent
A filios & hæredes, aut ut meliùs dicam, nisi *Mar-
cus Antonius* superfuisset, qui æmulus, imitator-
que excellentiæ *Cæsaris*, multò latiores ignes in-
cendit, præteritisque pejores; siquidem perosus
Octavium, aliàs *Octavianum*, Nepotem ex Sorore
Cæsaris, adoptatum filium, hæredemque dele-
ctum, quod Imperium solus appeteret, omnibus
viribus studuit illi occurrere, atque id ut effectum
redderet, à Senatu petiit, accepitque imperium
exercitus Legionum sex electarum, quæ in *Ma-
cedonia* erant; sed novitius *Cæsar* congiario beni-
gnisque mediis in partes trahendo Populum & 136
Milites, effecit, remque eò deduxit, ut rebelles
B contra *Marcum Antonium* Legiones Duæ, *Mar-
tia*, & *Quarta* ad ipsum defecerint; hìnc ille ti-
more correptus *Romam* reliquit, *Albam*que confu-
git, verùm inde rejectus, cum comitatu mili-
tum numeroso, ditissimoque apparatu, *Tibur* sese
contulit, ubi regiè exceptus, divertit in Palatio
magnifico *Quinti Cæcilii Metelli Scipionis*, cu-
jus rudera hodieque supersunt in ambitu Templi
Sanctissimæ Annuntiatæ, quod barbarè quidem
nunc nuncupant *Tiburtes Campitello*, pro *Cam-
po Metelli.* Dum hìc hospitaretur *Marcus Anto-
nius*, hac tempestate Consul, universus ferè se-
natus comitibus plurimis Equitibus aliisque No-
C bilibus *Romanis* abiit Româ, venitque *Tibur* ipsum
visitatum; auctore *Appiano* Libro III. de bellis
Civilibus: *Marcus Antonius Consul solus post* C.
Cæsaris *cædem, cum ex legionibus eas, quæ* Martia,
& Quarta *appellabantur, ad* C. Cæs. Octavianum
transiisse Romæ *cognovisset*, Albam, *ubi* Martia
*consederat, profectus est, ut eam ad suam revocaret
auctoritatem, sed exclusus Urbe, & rejectus à muris
retrocessit. Ipse cum iis, qui aderant* Tibur *usque
progreditur, apparatum habens iis, qui in hostem
tendunt, consuetum. Eo in loco assistente Senatu ferè
omni, plurimi Equitum cum honore accessêre, ex
populo quoque pars non contemnenda.* Hìc Se-
D natui *Marcus Antonius* dolorem suum aperuit,
quòd adeo submisse obedirent hosti suo infensissi-
mo, videlicet *Ciceroni*, de quo hæc questus est: 137
De me in Tiburtino Scipionis *declamitavit.* De
Marco Antonio autem egit *Tullius* noster *Philippica*
Quinta; nec profectò sine causa indoluit *Antonius*,
siquidem Orator solitus fuit bonis lateribus Sena-
tui persuadere, *Romæ* hostem pejorem *Marco An-
tonio*, nullo unquam tempore extitisse, quam-
obrem in cœlum usque tulit duas illas Legiones,
quæ ipsum destituerant, vocando cœlestes atque
Divinas, eadem *Philippica.*

M. Antonii diversorium seu hospitium Tibure, nimirum in Villa Metelli Scipionis.

Itaque *Marcus Antonius* non temerè adhibuit
dura verba minasque, ita ut notaverit *Appianus*,
E plurimos ex plebe inde perterritos, constituisse,
in verba ipsius jurare, ita ut nec fidem in ipsum,
nec ipsius mandata, dum viverent, relinquerent;
ideoque *Marcus Antonius* exercitum numerosum
Tibure coëgit, quô lustrato, reperit constare legio-
nibus quatuor, quarum singulis MMMMMCCCC
continentibus, numerus exercitus totius viginti
unùm millia confecit, præter sexcentos milites;
hos *Tibure* abducens, oppidum petiit *Ariminum.*
Octavianus, postquàm bellum adversus *Marcum An-
tonium* gessisset, opitulante etiam eodem Senatu,
observavit auxilium illud ex gratia non proma-
F nare, nec amore, quo à *Romanis* diligeretur, sed
ex insidiis optantium, ut Cives hi duo bellis & diffi-
diò mutuis debilitarentur, & interficerentur, quò
tandem ærumnis tantis Respublica solveretur: ita-
que *Octavianus* etiamnum Consul, fœdus pacemque
iniit cum *Marco Antonio*, assumsitque insuper *Mar-
cum Lepidum*, hi tres universum Imperium *Romanum*
sibimet vindicârunt, pœnasque ab hostibus suis ita
exegerunt, ut res gestas immanissimas hujus tem- 138
pestatis sine stupore vix ullus evolvere possit.

Copiæ Marci Antonii Tibure.

Ve-

A Verùm annis paucis elapsis impletum est prodigium *Romæ* visum, tres Soles pedetentim in unum orbem redacti: *Romæ tres soles exorti paullatim in eundem orbem coierunt.* *Eusebius* in *Chronico* suo narrat, *Octavium*, ubi *Lepidum* potestate exuerat, aggressum fuisse *Marcum Antonium*, leges fœderis affinitatisque tam facilè violando, ut toties solutæ iterumque ligatæ amitterent auctoritatem; ipsumque tanto facilius consecutum fuisse propositum, quantò major prætextus justitiæ tegeret rationem faciendi. Repudiaverat *Marcus Antonius Octaviam* uxorem, *Octavianique* sororem, ut duceret *Cleopatram Ægypti* Reginam, quamobrem cum affinitatem suam contemptam B cerneret *Octavianus*, ad Promontorium *Actium* debellavit hostem hunc alterum. *Marcus Antonius* & *Cleopatra* mortem sibi consciscere maluerunt, quàm in irati *Cæsaris* manus incidere; hoc modo ipse imperium sibi vindicavit asseruitque solus Imperator & Monarcha Imperii *Romani*, ubi, ut id, quod animo propositum erat, impetraret, exhauserat Æraria non modo regionum, quas bello subegerat, verùm etiam maxime diminuerat thesauros immanes illos & ditissimos, qui *Romæ*, *Tibure* & *Nemis* depositi erant in Delubris, unde obtentâ mutuatione pecuniam, tanquam bellis gerendis C necessariam, acceperat, auctore *Appiano*, libro quinto Bellorum Civilium, scribente: *Cæsari Octavio pecuniæ aderant, quas ab omnibus acceperat, atque expugnarat*, Sardis *exceptis*, *& quas mutuò ex sacris*, *retributionis gratiam pollicitus*, *assumpserat*, Romæ *à Capitolio*, *ab* Antoniano, Libanubio, *à* Nemis, *ac* Tibure, *quibus in locis thesauri nunc vel maximè sacrarum pecuniarum adservantur copiosissimi.*

Marcus Antonius & Cleopatra mortem sibi consciscunt.

Roma, Tibur & Nemi suppetunt Octaviano pecuniam.

139

Itaque *Octavianus* factus est Imperator *Romanus* anno quartodecimo post necem *Julii Cæsaris*, ad computum *Eusebii*, qui addit, ipsum *Octavianum* anno proximo assumpsisse cognomina *Cæsaris* D *Augusti*, quibus non modo ipse vivens eminuit, verùm etiam omnes reliqui successores in Imperio *Romano* gavisi fuerunt; primum quidem adsciverat è testamento *Cæsaris*, ultimumque censente *Munatio Planco*, ut tradit *Suetonius* in Vitâ ipsius: *Cæsaris*, *& deinde Augusti cognomen assumpsit*, *alterum testamento majoris Avunculi*, *alterum Munatii Planci sententia.*

Quando primùm Octavianus nuncupatus fuerit Cæsar Augustus.

Munatius Plancus fuit *Tibure* nobili genere natus, ut palàm innuit *Horatius*, Ode septima, Carm. Lib. I. his versibus ad eundem:

Munatius Plancus Tiburtinus.

. . . *Sic tu sapiens finire memento*
Tristitiam, *vitæque labores.*
E *Molli* Plance *mero*, *seu te fulgentia signis*
Castra tenent, *seu densa tenebit*
Tiburis *umbra tui.*

140 Quamobrem Commentarii in *Venusinum* hunc firmissimè asseverant, *Tibure* natum fuisse *Munatium Plancum.* Hic summè claruit literis armisque, siquidem sæpissime *Romani*, & inter hos ipse *Marcus Tullius* disertum & eloquentem laudant Oratorem, ad hæc copiæ militares multoties habuerunt fortissimum eundem formidabilemque Imperatorem, testes cito *Dionem*, *Suetonium* atque *Ciceronem* libro decimo Epistolarum ad *Plancum.*

F Monumentum laudium verò reliquit *Munatius* oppidum *Lugdunum*, quod *Tiburtino* duce conditum est, nam Proconsul *Galliæ Romanæ* eò coloniam deduxit; teste *Eusebio*, *Chronico* verso à *Sancto Hieronymo*: *Munatius Plancus Ciceronis discipulus*, *Orator habetur insignis*, *qui cum Galliam Romanam regeret*, *Lugdunum condidit.*

Lugdunum Galliarum Oppidum Conditorem agnoscit Munatium Plancum.

Postquam *Cæsar Augustus*, mortuis *Bruto*, *Cassio*, *Sexto Pompejo* & *Marco Antonio*, ambitionem Optimatum *Romæ* sustulerat, inque unius potestatem redegerat Rempublicam, omne dissidium bellumque civile omnino extinctum fuit, quare otium pacemque studiorum cultus & scientiarum sequutus est, quorum, ut videtur, solium sedesque præcipua erat oppidum *Tibur*, quippe huc convenerant Coryphæi & principes literarum, qui in orbe terrarum vivebant, ut *Virgilius*, *Horatius*, *Quintilius*, *Fuscus*, *Valgius*, *Coccejus*, *Propertius*, ante memoratus *Munatius*, *Plotius*, *Tucca*, *Varus*, *Augustus* ipse, & *Mæcenas* euergeta & refugium omnium literatorum. Hic *Tibure* extruxit, Palatiumne dicam, an oppidum, quippe quod multò fuit amplissimum & spatiosissimum, nam ut hodieque observare licet, à Templo desolato *Sanctæ Mariæ del Passo* usque forum *Sancti Laurentii* extensum fuit; quòd ut asylum sedesque literatorum esset, neque temporum injuria oblivioni traderetur, solidissimè & firmissimè ædificatum curavit *Mæcenas*, ita ut videretur consistere posse in sempiternum, quòd etiam exactis mille, quingentis & sexaginta annis tutissimè habitavit Pater tot literatorum, humaniorumque literarum restitutor *Ignatius Lojola*, quippe qui jure quodam hospitii ad se pertinentis huc confugit, ordine suo primùm condito. *Mæcenas* autem adeo curas omnes tricasque Aularum seposuit, ut Munia etiam excellentissima respueret, quibus Imperator quidem totius Orbis *Romani* familiarissimum quemque ex amicis ornare posset; & contrariò vitâ delicatâ umbratilique gavisus est, & ditissimus ille Eques summè amavit delectatusque est inhabitare Villas suas, & in primis *Tiburtinam* memoratam, ut *Horatius* Ode nona & vicesima libri tertii Carminum cecinit, ita canens:

Palatium Mæcenatis. 141

Ignatius Lojola commoratus fuit in Palatio Mæcenatis Tiburtio.

Ne semper udum Tibur, *&* Esulæ
Declive contempleris arvum,

Hoc amœno tractu *Tiburtio*, usque familiari gratissimo *Mæcenatis* illectus evocatusque *Augustus*, *Româ* abiens, sæpissime villam hanc invisit, biduum consumens in itinere, auctore *Suetonio*. *Itinera lectica*, *& noctibus fere*, *eaque lenta*, *& imminuta faciebat*, *ut* Tibur *biduo procederet.* Refert *Dio*, *Augustum* solitum fuisse noctu proficisci, ne Civitatibus, per quas transiret, incommodum crearet. *Cæsar* autem tanto amore *Mæcenatem* prosecutus est, ut existimaverit, tutiori loco frui se ægrotum nequiisse, vel melius posse curari, quàm in Villa Palatioque *Mæcenatis*: *Æger*, inquit *Suetonius*, *in domo* Mæcenatis *cubabat.*

Augustus Tibur profectus duos dies in via consumsit. 142

Attamen, etsi joca & seria tam intimè cum Principe conferret, tamque familiarissimè, tamen vitæ optimum institutum nunquam abjecit, imò (ut videtur) magis magisque persecutus est, quin tantò cautior, intra limites modestiæ tutissimos mansit; quamobrem ipsi accidit, quod quidem intimis Principum ut plurimum insuetum est, nimirum ut non modò odium sibi invidiamque non contraxerit unquam, verùm etiam omnibus in summo fuerit amore atque honore, quippe qui viderent *Mæcenatem* non abuti gratia *Cæsaris* ad efferendum sese supra alios, sequentem affectus suos; sed ad ferendam opem omnibus & auxilium, nec unquam ipsum ab hoc instituto avocavit prælatio gloriæ & utilitatis propriæ; imò laudes famaque ipsius vehementer auctæ fuêre ex amore singulari, quô assiduè in viros doctissimos flagravit; in hos enim tot beneficia, totque dona contulit, ut inde nuncupatus fuerit Pater ipsorum, & Patronus; siquidem verò memoria Patroni multò firmius ab his, quàm à filiis etiam genuinis retinetur & continuatur, nec indignum videbitur cuiquam, etiamnum nomen *Mæcenatis* intervallo tanto tot sæculorum vigere atque laudari.

143 Ipse inter alios maximè dilexit *Plotium*, *Tuccam*, & *Lucium Varium* aut *Varum*, Aulicos familiarissimos *Augusti*, Poëtasque summos *Tiburtinos*, ut testimonium perhibent *Marcus Antonius Nicodemus*, & *Antonius del Rè*, Cives mei, Virique eximia doctrina præditi, in libris suis de *Antiquitatibus Tiburtinis*: quin omnino verosimillimum est, ex amplissima Academia, quæ *Tibure* tum temporis floruit, multos alios summos literatores doctrinaque omni excellentes emanâsse atque exiisse.

Tucca, & Varus, Poëtæ Tiburtini.

Et quia *Tucca* & *Varus* amicissimi erant *Horatio*, omnem operam unà cum *Virgilio* impenderunt, ut ipsi *Mæcenatis* conciliarent amorem & favorem, qui mox intercedentibus hisce magnis *Horatii* cultoribus, inter amicos ipsum convictoresque adscivit, ut ipse *Satyra* sexta palàm facit, canendo:

Virgilius, *post hunc* Varius *dixere*, *quid essem.*
Ut veni coram singultim pauca locutus.
Infans namque pudor prohibebat plura profari.

Mox addit:

Pauca, *abeo*, *& revocas nono post mense jubesque*
Esse in amicorum numero: magnum hoc ego duco.

Profectò adeo *Horatium* juvit favor *Mæcenatis*, ut ab infortunato evaserit felix; etenim hunc hostem suum *Augustus*, quòd olim a *Bruto* & *Cassio* stetisset,
144 precibus *Mæcenatis* in gratiam recepit, honoribusque & muneribus ornavit; & præterea quoque ipsum ditavit ipse *Mæcenas*, ita ut locuples fieret; *Tu me fecisti locupletem.* ad ipsum scripsit Poëta memoratus libro primo *Epistolarum*. Itaque jure merito se amicis tribus obstrictissimum & summè devinctum, *Satyra* quinta fatetur:

Postera lux oritur, *multo gratissima: namque*
Plotius, *&* Varius Sinuessæ, Virgilius*que*
Occurrunt: *animæ*, *quales neque candidiores*
Terra tulit, *nec queis me sit devinctior alter.*
O qui complexus, *& gaudia quanta fuerunt.*

Captus adeo fuit *Horatius* amœnissimo tractu *Tiburtino*, atque detentus, ut dignum æstimaret, quod supra omnia oppida Orbis universi laudaretur, prout ipse non obscure Ode septima libri primi indicat, ut & Ode sexta libri secundi hisce verbis:

Tibur Argæo *positum Colono*,
Sit meæ sedes utinam senectæ:
Sit modus lasso maris, *& viarum*,
Militiæque.

Villa Horatii Poëtæ.

Quapropter immane quantum delectatus fuerit *Horatius* munere à *Mæcenate* sibi donato, patet judiciô sententiâque *Ascensii*, Commentariis in memoratam Oden septimam de amœnissima Villa sita in territorio *Tiburtino* juxta fluvium *Anienem*, cujus vestigia nonnulla supersunt sub Cœnobio Patrum Sancti *Antonii Paduani*. ubi etiam, ut testatur Ode secunda libri quarti, solitus fuit canere frequentissimè:

145 . . . *Ego apis* Matinæ
More, *modoque*,
Grata carpentis Thyma per laborem
Plurimum circa nemus, *undique*
Tiburis *ripas operosa parvus*
Carmina fingo.

Villa Catulli Poëtæ.

Ultra hanc sita fuit Villa Poëtæ *Catulli*, qui obiit annis undecim ante Dictaturam *Julii Cæsaris*, jacens in ambitu Cœnobii Monachorum *Olivetanorum*, nomine Sancti *Angeli in Pianola*; quòd verò trans fluvium *Anienem* posita esset, qui *Latium* à *Sabinis* distinguit, nonnulli *Sabinis* vindicare satagebant, quamvis *Tiburtinis* asserenda veniat, quòd finibus ejus contineretur; quare *Catullus* supra modum se indicat offensum, carmina sequentia scribens ad Villam suam, ubi gratias agit, quòd convaluisset è tussi quadam immanissima, canens:

O funde noster, *seu* Sabine, *seu* Tiburs,
Nam te esse Tiburtem *autumant*, *quibus non est*
Cordi Catullum *lædere*, *& quibus cordi est*,
Quovis Sabinum *pignore esse contendunt.*
Sed seu Sabine, *seu verius* Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, *malamque pectori expuli Tussim.*

His ipsis temporibus non procul inde in colle amœnissimo, ubi assiduè incolæ formosissimo fruuntur anno, extruxit *Quinctilius Varus* Villam pretiosissimam; nolim tamen pro certo dicere, hunc fuisse *Quinctilium* illum *Cremonensem*, 146
Horatio familiarem, cui Ode duodevicesima libri primi modum, quo vites in fundo *Tiburtino* suo delicato propagaret, aperuit hoc pacto:

Villa Quinctilii Vari.

Nullam Vare *sacra vite prius severis arborem*.
Circa mite solum Tiburis, *& mœnia* Catilli.

Nec magis notum est, utrum ille *Varus* sit, qui non solùm per infortunia, sed etiam per fortitudinem innotuit, Dux famosus *Augusti*, qui in semitis implicitis saltuum *Germaniæ* densorum coactus fuit unà cum legionibus tribus vitam miserrimè deserere; amissos verò, inconsolabilis Imperator deflens, voluit, ut solemni mœrore quotannis populus prosequeretur in memoriam sempiternam. Restat addere, è nomine *Quinctilii* retinere hodieque tractum quendam appellationem *Quintigliolo*, locum notum lippis & tonsoribus, *Tiburte*que celebrem veteri & insolita imagine S. *Mariæ*, quæ in Templo quodam heic sito, barbaro nomine *la Madonna di Quintigliolo*, religione omnium colitur.

Glareæ Tiburtinæ pretiosæ.

Habentur rudera non spernenda Villæ memoratæ in Vinea *Dominici Giannazzii*, cujus felicitas & prudentia in expediendis maximis rebus satis superque Aulæ *Romanæ* innotuit, ubi annis præteritis vis summa lapillorum reperta fuit eleganter versicolorium, atque refulgentium, qui summè æstimati fuerunt ab Eminentissimo Cardinale *Montino*, qui *Tibure* commoratus jussu Pontificis *Pii* 147
Quinti, vim magnam lapillorum horum collegit, ita ut jam ulterius non inveniantur. Horum nullum reperire licuit majorem palmo & dimidio, vel duobus, nec quis novit hîc naturam eorum, nisi quòd nuncupantur *Breccia di Tivoli*, *i.e. Glareæ Tiburtiæ*.

Villa Cocceji.

Post hanc Villam deteges illam *Cocceji*, Viri, genere, divitiisque & morum lenitate florentissimi ætate *Augusti*, cujus opera usus est Cæsar in rebus maximi momenti, ut discere licet ex *Satyra* quinta *Horatii* canentis:

Huc venturus erat Mæcenas, *optimus atque*
Coccejus, *missi magnis de rebus uterque*
Legati, *aversos soliti componere amicos.*

Villæ tamen solummodo superstes est appellatio, eaque etiam depravata, situs enim hic vocatur *Cocciano* vel *Cozzano*, pro *Coccejano*.

Villa Marci Lepidi.

Infra explicatam hanc jacebat in amœnissima feracissimaque planitie Villa *Marci Lepidi*, qui unà cum *Octaviano* & *Marco Antonio* gessit Triumviratum potentissimum: mentionem hujus Villæ injicit *Tullius* libro octavo, Epistola quartadecima ad *Atticum*, vocatusque quondam fuit, nomine ab ipso mutuato, *Campus Lepidus*, quod hodierni nunc, quodammodo depravando, pronunciant *Campo Limpido*.

Villa Ventidii Bassi.

Hanc sequitur, infra *Vari* illam, sita in hoc loco, illa quæ nunc nuncupatur *Vassi* sive *Bassi*, quippe rudera nonnulla Villæ cujusdam apparent, 148
quam ferunt fuisse *Ventidii Bassi Ascolani*; cui Con-

Consulatu cessit *Octavianus* Triumviratum ingressus: hujus verò *Ventidii* meminit inscriptio Marmoris antiqui, quod in Veteri Templo Parochiæ S. *Sylvestri Tiburtino* superfuit, ita se habens:

C. LVTIVS. L. F. AVLIAN.
Q. PLAVSVRNIVS. C. F.
VARVS
L. VENTIDIVS. L. F.
BASSVS
C. OCTAV. C. F. GRACCHIN.
III. VIR.
PORTICVS. P. CCLV.
ET. EXSEDRAM. ET PRONAON.
ET. PORTICVM. ET. SCAENAM.
LONG. P. CXL.
S. C. F. C.

Villa Cynthiæ. *Cynthia* etiam, amica *Propertii*, æquævi laudatorum, Villam *Tibure* habuit, quamvis situs non æquè innotescat, ubinam fuerit. Hinc epistolam dedit ad Poëtam, jubens, ut nulla interposita mora sibi adesset, atque *Roma* confestim *Tibur* advolaret; nec voluntati morem gesturum ambigebat, quippe quæ sciret, quid Domina imperans apud hominem ægrum amore valeret; talis enim, confitente *Propertio* ipso, Elegia nona libri tertii:

Trahit addictum sub sua jura virum.

149 Ipse epistolam accepit media nocte, & ubi aliquantulum hæserat animi dubius, utrum hora tam incommoda & periculosa viæ sese daret, tandem constituit obedire, existimans Dominæ iratæ aspectum formidabiliorem esse horrida nocte, etiam opacissima multumque caliginosa; evenit huic amenti, ut affectu suo obcæcato sese oblitum regiminis, quod ipsi Optimus Maximus in Mulierem dederat, sponte sua subjecerit dominanti huic sævissimæ feræ & irrationabili. Mulierosus Poëta ipse hoc non dubitat innuere atque profiteri carminibus sequentibus, quæ Libro tertio, Elegia quartadecima, habentur, hoc pacto:

Nox media, & Dominæ mihi venit Epistola nostræ.
Tibure *me missa jussit adesse mora.*
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena *lacus.*
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At si hæc distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus sævior hoste mihi.

Et quæ sequuntur.

Hisce quoque temporibus in vivis fuit *Marcus Lollius*, homo Consularis, Præfectusque non ignobilis copiarum *Augusti* in *Germanos* rebelles, quos fortissimè superavit: *Germanos in arma versos Marcus Lollius superat*, ut *Eusebius in Chronico* 150 Villa M. Lollii. notat. Laudes ejus excellenter ab *Horatio* libro Carminum III. Ode IX. celebrantur; sunt, qui existimant, ipsum etiam possedisse Villam quandam *Tiburtinam*, tamen locum non indicant, ubi sita fuerit, quippe qui inducti sunt ad hoc credendum, non modò ab amicitia, qua *Horatio* respondit, & ex eo, quod à veritate non abhorret, quòd uti Aulicus adsuetus delectando Principi suo, curaverit habere prædium *Tibure*, loco, inquam, tam jucundo Imperatori *Octaviano*: verùm longè fortiori ratione, nimirum quòd *Marcus Lollius* hic elegerit locum Tumuli sui familiæque suæ, more hominum priscorum, qui soliti fuerunt in hunc usum muris, vel macerie cingere fundum quendam, qui ut plurimum erat in angulo quodam prædiorum & Villarum; cinctus verò ita atque inclusus locus inter sacros referebatur, atque exemptos regimine sæculari. Talem omnino locum indicatum, sepulchrum à *Marco Lollio* electum designatumque præ se fert Inscriptio, quæ hodieque habetur in Marmore antiquo, inserto pavimento Sanctæ *Mariæ Majoris Tiburtinæ* Patrum Regulæ *S. Francisci*, his verbis:

HIC LOCVS VTI MACERIA INCLVSVS EST AD RELIGIONEM
SEPVLTVRAE LOLLIARVM
ATTICILIAE FILIAE ET STACTES
VXORIS AC M. LOLLIA MARANTI.

In finibus *Tiburtinis*, ut dicere præoccupavi, floruerunt habitaruntque excellentissimi Viri literati plures, quam ullibi extiterint; hi ibidem speciosissimum illustrissimumque habentes apparatum, oppidum hoc supra reliqua reddebant illustre, atque amplum. 151 Verùm fata orbis, ut ita dicam, invidâ, incepêre falce sua inevitabili diruere tam excellentem ornatum, quamquam nihil habeant juris, nisi in fluxam fragilemque vitam, manente jucunditate apud omnes posteros sempiterni nominis atque perpetui. Primus itaque inter hos vitâ decessit *Quinctilius* Poëta ille Cremonensis, cujus obitum lacrymis plurimis deploravit Coryphæus Lyricorum, & postea anno sexto & vicesimo *Augusti*, è vita decessit jucundissimus ornatissimusque, qui unquam *Italiam* illustravit, Poëtarum verè splendor & princeps *Virgilius Mantuanus*. (Obitus Quinctilii Poëtæ.) Hic ante obitum suum, suprema sua ordinavit, quibus (ut testatur *Ælius Donatus* in Vita ipsius) hæredes instituit Imperatorem *Augustum*, *Mæcenatem*, *Proculum* fratrem, Poëtasque *Plotium*, *Tuccam* & *Lucium Varum*, *Tiburtinos* nostrates, ut dicere occupavi, intimos amicos. (Testamentum & obitus Virgilii Poëtæ.) Et quia non potuit *Virgilius*, ut voluerat, emendare coronidemque imponere celeberrimo Heroico Poëmati *Æneïdos*, in vulgus edi noluit, verùm ignibus jussit cremari; quare præcepit testator, ut ureretur. Pati hoc nequibant fidelissimi amici *Tucca* & *Varus*, ut opus tam pretiosum, laborque tam diuturnus finem tam infaustum haberent, quare *Augusto* persuasêre, ut nullo modo pateretur, legem tam iniquam in tam pulcra prole impleri; qui pretio operis, rationeque ipsorum adducta motus, mandavit, ut servaretur, teste clarissimo *Sulpicio Carthaginensi*, qui ita scribit: 152

Jusserat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium *quæ cecinere Ducem.*
Tucca *vetat*, Varus*que simul*, *Tu maximè* Cæsar
Non sinis, atque aliæ consulis Historiæ.
Infelix gemino cecidit prope Pergamon *igni.*
Et penè est alio Troja *cremata rogo.*

Notat *Petrus Crinitus* libro tertio de Poëtis *Latinis*, capite septimo trigesimo, ambigentem *Augustum*, utrum voluntati supremæ testatoris obesset, tandem exclamantem versus hos protulisse:

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum! solvetur littera dives,
Et poterunt spectare oculi.

Mox constituisse servare librum tam pretiosum, & præterea contra voluntatem Testatoris ita perrexisse: 153

Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies; supremaque verba parentis
Amittant vigilasse suum, si forte superbum,
Erravitque in morte piger; si lingua loquuta est

Nescio quid, titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui,
Si mens cæca fuit, iterum sentire ruinas
Troja *suas, iterum cogetur reddere voces.*
Ardebit miseræ post vulnera vulnus Elisæ.
Tam sacrum solvetur opus, tot bella, tot enses,
In cineres dabit ore novus & perfidus error,
Heu huc Pierides date flumina cuncta sorores:
Expirent ignes, Vivat Maro *doctus ubique*
Ingratusque sui, studiorumque invidus orbi:
Et factus post fata nocens: quod jusserat ille
Sit vetuisse meum: satis est post tempora vitæ.
Imo sit æternum tota resonante Camœna
Carmen, & in Populo divi sub numine nomen
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

Varus & Tucca corrigunt Æneida Virgilii.

Quamobrem jussit *Augustus Tuccam* & *Varum*, cui plurimum fidebat, recensere Poëma *Virgilii*, hac lege, ut nihil omnino adderent; quare & ipsi reliquerunt carmina fracta quædam, ut erant, & imperfecta, monente *Eusebii Chronico: Varus, &* Tucca, Virgilii, *&* Horatii *conturbernales, Poetæ illustres, qui* Aeneidum *libros postea emendaverunt sub lege ea, ut nihil adderent.* Et ita Poëma ex-
154 cellentissimum *Virgilii* emendatum ab hisce *Tiburtinis* in præsens possidemus.

Obitus Horatii Poetæ.

Non ita diu pòst extinctus fuit Princeps Lyricorum *Horatius Flaccus*, admirator summus regionis nostratis, anno Imperii *Augusti* quarto & tricesimo, ætatis verò annô septimo super quinquagesimum, docente *Eusebio*.

Obitus Mæcenatis.

Atque postea obiit diem supremum *Mæcenas*, magnificentia, liberalitate tutelaque hominum literis scientiisque imbutorum simul ablata & perdita. Hæredem reliquit Imperatorem *Octavianum*, ut auctor est *Dio Cassius* libro quinto & quinquagesimo, adstruens Tachygraphicas notas seu signa reperta fuisse à *Mæcenate*, quibus magis quàm signis immobilibus sensa animi inter scribendum occulere quis posset, eò quòd modò paterent illis, quibus literarum mutuum erat commercium.

Notæ Tachygraphicæ a quo inventæ.

Itaque jure hæreditario in potestatem *Augusti* venit Palatium amplissimum seu maxima Villa *Mæcenatis Tiburtina.* Quare non peccavit, ut nonnulli putarunt, *Pyrrhus Ligorius*, celeberrimus Architectus gloriosæ memoriæ Cardinalis *Ferrariæ*, tradens in quibusdam manu exaratis Codicibus suis de Palatio *Tiburtino*, hanc etiam Villam, quæ fuit *Mæcenatis*, esse *Augusti*, cùm distinguendo tempora, facillimè hosce scriptores conciliare liceat, qui de eadem re videntur diversæ diffidentisque esse sententiæ.

Quando animum relaxaret *Augustus*, in hac Villa, non oblitus est curæ maximè necessariæ
155 Principi, qui optimum regimen Imperii sui meditatur, nimirum, commodum subditorum auribus non committere aliorum, quare ipse ab hoc Palatio ad aliud exspatiatus, propius Templo *Herculis*, assuevit sæpissime in Porticibus ejusdem spatiosissimis, aures populo dare; quod quidem, ut Dominanti optimo cuique utilissimum, tacitum intactumque noluit relinquere *Tranquillus* in Vita ipsius, scribens: Tibur *etiam, ubi in porticibus* Herculis *Templi persæpe jus dixit.*

Nec oportet, ut transiliam vigentem hisce temporibus familiam *Coponiorum*, Equitum Nobilissimorum *Tiburtinorum*, quæ frequenti sobole floruit, literis officiisque præstantissima: cujus fuit *Titus Coponius*, Civis *Romanus*, teste Principe eloquentiæ *Latinæ*, Oratione pro *Cornelio Balbo* dicente: *Quomodo ex eadem Civitate* (*id est* Tiburtina) T. Coponius *Civis, item summa virtute, & di-*
A *gnitate Nepotes* T. *&* C. Coponios *nostis, damnato* C. Massone, *Civis* Romanus *est factus*?

Ad hoc *Cajum Coponium* narrat *Fulvius Ursinus*, in familia *Coponia*, functum fuisse Præturâ *Romanâ*, pro testimonio adhibens Numisma antiquum, cujus rectum latus refert præbetque imaginem ipsius, obversumque sculpturam *Herculis*, cincti pelle Leonis, additis literis ambientibus: C. COPONIVS PRAETOR. S.C. Laudat insuper *Cæsar Commentariorum* libro tertio *Bellorum Civilium*, *Quintum Coponium*, qui fortissimus Præfectus Classis *Rhodiæ*, *Pompeji Magni*, erat adversus *Cæ-* 156
sarem: Quintus Coponius (inquiens), *qui* Dyrrha-
B chii *Classi* Rhodiæ *præerat*: narratque *Coponium*, intellecto adventu *Cæsaris*, solvisse confestim è portu *Dyrrhachii* tendentem in *Macedoniam*, ut hostem adoriretur, nec ullo modo etiam moratum fuisse, contranitentibus ventis, sequi, quamquam iter id molestissmum terreret milites *Cæsaris*, ut animum etiam amitterent; sed fortuna, qua assidue *Cæsar* usus est secunda, effecit, ut eadem tempestas sævissima ipsum periculo imminenti liberaret, ipsamque præberet Victoriam, tantò feliciorem, quantò magis inexspectatam, de hostibus: nam increbrescente vento, & simul tempestate turbulentiori Milites *Cæsaris* appulerunt in portum tutissimum,
C navesque *Coponii* collisæ tam vehementer fuerunt, ut numero circiter sexdecim rimas agentibus ruptisque naufragium miserrimum universa fecerit classis.

Nec prætereundum existimo, *Tibure* anno MDCXL. repertam fuisse Inscriptionem *Coponiorum* eorundem, adhærentem statuæ *Fortunæ*, in muro laterario sacræ Ædis, quondam Delubri *Herculis*, ut fertur; quam reædificavit magnanimus Cardinalis *Roma* de integro; Inscriptio, quam ad manum habeo, ita sese habet.

FORTVNAE PRAETORIAE SACRVM 157
L. MVCCIVS. NICEPHOR.
D MAG. HERCVL. AVG.
GN. COPONIVS. EPAGATVS.
CVRATOR. PRIMI. D.S.P.
CVLTORIBVS D. D.

Unde argumentor *Cneum Coponium* & *Lucium Muccium* inter *Tiburtinos* celeberrimos fuisse structores, vel præfectos summos congregationis, quam prisci nuncuparunt Sodalitium, nos verò *Confraternitatem*; (quæ tum temporis stultissimè congregebatur in honorem *Herculis* atque *Fortunæ*) ipsosque suis impensis statuisse altare cum Statua *Fortunæ Prætoriæ*, ita vocatæ à Prætorio Templi
E *Herculei*, ubi erat erectum.

Familia Coponiorum hodie viget in Catalonia.

Supersunt hodieque posteri hujus familiæ nihil omnino degeneres a prisca excellentia, in Principatu *Cataloniæ*, hinc propagati usque ab illis temporibus, quæ computavimus de *Augusto* locuti, videlicet, viginti & sex annis ante *Christum* Natum; ut habetur quidem in Libro inscripto: *Proclamatio Catholica ad Philippum Quartum à Concilio Centum*, *Barcinonæ* anno MDCXXIX. ubi pag. 215. verba hæc agnoscuntur, ex *Hispanico* sermone versa: Coponii *Nobiles* Tiburtini *ætate* Octaviani Augusti, *viginti sex annis ante adventum Domini nostri* Jesu Christi, *migrarunt* Romam, *un-*
F *de profecti fuerunt* Cataloniam.

Nativitas Jesu Christi.

Temporibus hisce felicissimis *Octaviani*, anno 158
Imperii ipsius à cæde *Cæsaris* XLII. Consulibus *C. Cornelio Lentulo*, & *Marco Valerio Messalino* XXV. Decembris è Virgine *Maria* in spelunca suburbii *Bethlehem* natus fuit Redemptor Mundi *Christus* Dominus noster, quem in antecessum reveritus est & adoravit felicissimus hic Imperator, quàm primum acceperat ex Oraculo *Delphico*, jam pridem cessante, hoc responsum:

Me

A *Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans*
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum
Aris dehinc Cæsar tacitus abscedito nostris.

Imò postea intelligens *Romæ* libros *Sibyllarum*, observante Cardinale *Baronio* in *Apparatu Annalium*, tradere mysterium futuræ nativitatis Filii Dei ab Virgine, jussit in Capitolio erigi Aram cum Inscriptione:

ARA PRIMOGENITI DEI.

(Illo in loco jam Templum ab hac ara nuncupatum *Ara Cœli* visitur) recusans quoque in posterum nomen *Domini*. Habetur hoc insculptum in quadam Inscriptione, extanti in basi Obelisci S. B *Mariæ Majoris*, erecti à *Sixto Quinto* Pontifice verè Maximo, in *Quirinali*, hisce verbis:

CHRISTUM DOMINUM
QVEM AVGVSTVS DE VIRGINE
VIVENS NASCITVRVM ADORAVIT
SEQ. DOMINVM DICI VETVIT
159 ADORO.

Et profectò libris *Sibyllinis* maximè confisus est hic Imperator, qui ex omnibus fatidicis *Sibyllinos* retinere avebat, atque diligentissimè servaturus, poni jubebat sub basin *Apollinis Palatini*, auctore *Suetonio*, in Vita *Augusti*, ita ut *Lactantio* lib. I. cap 6. teste, nemini, excepto Magistratu C Quindecim virorum, quibus cura erat illorum, permitteretur, eosdem inspicere.

Sibyllæ quot fuerunt.

Numerantur *Sibyllæ* decem, quæ Virgines erant, ad *Varronis* sententiam, quem *Tullius* doctissimum *Latinorum* existimavit, cui fidem accommodat Sanctus *Hieronymus* Lib. I. adversus *Jovian.* Cap. XXVI. quibus mercedem Virginitatis dederat Deus donum fatidicum, verumtamen ut addit *Justinus Martyr* Orat. ad *Antonin. Pium contra Gentes*, non poterant assiduè vaticinari, atque quandocunque ipsæ vellent, sed tantùmmodo spiritu afflatæ Divino, atque quasi in stupore constitutæ; D quo tempore vaticinia sua fundebant, adstantesque audita, perceptaque ipsarum effata literis mandabant, & quia ubi afflatæ fuerant, ipsæ essent oblitæ illorum, quæ ex ore suo prodierant, librariique ut plurimum rudes essent & imperiti, accidit, ut versus ipsarum remanserint alicubi peccantes in metrum & regulas loquendi.

Sibyllæ quando, & quomodo vaticinatæ sint.

160 Harum decima memoratur *Sibylla Tiburtina*, nomine *Albunea*, quæ instar Deæ culta est *Tibure*; prope petras *Anienis*; ubi hodieque cernuntur vestigia Templi rotundi ejusdem, vocati vulgò *Sybyllæ*, cum porticu sustentata à columnis striatis ordinis *Corinthii*; Frequentissimè enim assueverunt prisci sacra monumenta dedicare Dea- E bus Virginibus; hujus autem ita culta imago cum libro in manu, postea reperta fuit in gurgite *Anienis*, teste *Varrone*, adducto ab *Jacobo Bosio* in *Triumph. Cruc.* Lib. IV. Cap. VIII. & à *Lactantio* cit. Lib. I. Cap. VI. qui recensitis reliquis *Sibyllis*, subjungit de *Tiburtina* nostra: *Decimam* Tiburtem, *nomine* Albuneam, *quæ* Tibure *colitur, ut Dea, juxta ripas* Anienis, *cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum.*

Albunea Sibylla Tiburtina. Templum Sibyllæ Tiburtinæ.

Hinc colligere est, quàm antiquum sit hoc Templum, & simul quantum quidem illi errent, F qui existimant, *Sibyllam* nostratem æquævam fuisse *Octaviano*, quandoquidem vivente *Varrone*, qui *Augustum* ætate præcessit, statua ipsius & icon Templo jam pridem ruinoso delapsa, reperta fuerit; quare difficulter probari posse arbitror tempus, quo vixerit. Quicquid sit, *Honorius Augustodunensis* Lib. III. de *Imagine Mundi* existimat, *Sibyllam Tiburtinam* viguisse tempore Reginæ *Estheris*, & *Artaxerxis* Regis *Persarum* secundi, cognomine *Mnemonis*, & ab *Hebræis* nominati *Abasveri*, qui juxta *Eusebii Chronic.* suscepit Regnum Olympiade quarta & nonagesima, qui computus facit annos quingentos ante *Christum* natum; cùm natus sit Olympiade CXCIV. secun- 161 dum vulgarem Sanctæ Ecclesiæ computum; sed in veteri Inscriptione, quam *Cornelius Gemma* Cosmograph. Lib. II. inventam scribit Anno MDXX in monte *Tauro* apud *Helvetios*, initio ita habetur:

Sibylla Tiburtina quo tempore vixerit.

PROPHETIA. T. SIBILLAE. OL. LVII.
ANN. MUN.

Ex qua apparet *Sibyllam Tiburtinam* vaticinatam fuisse Olympiade quinquagesima & septima, temporibus *Haggæi* & *Zachariæ* Prophetarum, atque *Servii Tullii*, Regis sexti *Romanorum*.

Sibylla verò nostra ita depingitur à *Philippo Siculo* de *Sibyllis*, *Effigies Sibyllæ Tiburtiæ*. Sibylla Tiburtina *non multum senex, veste rubea induta, desuper ad collum pellem hircinam per scapulas habens, capillis discomptis, simulacrum ipsius tenebat librum, ubi scriptum erat NASCETVR CHRISTVS IN BETHELEM ANNVNTIABITVR IN NAZARETH REGNANTE TAVRO PACIFICO FVNDATORE QVIETIS.*

Unde conficitur, quòd *Sibylla Tiburtina* prædixerit palàm faustissimam nativitatem Servatoris Mundi, prout Oraculum ipsius edidit *Joannes Opsopœus* cum Commentariis *Panvinii*, his versibus:

Oraculum Sibyllæ Tiburtinæ de nativitate Christi, Resurrectione & Ascensione.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi munia fandi
Carmine, quo sanctam potui monstrare puellam;
Concipiet quæ Nazareis *in finibus illum*
Quem sub carne Deum Bethlemica *rura videbunt*
O nimium felix Cœlo dignissima Mater, 162
Quæ tantam sacro lactabit ab ubere prolem.

Vaticinata est etiam Resurrectionem, stupendamque Ascensionem Domini nostri in Cœlos, his reliquis versibus, productis à *Sixto Senense* Lib. II. Biblioth. Sacr. & *Jacobo Bosio* de *Triumph. Crucis* Lib. IV. Cap. VIII. qui ita è *Græcis* facti sunt *Latini*:

Sed postquam triduo lucem repetiverit, atque
Monstravit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustravit, cœlestia tecta subibit,
Nubibus invectus.

Denique non transiliam, quòd *Sibylla Tiburtina* non modò vocata sit *Albunea*, verùm etiam *Ino*, conjux *Athamantis* Regis *Thebarum*, quæ effugiens vesaniam mariti cum filio *Melicerta*, è rupe pronam se dedit in mare, juxta fabulam *Ovidii* Lib. III. *Met.* Hi verò cùm ab Ethnicis in numerum Deorum Marinorum relati essent, *Melicerta* vocatus fuit *Palæmon* & *Portumnus*, & *Ino* à *Latinis Matuta* vel *Aurora*, atque à *Græcis Leucothea*, id est, *alba Dea*, quæ in campis *Tiburtinis* (juxta *Ambrof. Cal.* voce *Albuna* & *Ino*) nomine *Albunæ* sive *Albuneæ* culta fuit propè aquas *Albulæ*, unde etiam Sylva *Albuneæ* est nuncupata, sacerque ille fons, hic propinquus, ut docemur à *Virgilio* Libro VII. Æneidos:

Leucothea sub nomine Albuneæ culta fuit Tibure.

At Rex sollicitus monstris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, *nemorum, quæ maxima Sacro*
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca Mephitim.

FINIS LIBRI QUINTI.

LIBER SEXTUS.

163 Die octavo à *Christo* Nato, qui fuit primus Januarii, quo primum propter nos in Circumcisione effudit sanguinem, Consulatum *Romæ* susce-

Annus primus Christi.

M. Plautius Tiburtinus Consul Romanus.

sceperunt initio anni ejusdem *Augustus* vice duodecima & *Marcus Plautius*.

Familia Plautiorum Tiburtina ejusque sepulchrum Tibure.

Familia hæc *Plautiorum*, assiduè gessit Consulatus, Censuras, aliaque excellentia munia, oriundaque, auctore *Nicodemo*, fuit *Tibure*; atque familiare habuit sepulchrum prope Pontem *Lucanum* in ripa fluminis *Anienis*, distans oppido uno milliari, ubi etiamnum superest in rupe spectabili sepulchrum idem, in quo inter cæteras jam dirutas videntur solummodo duæ Inscriptiones, quæ temporis injuriæ, crudelitatique hostili feliciter superfuerunt; altera harum majusculis literis insculpta ita se habet:
164

L. PLAVTIVS. M. F. A. N.
SILVANVS
COS. VII VIR. EPVLON
HVIC SENATVS
TRIVMPHALIA
ORNAMENTA DECREVIT
OB RES IN ILLYRICO
BENE GESTAS
LARTIAGN. F. VXOR
A. PLAVTIVS M. F.
VIRGVLIANIVS
VIXIT ANN. IX.

Quare dicatur Plautius Consul modò annos novem vixisse.

Hinc apparet, Heroëm hunc illustrem noluisse in annis vitæ computari alios præter hosce novem, quibus ad confirmandos honores difficiles comparavit acquisivitque sibi viventi gloriam, & post obitum, virtutis immortalitatem; nam dicente *Plutarcho: Modus vitæ, non temporis prolixitas, bonum appellandum est.*

Altera Inscriptio Sepulchri prolixè refert gloriam *Titi Plautii*, sæpius Consulis, gratissimi *Augusto*, mox *Tiberio*, & deinde *Claudio*, atque tandem, publica laudatione, ab ipso *Vespasiano* Augusto in Cœlum latus est, ut finis Inscriptionis docet, quæ ita incipit:

165 TI. PLAVTIO. M. F.
SILVANO ÆLIANO.
PONTIF. SODALI AVG.
III. VIR A. A. A. A. F. F. Q. TI. CÆSARIS.
LEGAT. LEG. V. IN GERMANIA.
PR. VRB. LEGAT. ET COMITI CLAVDII.
CÆSARIS IN BRITANIA. CONSOLI
PRO COS. ASIÆ LEGAT. PROPRÆT. MOESIÆ.
IN. QVA. PLVRA. QVAM. CENTVM MILL.
EX. NVMERO. TRANSDANVVIANOR.
AD PRÆSTANDA. TRIBVTA CVM CONIVGIB.
AC LIBERIS. ET PRINCIPIB. AVT. REGIB. SVIS.
TRANSDVXIT. MOTVM. ORIENTEM. SARMATAR.
COMPRESSIT. QVAMVIS. PARTE. MAGNA. EXERCITVS.
AD EXPEDITIONEM. IN. ARMENIAM. MISISSET.
IGNOTOS. ANTE. AVT. INFENSOS. P.R.
166 REGES. SIGNA.
ROMANA. ADORATVROS. IN. RIPAM. QVAM TVEBATVR.
PERDVXIT. REGIBVS. BASTANARVM: ET
ROXOLANORVM. FILIOS. DACORVM. FRATRVM.
CAPTOS. AVT. HOSTIBVS. EREPTOS. REMISIT. AB.
ALIQVIS. EORVM. OPSIDES. ACCEPIT. PER. QVEM. PACEM.
PROVINCIÆ. ET. CONFIRMAVIT. ET PROTVLIT.
SCHITAR. QVOQVE. REGEM. ACHERONENSI
QVÆ. EST. VLTRA. BORVSTENEN. OBSIDIONE. SVMMOTO.
PRIMVS. EX. EA. PROVINCIA. MAGNO TRITICI. MODO.
ANNONAM PR. ADLEVAVIT. HVNC. LEGATVM:

Id est triumvir Auro, Argento. Ære Flando Feriumdoque.

A IN. HISPANIAM. AD PRÆFECTVR. VRB. REMISSVM:
SENATVS. IN. PRÆFECTVR. TRIVMPHALIBVS. 167
ORNAMENTIS HONORAVIT: AVCTORE. IMP.
CÆSARE. AVGVSTO. VESPASIANO. VRBIS. EX.
ORATIONE. EIVS. Q. I. S. S.
MOESIÆ. ITA. PRÆFVIT. VT. NON. DEBVERIT. IN.
ME. DIFFERRI. HONOR. TRIVMPHALIVM. EIVS.
ORNAMENTORVM. NISI. QVOD. LATIOR. EI.
B CONTIGIT. MORA. TITVLVS. PRÆFECTO. VRBIS.
HVNC. IN EADE. PRÆFECTVRA. VRBIS. IMP. CÆSAR.
AVGVSTVS. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT:

Vivebant nunc *Tiburtini* in sinu gremioque felicitatis, cùm in patriæ suæ complexu animi *Augusti* magnitudo habitaret. Commoda enim & utilitates, quæ è Principis præsentia emanârunt, satis superque eluxerunt, & maximè cùm viderint ipsos *Tiburtinos* inter successores Imperii.

Cajus Cæsar natus est Tibure.

Peperit enim *Tibure Agrippina* Conjux Nobilissimi *Germanici*, in Palatio Augusti hæreditario 168
C post *Mæcenatem*, filium venustum, qui vocatus est *Cajus Cæsar*, anno Servatoris universi tertiodecimo, auctore *Suetonio*, Vita *Caligulæ*; *Ante annum ferè natus* Germanico *filius* Tiburi, *appellatus & ipse* C. Cæsar. Hujus vivacitate & elegantia, quæ cum moribus ipsius festivis sæpissimè miscerentur, curas Imperii ponderosissimas, sæpe temperavit Abavus *Augustus*; sed quia res, maximè amata, citissimè perit, ipse nec diù in vivis fuit.

Dolor Augusti de mortuo Infante memorato.

Amplissimus & altissimus animus *Cæsaris* hoc doloris sensu infractus fuit, præque dolore ineptus, & ut leniret, vel potius excitaret mœrorem, solitus est oscula frequentia & dulcia præbere imaD gini infantis mortui, quam accuratissime depictam habuit in cubiculo; præterea Augusta, ut ostenderet imperium ipsius in corda aliorum, posuit in Templo *Veneris* effigiem Infantis *Cæsaris* habitu *Cupidinis*: *Duo infantes adhuc rapti*, inquit *Suetonius* Vita *Caligulæ*, *unus jam puerascens insigni festivitate, cujus effigiem habitu* Cupidinis, *in Æde* Capitolinæ Veneris Livia *dedicavit*. Augustus *in Cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, obsculabatur*. Ut verò innotesceret, de quo loqueretur infante, paulò inferius addidit: *Ante annum ferè, natus* Germanico *filius* Tibure, *appellatus & ipse* C. Cæsar, *de cujus, amabili pueri-*E *tia, immaturoque obitu supra diximus*. Nec existimo à veritate abiturum me esse, si vivacitatem festivitatemque Infantis Principis attribuam aëri puro *Tiburtino*, ubi editus fuit.

Cajus Caligula Imperator natus est Tibure.

Verùmtamen non ita diù pòst compensatus fuit amissus Infans deploratissimus, alio partu itidem 169 *Tibure* edito ab eadem *Agrippina*, die tricesimo primo *Augusti*, Consulibus *Germanico* Patre & *Fontejo Capitone*, Anno à *Christo* Nato quartodecimo, qui etiam appellatus fuit *Cajus Cæsar*, postea vocatus *Caligula* à *caligis*, quibus militari consuetudine utebatur, excepitque *Tiberium* Imperator factus *Romanus*.

F Notat *Suetonius* in Vita nostri Principis, dubium esse locum nativitatis ejusdem, adducitque non unam de eo sententiam, primò illam *Gnæi Getulici*, qui existimavit *Cajum Cæsarem* natum fuisse *Tibure*: Gn. Lentulus Getulicus Tiburi *genitum scribit*. Cui dicit adversari *Plinium Secundum*, confirmantem genitum esse *Augustæ Trevirorum*, addentemque, quod *Getulicus* fallè adulatione sola commentatus sit, ut laudes Principis (nescio quas, multo maximas) gloriæ avidissimi fingeret, na-

natales vindicando Civitati *Herculi* consecratæ: *Getulicum* (addit *Suetonius*) *refert* Plinius, *quasi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis, gloriosique Principis, aliquid etiam ex Urbe* Hercul *sacra sumeret.* Præterea quamvis hoc *Tibur* extollat laudibus, quòd afferat dici per adulationem, laudationemque, Imperatorem quendam ibidem natum esse, tamen necesse est, ut pro defensione *Cnei Lentuli Getulici* virtutes ejus eximias exponamus, quò scriptis ipsius omninò fidem arbitremur dandam, qui omnem operam eò contulerat,
170 ut fidem, famamque meritò sibi vindicaret.

Laudes Cnei Lentuli.

Itaque fortitudo *Getulici*, scribente *Tacito*, Annal. Lib. VI. regendis Legionibus in *Gallia* potius fuit apta, commodaque necessitatibus boni regiminis, quàm gratiæ Principis ipsum promoturi; cujus imperterritus candor & ingenua probitas, remota ab omni fuco & fallacia, semper mirum in modum exluxit, ut, affectibus summè concitatis atque vehementissimis, odium *Tiberii* in sese concitare haud sit veritus, adeò ut, cùm, immanitate efferatus esset in cognatos amicosque *Sejani*, imminerentque *Getulico* supplicia mortis, quòd filium *Sejani* Generum sibi destinasset; ipse verbis ferocissimis atque intrepidis, animo quidem ab hominibus ejus temporis timidissimis alieno, scripserit ad Imperatorem: sese non egisse cum *Sejano* de affinitate, nisi ex consilio *Tiberii*, esse verò sese, ut *Tiberium*, pariter deceptum, nec errorem communem debere alicui exitio esse. Hæc perpendens Cæsar mitigatus est; itaque solus ex illis qui affinitate conjuncti *Sejano* erant, *Getulicus* vitam, cum gratia *Tiberii* retinuit, docente *Tacito*: *Unus omnium Getulicus Sejani affinium incolumis, multaque gratia mansit.*

Inde apparet, quanti momenti sit testimonium Herois tàm inclyti, qui vixit, quo nascebatur *Caligula*, tempore; & quod debeat omnibus aliis præferri, & præsertim illi *Plinii Secundi*, qui mendacii arguitur à *Suetonio* his verbis: *Plinium arguit ratio temporum, nam qui res* Augusti *memoriæ man-*
171 *daverunt*, Germanicum, *exacto Consulatu, in* Galliam *missum consenserunt jam nato* Cajo.

Verosimilior insuper est sententia *Getulici* de *Caligula*, *Tibure* nato, quod *Augustus* cum dilecta sibi *Agrippina*, heic frequentissimè degeret, ut colligitur e *Suetonio*, prætereà addente, Principem memoratum, pro roboratione nervorum, solitum fuisse immergi aquis *Albulis*, sellæque insidere ligneæ, quam voce *Hispanica Duretam* nuncuparet: *At quoties*, scribit Suetonius Vita Augusti, [1] *nervorum causa marinis*, *Albulisque calidis utendum esset*, *contentus hoc erat*, *ut insidens ligneo solio*, *quod ipse Hispanico verbo* Duretam *vocabat*, *manus*, *ac pedes alternis jactaret.*

Aquæ Albulæ usurpatæ ab Augusto.

Emanant aquæ *Albulæ* memoratæ è nostris sulphureis in planitie *Tiburtina*, ubi commodo balneorum extructum fuit ab *Augusto* nostro (ut quidem fama est, jam antiqua) pretiosissimum & utilissimum ædificium, cujus rudera longè plurima hodieque supersunt in possessionibus hæredum *Vincentii Mancini*, *Tiburtini*, celeberrimi Jurisconsulti Curiæ *Romanæ*, nec non Scriptoris luculentissimi Tractatuum *De Confessione* & *De Juramento*; remitto verò Lectorem ad Hendecasyllabos, celeberrimo Auctori à *Petro Paulo Martio*, Patre meo, in editionem libri ejus conscriptos. Videbantur ibidem etiam varia Templa, vel Sacraria sparsim & undiquaque posita, diversis Diis, & in primis *Hygiæ* filiæ *Æsculapii*, quæ Dea sanitatis putabatur. Hæc indicant Inscriptiones antiquæ sequentes:

Aquæ Albulæ, vel sulphureæ Tiburtinæ, earumque balnea.

172 PROCVLVS SACERDOS
M. D. M. IGIAE SAC.
AD AQVAS ALBVLAS
D. D.

ATTINI AVG. SAC.
C. IVLIVS.
S. P. F. M. D. M.
AD AQVAS
ALBVLAS D. D.

Proximè datur Templum horum, formâ rotundâ, more prisco, sub vivario *Marci Antonii Croce* Patritii *Tiburtini*, filii *Albiniæ*, Sororis Eminentissimi Cardinalis *Martii Ginneti*, Vicarii summi Pontificis.

Porticus antiqua in balneis Solfataræ.

Obtexerunt loca dicta ab æstatis æstuante calore umbræ Sacri Nemoris, ante memorati, & Porticus inter cæteras, quæ *Regulo* bigis transvecto quondam decidit, nec tamen nocuit casus, tradente *Martiale* Epigrammate duodecimo libri primi:

Itur ad Herculei *gelidas qua* Tiburis *arces*, 173
Canaque Sulphureis Albula *fumat aquis.*
Rura, Nemusque sacrum, dilectaque jugera Musi,
Signat vicina quartus ab Urbe lapis.
Hic rudis æstivas præstabat porticus umbras.
Heù quam pœnè novum porticus ausa nefas?
Nam subitò collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus *esset equis.*
Nimirum timuit nostras fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat invidiæ.
Nunc, & damna juvant, sunt ipsa pericula tanti,
Stantia non poterant tecta probare Deos.

Animadvertendum verò est, mensuras *Italiæ* fuisse mutatas grassantibus *Longobardis*; quare mirum non est, aquas *Albulas* hodiè computari distare *Tibure* tria milliaria, atque apud *Martialem* quatuor; uti aliàs *Romà Tibur* ipse numerat milliaria viginti, at nos hodie sedecim.

Mensuræ variatæ tempestate Longobardorum.

Posteà, temporum diuturnitate, cessatum fuit à balneorum usu, diruptoque alveo, aquæ dissipatæ, quæ submergendo magnam partem planitici nostræ fecerunt paludem capacissimam; hæc verò operta virgultis non minùs aquis affluit, quàm celebratur lustrum cervorum, caprarum, aprorum aliarumque ferarum; quas venatum veniunt sæpissimè Heroës *Europæ* illustrissimi.

Paludes sulphureæ.

Tandem Anno MDXLVI. ope & gratia Cardinalis *Bartholomæi della Queva*, benignissimi in hunc tractum, & posteà magni *Hippolyti*, Cardinalis *d'Este*, à Communi *Tiburtino* divisæ fuêre paludes sulphureæ, aquis in alveum demissis, ut jam licet videre; quæ in *Anienem* influunt, virgultorumque planitiem deseruerunt; ita campus inundatione aquarum liberatus est, quæ teterrimo odore corruperant aërem, tutusque redditus est à latronibus, heic sese abdentibus periculo iter facientium: Fundus, qui longè spatiosissimus ab *Albula* lapidescens est, ut jam visitur, nullam admittit culturam, solisque pascuis, quæ hîc crescunt amœnissima, commodus. Hinc eruitur species quædam lapidis levis & spongiosi, qui nuncupatur *Testina*, utilissimus struendis Arcubus & Zophoris. Nec contemnendus *Tartarus* est, qui è lacusculo indidem propinquo excipitur, fontibus versicoloribus formandis adhibendus. 174

Lapis dictus Testina.

Lacus vocatus Tartari.

Porrò ramansit hîc lacusculus citimus antiquis balneis, ubi sese exhibent onustæ deliciis miris quædam parvæ Insulæ natantes, salicum, scirporum, aliarumque stirpium ab aquis sulphureis unà cum fundo concretarum, quæ portando oneri gravissimo sufficiunt.

Insulæ natantes.

Prætereà hæ ipsæ aquæ, quæ alveo *Anienem* versus effluunt, in has planities à Sole subactas & dealbatas, post se relinquunt vim maximam lapillorum formâ malorum aureorum, coriandri, aliorumque bellariorum itidem candidorum, similiumque saccharatis, quæ eludunt oculos & manus, palato solo suis ingratiis sentiente lusum, cum adstantium risu. Vocantur hæc vulgò *Bellaria Ti-*

Bellaria seu Mensæ secundæ Tiburis.

[1] *F. Martius.*

175 *burtina*, seù *Confetti di Tivoli*. *Andreas Baccus*, Medicus celeberrimus, in Aula maxima *Romana*, præter reliquos Tractatus de aquis thermarum & *Tyberis*, perstringit brevi dissertatione edita anno MDLXIV. universas dotes aquarum *Albularum Tiburis*, addendo modum adhibendi easdem; quâ lectâ coram confessus est *Augustinus Mironi di Monticelli*, Chirurgus *Gregorii* XV. sese juvenem accepisse adeò vulneratum, ut Medicis remedii ignaris, constitutum sit tugurium ad has aquas ponere, quas adhibendo ad regulam à *Bacco* præscriptam, ex morbo convaluisse ægrotum. Virtutes harum aquarum etiam enodavit *Thomas Neri Tiburtinus*, Medicus *Romæ* celeberrimus, libro edito *de Tiburtini aëris salubritate* cap. XII.

Virtutes aquarum *Albularum* explicitæ à *Bacco*.

Anno insequente *Caligulam* natum (ut redeamus ad seriem temporum) nimirum quinctodecimo à *Christo* nato, Consules *Romani* fuerunt *Cajus Silius Nepos*, & *Lucius Munatius Plancus*, quem *Tiburi* vindicavi; his Consulibus ultima ordinavit *Augustus*, ubi paulò antè *Munatium*, auctore *Dione*, Censorem constituisset.

Ann. à Christo nato 15. *Munatius Plancus Tibürs*, Consul *Romanus*.

Hic *Tiburtinus* natales dedit oppido celeberrimo *Galliæ Lugduno*, ut antè memoravi, & præterea *Plutarchus* in Vitâ *Hannibalis* asseverat hisce verbis: Hannibal, *motis castris*, *metatus fuit flumen versus*, *in ripa* Rhodani, *& diebus paucis elapsis venit ad locum*, *à* Gallis *vocatum* Insulam, *quem faciunt* Rhodanus Ararisque *fluvii*; *hi à montibus*
176 *variis emanantes hìc confluunt*, *ubi situm est jam oppidum frequentissimum* Galliæ Lugdunum, *quod diu pòst reperimus constitutum fuisse à* Planco Munatio. Ad quod nomen respectum habere dicerem denominationem Oppidi *Latinam*, nam *Lugdunum*, quasi *Lucii Dunum*, id est, *Mons*, sermone *Gallico* pristino, dicitur.

Derivatio *Lugduni Galliarum* extructi à *Munatio Planco*.

Statuit insuper *Munatius Romæ* Templum *Saturno*, notante *Suetonio* in Vita *Augusti*, quare ipsum celebrat Inscriptio, quæ propè *Cajetam* invenitur, recitata à *Nicodemo*:

Templum *Saturno* positum *Romæ* à *Planco*.

L. MVNATIVS L. F. L. N. PRON.
PLANCVS COS. IMP. ITER. VII. VIR.
EPVLON. TRIMPH. EX. KAETIS.
AEDEM SATVRNI FECIT DE
MANVBIIS. AGROS DIVISIT IN
ITALIA BENEVENTI. IN
GALLIA COLONIAS DEDVXIT.
LVGDVNVM ET RAVRICVM.

Anno proximo, sextodecimo à *Christo* Nato, *Archelaus* filius *Herodis* Senioris, *Romæ* à *Judæis* accusatus, Regno exuitur, relegaturque in celeberrimam Civitatem *Galliæ Viennam*; mittit verò *Augustus Coponium Tiburtinum*, ut pro Gubernatore præesset Regno *Arihelai* publicato; quod comprehendebat *Judæam* totam, *Samariam* & *Idumæam*. Urbs urbium & Regia imperii fuit Civitas Regalis *Hierosolyma*, ubi *Coponius* regimen exercuit, quo gubernante Provinciam, iterum immanis illa & cruenta seditio erupit, quæ,
177 juxtà computum *Eusebii*; contigit anno primo Servatoris nostri, instigante *Juda Galileo*; hic tribus *Pharisæorum*, *Sadduceorum*, atque *Essenorum* Sectis quartam illam *Galilæorum* addidit; qui fusione sanguinis sui pertinaciter libertatem tutati sunt, omnes homines naturali dispositione liberos nasci asserentes, neque alii, nisi Creatori Deo, subjectos, quare nullum in terris agnoscendum esse Dominum, ullive hoc nomine tributa pendenda, aliave subjectionis signa esse præstanda. Sequebatur Secta hæc *Simonem* quendam *Galilæum*, atque inter illos *Juda* ille populari facundia tantum excitaverat tumultum, ut in extremas miserias *Judæorum* statum adduxisset, nisi mature in graminè conatum hunc oppressisset

Ann. 16. à *Christo* nato.

Coponius Tiburtinus summus *Judææ* Gubernator.

Secta *Galilæorum* negans tributa Principatui pendenda.

A *Coponius* noster, sicut testatur *Josephus* lib. II. de *Bello Judaico*.

Coponius seditionem *Galilæorum* compescit

Quoniam verò *Galilææ* Sectæ hujus sequaces capitali odio, ut hostes Reipublicæ, *Romani* persequebantur, hìnc multis post annis, crudeles *Judæi*, Domini Servatoris nostri hostes acerrimi, ut factionis hujus invidia eumdem onerarent, rogationem obtruserunt illam, licitumne esset *Cæsari* tributum solvere an non; verum Divina Sapientia, perspecta facillimè versutia malefici cordis, confusos eosdem reddidit noto responso: *Reddite*, 178
quæ sunt Cæsaris, *Cæsari*, *& quæ sunt Dei*, *Deo*.

Judæorum versutia in interrogando *Christo* de solutione tributi.

Narrat in *Marci Crassi* Vita *Plutarchus*, quod infelix ille Imperator, insigni à *Parthis* clade acB cepta, amisso etiam bona cum parte exercitus filio *Publio Crasso*, in Urbe *Mosopotamiæ Carrhis* receptus fuerit a *Coponio* cum reliquiis exercitus sui, hanc enim Urbem, præsidio suo *Coponius* tenebat.

M. Crassus à *Parthis* victus, filiusque *Publius* occisus.

Fuit autem hic unus ex *Coponiis* istis *Tiburtinis* superioris ætatis, quorum mentionem facit *M. Tullius* in Oratione pro *Cornelio Balbo*, his verbis: *Quomodo ex eadem Civitate*, *id est* Tiburtina T. Coponius *Civis item summa virtute*, *& dignitate* (*Nepotes* T. & C. Coponios *nostis*) *damnato* C. Massione, *Civis* Romanus *est factus*.

Coponius Tiburtinus præsidium habet *Carrhis* in *Mesopotamia*.

Scribit *Thomas Porcacchi* à *Publio Crasso* mulæ suæ, qua multum delectabatur, *Ciucciæ* nomine,
C *Tibure* mortuæ, sequens erectum fuisse Epitaphium:

DIS PEDIBVS
SAXVM
CIVCCIAE DORSIFERAE, ET CLVNIFERAE
VT INSVLTARE, ET DESVLTARE COMMODETVR.
PVBLIVS CRASSVS MVLAE SVAE CRASSAE
BENE FERENTI
SVPPEDANEVM HOC CVM RISV POSVIT: 179
VIXIT. ANN. VNDECIM.

Villam *Coponiorum* fuisse *Tibure* eo loco volunt, ubi hodie amœna Vinea est Patrum *Jesuitarum*,
D dicta *Aquaregna*, non longè ab Urbe, sub cujus ædificio vestigia adhuc antiquitatis quædam cernuntur.

Villa *Coponiorum Tibure*.

Mense autem Augusto die XIX. post N. C. anno XVI. deplorarunt *Tiburtini* mortem *Cæsaris Octaviani Augusti*, cujus benevolentiæ effectus singulares hactenus experti fuerant, cujus etiam magnificentia & repetita sæpiùs commoratio *Tiburi* haud leve decus attulerant. Testantur hoc satis clarè Inscriptiones Sepulcrales familiarium suorum, per *Tibur* variè dispersæ, quarum quasdam lubenter inferius collocare volui non tamen contendere volens omnes illas ad *Augusti* nostri tempora pertinere.

Augusti mors *Tiburi* luctuosa.

E

D. M.
T. CLAVDIO AELIO
SABINIANO
MEDICO AVGVSTI
PEDANEVS RVFVS
AMICVS

D. M. 180
PLAETORIAE NVPTIALI
VIX
ANN. XV. MEN. VII.
DIES VIII.
F MNASIAS AVG. LIB.
CONIVGI BENEME.
FECIT.

D. M.
M. VENTVLIVS
IONIVS AVG. LIB.
CONIVGI KRISSM.
B. M. P.

D. M.

181 D. M.
AVRELIAE
PRIMITIVAE
CONIVGI
KARISSIMAE VIVOS
FECIT ZOSIMIANVS
AVG. LIBERT.
NOMENCLATOR
A CENSIBVS
SIBI SVISQVE LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM.
H. M. H. N. S.

Id est, *hoc Monumentum hæredem non sequitur.*

D. M.
AGELE AVG
VERN. PECVL.
VIXIT AN. VIII.
D. XI.
POLYDEVCES
AVG.
DISP. PATER

182 DIIS MANIBVS
AELIAE T. F.
VIXIT ANNIS III. MENSIBV. VII.
DIEBVS XXIII.
T. AELIVS AVG. LIB.
AMPLIATVS
TABVLARIVS VILLAE
TIBVRTIS ET FLAVIA
APHRODISIA PARENTES
F. DVLCISSIMAE.

Ann. N. C. 17. *Tiberius Augusti* Successor.

Mortuo verò *Augusto* ruinam vidit Patria nostra familiarissimorum exstincti Principis, *Tiberio* ad Imperium evecto.

Nota *Germanici* virtus, dulces prudentesque ejusdem mores, quantam singulorum illi benevolentiam conciliarunt, tantam apud *Tiberium* creaverunt invidiam. Dilectæ *Agrippinæ* dotes animi illustres, quibus devinctum tenebat *Augustum*, faces livoris in *Liviæ* præcordiis accenderant. Itaque ille quidem speciosis ramis generositatis suæ obtegens umbram malignam Cæsaris *Tiberii*, reciso mox trunco, in terram decidit; hæc autem resplendens invidioso virtutum lumine, cito nigra operta fuit caligine. Gradum itaque *Romam* acceleravit *Agrippina*, cineres secum ferens mariti, *Antiochiæ* veneno extincti, opera *Pisonis*; ipsius verò *Tiberii* jussu. Movit omnium corda tàm lugubre spectaculum; furens itaque populus ad Cæsarem occurrit dilecti *Germanici* sui postulans

Ann. N. C. 21. *Germanicus* opera *Pisonis* veneno sublatus.

183 ultionem. Hinc *Tiberius*, revocatum ex *Syria Pisonem*, coram Senatu causam purgare jussit, & quum alterius pœna suum scelus tegere Princeps vellet, judicibus severissimis pro præda relictus est *Piso*, quod præsentiens, condemnationem voluntaria morte prævenit. Vixit tamen socia sceleris *Plancina*, *Liviæ* favore protecta, quamvis festuca insignis, ut adnotat *Tacitus* Annal. lib. v. in oculis *Aprippinæ*.

Piso à *Tiberio* derelictus mortem sibi consciscit.

Plancina, uxor ejus, *Tiburtina*, ibique villam possedit.

Plancinæ verò isti patria *Tibur* fuit, & ex Familia *Munatia* genus, ut notat *Dion.* Lib. LVII. exque ejus dote creditur ad *Pisonem* villa in *Tiburtino* pervenisse, cujus vestigia adhuc dum ejus magnificentiam demonstrant, atque ipsa etiamnum regio *Pisonis* venit nomine, valdè celebrata à *Tiburtinis*, propter exquisitum vini genus, quod ibidem nascitur.

Ann. N. C. 31. *Rubellius Blandus* Cos. *Tiburtinus*. *Liviæ* mors.

Non longè post, anno *Christi* XXXI. atque *Tiberii* xv. Coss. *Fusio Gemino*, & *Rubellio Blando*, *Tiburtino*, ut subtus visuri summus, annosa valde mortua est *Livia Julia*, Magni istius

A *Augusti* conjux, materque *Tiberii*, quæ secundum *Tacitum*, eleganti Oratione pro Rostris laudata fuit à Principe *Cajo Caligula*, & ipso *Tibure* nato.

Huic *Tiburtini* Statuam posuerunt in Foro *Herculis*, in cujus basi, quam adhucdum jacentem ibi observare licet, inscribuntur hæ literæ:

LIVIAE AVGVSTI 184
CAESARIS
PVBLICE.

Ann. N. C. 34. Mors *Christi*.

Tribus verò annis post Consulatum *Rubellii* nostri, decimo octavo autem regni *Tiberii*, acerbissima crucis morte sublatus *Hierosolymis* fuit Servator
B noster *Jesus Christus*, ætatis suæ anno trigesimo quarto, prodigiosè motis totius Naturæ elementis omnibus, ut non tantùm Evangelistæ, verùm etiam Ethnici dicunt Scriptores, Solem enim lumen suum testantur abdidisse, terram fuisse motam, rupta montium juga, sicut hodieque cerni potest in famosa *Cajetæ* Rupe, in illa *Alverniæ*, ipso etiam *Tibure* aliquantum ab Urbe in *Monte Calvo*, in cujus vertice immanis profunditatis apparet fissura; unde & multi, religiosi præcipuè, illùc accurrunt, ut locum illum suspiciant atque meritò venerentur, ut qui (sine sensibus licet) tamen (ut ajunt) exemplum mœroris præbuerit pro-
C pter mortem Conditoris sui, pro nostra salute pereuntis, rasoque capite (neque enim gramina profert) adhucdum eandem quasi deploret, nostramque nobis exprobret ingratitudinem. 185

Montes rupti in morte ejusdem

Ann. N. C. 26. *Rubellius Blandus*, *Tiburtinus*, maritus Neptis Imperatoriæ.

Uxorem dein, duobus post mortem Servatoris nostri annis *Rubellius* hic *Blandus* duxit *Drusi* filiam *Juliam*, temporibus illis, quibus flos *Romanæ* periit Nobilitatis; cumque eâdem miserabilis *Agrippina*, una cum filio *Druso* crudeliter fame necata, barbara *Tiberii* sævitia; ipsa autem *Plancina*, mortua jam *Livia*, redeunte occisæ *Agrippinæ* invidia, nullo defensore, inter multas crimi-minationes relicta, virili animo, ne sub carnifi-
D ce caderet, *Pisonem*, maritum quondam, imitata, se ipsam interfecit, ut narrat *Tacitus* lib. vi. Annal. cap. XXVI.

Aula itaque tot infaustis eventibus mœrore affecta, nuptias Neptis Imperatoris cum *Rubellio Blando*, genere *Tiburtino*, cernere haud sibi gratulabatur, ut adnotat idem Polyticus his verbis: *Tot luctibus funesta Civitate, pars mœroris fuit, quod* Julia, Drusi *filia*, *quondam Neronis uxor*, *denupsit in domum* Rubellii Blandi, *cujus avum* Tiburtem *Equitem* Romanum *plerique meminerant.*

Annal. lib. 5.

Juliæ, *Rubellii Blandi* uxoris, prosapia.

Soror *Claudii* fuit hæc *Julia*, *Caligulæ* amita, principisque Regnantis Neptis. Patrem habuit
E *Drusum Tiberii* Fratrem, Matremque *Antoniam*, filiam *Octaviæ*, magni *Augusti* sororis, *Marci*que *Antonii* Triumviri uxoris.

Ex *Germanico*, *Juliæ* Fratre, atque uxore *Agrippina*, ex *Marco Agrippa* orta, ac *Julia Augusti* filia, nati sunt *Drusus*, *Cajus Caligula* (postea Imperator) *Drusilla* (*Cassii Longini* uxor) *Julia* (*Marci Vinicii* sponsa) secunda *Agrippina*, priùs *Gneo Domitio*, *Neronis* Patri, *Claudio* dein Imperatori avunculo suo, maritata.

Rubellius propterea authoritate splendens, ac tamquam Imperatoris nepos fuit veneratus; Unde 186
F (referente *Tacito*) quùm *Romæ* major *Circi* pars (seù integer potiùs *Aventinus*) combusta fuisset, singulorumque damnum *Tiberius* duorum cum dimidio millionum munere liberaliter repararet: electus ipse à Cæsare, unà cum aliis tribus Cæsariis pronepotibus, ad easdem pecunias afflictis incendio isto distribuendas, *Tiberii* nomine *Augusti* Templum, Theatrique *Pompejani* Scenam solemniter consecravit.

Annal. lib. 5.

Templum *Tibure* in honorem *Drusillæ Caligulæ* sororis.

Aliud quoque *Tibure* sacravit Templum penes *Aniensis* rupes, illi *Sibyllæ* ferè contiguum, in *Dru-*

Drusillæ honorem, *Caligulæ* valde dilectæ sororis; cujus Porticus, cùm suis Columnis temporibus iis erectis, adhucdum visuntur, licet mœniis meliori usu & fortuna inclusæ, ac in Paræciale sancti *Georgii* Templum commutatæ; ubi in antiquo marmore multis abhinc annis ego ipsemet legi hanc Inscriptionem.

DIVAE DRVSILLAE
SACRVM
RVBELLIVS C. F.
BLANDVS DIVI
AVG.
TRIB. PL. PR. COS.
PONTIF.

Templum *Vestæ*, virginumque *Vestalium* Collegium *Tibure*.

Ex quo colligimus, non hoc (multoque minùs illud *Sibyllæ*) Templum *Vestæ* (ut multi putarunt) extitisse; istius enim Deæ Templum locum tenuisse reor, ubi nunc surgit nobile Monialium
187 sanctæ *Claræ* Monasterium; (*Sancti Michaëlis Archangeli* nuncupatum,) in quo plurimæ conspiciuntur antiquitates; plateæque circumvicinæ hodierno etiam die *Vesta* appellantur.

In tanta erant apud *Ethnicos* virgines *Vestales* veneratione, ut Sacrosanctæ vocarentur, tantaque valebant auctoritate, ut earum jussu Cives inter sese sævientes & discordantes, placarentur, pacemque inirent.

Admitti nequibant in *Vestalium* Collegium minores sex, nec majores decem annis, ibique per triginta annorum spatium morari tenebantur, quibus præteritis nubere eisdem concessum erat; nubentes verò ab omnibus contemnebantur, spernebanturque. Prioribus decem annis Sacrificiorum ritus addiscebant, sequentibus aliis decem eorum ministerio præponebantur, aliisque decem ultimis imperabant aliis. Princeps earum *Maxima* vocabatur, ut ex *Antistii* auctoritate refert *Andreas Fulvius* [1]; Eminentissimus verò *Baronius* [2], virgines Vestales recisis comis vixisse asserit.

1. lib. 4. *Antiquit. Rom.*
2. in *Martyrologii* die 20. Sept.

Tibure vetustissimæ Virginum *Vestalium Tiburtinarum* duæ reperiuntur memoriæ, duobus in marmoribus, quorum alterum jacet in platea *Trevii*, estque tale:

188

SAVFEIAE ALEXANDRINÆ
V. V. TIBVRTIVM
CAPLATORES TIBVRTES
MIRÆ EJVS INNOCENTIAE
QVAM VIBÆ DECREVERANT POST
OBITVM . . . POSVERVNT
L. D. S. C.

Marmor alterum cernitur in Ecclesia diruta *Sancti Antonini*, in quo sculptum legitur:

C. SEXTILIVS
V. V. TIBVRTIVM
LIB. C. PHOEBVS
HERCVLANIVS
AVGVSTALIS. SV.
PATER.

Ann. Chrsti 39. *C. Caligula Tibure* natus *Tiberio* succedit.

Tertio à contractæ dicti nostri *Rubellii* Imperatoriæ affinitatis anno *Tiberius* motuus, reliquit Regnum, quod à nepote *Cajo Caligula* susceptum fuit: Hujus primos vagitus *Tibur* recepit, eisque ipse ibidem abblanditus fuit *Augustus* Proavus, in villa, olim *Mecenatis*.

Germanici gloriosam memoriam recolens, gavisus fuit Populus in exaltatione Filii, quo, (tamquam vivo paternæ virtutis simulacro) optimo Principe semel frui, sperabat. Nec falli se putavit, dum à prima sceptri tractatione, pietas, justitia, & magnificentia, (bona valdè prudentis Imperii indicia) clarè in eo scintillare quasi viderentur.

189 Coruscarunt virtutes hæ, tunc quando prædecessoris sui funeralibus peractis, ad *Pandatariam* Insulam se conferens, ab infausto illo exi-

A lio in Mausoleum *Augusti* magnifica cum pompa inferens Matris & *Neronis* fratris cineres, in patriam eosdem ita quasi reverti fecit; Viventibus enim id Principis regnantis austeritas minimè concesserat.

Honores insuper illi, qui Memoriæ *Liviæ* à Senatu dicati fuêre, ut omnes quoque *Antoniæ* aviæ decernerentur, mandavit. *Claudium Germanicum*, Patris fratrem, qui à tot annis, ut rebus gerendis ineptus, omnibus ignotus, ac spretus vixerat, unà secum ad Consulatum promovit, honores sopitos quasi in sanguine Cæsareo expergefaciens; eumque tamquàm Principis patruum & venerari,
B & honorari voluit. Carceres aperuit; exilia revocavit, lites, & calumnias, formidabiles prætertæ dominationis reliquias, extinxit. Integram Magistratibus reddidit auctoritatem, populoque pristinam, optatamque libertatem munera distribuendi restituit. Legatis omnibus à *Livia*, *Tiberio*que testamentaria voluntate ordinatis, integrè satisfecit: *Italiæ* onera abstulit: propriis sumptibus incendii damna reparavit: Aspiciens insuper *Romano* commodo septem deficere aquæductus; in *Tiburtina* regione, anno Imperii sui secundo, alios ædificare incepit, ut ibi novum *Anienem*, *Cæruleam*, *Curtiam*que aquam in *Subiacensi solo* con-
C duceret, Populus idcircò ludis, festisque Thea- 190
tralibus, ab eodem conviviis regiis decoratis, sæpiùs felices hujus Imperii dies lætus celebrabat.

Sed eheu! quàm humana decipitur spes! Amatorio quodam potu (ut notat *Suetonius*) ab uxore *Cæsonia* sibi porrecto, mentem unà cum natura adeò mutavit *Caligula*: ut ab optimo ad pessimum transiens, in tales scelerum excessus inciderit, ut calamus ab eorum abhorreat narratione. Qùum autem jam intolerandus evasisset, per manus *Cassii Chereæ*, *Corneliique Sabini*, Tribuno-
D rum Prætorianorum, vulneribus pluribus, viventium numero exemtus fuit, die prima *Februarii*, anno à partu Virginis quadragesimo tertio, juxtà *Cardinalem Baronium*, adnotantem, quod *Caligulæ* nequitia usus fuerit Deus ad plures malignos puniendos *Hæbreos*, Dei incarnati crucifixores, quippè ii, effero exemplo, combusti, crucifixi, torminibus, mortibusque variis sub *Flacco Avilio*, *Egyptiorum* Præside, fuerunt affecti.

Ann. *Christ* 41.

Caligulæ Cædes.

Strages *Hæbreorum* à *Caligula* facta.

Post *Caligulæ* interitum, Prætorianorum favore fastigium Imperii ascendit *Claudius*, illius avunculus, jam quinquagenarius. Cæsarea iste
E magnificentia *Anienis* Aquæductus aquarumque *Cæruleæ*, *Curtiæ*que, à *Caligula* in regione *Tiburtina* inceptos, perfecit.

Claudius Caligulæ succedit; novique *Anienis* aquæductus ad perfectionem redigit.

Ad quorum notitiam sciendum est, quod inter multos, variosque fontes, agros *Subiacenses* inundantes, celebriores exurgant *Cæruleus*, & *Curtius*, sic à priscis suis conductoribus nuncupati; ii verò suprà *Subiacum* ex altis *Simbruinis* montibus scaturiunt, ut in *Subiacensi* Chronico cap. IV. legi potest. 191

Fontes *Curtius*, & *Cæruleus*.

Horum duorum fontium aquæ simul unitæ ingrediebantur Aquæductum, qui (quia à *Clau-*
F *dio* perfectus fuit) nomen *Aquæ Claudiæ* tulit; alius verò, *Novi Anienis* Aquæductus vocatus fuit; hunc verò ut clariùs ostendam, à scaturigine sua incipiendum esse judicavi.

Aqua Claudia.

Inter saxosos *Hernicorum* colles surgit *Trevis*, urbs olim clara, ac celebris propter strenuam in antiquo *Latini* nominis fœdere operam, ut refert *Dionysius*: à qua mille cum quingentis circiter passibus abundans scaturit fons à Rusticis *Caput Aquæ* dictus, ex quo priscus *Parcustus* fluvius, in *Anienem* commutatus claram juxta *Plinium*) suam noscit originem. Hic à terris vicinis *Follettini*, *Vallis Petræ*, *Gennis*que descendens, defluit per Montes *Simbrivii*, quod Græcè con-

Trevis.

Rom. antiq. lib. 5. lib. 3 cap. c. 10.

Follettinus, *Vallis Petræ*, *Gennis*, *Simbrivius*.

confluentiam sonat. In hujus vallis fundo à *Romanis* vi, spisso altoque muro hæ detentæ fuêre aquæ, unde intumescens fluvius sese in Lacum commutavit, à quo celebris Civitas, ibi inferius sita, *Subiaci* seu *Sublacensis* nomen accepit, illustris sedes Magni *Benedicti*, omniumque aliarum Terrarum, Oppidorumque Abbatiæ hujus Sancti Patriarchæ subjectorum.

Lacus Sublacensis. *Subiacus.*

Novus Anio. Hic igitur Novus *Anio* defluebat in Aquæductum *Claudii*, *Stagno Simbruino* adhærentem, ad aquas purgandas confectum, ut ipsa clarior fluens

192 per sublimes *Arcus* pro suo triumpho erectos *Romam*que ingrediens, plausus inveniret populi; qua de causa ad Aquæductus os interposita fuit ferrea Limaria, quam hodierno etiam die inter dirutas rupes eas adhùc existere affirmant.

Frontinus. De hoc Novi *Anienis* Aquæductu (sic ad distinctionem Veteris illius vocato) ita scripsit *Frontinus*:

Anio *autem Novus* Subiacensi *via ad milliarium XLII. in suo rivo excipiebatur eo flumine, qui cum terras cultas soli pinguis circum se haberet, & inde ripas solutiores etiam, sine pluviarum injuria, limosus, & turbulentus fluebat, ideoque faucibus dictis interposita erat limaria, ubi inter amnem, & specum consisteret, & liquaretur aqua. Sic quoties imbres supervenirent, turbida perveniebat in urbem. Jungebatur rivus* Herculaneus, *oriens eadem via ad milliarium XLIII. Ductus* Anienis *efficiebat longitudinem passuum LXII. M.*

De Aquæductu autem Fontium *Curtii*, & *Cærulei* dictæ aquæ *Claudiæ*, hæc refert *Plinius*:

lib. 36. c. 15. *Vicit antecedentes aquarum ductus, novissimum impendium operis, inchoati à* C. Cæsare, *& peracti à lapide quadragesimo eadem excelsitate, ut in omnes urbis montes levarentur; influxêre* Curtius, *&* Cœruleus *fontes. Erogatum in id opus sestertium ter millies.*

Et *Tacitus*, undecimo Annalium, Aquarum *Romam* à *Claudio* ductarum, simplicem hanc mentionem facit.

Fontes aquarum Simbruinis *collibus deductas Urbi intulit.*

193 *Antiqui Aquæductus in Tiburis Solo.* In *Tiburis* Territorio quædam magnificæ apparent Aquæductuum reliquiæ; celebriores reperiuntur in vinea Seminarii *Tiburtini*, in pratisque proximis, quæ regiones ab Arcubus ipsorum Aquæductuum, *Arcus* vocantur.

Templum Bonæ Deæ Floræ. Transeunt indè hi per *Afflianum* montem (nunc *Arcensis* vallis nomine dictum), ubi à *Lucio Pasquidio Festo* restauratum fuit dirutum Templum *Bonæ Deæ*, quam *Plutarchus* appellat *Floram*; Putavit enim stultus ille, se ejus favore rivum *Aquæ Claudiæ* perfecisse, uti legitur in sequenti prisca Inscriptione à multis jàm annis reperta.

BONAE DEAE SANCTISSIMAE COELESTI.
L. PASQVIDIVS FESTVS REDEMPTOR OPERVM CAES. PVBLICORVM AEDEM DIRVTAM REFECIT. QVOD ADIVTORIO RIVOM AQVAE CLAVDIAE AVGVSTAE SVB MONTE AFFLIANO CONSVMAVIT IMP. DOMIT. CAES. AVG. GERM. COS. V. NON. IVL.

Ab hoc deinde monte Aquæductus ad planities currebant supra Majorem *Romæ* Portam, ubi inter alias hæc legitur inscriptio.

194 TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAESAR,
AVGVSTVS GERMANICVS PONTIF. MAXIM.
TRIBVNICIA POTESTATE XII.
COS. V. IMPERATOR XVIII. PATER PATRIÆ
AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS
QVI VOCABANTVR CÆRVLEVS ET CVRTIVS
A MILLIARIO XXXV. ITEM
ANIENEM A MILLIARIO LII.
SVA IMPENSA IN VRBEM
PERDVCENDAS CVRAVIT.

A Sed intereà, dum de his disserimus, ipsius *Claudii* non aliter ac ipsæ aquæ, quæ tàm præcipitanter fluxêre, transierunt anni; Consors enim tori *Agrippina*, ut *Neroni* filio procuraret summum Imperium, ipsum veneno peremit; sese eodem tempore tumuli sui fundamenta jecisse minimè animadvertens.

Notat *Suetonius*: visum fuisse *Claudium Tibure* eâ exutum clementia, quam in Aula ostendere studuit; voluit quippe suis ibi oculis sanguinem quorundam morti destinatorum, sacrificare, non inveniens verò, qui tàm nefario operi manum imponerent; misit celeriter nuncium *Reghium*, ut

B sine mora eò deduceretur carnifex, infelices intereà illi è regione Tribunalis, palis ligati, miserandis gestibus aliquam in Cæsare pietatem excitare conabantur; spemque jàm vitæ concipiebant, intuentes contorqueri Principem, notamque præbere tædii; sed cognoverunt deindè miseri hoc inde processisse, quod carnifex ei mora sua invideret voluptatem (quam ab eorum tormi- 195 nibus anxius exspectabat) moratus quippe ibi ab ortu Solis ad occasum fuerat, patientia adeò crudeli, usque dùm sibi liceret frui tam crudeli spectaculo, ipse verò aliis stuporis & insaniæ spectaculum evaderet.

Claudii Imperat. crudelitas Tibure.

C Immanius absque dubio adhuc monstrum fuit ejus successor *Nero*, à quo licet interdùm aliquis humanitatis actus ederetur, is tamen ipse vel contra ejus voluntatem exitum haud bonum sortiebatur; uti in *Cossinio* Equite, ab eodem dilecto, accidit, cujus sanguinis nobilitas ab nobilibus illis *Cossiniis Tiburtinis*, à *Tullio* citatis, originem ducebat [1]: *Quomodo igitur* L. Cossinius, Tibur, *pater hujus Equitis* Romani, *optimi, atque ornatissimi viri, damnato* Cælio, *Civis Romanus est factus:* splendidæ ejus moles in *Cossiniorum* tumulo erectæ, revocant in *Tiburtino* Solo hujus familiæ splendorem; Fures verò & latrones eorum memoriam

Ann. Christ. 57. Nero Claudii Successor. Cossinii nobiles Tiburtini, eorumque Tibure tumulus.

1. In Orat. pro *Cornelio Balbo.*

D posteris eripuerunt, ut enim tali hominum generi auferrent cives tutum receptaculum, viamque, & proximum Pontem aquis sulphureis tutiorem redderent, præterito sæculo hujus monumenti vestigia diruerunt, in illis autem sequens legebatur Epitaphium:

COSSINIAE OL. CAESIAE
POSSIDONIO
L. COSSINIO OL. DISCO
SEXTIAE P. L. EVGENAE
IN. FR. XI. IN AG. P. XV. [2]

2. Id est In Fronte XI in Agro XV pedes.

Narrat igitur *Plinius* [3] quod dictus modo *Cossinius*, 196 *Neronis* Aulicus, quùm à quadam oppressus Scabie,

3. Lib. 29. c. 3.

E quæ à nostratibus *ignis volaticus*, & à Græcis *Lichenes* nuncupatur, atque propter tormina, morbique deformitatem verecundus, vitam tristem ageret, & dolentem; misericordia indè motus *Nero*, eum à morbo liberare voluerit, vocato usque ab *Egypto* medico quodam, qui potione cantharidum parata, eique exhibita, ipsum peremit. Hoc autem data opera non evenit, sicut postea dirus Princeps erga *Britannicum* egit, nam ut sibi soli confirmaret Imperium, purpuram Imperatoriam, Filii *Claudii* sanguine tinxit.

Cossinius nimio Neronis favore moritur. *Britannicus occisus.*

F Post *Britannici* mortem unicum remansit germen Cesareæ prolis *Rubellius Plautus*, *Rubellii Blandi Tiburtini*, *Juliæque*, defuncti Imperatoris germanæ, sororis filius.

Rubellius Plautus unicum remanet germen prolis Cæsareæ.

Corruscabat, quasi stella, inter *Neronis* caligines Princeps iste, priscarum *Romanarum* consuetudinum rigidus observator, quarum severitatem habitu etiam custodire voluit, suorumque suavitate morum, omnium corda adeò rapuerat, ut quùm temporibus iis Cometa quædam apparuisset (à quo vulgus Imperii mutationis pro-

gnosticon capere solet) & de successore *Neronis* jàm sermo haberetur, omnia Aulæ, Populique suffragia *Plauto* faverent, existimantibus illis,

Plautus Tiburtinus successor *Neronis* destinatur.

quod, præter generosam plenamque majestatis ejus faciem, adeòque Imperio dignam, quùm insuper cum *Nerone* gradu æquali ab *Augusto* sanguinem duceret, eodem jure ad illum Summum in terris Imperium esset perventurum, uti Polyticus notat [1] his verbis. *Inter quæ, & sidus Cometes, de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem Regis portendat. Igitur tamquam jam depulso* Nerone, *quisnam deligeretur inquirebat, & omnium ore* Rubellius Plautus *celebratur, cujus nobilitas per matrem ex* Julia *familia: ipse placita majorum colebat, habitu severo, casta, & secura domo, quanto metu occultior, tanto plus famæ adeptus.*

1. Tacit. Ann. Lib. 14.

197

Laudes *Rubellii Plauti.*

Hisce accessit, quod *Anno Christi LXII.* (ut observat *Baronius*) sedente *Nerone* penès *Simbrivia* stagna in *Solo Sublacensi* ad lautam mensam, subito de Cœlo fulmen ceciderit, quod combustis eduliis, mensâque confractâ, ita alimentis ipsi quasi denegatis, mortem eidem nunciare videbatur. Indè ac si ab Astris cœloque ipso vocatus fuisset ad Imperium *Plautus*; in ejus favorem augurium hoc recepit Aula, Acciderat enim in *Tiburis* confiniis, unde & paternam originem traxerat idem *Rubellius.*

Anno Christ. 62.

Neronis mensa fulminata in *Subiaco Solo.*

Novum in favorem *Plauti* augurium.

Historia hæc *Tibure*, in Magistratus ambulacro repræsentatur, aptatis ad vivum picturis, jussu ac sumptibus Domini *Ludovici Bussi*, nobilium *Viterbiensium* splendoris, Anno MDCL, cujus memoria grata semper erit *Tibure*, optimi sui regiminis ergo.

Ludovicus Bussi Tiburis Gubernator.

Motis ita facto murmure ad portenta hæc omnium animis, plurimi, qui sub hoc tam crudeli gemiscebant Imperio, aliique, qui cum novo Imperio nova incrementa cupiebant, accurrerunt ad *Plautum*, opes, viresque, & favorem suum ipsi offerentes, adeò, ut hisce ad *Neronis* aures accedentibus, sibi metuens, *Plauto* litteras miserit, admonens, ut *publicæ studeret quieti, seque de medio eorum, qui malum eidem præbebant nomen, eriperet; quod possideret ipse copiosa in* Asia *bona, sibi a Proavis relicta, ubi juventutem suam transigere tutiùs posset.*

Literæ *Neronis Plauto.*

198

Cæsaris nutibus obtemperans *Plautus*, celeritèr cum Uxore *Antistia* paucisque familiaribus eò se contulit: prout narrat *Tacitus* [2], *Auxit rumorem pari varietate orta interpretatio fulguris. Nam discumbentis* Neronis *apud Simbrivia stagna, cui* Sublaqueum *nomen est, ictæ dapes, mensaque disjecta erat, idque finibus* Tiburtûm *acciderat, unde Paterna* Plauto *Origo, hunc illum numine Deum destinari credebant fovebantque multi, & ancipitia præcolere, & plerumque fallax ambitio est. Ergo permotus iis* Nero, *componit ad* Plautum *literas, consuleret sibi, & turbis seque pravè diffamantibus subtraheret, esse sibi per* Asiam *avitos agros, in quibus tuta & inturbida juventa frueretur. Itaque illic cum conjuge* Antistia, *& paucis familiarium concessit.*

2. Lib. 4. Ann.

Tiburis Confinia.

Subjungit idem Auctor, nostro *Plauto* in exilio in *Asia* minori commorante, ejus invidia *Romæ* agitatum fuisse *Neronem*, atque à maximis vexatum suspicionibus, quas fovebant etiam quidam, qui sub titulo amoris erga Principem, super aliorum ruinis, gradus ad proprias elevationes sibi ædificabant.

Haud negligendam esse (dicebant isti) Reipublicæ quietem in conservatione Principis existentem; & perpetuo ipsam fluctuare, dum *Plauti* vita magis etiam procul, quàm propè timenda esset; vivere ipsum propè Orientis exercitus, memoriæ Avi *Drusi* deditos; magni fieri apud populos eos, judicantes honorem supremum *Plauto*

199

A propter raras suas dotes deberi, ipsumque insigni nobilitate, copiosis divitiis, generositate animi, ac præsertim professa antiqua *Romana* bonitate & urbanitate viam sibi ad Regnum parare:

Ex quibus patet, homines rerum novarum cupidos, sententiam suam Cœlo etiam ipsi placere existimantes, tanto difficiliùs contineri, quanto longiores sunt ab eo, ad quod ambitionis stimulus ipsos impellit, præsentiâ Principis eos haud refrænante.

Dixit igitur *Nero*: *pereat Plautus*: quæ vox per ora *Famæ* in *Asiam* delata, manus earum gentium ad innocentis adolescentis defensionem armare videbatur; ipse tamen his minimè fuit usus,

Mandat *Nero* mortem *Plauti.*

B miserat etiam ad illum socerum *Antistius* nuncium, litteras de periculo suo afferentem; hic propitiis ventis illuc adeò celeriter advectus fuit, ut centurionem prævenerit ipsum à Nerone ad eum occidendum missum.

Admonebat ille *Plautum* generum, ut evitaret mortem ignominiosam, qui propter bonas suas dotes omnes suæ commiserationis fautores esset experturus; audaciores aliquot sibi adsciseeret, quodcumque etiam auxilium haudquaquam contemneret, eo magis, quò ad eum occidendum sexaginta tantum milites mitteret

Neronis ordo consilii refertur *Plauto* & tamen non proficit.

C *Nero*: idcircò hoc medio salutem sibi quæreret, nisi inerti animo mortem subire vellet ignominiosam.

Consilium verò hoc displicuit *Plauto*, majoris facienti *Corani Græci*, *Masonii*que *Thusci*, Philosophorum placita, suadentium sibi *intrepidè potiùs morti occurrendum esse, quàm dubiam & terroribus repletam ducere vitam*: Credibiliùs tamen videtur (ut putat *Tacitus*) supervenisse alios à *Socero* nuncios, nihil periculi esse *Plauto* nunciantes: hora enim meridiana, inopinante *Plauto*, satellites *Neronis* comparuêre, eoque interfecto, caput ipsius ad Tyrannum reportarunt, qui lætitia exsultans, omnem ab anima timorem fugavit.

200

Plautus occiditur.

Licèt *Tacitus*, temporibus illis, adscribat (ut superiùs dictum est) *Dominio Tiburtino* terminos in agris *Subiacensibus* (à *Suetonio Regia Tiburtina* vocatis) Dominium tamen ejus sæculis vetustioribus amplius longè erat, quam posteà cum à *Romanis*, ubi *Latinos* omnes debellassent, imminutum fuit. *Tiburtes* (dicit *Livius* [1]) Prænestinique *agro mulctati.*

Regio *Tiburtina* ejusque amplitudo.

1 dec. l. 8.

Sub *Tiburtino* dominio plures Urbes, oppidaque numerantur, inter quæ *Saxula*, de cujus situ nullæ inveniuntur reliquiæ; & *Empuleum* in via *Subiacensi*, cujus reliquiæ in Castelli *Madamæ*

E Territorio vocantur (*Empuglione*) sic idem *Livius* scribit: Empuleum *eo anno ex* Tiburtibus *haud memorando certamine captum.* inferiùs addit: *Cum* Tiburtibus *usque ad deditionem pugnatum.* Saxula *ex his urbs capta, cæteraque oppida eamdem fortunam habuissent, nisi universa gens positis armis in fidem* Consulis *venissent.*

1 dec. l. 7.

Plures Vici, Oppidaque diebus nostris antiquæ subjectionis ergo *Tiburi* solvunt quemdam annuum censum; horum pars sita est in *Sabinis*, pars in *Æquicolis*, eorum territoriis sese ad *Carseolanorum*, *Marsorum*que terminos extendentibus: In quarto propterea libro inter *Tiburtinos* fuêre ii populi, qui in *Romanorum* auxilio contrà *Hannibalem* dimicarunt; quique à *Silio Italico* sequentibus

F

201

versibus exponuntur:

Quique Anienis *habent ripas, gelidoque rigantur*
Simbruvio, *rastrisque domant* Æquicola *rura.*

Clara fit hujus *Dominii* mentio in *Chronico Manuscripto Monasterii Subiacensis* anno M. C. *Rursus post biennium iidem* Tiburtini *inveterati* Abbatiæ Subiacensis *hostes potentes, Oppidorum copia freti*

freti Castrum Appolonium *aggressi acri obsidione* A
premere cœperunt &c.

Terrarum, Oppidorumque censum *Tiburi* sol-
ventium nomina in secundo statutorum *Tiburtino-
rum* libro leguntur, ordine sequenti.

La Terra della Scarpa, *& del* Lago,
La Terra di Roviano, *& di* Rovianello.
La Terra di Arsoli.
La Terra di Valle infreda, *& di* Portico.
La Terra del Vivaro.
La Terra di Petescio.
La Terra di Montorio.
La Terra di Canemorto, *& di* Sinibaldo.
La Terra di Coll'alto, *& di* Bulgaretto.
La Terra di Pietra Forte.
La Terra d'Offiano.
Ea Terra della Serea.
Li Castelli di Pietra valle, *& di* Roccha di
Salcie.
Et la Badia di Subiaco.

Anno Christ. 69.

Diebus iisce *Neronis*, Anno *Christi* LXIX. A-
postolorum Principes *Petrus* & *Paulus* gloriosum
202 *Romæ* consummarunt martyrium, ubi, proxi-
misque in locis exemplo & doctrina fidem plan-
tarunt *Christianam*; quapropter *Tiburtini* sæpè
Petri documenta, vocemque concionantis *Pauli*
audivisse creduntur, docta sicuti dissertatione con-
cludit eruditissimus Episcopus *Vasonis*, *Josephus
Maria Suarez*, singularis dominus meus, in se-
cundo suæ *Prænestis* libro.

Tiburtini ab Apostolis *Petro* & *Paulo* fidem receperunt.

Jurè quidem tàm fausta sorte gloriatur *Tibur*
& favoris divini tanto magis hoc fatetur privi-
legium se inter primas Evangelica luce illuminatas
Urbes exstitisse, Apostolicæ idcircò pretiosæ mes-
sis semen fuerunt *Exuperantius* Presbyter, à pri-
mis *Petri* successoribus ordinatus; magnus item
doctor *Getulius* Tribunus, *Amantius*, & *Primiti-
vus*, *Simphorosa Getulii* uxor cum septem e-
jus filiis, constantissimis *Christi* martyribus, cla-
rissimisque nascentis Ecclesiæ luminibus.

Ann. *Christ.* 83.

Circà hæc tempora, *Domitiano* Imperante, qui
fratri suo *Tito* successit anno *Christi* LXXXIII.
consueverat Poëta *Martialis* deliciis suis *Tibure*
frui, ubi Villa ejus erat, quæ quùm sæpè à *Matho-
ne*, ex *Pomponiorum* familia, frequentaretur, ad ipsum
potiùs, quàm ad Poëtam spectare videbatur: ea
enim ipsi vendita, ita in illum jocatus cecinit:

Villa *Martialis* Poetæ *Tibure*.

Hospes eras nostri semper Matho Tiburtini:
Hoc emis: imposui, rus tibi vendo tuum.

Domus Martialis Romæ.

Romæ habitabat *Martialis* penes *Pilam Tibur-
tinam* ad pedes *Quirinalis* in *Foro Archimonio*, u-
bi hodie Ecclesia extat *Sancti Nicolai*, non pro-
cul à *Floræ* circulo, ut his asserit carminibus:

203 lib. 5. epig. 23.

Sed Tiburtinæ *sum proximus accola* Pilæ.
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

Pila Romæ quid esset.

Pila juxtà *Andream Fulvium*, Basilica erat, si-
vè locus in foro publicus ad mercatorum commo-
dum, forma sphærica ædificata, terræ rotundi-
tatem repræsentans, nomenque à gente sua su-
mebat; penes hanc parva erigebatur columna,
ad quam sua trophæa suspendere consueverant;
Tiburtini autem *Romæ* vicum suum possidentes, ut
refert *Panvinius*, propriam (ut invicem conveni-
rent) voluerunt etiam habere *Basilicam*, seù *Pi-
lam*, ab ipsis *Tiburtinam* vocatam. De *Pila Hora-
tia* hæc in *Dionysio* habetur memoria:

Pila Tiburtina Romæ.

Pila Horatia.

F *Exstat & alterum virtutis, quam in pugna de-
claravit, testimonium angularis Columella, à qua
altera Fori Basilica incipit, cui affixa fuerant* Tri-
geminorum *spolia, sed illa vetustate consumpta
sunt, Columella tamen priscam appellationem reti-
nens*, Pila *vocatur* Horatia.

Rom. antiq. lib. 3.

Ann. Christ. 116.

Anno centesimo sextodecimo à *Christo* nato;
quintodecimo verò *Trajani*, fuit unà cum *Hinnio
Hasta*, summæ eruditionis, ac eloquentiæ viro,
Consul *Romæ* creatus *Manlius Vopiscus*, qui *Ti-
bure* generosæ magnificentiæ villam ædificavit,
utramque *Anienis* ripam saxosis suis rupibus am-
plectentem; Hæc propter aurum, gemmas, a-
liaque pretiosa ornamenta Thesaurorum inæsti-
mabilium Ærarium vocanda potius erat; ac pro-
pter deliciarum, voluptatumque varietates, Pa-
radisus in terris nuncupanda: de ista loquitur *Pyr-
rhus Ligorius* in suis Manuscriptis, quæ in calce
hujus operis conspicies.

Manlius Vopiscus ejusque *Tibure* Villa.

Antè ipsum verò miranda hæc *Vopisci* Villa 204
in primo Sylvarum libro distinctè à *Statio* Poëta
a que eleganter descripta fuit.

B Eminuit quoque his *Trajani* temporibus inter
Romanos Heroas unus ex celebrioribus, *Placidus*,
insignis miles, illustrisque Dux, cujus singularis
virtus in difficillimis rebus admirationem orbi uni-
verso intulit; ejusque absentiam valdè molestè
ferebat Cæsar. Quùm iste die quadam in Syl-
vestribus regionum harum nemoribus invenire-
tur; inter quas infrà *Tiburtinæ* Diœceseos limites,
quasi Collium gigas præeminet *Guadagnoli* mons;
(vicus hodierno die excellentissimæ familiæ Co-
mitum à *Prisco*, ac indeficiens *Romanorum* Heroum
seminarium) conversus fuit à *Christo*, qui inter
cornua Cervi sese illi in cruce pendentem præ-
C buit; vocatus post baptisma suum hic Heros fuit
Eustachius; Austera ipsius vita, morsque quam
subiit Crucifixi sui amore, omnibus nota est; so-
lum dicendum remanet, quod inter præcipitem,
scopulosamque pendicem extra *Guadagnolum*, ad-
hùc altus cernitur scopulus, qui ex se ipso proscissus,
antrum componit, ad quem per scissuram pericu-
losus conceditur aditus: ibi antiqua traditio Cer-
vum hunc Cruciferum stetisse fert, ibique *Eu-
stachium* Baptismate suscepto, cùm illuc ex man-
dato Domini reversus esset, ab ipso audivisse
quanta pro gloria Divini nominis patienda sibi
remanerent.

Placidus, insignis *Trajani* Dux.

Placidus, posteà *Eustachius*, à *Christo* inter cornua Cervi conversus fuit in agris *Guadagnoli Tiburtinis*.

D Cujus rei memoria antrum hoc venerabile fa-
cit, plurimosque devotos Anachoretas ad vitam
ibi in eremo, solitariamque ducendam ad se at-
traxit; ibique sumptuosum dein erectum fuit
Templum in Magnæ Dei Matris honorem, ho- 205
dierno Die *Santæ Mariæ* à *Mortarella* vocatum;
olim *in vultu villa*; uti videre est in Bulla dona-
tionis Bonorum maternorum *Sanctæ Silviæ*, à
Gregorio Magno facta Monasterio *Subiacensi*.

Templum *Sanctæ Mariæ* à *Mortarella*.

FINIS LIBRI SEXTI.

206

E LIBER SEPTIMUS. 207

Romanam obtinuit Monarchiam *Adrianus* An-
no *Christi* CXX, adoptatus à *Trajano*, in
cujus memoriam festos celebrari dies, nummos
cudi, simulacraque erigi jussit; & quidem Anno
MDCLV. inter ruinas hujus Principis Villæ in-
ventæ fuerunt *Tibure* statuæ marmoreæ confractæ,
quæ conjunctis invicem manibus hanc exhibebant
adoptionem, instar numismatis, in rei hujus me-
moriam cusi, uti à Cardinali *Baronio* exhibetur ad
Annum vigesimum *Trajani*.

Ann. *Christ.* 120.

Anno hujus Imperii sexto (juxtà *Cassiodorum*)
Romani Consules fuêre *Torquatus*, & *Paternus*,
cujus nomen *Tibure* celebre est, propter exquisita
vina, quæ in antiqua ejus colligebantur Villa,
inter *Viam Romanam*, & *Anienem*, *Pontem Lu-* 208
canum versus sita; cujus agri hodierno etiam die
hujus Consulis nomine (*Paterno*) nuncupantur:
in quem quia non minus avarus ac dives erat, hoc
Epigramma composuit *Martialis*:

Paternus Consul, ejusque *Tibure* Villa.

Paternus ditissimus, & avarissimus.

Lib. 12. epig. 43.

Nummi quum tibi sint, opesque tantæ,
Quantas habet Civis, Paterne, *rarus:*

Lar-

Largiris nihil, incubasque gazæ
Ut magnus Draco, *quem canunt Poëtæ*
Custodem Scytici *fuisse Luci,*
Sed causa, ut memoras, & ipse jactas,
Diræ filius est rapacitatis;
Et quid tu fatuos rudesque quæris,
Illudas quibus, auferasque mentem,
Huic semper vitio Pater *fuisti.*

Illis *Paterni* vinis tantopere celebratis ab Antiquis, nec in minimo quidem cedunt vina Villæ, ex opposito ferè sitæ, à *Serenio Granio*, *Serenia* pariter, diebus etiam hisce, vocata: *Tibure* etiam amœnissimus quidam Collis, nomen *Sereni* retinet; surgebat ibi olim *Benedictinorum* Monasterium *divi Clementis*, nunc *Sanctæ Mariæ Angelorum*, *Patrum Sommaschiorum* Ædes, quæ, propter benè distincti Cœnobii commodum, hortorum amœnitatem, jucunditatemque situs, admirationem merentur.

Ann. Christ. 128. De hoc *Serenio* hæc notat *Eusebius* Anno *Christi* CXXVIII. Serenius Granius *Legatus, vir apprimè nobilis, litteras ad Imperatorem mittit, iniquissimum esse dicens clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine nominis tantum, & sectæ reos fieri; Quibus commotus* Adrianus, Minutio Fundano, *Proconsuli* Asiæ, *scripsit, sine objectu criminum* Christianos *non esse condemnandos, cujus epistolæ ad nostram usque memoriam durat exemplar.*

Serenus favet Christianis.

209

Hoc licèt mandato quodammòdo *Christianorum* persecutio mitegaretur, Papæ tamen *Alexandro* haud pepercerunt, qui, quùm magnam Nobilitatis *Romanæ* partem, imò & *Hermetem* Præfectum ad *Jesu Christi* fidem perduxisset, *Paganorum* Pontificum rogatu, in carcerem detrusus fuit (ubi *Deus*, ejus intercessione multa patravit miracula, carcere enim in Fidelium Ecclesiam verso, captivi omnes conversi fuêre) undè Sanctus Pontifex, post immanium tormentorum crudelem varietatem, plurimis cæsus ictibus, die tandem tertia *Maji*, nostræ salutis Anno CXXXII, juxtà Cardinalem *Baronium* decollatus fuit.

Martyrium Sancti *Alexandri* Papæ *Tiburis* Protectoris.

Huic Sancto Pontifici Urbis *Tiburtinæ* Protectori unà cum divo *Laurentio* Cathedralis nostræ Tutelari ac in *Sancti Hermetis* honorem, ab *Adriano* Papa Quarto Anno MCLIX. ædificatum fuit sacellum penes *Pontem Lucanum*, quod multis divitiis, ecclesiasticisque suppellectilibus ad Missæ celebrationem dotatum fuit, ut retulerunt *Ciacconius*, *Ludovicus*que *Donius* in ipsius *Adriani* vita. Hujusque sacelli vestigia hodierno etiam die sub Sancti *Hermetis* nomine, conspiciuntur.

Sacellum penes *Lucanum Tiburis* pontem ab *Adriano* Papa ædificatum in honorem S. *Hermetis*.

Ann. Christ. 134. Post Divi *Alexandri* martyrium, assumptus fuit ad summum sacerdotium *Sixtus* Romanus, Annoque sui Pontificatus tertio, nostræque salutis CXXXIV. celebre illud exiit *Adriani* edictum, 210
quod (scilicèt) vigesima hæreditatum pars Fisco applicaretur, quod deindè ablatum fuit à *Justiniano* Imperatore [1], qua de causa (juxtà Cardinalis *Baronii* mentem) primò omnium Advocatus *Fisci* institutus fuit. *Adrianus* (ait ipse) *Fisci advocatum primus instituit.*

1. Lib. 3. C. de Edit. D. *Adrian. Tollen.*

Munus hoc collatum fuit *Quinto Ortentio Faustino Tiburtino*, in cujus honorem fuit à Collegio *Fabrorum Tiburtinorum* erectum in Patria simulacrum, quemadmodum nobis antiqua basis multis abhinc annis *Tibure* reperta hac Inscriptione sua indicat.

Faustinus Tiburtinus Fisci Advocatus.

Q.
ORTENTIO
Q. F. COL.
FAVSTINO ADVOCATO
FISCI. PRÆF. FAB.
PATRONO MVNICIPI
COLLEGIVM
FABRVM TIBVRTIVM
OB. MERITA
L. M. S. C.

Eidem *Faustino Martialis* sequens misit Epigramma: 211

Lib. 4. epig. 44

Dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini,
Et quæ pumiceis fontibus antra calent:
Tu colis Argivi *regnum* Faustine *Coloni,*
Quo te Bisdecimus ducit ab Urbe lapis;
Horrida, sed fervent Nemæi *pectora monstri:*
Nec satis est Bajas *igne calere suo.*
Ergo sacri fontes, & littora sacra valete
Nympharum pariter, Nereidumque *domus,*
Herculeos *colles gelidos vos vincite bruma,*
Nunc Tiburtinis *cedite frigoribus.*

Ann. Christ. 135. Rebelles *Judæi* sequenti anno *Palæstinam* devastarunt (ut scribit *Eusebius*) [2] *Adrianus* propterea validas copias cum celebrioribus belli ducibus in eos misit, qui dira (non sine copiosa *Romani* sanguinis effusione) strage exercita, igne, ferroque totam ferè depopulati *Judæam* sunt, & *Jerusalem* Regia, *Judæis* pænitùs erepta, *Ælia* vocata fuit ab *Ælio Adriano*: qui post adeptam victoriam remuneratus est duces illos, qui trium annorum spatio in tàm ancipiti bello, heroicis facinoribus sese commendabiles ostenderunt; inter quos *Cajus Popilius*, *Tiburtinus*, donis militaribus locupletatus fuit; sicuti inter alias hujus Herois virtutes in Senatorio *Reipublicæ Tiburtinæ* Palatio legitur; Inscriptio ipsa legi potest in harum Historiarum libro tertio, ad quem te remitto.

2. In Chronic.

Cajus Popilius Tiburtinus, in Judaica victoria ab Adriano remuneratur.

Adrianum dein ex Oriente *Romam* redeuntum anno salutis nostræ CXXXVIII, quidam Ethnicæ fidei zelo æstuantes accesserunt, ardoreque maximo edicta Imperialia, adeò timenda, à *Christianis* fœdissimè conculcari criminati sunt, audaciamque eorum usque eò perrexisse, ut neque Cæsarem, neque Deos, planè venerarentur: inter quos omnium audacissimum esse *Tiburensem Getulium*, non solùm *Christum* sequentem, sed & alios subvertentem, conscribendo quotidiè novos milites sub cujusdam Crucifixi vexillis; ipsum eâ de causâ in quendam *Sabinæ* locum non procul ab *Ementanis* secessisse, ibi domo in Hospitium, scholamque mutata, ex *Græcia*, ac *Italia* advenarum magnam attraxisse copiam, quibus propriis sumptibus alimenta tribuens, *Christi* sui doctrinam instillaret, hortareturque ad constanti animo *Romana Numina* spernenda, ac indè *Cæsaris* Majestatem, Judicumque potestatem, Carnificum crudelitatem, quodque ultimum ex sævis est, mortem nempè ipsam, haud pavendam iisdem persuadentem, æterna vita in somniata æternitate felicioribus futuris. Hæc sese debuisse, ut poterant, *Cæsari* nunciare pro sua scilicèt exoneranda conscientia, publicum intuentes bonum: de cætero ad auctoritatem *Cæsaris* spectare de re ipsa curam gerere, honori Deorum, Reipublicæque quieti consulere; illos autem aliàs prævidere (quod averterent Dii) Religiorum novitate ipsum etiam nutare atque concuti summum Imperium. 212

Accusationes contra S. *Getulium Tiburtinum*.

Hisce turbatus *Adrianus*, cum duris mandatis misit ad *Getulium Cerealem*, tunc Præfecti *Romani* vices sustinentem: 213

Erat enim (ait *Baronius*) primariæ Nobilitatis, ex *Cerealium* Familia, frequentibus Præfecturis, Consulatibusque illustri, & quoniam plures eodem floruerunt tempore, ignoratur an *Cerealis* ille fuerit, qui, juxtà *Cassiodorum* sub *Trajano* Consulatum adeptus fuerit, an quis alius.

Principis jussu nulla interposita mora *Roma* discedens *Cerealis* ad *Getulium* iter suscepit, eumque in ipso actu *Christianos* docendi repertum iratis verbis objurgavit. *Siccine æstimantur Principis mandata?* Et, *Tanta igitur est Principibus obediendi necessitas?* respondit *Getulius*. Cui regessit *Cerealis*; *Te ipsum interroga*: *Getulius* ei subjunxit: *Cui majori fidelitate obediendum judicares,*

cares, homini, breviter in fœtentem conversuro putredinem, vel omnipotentis Dei Filio? Deus tuus Filium ne habet! dixit *Cerealis?* *Imò quidem* (respondit *Getulius*) *qui fuit, est, & semper erit: Quâ igitur Doctrinâ, vel testimonio Deum Dei esse filium* (ut tu asseris dixit *Cerealis*) *certior fieri potero?* *Audi* (addidit Theologus noster) *Verbum Dei verus Deus, à Deo Patre genitus, è virgine nasci dignatus est, Sancti Spiritus opere, in ejus utero conceptus, præteritis hisce diebus in mundum venit, ubi mortuos resuscitavit, cæcos illuminavit, leprosos mundavit, sicco pede mare transivit, ventis tempestatibusque imperavit.*

B Hæc dicente, advenit *Amantius*, *Getulici* Tribuni frater (*Adriani* Aulæ valdè charus) *Cerealis-*
214 que familiaris, qui *Christianam* pariter colens Religionem, timore Imperatoris sese absconderat, hic sese *Cereali* obtulit, quem *Amantii* intuitu lætitia, gaudioque repletum cernens *Getulius*, flagrans adhuc zelo *Christiano*, ita est affatus: *Relinque quæso, relinque semel* (Cerealis *Frater*) *Dæmonis fraudes, prudentiorque patientiam imitare* Christi. *In* Tiburtina *Urbe uxorem, filios cum amplissimis divitiis possideo: His omnibus sponte renunciavi, ut ad æternam salutem faciliùs pervenire queam: Uxorem, & filios relinquendos non habeo* dixit Cerealis, *sed si aliquid æterni invenitur, nè hoc mihi abscondas, rogo: Hoc est illud æternum*, (subjunxit Getulius, *quòd, scilicet, Idolis contemptis* (*quæ opera manuum hominum sunt*) *in* Jesum Christum *Filium Dei credas: ad hæc* Cerealis, *quo ordine* (ait) *amplectenda est fides hæc, ne aliquid mihi absconditum remaneat*, cui respondit *Amantius* ejus amicus: *Sanctum tibi recipiendum est Baptisma, intrepidèque* Christus *confitendus, sicquè vita sempiterna te fruiturum certus eris; si tibi insuper, omnia, quæ in mundo desideras, relinquere lubebit, præmio centuplici remuneraberis, indubitatamque æternæ vitæ possessionem obtinebis.*

Sanctus *Amantius* Tribunus Cereali se detegit.

C Tunc accensus *Cerealis* ait: *ad sanguinem pro* Jesu Christo *Dei Filio effundendum paratus sum: Auferte vos illicò, (quæso) quodcumque adhuc obstet, moram omnem dissolvite, nec me diutiùs retinete.*

Getulius deinde ipsum ad pœnitentiam exhortans, trium dierum jejunium ei præscripsit, ut quid ipsi agendum esset, per consilium divinum peteret, totaque nocte in vigiliis, ac orationibus perseverantes, audiverunt Angelos dicentes, ut
215 *Sixtum* Pontificem summum accederet, ac ab ipso Baptisma reciperet.

D *Romam* itaque ingressi fuêre, sanctumque Pontificem duxerunt in quandam *Sabinæ* regionis speluncam (temporibus enim eis Ecclesiæ vices gerebat) fidelibus quippe propter Tyrannorum rabiem publicè orare prohibitum erat. Ibi Pontifex, *Christiano* more, *Cerealem*, sacris fidei mysteriis priùs instructum baptizavit, eodemque momento *Cerealis Spiritum Sanctum* supra se descendentem aspexit, exclamansque dixit: *Ecce Lumen Sole splendidius super me descendens video.*

E Obtulit deindè devotus Pontifex pro quolibet eorum adorandum Altaris sacrificium, participesque eos fecit sacrosancti corporis & sanguinis *Christi*, quod sub utraque specie tunc temporis administrabatur, iisque in fide confirmatis, gratiisque *Altissimo* redditis, discessit.

F *Cerealis* intereà ab aliis Aulæ ministris quærebatur. Ad locum ubi morabantur ii sancti pervenit *Vincentius*, ut indè pecunias exactione publica collectas in Ærarium *Romam* transferret, cui dixit *Cerealis*: *Temporalia deseruimus bona, ut vinculis Mundi soluti, æternis fruamur: Illius verò sequaces ad nihilum redigentur.*

Tunc stupefactus Vincentius, *alta voce exclamavit:*

A *O Principes Terræ, ò Rerumpublicarum Rectores; quis crederet? Seductus fuit* Cerealis, *illustris ille vir, Vicarii* Romæ *dignitate coruscans: spretis iste Diis nostris, vana sequutus est phantasmata.* Stolidè 216
itaque ferox, furibundusque & anhelans Imperatorem velociter accedit *Vincentius*, seque *Cerealem*, libera voce *Christum* fatentem reperiisse ipsi exponit.

Iratus idcircò *Adrianus*, *Licinio* Consulari, ut *Cerealem* in carcerem ducat, imperat: Ad *Sabinorum* urbem pervenit *Licinius*, ac captis *Cereale*, *Getulio*, *Amantio*, & *Primitivo*, per litteras deinde Imperatoris mandatum exposuit; qui Diis sacrificare eosdem, ni igni comburi vellent, debere rescripsit: Literis hisce perlectis, *Licinius*, qui in *Tiburtina* Urbe sibi erigi jusserat Tribunal, Sanctis ad sese accersitis, sic dixit:

Cerealis, Getulius, Amantius, & Primitivus mittuntur in carcerem.

Ad hunc stultitiæ gradum pervenisti, ò Cerealis, *vitamque tuam adeò contemnis, ut tremenda Principum, Universo orbi imperantium, mandata spernere audeas?* Cui *Cerealis* respondit: *Thesauros omnes publicos, juxta Cæsarea mandata, publicis fideliter tradidi ministris; quibus etiam dignitatibus omnibus meis cessi, nolens ampliùs à Mundi Imperatore pendere, quùm promiserim (ut tibi etiam nunc ipsi assevero) obedientiam semper* Christo *meo præstare, ut perenniter in Cœlo ipsius præsentia fruar.* At *Licinius* tunc ira accensus: *Sacrifica* (ait) *Diis* Jovi, & Marti, *animam aliter tuam è corpore extraham:* Cui subjunxit Getulius: *sic animam non amitterem, imò lucrarer eandem.*

Licinius Tibure jubet coram sese venire Sanctos.

Licinius tunc flammatus ira, eos acriter verberari jussit, dicens ipsis: *deponetis nunc audaciam, simul & obedientiam Principibus præstare addiscetis?*

At in ipsa verberatione vocem divinis laudibus 217
extollens sanctus *Getulius*, dicebat: *Gratias tibi ago omnipotens Deus, & Domine mi* Jesu Christe, *cui in sacrificium mundum me ipsum offero;* Quid est hoc Sacrificium mundum dixit *Licinius?* cui respondit Martyr, *Spiritum contribulatum, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* Tunc *Licinius* in obscurum carcerem detrudi eosdem mandavit, ubi viginti septem dierum spatio morati sunt: accersitis deinde Imperatoriis satellitibus, *Tibure* in *Sabinos* deducti fuerunt Sancti, ubi ligatis manibus & pedibus eos flammis tradidêre, inter quas soluti, ac vinculis liberati *Potentissimum* laudantes *Deum* incedebant; Ministri ira hac de causa accensi, baculorum ictibus cæsis eorum capitibus, ipsos crudeliter interemerunt, die decima Junii in *Sabinis* in *Via Salaria* Vico *Capreoli* vocato.

In carcere *Tiburtino* detinentur Sancti.

Inde in *Sabinam* delati, ubi à flammis illæsi remansêre; Baculorum ictibus occiduntur.

Horum Sanctorum Martyrum corpora à diva *Symphorosa*, pariter *Tiburtina*, *Getulii* (*Zotici* aliàs nuncupati) uxore collecta, honorificè in prædio quodam suo sepulturæ sunt tradita, temporibus enim illis, juxtà duodecim tabularum Leges, defunctorum corpora in urbe haudquaquam sepulturæ tradere licebat: Locus enim sepulturæ hujus *Arenarius*, vel *Cœmeterium* nuncupabatur, situsque erat in *Via Tiburtina*, novem *Roma* distans milliaribus, ut notat Cardinalis *Baronius* [1]:

In agro Tiburtino *extat vetus memoria jam collapsa, censeturque ille locus* Arenarius, *ubi Sancta* Symphorosa *prædictos martyres sepelivit:* atque in 218
Martyrologio *Romano* sub die decima *Junii* sic legitur: Romæ, *via Salaria, passio B.* Getulii *Clarissimi, & doctissimi viri, sociorumque ejus* Cerealis, Amantii, & Primitivi, *qui jussu* Adriani *Imperatoris à* Licinio *Consulari detenti, primo cæsi, deinde in carcerem trusi, postremò incendio traditi, cum nullo ab igne læsi fuissent, fustibus illiso capite, martyrium compleverunt; quorum corpora Symphorosa B.* Getulii *uxor collegit, & in* Arenario *prædii sui sepelivit.*

Sanctus *Getulius* vir doctissimus

In hoc ipso *Arenario*, in quo sacra hæc pignora

[1] In notis Martyrolog. sub die 10. Junii.

ra reposita erant, Sancta Matrona cum septem filiis suis vigilias suas, orationesque sæpiùs celebrare consueverat, unà cum Beato *Exsuperantio* Præsbytero *Tiburtino* quoque, ut putant, eodemque, cujus reliquiæ in Sancti *Bartholomæi* Apostoli Ecclesia servantur atque coluntur.

Sanctus *Exsuperantius* Præsbyter

Sanctorum horum Martyrum historia à *Surio* commemoratur in tertio suo volumine, à Patre *Fulvio Cardolo* eruditè explicato, atque aucto.

Quo tempore *Adriani* Villa *Tibure* perfecta fuerit.

Triginta octo diebus à Martyrio Sancti *Getulii* exstruxit *Adrianus* Villam illam suam famosissimam *Tiburtinam*, cujus vastus ambitus sex milliarium complectebatur spatium, atque in sese continebat quidquid in Orbe Terrarum admirandum, aut laudabile esset, ita ut nec ipsos excluderet Inferos, quantum, per mortales manus horror iste repræsentari potest, juxtà *Spartiani* auctoritatem, qui in hujus Principis Vita hæc
219 notata reliquit: *Tiburtinam villam mirè exædificavit, ita ut in ea & Provinciarum, & locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lycæum, Academiam, Prytanæum, Canopum, Pœcile, Tempè vocaret, & ut nihil prætermitteret, etiam inferos finxit.*

Ejusdem superbæ ruinæ inter surculos, rupesque temporibus etiam hisce jacent, ita, ut quicunque eas magna cum admiratione conspiciunt, fateri debeant, hoc humani ingenii monstrum, supremumque Mundi totius Monarchæ conatum exstitisse, quemadmodum *Pyrrhus Ligorius*, celebris Architectus, ostendit in hujus Villæ descriptione, dicata nomini glorioso magnanimi Herois *Hippoliti Estensis*, Cardinalis *Ferrariæ*, Patris, ac summi Patriæ nostræ benefactoris, cujus contentum in fine operis videbis.

Adrianus Sacrificia offert propter ipsius Villæ dedicationem.

Cæsar verò juxta *Ethnicorum* ritum, Numinibus suis tam superbum ædificium consecrare cupiens, solemnia instituit festa; Dum autem thuribus, holocaustisque à suis falsis Numinibus fausta petebat responsa, ab oraculis hæc audivit verba (relata à *Julio Africano* hujus historiæ illustris scriptore): *Symphorosa vidua cum septem filiis suis nos torquet, & premit, assiduè suum Deum implorans; si per horum manus nobis offerrentur sacrificia, nos omnem tuam complebimus voluntatem.* Tunc *Adrianus*, *Symphorosa* cum septem suis filiis repentè in carcerem deducta, blandè, ut Diis sacrificarent, hortatus est; cui sancta Mater sic respondit: *Maritus meus* Getulius, *&* Amantius *Tribunus tuus, valdè prudentes, ne tàm impiis obtempera-*
220 *rent petitionibus, pro* Christo *mortem subire maluerunt, quæ ab imprudentibus terrestrium amatoribus ignominia dicitur, ab Angelis tamen honori, & supremæ gloriæ reputatur, inter quos (præteritis superatis angustiis,) premium recipientes, sempiternis deliciis fruuntur.*

Dæmonis verba ad *Adrianum*.

Hanc contra dein fatus est Imperator: *Vel tibi cum filiis tuis, Omnipotentibus nostris sacrificandum est Diis, vel tu cum illis, eisdem sacrificaberis:* Cui respondit Sancta Mulier. Et *undè hoc mihi, ut cum filiis Deo meo victima offerri merear?* Non rectè intelligis, (subjunxit *Adrianus*) *Te Diis meis sacrificari volo:* cui regessit *Symphorosa*: *Te ipsum decipis, Dii tui me in Sacrificium recipere haud queunt; si verò* Christi *nomine combusta, & exstincta ero, ardores mei dirissima erunt incendia adoratis tuis Dæmonibus.* Agedum (dixit Imperator) *ex duobus unum tibi selige; vel Diis meis sacrifica, aut vitam miserrimè finies:* Cui intrepida dixit *Tiburtina* nostra: *Nihil in me valent minæ tuæ: ad dulcem, æternamque quietem apud Getulium meum; (quem tu propter* Christum *interemisti) evolare constanter decrevi.*

Tunc jussit *Adrianus*, ut ad *Herculis* Templum delata *Symphorosa*, colaphis priùs cæderetur, & deinde ad *Ulmum* in area ejusdem Templi per capillos suspenderetur: hodiernoque die in Ecclesia Patrum *Jesuitarum* huic Sanctæ sacra crux, ex arbore illa ad istius nostræ *Symphorosæ* exaltationis memoriam confecta, asservatur.

Quùm autem potentia, & ars totius mundi Monarchæ nihil contrà fortissimum Heroinæ nostræ pectus valerent, *Cæsaris* jussu (gravi priùs ad collum ligato saxo) in fluvium præcipitata mulier 221
fuit: cujus dein sacrum corpus ab *Eugenio*, ejus fratre (viro primæ in Aula *Tiburtina* auctoritatis) in proprio suo prædio in *Tiburtino* Solo humatum fuit.

Sequenti verò die, XVIII. Julii, septem *Symphorosæ* filios ad se venire *Adrianus* jussit, eosque Diis suis immolare hortatus est, precibus posteà in severas minas mutatis, fortissimisque adolescentibus nutui suo obtemperare respuentibus, mandavit, ut penès ejusdem *Herculis* Templum septem erigerentur pali; ad quos quùm per funes & rotulas elevati, ac suspensi essent hi septem Heroës, *Crescentio*, quidem guttur transfixum fuit, *Juliano* pectus; *Nemesio* cor; *Primitivo* umbilicus; *Justinus* autem minutim cæsus fuit: *Statius* multis lanceis confixus, & *Eugenius* in duas partes crudeliter dilaceratus.

Altera autem die, ad Templum reversus *Adrianus*, corpora illa in profundam projici foveam jussit, ab *Ethnicis* illis Pontificibus græco vocabulo, *Ad septem Biothanatas* (id est *ad septem violenter occisos*) nuncupatam: Solebant enim *Ethnici Christianos* vocare *Biothanatos*, uti mortis violentæ reos, ad quod alludere velle Apostolus videtur: *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquàm morti destinatos:*

Quicquid de his Sanctis scriptum est Martyribus, habemus ex vetustissima quadam historia à *Julio Africano* descripta, eruditissimisque commentariis Patris *Fulvii Cardoli* (magni *Ignatii Loiolæ* prolis) illustrata.

Getulii Sancti Martyrium, sicut & uxoris *Sym-* 222
phorosæ, filiorumque eorumdem, ponitur à Cardinale *Baronio* nostræ salutis anno CXXXVIII. omnes *Tiburtinos* sub oculis *Adriani*, *Christum* professos fuisse, affirmante.

Antrum Sanctæ Symphorosæ Tibur.

Maximâ cum veneratione in Ecclesiâ Parochiali Sancti *Vincentii Tibure* custoditur cavum quoddam, sive Cisterna sicca, in qua Sancta Matrona *Symphorosa* cum septem filiis suis (ut diras inimicorum *Christi* persecutiones effugeret) sese abscondere consueverat; uti idem Cardinalis *Baronius* notat in Commentariis sui Martyrologii, die XVIII. Julii: *Extat adhuc* Tibure *Cisterna sicca, ubi illis persecutionis temporibus Sancta* Symphorosa *cum filiis aliquando delituit:*

Sepulchrum Sanctorum martyrum Tiburtinorum in dotali fundo sanctæ Symphorosæ.

Omnia horum Sanctorum Martyrum corpora in via *Tiburtina* nono ab Urbe *Roma* lapide, in agro, vel Vico Dotali *Sanctæ Symphorosæ* sepulta fuêre (ut superiùs dictum est) hodierno die à dominis *Maffeis*, *Romanis* Patritiis possesso; & adhùc vicus ipse *Sanctæ Symphorosæ* nuncupatur, ubi ad horum Sanctorum memoriam erectum fuit sumptuosum Templum, cujus adhuc temporibus hisce conspiciuntur ruinæ; ibique per multa sæcula eorum sacra pignora à *Christianis* devotè venerata fuêre.

Antiquum Templum S. Symphorosæ in via Tiburtina.

Aistulphus Rex Longobardorum, ejusque historia lib. 3. Regn. Ital.

Quùm verò ab *Aistulpho*, *Longobardorum* Rege, violata fuisset pax (juramento confirmata) cum *Stephano* Papa, & *Pipino*, *Galliæ* Rege; agris *Romanis* anno Christi DCCLV. secundò depopulatis, vicinisque locis deprædatis, sacrilegaque manu pluribus sacris Cœmiteriis, Sanctorumque tumulis violatis (ut ait *Sigonius*) Pontificia providentia indè veneranda nostrorum Sanctorum corpora in Diaconiam *Sancti Michaelis Archangeli* seu in fo- 223
rum

Corpora Sanctorum Tiburtinorum delata in Ecclesiam Sancti Angeli Romæ in foro piscario.

rum Piscarium *Romam* delata fuère ab eodem *Stephano* Papa, Tertio (ut plurimùm *Secundo* nuncupato) quoniam Antecessor ejus in Pontificatu alter *Stephanus*, propter trium dierum brevitatem, à multis inter Pontifices haud numeratur.

De hac ipsa translatione sic scribit *Baronius* in Martyrologio die Julii XVIII. *Via* Tiburtina *habetur nobilis, ac pervetusta S.* Symphorosæ *memoria. Horum Reliquiæ* Romam *translatæ nostris temporibus inventæ sunt in Diaconia* Sancti Angeli *in foro* Piscario, *& unà cum illis plumbi lamina his verbis descripta.*

Hic requiescunt corpora sanctorum Martyrum Symphorosæ, *viri sui* Zotici, *& filiorum ejus à* Stephano *Papa translata.* Getulius *enim* Zoticus *dictus reperitur.*

Hoc equidem anno MDCLXI. licèt satis serò, decreta fuit à *Tiburtino* Magistratu perpetua accensæ Lampadis conservatio antè gloriosum hunc tumulum in eadem Ecclesia *Sancti Angeli in Foro Piscario;* ubi à singulari illius Capituli devotione Sanctorum *Martyrum Tiburtinorum* veneratio in dies excitatur; die autem XVII Julii, Anni MDLXXXVII solemni apparatu, solemnique magnificentia plurimæ venerandæ eorumdem sanctorum reliquiæ iterùm in Patriam delatæ fuère, ad locupletandum pulcherrimum illud Templum, à pia generositate Cardinalis *Matthæi Contarelli*

224 *Tibure* excitatum, instante Patre *Diego Ximenes*, *Societatis Jesu*, qui illi à confitendo fuit, atque à *Virgilio Crescenti*, inter *Romanam* nobilitatem, illustri illorum *Crescentiorum* germine, *Contarelli*que hærede, perfectioni ad ejusdem *Societatis Jesu* Patrum beneficium restitutum; Repetit ista ab Urbe *Tiburtina* sua clara Natalia; anno quippe MDXXIX. Sancti *Ignatii* regula à gloriosa *Pauli Tertii* Memoria in Arce *Tiburtina* gravibus hisce ejus verbis comprobata fuit: *Digitus Dei est hic.*

Baron. ann. 99.

Societatis Jesu Tiburte origo.

Anno deindè MDXLVIII idem Sanctus *Ignatius* introduxit in *Tiburtinam* Civitatem Religionem suam, ejusdemque Patribus prima sedes concessa fuit in Ecclesia *Sanctæ Mariæ* à *Passu* (nunc diruta) loco, quo continebatur quondam magnifica illa *Mecænatis* Villa, hospitium verè tàm magnis adæquatum viris, in quo etiam intra hujus deserti loci ruinas, cernuntur habitacula, in quibus Sanctus *Ignatius* cum tot aliis Dei servis, suisque sociis habitavit: subsequenti tamen anno quibus vexati fuère iidem molestiis quibusdam, quùm Sanctus *Ignatius* in societatem suam invitis parentibus recepisset *Lucium Crucium*, seu *Croce*, filium *Hieronymi Crucii*, Locum tenentis *Leonis* X. *Clementis*que VIII. & fratris *Marci Antonii Crucii*, *Tiburtensis* Episcopi; qui juxta ejusdem Societatis historias insignis evasit operarius, milliaria enim hæreticorum convertit. Quùm autem Parentes ejus de Adolescentis constantia certiores facti essent, acquieverunt, benevolique erga istos devenère Patres, quibus (quùm anno MDLI. propter Scholarum tunc copiosarum commodum in Urbem sese contulissent) ab Episcopo ejusdem

225 Adolescenti Patrueli, concessa fuit *Sancti Salvatoris* Ecclesia, in qua fratres nunc duarum Confraternitatum, *Nativitatis* scilicet & *Purificationis* Beatissimæ Virginis, sub istorum Patrum directione, suas frequentant Congregationes.

Nicol. Orlandi hist. Soc. Jesu lib. 2. p. 1. Idem lib. 10. & lib. 11.

P. Lucius Crucius Tiburtinus, insignis operarius Societatis Jesu. Sacchin. tom. 2. hist. Soc. Jes. ann. 1561.

Ægrotat Adrianus in sua Villa Tiburtina.

Ad Imperatorem nunc redeamus *Adrianum*, cui in acerbas mutatæ sunt tristitias deliciæ Villæ suæ *Tiburtinæ*, propter cujus consecrationem atrociter nostri Sancti Cives Martyrium passi sunt: ibi enim infelix Princeps (divinâ vindictâ), sanguinis profluvio, quod mortem illi acceleravit, captus fuit, talique impatientia ægrotavit, ut plures vituperabiles & indignas res patraverit, prout refert *Spartianus*, his verbis:

Moritur Adrianus ex sua infirmitate.

Omnem quidem vim, crudelitatis ingenitæ, usque eo repressit, donec in Villa Tiburtina *profluvio sanguinis ad exitium venit: liberè* Servianum *quasi affectatorem Imperii; quod Servis Regis scænam misisset, quod in sedili Regio juxta lectum posito sedisset, quod erectus ad stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coëgit, multis aliis interfectis, vel apertè, vel per insidias; Quandoquidem etiam* Sabina *uxor, non sine fabula veneni dati ab* Adriano, *defuncta est.*

Addit insuper, quod, augescente nihilominùs morbo, propriæ illum tæduerit vitæ; idcircò infelix ipse sibi mortem sæpiùs interre, aut ab alio occidi voluit. Ita ut servum quemdam, recusantem id facere, voluerit vita privari quæ ab *Antonino Pio* tamen illi servata fuit: Medicus verò, qui ei jussum venenum porrigere renuit, mortem evitare haud potuit:

226

Adrianus Medicum occidi jubet, quia venenum porrigere nolebat.

Adrianus intereà fremens omnem sibi auctoritatem Imperii eripi, dùm nec se ipse occidere, nec occidi ab alio volens posset, juxtà *Dionem*, *Bajas* transferri se curavit, ubi Medicorum consilio à cibo & potu abstinens dixit: *Turba medicorum occidit Cæsarem*: miserè autem vitam *Hydrope* finivit. Vixit (ut refert idem *Dio*) annos LXII menses quinque, dies sex, quorum viginti cum undecim mensibus imperavit; mortuus est anno domini CXL.

Adrianus moritur Hydrope. An. Christi 140.

Spartianus paulò antè mortem hæc composuisse illum carmina refert:

Animula, vagula, blandula.
Hospes, comesque corporis.
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigidula, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

Adriani vultus.

Tales autem (addit Auctor) *non multò meliores fecit & Græcos. Vixit annis LXX. mensibus quinque, diebus XVII. Imperavit annis XXI mensibus undecim. Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba, ut vulnera, quæ in facie naturalia erant, tegeret, habitudine robusta. Equitavit, ambulavitque plurimùm, venatu frequentissimè Leonem manu sua occidit, &c.*

Antoninus Pius Adriano succedit.

Successor ejus fuit filius adoptivus *Titus Ælius* scilicèt *Adrianus Antoninus Augustus Pius*: nominibus hisce vocatus legitur in Lapide quodam in uxoris *Faustinæ* honorem *Tibure* erecto, qui conspiciebatur in Ecclesia olim Sancti *Benedicti*, hisce inscriptus verbis:

227

FAVST. AVG. IMP.
TITI. AELI
HADRIANI
ANTONINI AVG. PII.

Hinc non procùl penès dirutum Abbatiæ Sancti *Sabbæ* Templum sequentia leguntur:

HELIAE
TRANQVIL. MARCI
FEST. ET A.
MEMOR ANTONINI
PII INVICTI MA
AVO
S. P. Q. TIBVR.
IVVENES
ANT.

Adolescentes Antoniniani Tibure. in Prænest. lib. 1. c. 18.

Vocabantur ii Juvenes *Antoniniani*, quia *Antonini* sumptibus alebantur, erudiebantur, aliaquè sedula obibant exercitia, uti in altero legitur marmore *Urbini* posito, atque à Domino *Suaresio* relato, ut sequitur.

228

TIT. AEL. HAD.......
ANTONINI......
PII PON. M.
TRIB. POT.
IMP. II COS. IIII P. F.
FISIO
PVERI ET PVELLAE
ALIMENTARI.

An. Christ. 143. Scribit Cardinalis *Baronius*, quòd quùm verè *Pius* iste Imperator contra Christianos haud sævire vellet, tamquàm ab omni culpa alienos, & tamen ab alia parte studeret conservare antiquum Idolorum cultum, in desuetudinem paulatim jam abeuntem (*Ethnici* quippè libros legentes *Sybillarum*, inter quas nostra *Tiburtina* fuit *Hydaspis*, aliarumque Ethnicarum *Sibyllarum*, quæ multa de *Christo* prædixerant, ad ejusdem convertebantur fidem) sub mortis pæna similium librorum lectionem prohibuisse; de quo admodum quæstus fuit *Justinus Martyr* in Apologia ad Principem eum-
229 dem missa, dicens: *Opera, & instinctu malorum Dæmonum, mortis supplicium adversus librorum, aut* Sibyllæ, *aut Prophetarum Lectores constitutum est.*

Cajus Popilius Tiburtinus, Legatus *Antonini*. Imperator iste *Tiburtino* nostro *Cajo Popilio*, ut viro prudenti, in Provinciarum gubernatione usus fuit; suum enim Legatum constituit, sicut in ejus Inscriptione, in tertio libro posita, videre est.

An. Christ. 154. Creditur, quòd sub clementissimo hujus optimi Imperatoris Principatu, Sanctus *Hyginus* seu *Iginus* Papa, Sancti *Telesphori* successor, anno CLIV. præsens quùm ipse haud implere posset solus desideria *Christianorum* (mirùm in modum in *Romæ* viciniis auctorum) hac de causa primum Urbi *Tiburtinæ* assignaverit peculiarem Episcopum, ut eruditus noster refert *Nicodemus*: (Primus Episcopus datur *Tiburi*.)

(Pentad. Tib. lib. 4. cap. 10.) *Imperante* Antonino *Episcopus* Tibure *institutus esse ab* Igino *Pontifice creditur, ut qui solus Christianorum* Romæ, *& qui proximis erant locis, multitudinem sustinere non posset, sicut in Libro, qui vocationis gentium Theatrum inscribitur, apertè legitur.* Pius *enim Imperator, & qui successit*, Marcus Aurelius, *populos hosce Christianam fidem liberiùs amplecti permiserunt.*

Nomen tamen hujus Episcopi, sicut & aliorum usque ad annum nostræ salutis CCCLXVI ignoramus, sicut in eorum serie (licèt non integra) usque ad nostra videbis tempora; ordine sequenti:

230 Annis *Christi*.
CCCLXVI. Paulus Tiburtinus.
CDII. Florentius.
CDLXIII. Candidus.
DXLIV. N. occisus à *Totila*, rege *Gothorum.*
DXCIII. Anastasius.
DCLXIII. Decoratus.
DCLXXX. Mauritius.
DCCXXI. Anastasius, secundus.
DCCLXXI, Theodosius.
DCCCXCIII. Ursus.
CMXLV. Hubertus.
CMLIV. Joannes.
CMLXXI. Arvitius.
CMLXXVIII. Joannes secundus.
CMLXXXII. Amizzonius.
MI. Gualterus.
MXXIII. Gerardus.
MXXIII. Bossonius.
MXXIX. Benedictus.
MXXX. Joannes tertius.
MXLIX. Benedictus secundus.
MXCII. Gregorius.
MLIX. Joannes quartus, Cardinalis.
MLXXI. Adam.
MCX. Manfredus.
MCXXXIV. Guidus, Cardinalis.
MCLVII. Otho.
MCXXIX. Milo.
MCCIX. N. qui (juxta *Ughellium*;) respondit literis *Innocentii Tertii*, primæ mulieris voto standum esse, licet postea filium ex alio se suscepisse quis sciret.
231 *MCCXCIII. Veraldus*, seù *Beraldus.*
MCCLXIX. Gottifredus, hoc eodem anno ad Ecclesiam *Reatinam* translatus.
MCCLXXIII. Jacobus.
MCCXXXI. Sabarisius.
MCCCXVIII. Jacobus secundus Ordinis *Minorum*,
MCCCXX. Joannes Quintus, ejusdem ordinis
MCCCXXXVII. Branca Romanus ordinis *Dominicanorum.*
MCCCXXXVII. Joannes sextus *Gebbennensis, Dominicanus.*
MCCCXLIII. Nicolaus de *Velletri* Canonicus *Todensis.*
MCCCL. Daniel.
MCCCLXVII. Philipus Gezza, vel *Ruffinius*, Dominicanus, Cardinalis.
MCCCLXXX. Petrus Cencius.
MCCCXC. Petrus Staglia, Romanus.
MCCCXCVIII. Dominicus de Valeriis, Romanus.
MCDXVII. Sanctus de Cave, Vicarius Papæ.
MCDXXVII. Nicolaus Cesarius.
MCDL. Laurentius Ordinis *Minorum.*
MCDLXXI. Angelus Lupus de Mancinis, Tiburtinus.
MCDLXXXVI. Antonius de Crassis, Bononiensis.
MCDXCI. Evangelista de Maistellis.
MCDXCIX. Angelus Leoninus, Tiburtinus.
MDIX. Camillus Leoninus, Tiburtinus.
MDXXVIII. Marcus Antonius Crucius, Tiburtinus.
MDLIV. Joannes Andreas Crucius, Tiburtinus.
MDXCV. Dominicus, Cardinalis, *Thuscus* Rheginensis.
MDCIX. Joannes Baptista Thuscus, nepos ejusdem Cardinalis.
MDCXXI. Bartholomæus (Cardinalis) *Cesius, Romanus.*
MDCXXII. Marcus Antonius (Cardinalis) *Gozzadinus, Bononiensis.* 232
MDCXXIV. Marius Ursinus Domicellus, Romanus.
MDCXXXIV. Julius (Cardinalis) *Roma, Mediolanensis.*
MDCLII. Marcellus (Cardinalis) *à Sancta Cruce, Romanus.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVUS.

INter salubres *Romam* adductas aquas, celebratissima fuit *Martia* illa, ab *Anco Martio*, *Romanorum* Rege, sic nuncupata; deindèque à *Quinto Martio*, qui Prætur æ suæ tempore à fonte *Piconio* in *Pelignis*, ubi suam trahebat originem, eam *Romam* adduci curavit, ut refert *Plinius*. 233 (Aqua Martia.)

(Lib. 31. cap. 3.) *Clarissimarum aquarum omnium in toto orbe frigoris, salubritatis palmâ præconio Urbis* Martia *est, inter reliqua deum munera Urbi tributa. Vocabatur hæc quòndam* Aufeja, *fons autem ipse* Piconia, *oritur in ultimis montibus* Pelignorum: *transit* Marsos, *&* Fucinum *lacum*, Romam *non dubiè petens mox specu mersa in* Tiburtina, *se aperit IX. Mill. passuum fornicibus structis perducta. Primus eam in Urbem ducere auspicatus est* Ancus Martius, *unus ex Regibus* Romanorum, *postea* Q. Martius Rex *præturæ deduxit, rursusque restituit* M. Agrippa. *Quantum autem Virgo tactu, tantum præstat* Marcia *haustu.* 234

Quùm deindè per diversos eventus aqua hæc dispersa fuisset, *Marci Aurelii* Imperatoris (*Philosophi* nuncupati) magnificentia, qui *Pio Antonino* anno domini CLXIII in Imperio successit, *Roma-* (An. Christ. 163.)

M. Aurelius restaurat Aquæductum Aquæ Martiæ. Spiramentum Aquæ Martiæ in Arsoli.

manis restituta fuit: ipsi novo *Fonte Antoniniano* addito, montibus priùs excisis ac perforatis: diebus etiam hisce spiramenta quædam, seù cavitates conspiciuntur, quorum unum profundissimum est, non procul à Palatio *Specioso* in agris *Arsoli*, aut *Carsulæ* in *Æquicolis*, à domino *Petro Maximo*, hujus loci domino (veroque priscæ urbanitatis *Romanæ* simulacro) mihi ostensum.

Aquæductus indè in agrum *Tiburtinum* & deinceps *Romam* perducebatur, ubi super *Taurinam Portam* (hodierno die *Sancti Laurentii*) inter alias hæc legitur inscriptio.

IMP. CAESAR M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS
FELIX AVG. PARTH. MAX. BRIT.
PONTIFEX MAXIMVS AQVAM MARCIAM
VARIIS KASIBVS IMPEDITAM PVRGATO
FONTE EXCISIS ET PERFORATIS MONTIBVS
RESTITVTA FORMA ADQVISITO
ETIAM PONAE NOVO ANAONIAN.
IN SACRAM VRBEM SVAM PERDVCENDAM
CVRAVIT.

235 Circà priscos *Aquæ Martiæ* Aquæductus, hujus nominis prosapia Monumentum Sepulcrale Gentilitium in *Solo Tiburtino* habuisse creditur, nam & Lapis ibi quidam extractus fuit, qui nunc in Prædio *Sancti Pauli* (non procul hinc) existit, in quo hæc legitur Inscriptio:

T. MARCIO III.
SACERDOTI FETIALI
LEG. XIIII. GEM. . . .
PROVINCIAE ACAIAE A . .
SENAT. AED. CVR. PRAET. . .
CVRATORI VIAE LATINAE
LEG. II. AVG.
CRANIA TERTVLI.

In alio pariter lapide *Tibure*, in domo quondam Ducis *Caroli Ciacciæ*, talis reperitur inscriptio:

HIC SITVS AMPHION
EREPTVS PRIMA JVVENTA
NONDVM TERDENOS
NVMERABAT TEMPORIS ANNOS
HEVS IMMATVRA MORS
PROPERATA TIBI
C. MARCIVS PAVLVS C.
NATO PIENTISSIMO.

Optimo *Marco Aurelio* Principi *Commodus* Filius pessimus successit Anno *Christi* MLXXXII, 236 sub cujus Imperio quidam vixit *Patronus*, illustris ejus libertus, ut in antiquo marmore legitur, & conjicere licet ex Imperatoris ejusdem numismatibus præterito sæculo inventis in viciniis *Tiburtinis Gli Arci* nuncupatis, undè colligitur, *Patronum* istum ibi habuisse sepulcrum simul & Villam, super cujus ruinas superstructa videtur illa *Cruciæ*, familiæ *Tibure* valdè conspicuæ. Sic hanc in rem ait *Cardolus*: *Repertum est nostra memoria primo ab Urbe milliario propè viam & reliquias aquæductus*, Anienem *inter*, *& proximos montes*, *sepulcrum* Patroni, *quem L.* Ælii Commodi Antonini *Aug. libertum*, *& familiarem fuisse*, *marmor & numismata cum ejus Imperatoris effigie*, *haud procul effossa*, *testantur*, *ex quibus facilis est conjectura*, *hujus* Patroni *Villam fuisse*, *quæ nuper a* Cruciis *in antiquis ruinis restaurata*, *& in edito*, *amœno*, *salubrique colle conspicua visitur*, *& cum toto fundo*, *hoc est omnibus circa silvis*, *hortis*, *vinetis*, *arbustis*, *olivetis*, *subjectisque infrà pratis*, *& arvis*, Cruciæ *familiæ nomine nuncupatur*.

Villa & tumulus Patroni.

An. Christi 224.

Sub Imperio deindè *Alexandri Severi* post mortem infamis *Heliogabali* Anno *Christi* CCXXIV incipiente, duo insignes floruerunt Heroës *Tiburtini*, *Cajus Cæsonius* & *Lucius Cæsonius Rufiniani*, juxtà eruditum nostrum *Nicodemum*, referentem eorum inscriptiones in agro *Tiburtino* in Vico *Cesarano* nuncupato, ubi inter alios reperiuntur agri *Nardinorum*, & *Sebastianorum* Civium *Tiburensium*:

Cajus, & Lucius Cæsonii nobiles Tiburtini.

Harum inscriptionum contentum sequens est.

C. CÆSONIO. C.F. QUIR. MACRO. RUFINIANO.
CONSULARI. SODALI. AUGUSTALI. COMITI. IMP. 237
SEVERI. ALEXANDRI. AUG. CUR. R.P. LANIVIOR. II.
PROCOS. PROV. AFRICÆ. CUR. AQUAR. ET MINIC
LEG. AUG. PR. PR. GERMAN. SUPERIORIS. CUR. ALVEI
TIBERIS. CUR. R.P. TEANENS. LEG. AUG. PR. PR. PROV.
LUSITAN. CUR. R.P. TARRICINENS. PROCOS. PROV
ACHAIÆ. LEG. LEG. VII. CLAUD. CUR. R.P. ASCULAN.
LEG. PROV. ASIÆ. PR. LEG. PROV. BÆTIC. TRIB. PL.
QUÆSTORI. PROV. NARBON. TRIB. LEG. I. ADJUTTRIC.
DONATO. DONIS. MILITARIB. A DIVO MARCO II.
VIV. CAPITALI
PATRI. DULCISSIMO, ET INCOMPARABILI CÆSONIUS LUCILLUS FILIUS 238
CONSULARIS.

Inscriptio altera *Lucii Cæsonii* ita sese habet:

L. CÆSONIUS. C. FIL. QUIRINA. LUCILLUS
MACER. RUFINIANUS. COS. FRATER. ARVALIS
PRÆF. URBI. ELECTUS. AD COGNOSCENDAS. VICE. CÆSARIS.
COGNITIONES. PROCOS. PROV. AFRICÆ. XX. VIROS. EX. SENATUS.
CONSULTO. R.P. CURANDÆ. CURATOR. AQUARUM. ET MINICIÆ.
CUR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOACARUM. URBS LEGATUS. PROV.
AFRICÆ. EODEM. TEMPORE. VICE. PROCONSOLIS. CURATOR. R.P.
TUSCULANORUM. CURATORI. R.P. SUESSANORUM
PRÆTOR. KANDIDATUS. QUÆSTOR. KANDIDATA 239
ELECTUS. IN. FAMILIAM. PATRICIAM. X. VIR.
STILIBUS JUDICANDIS.

Refert insuper idem *Nicodemus* ex *Petro de Natalibus*, *Decii* Imperatoris temporibus, successoris *Philippi*, anno *Christi* CCLIII. nobilissimam Virginem (*Victoriam* nomine, atque ab incunabulis *Christianam*) sponsam destinatam fuisse *Eugenio*, adolescenti clarissimæ prosapiæ, quæ quùm ab Angelo Virginitatem summoperè Deo gratissimam esse percepisset, se ipsam voto Altissimo dicavit, pauperibusque divitias suas distribuere haud diù tardavit.

Ann. Christi 253.

Iratus quapropter *Eugenius*, sponsam suam Imperatoris jussu in Solum *Tiburtinum* adferri curavit, ubi, ut fame perimeret, victum ei substraxit; sed ocultè à *Domitiano Tiburtinorum* Præfecto auxilium ipsi præstitum fuit.

S. Victoria virgo Tibur ducitur, ut fame periret.

Prodigiosæ magnitudinis intereà in agris *Tiburtinis* apparuerat (ignoratur quomodo, aut undè) formidabilis Draco, à quo conplures dirè deglutiebantur, alii autem venenoso anhelitu, aërem contaminante, morte afficiebantur.

Draco Tibure visus.

Prudens autem Virgo hac occasione usa fuit, ut ab obscuris infidelitatis tenebris ad sublimem Evangelicæ veritatis claritatem Urbem extraheret: divinæ idcircò potentiæ confisa, sic dixit *Domitiano*: *Si Populus in* Christum *credere velit*, 240 *ejusque Sanctam amplecti fidem*, *hunc ab urbe Draconem me ejecturam tibi spondeo*: Hæc à perterritis civibus nulla interposita mora accepta fuit propositio, sanctaque virgo post bidui jejunium, die Do-

Draco expulsus a S. Victoria.

Dominico ad *Draconis* antrum se contulit, atque in *Jesu Christi* nomine, ei, ut quindecim dierum spatio abiret, imperavit; ad cujus mandatum dirum monstrum latebris suis erumpens velocissimo cursu evanuit.

[Fides Christiana à *Tiburtinis* S. *Victoriæ* mediô amplectitur.]

Felicissimo hoc eventu Populus *Tiburtinus*, ut promiserat, fidem amplexus est *Christianam*: *Sancta* dein *Victoria* adeo insignis virtute sua, in eodem Draconis antro cum duabus aliis virginibus, exhibitis sibi à parentibus suis, remanere voluit; ac paulò post monasterio ibi paulatim ædificato, sexaginta trium Virginum mater evasit; quæ deindè tribus elapsis annis, quia Deæ *Vestæ*, ejusdem *Eugenii* instigatione sacrificare recusavit, *Christi* sui sponsi amore, capite plexa fuit, die XXIII Decembris.

[S. *Victoria* capite plectitur.]

Hanc Sanctam *Victoriam Tiburtinam* extitisse affirmat *Antonius del Rè*, auctoritatem *Marci Maruli* allegans Lib. 4. titulo de exemplis mulierum castitatem observantium. Ego tamen eam tamquàm Patriæ nostræ matrem veneror, ab ipsa enim, per *Christi* Evangelium, regenerati fuêre *Tiburtini*, qui non longè post hæc fausta tempora, intrà limites suos magnam illam orientis Reginam hospitio receperunt, quæ (ut refert Cardinalis *Baronius*) eamdem *Jesu Christi* fidem professa fuit.

[Ann. 274.]

Vocabatur hæc, *Zenobia*, clara, illustrisque *Pal-*
241 *myrenorum* Regina, quæ post diuturnum, gravissimumque bellum, Anno Domini CCLXXIV. ab *Aureliano* Imperatore victa fuit & debellata, magnoque cum fastu in triumpho suo in Urbe *Roma* traducta, eadem deinde usque ad extremum vitæ in villa *Tiburtina* sibi concessa, vixit, matronæ *Romanæ* more; virtus autem fœminæ hujus ab *Aureliano* ipso in Oratione sua ad Senatum, sequentibus verbis commendatur:

[*Zenobia* Regina *Palmyrenorum Christiana*. Ann. *Christ.* 274. *Zenobia* captiva *Tibure*.]

*Audio P. C. mihi objici, quod non virile munus impleverim, Zenobiam triumphando. Ne illi, qui me reprehendunt, satis laudarent, si scirent qualis illa est mulier, quàm prudens in consiliis, quàm constans in dispositionibus, quam ergà milites gravis, quàm larga, quum necessitas postulet, quàm tristis, quùm severitas poscat. Possem dicere, illius esse, quod O*denatus Persas *vicit, ac fugato* Sapore, Ctesiphontem *usque pervenit. Possum asserere, tanto apud Orientales, & Ægyptiorum populos timori mulierem fuisse, ut se non* Arabes, *non* Sarraceni, *non* Armeni *commoverint. Nec ego illi vitam conservassem, nisi eam scissem multum* Rom. *Reip. profuisse, quum sibi vel liberis suis Orientis servaret imperium &c.*

Hæc Oratio (addit Vopiscus) *indicat, quid judicii habuerit* Aurelianus *de* Zenobia, *cujus ea castitas fuisse dicitur, ut ne virum quidem suum sciret, nisi tentatis conceptionibus.*

242 Paulòque post ejus depingens effigiem, sic scribit: *fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supramodum vigentibus nigris, spiritus divini, venustatis incredibilis, tantus candor in dentibus, ut margaritas eam plerique putarent habere, non dentes, vox clara, & virilis, severitas, ubi necessitas postulabat &c.*

Narrat deinde, quod quùm in *Aureliani* conspectu victa duceretur *Zenobia*, atque ab eodem interrogaretur, quomodo *Romanis* se se opponere Imperatoribus ausa fuisset; sic responderit:

Imperatorem te cognosco, qui vincis: Gallienum *&* Aurelium, *& cæteros, principes non putavi. Victoriam mei similem credens in consortium Regni venire, si facultas locorum pateretur, optavi: Ducta est igitur* (ait idem Auctor) *per triumphum ea specie, ut nihil pompabilius populo Romano videretur. Jam primùm ornata gemmis ingentibus, ita ut ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissima sæpissimè restitisse, cum diceret se gemmarum onera ferre non posse. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra* Persicus *præferebat. Huic ab* Aureliano *vivere concessum est. Ferturque vixisse cum liberis, Matronæ jàm more* Romanæ, *data sibi possessione* Tiburte, *quæ hodieque* Zenobia *dicitur, non longè ab* Adriani *Palatio, atque ab eo loco, cui nomen est* Conche.

[Villa *Zenobiæ Tibure*.]

Hodiernis etiam diebus, in regione Villæ olim *Adrianeæ*, nomen locus quidem retinet *Palatii*, (*Palazzo*) illaque loca quæ sunt circà *Sulphuratæ Lacum*, planities *di Conche* à *Tiburtinis* vocantur; Non procul hinc, in prædio Patrum *Sancti Antonii Viennensis Romæ*, apparent antiquæ Villæ
Zenobiæ ruinæ, juxtà opinionem nostri *Antonii* 243
del Rè, ejusque sepulcrum est in regione dicta *Colle Ferro*.

Idem *Aurelianus* duobus annis antè *Zenobiæ* descriptum illum triumphum, quùm magnis in angustiis versaretur propter bellum *Marcomannicum*, (*Germaniæ* interioris populus erat) petiit sæpiùs à Senatu *Romano*, ut solitum in similibus periculis auxilium sibi præbere vellet, aperiendo, consultandoque Libros *Sibyllinos*, in quorum numero, (*ut dictum fuit*) colebatur etiam nostra *Tiburtina*; miratusque fuit, quarè tandiù eorum inspectio procrastinaretur, ac si similes essent *Christianis*, quibus eos legere vetitum erat (ut alibi legitur) eamque in rem misit epistolam) ex qua cerni potest, in quanta fuerint veneratione, & quam solemnibus usi fuerint cœremoniis, in aperiendis dictis libris atque consulendis.

[*Vopisc.* in Vita *Aureliani*.]

[Epist. *Aureliani* Imper. ad Sen. Rom. circa libros *Sibyll.* aperiendos.]

Miror (inquit) *vos, Patres Sancti, tandiù de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, proindè quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis. Agite igitur, & castimonia Pontificum, cœremoniisque solemnibus juvate Principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri, quæ facienda fuerint, celebrentur, quemlibet sumptum, cujuslibet gentis captivos, quælibet animalia regia non abnuo, sed libens offero, neque enim indecorum est, Diis juvantibus vincere. Sic apud majores nostros multa finita sunt bella, sic cœpta. Si quid est sumptuum, datis ad præfectum ærarii literis, decerni jussi, est præterea vestræ authoritatis arca publica, quàm magis refertam esse reperio, quàm cupio.*

Ad *Christianos* redeamus jam *Tiburtinos*, qui divina clementia omninò consolationem accepe-
runt; quùm non multò post, à *Constantino Magno* 244
in favorem *Christianorum* publicata fuerunt edicta, atque, anno CCCXII. Salutis nostræ, insuper idem Imperator Sancto *Melchiadi* Papæ Palatium *Lateranense* cessit pro sede Pontificali; præfatus: quod sicut Pontificibus Maximis *Ethnicis* in domo non publica habitare haudquaquam licebat, sic non æquum esse veræ Religionis summos Pontifices in domo privata sedem habere; verum multo æquiùs publico in loco, & Regali, eòque majus fuit gaudium, quando idem Monarcha anno CCCXXIV per Sancti *Silvestri* Papæ manum Baptismate sacro ad vitam regeneratus fuit Christianam, magnaque cum celeritate, magnificentiaque plane Regia sumptuosas Basilicas Altissimo Deo erexit, structas in honorem Principum Apostolorum, aliorumque Sanctorum, divoque tunc idem præcipuè *Laurentio* in via *Tiburtina* Ecclesiam erigi curavit. Publicatis dein edictis desiderium suum testatum fuit, adhortatus scilicèt omnes, ut ad suam imitationem idem facerent, sicut refert *Baronius*. Quapropter *Tiburtini* celebre *Herculis* templum Glorioso Martyri *Laurentio* consecrarunt, ubi non ampliùs cum timore, sed publico gaudio divinæ *laudes* cani cœperunt; unde sic ait *Ughellius* [1].

[Ann. *Christ.* 312. *Constant.* Imper. Papæ Palatium *Lateranense* cedit.]

[*Constantinus* baptizatur.]

[Templum *Herculis* in honorem S. *Laurentii Martyris* sacratum.]

[1. Tom. 1. *Ital. Sacr.* in Epist. *Tiburtin.*]

Cæterum Herculis *templum, vel maxima ejus pars* Con-

Constantini *Imperatoris temporibus in Divi* Laurentii *honorem* Christiano *ritu in* Ecclesiam Cathedralem *consecratum est.* In hocce *Templo* Baptismalis fons, more Ecclesiæ primitivæ (ut suprà dictum fuit) ad formam, & similitudinem illius ejusdem *Constantini* in *Lateranensi* Basilica, erectus fuit, ipsi-
245 que *Tiburtini* indies *Christianis* inter se virtutibus excellere studuerunt: Idcircò *Liberius*, summus Pontifex, motus fuit, ut Episcopum inter *Tiburtinos* eligeret *Paulum* quemdam, Sanctitate vitæ quam maximè singularem virum; illumque ad celeberrimam *Gubbii* Urbem misit, ut *Junio Anicio*, clarissimi sanguinis *Francipanorum* succederet Anno nostræ salutis CCCLIII.

Paulus Tiburtinus Urbis *Gubbii* Episcopus. Ann. *Christi* 353.

Quùm autem post *Liberii* mortem legitima sequuta fuisset electio Sancti *Damasi*; & ad Pontificatum assumptum fuisse *Felicis* amicum molestè ferrent adversarii, unà cum *Romanæ* Ecclesiæ Diaconia conspirantes, Papam proclamarunt *Ursicinum* Diaconum, ac (juxtà *Panvinium*) per *Paulum* Episcopum *Tiburtinum* eumdem consecrarunt anno Domini CCCLXVII, ut refert *Baronius.* Ex hoc diro schismate deplorandos exortos fuisse adnotat idem eventus, quùm unica die in *Licinini* Basilica ex parte *Ursicini* centum triginta septem morte violenta peremptorum cadavera inventa fuerint.

Paulus Episcopus *Tiburtinus* *Ursicinum* Antipapam consecrat.

Quùm igitur dubitatio mihi exorta fuisset an idem fuerit hic *Paulus*, qui Ecclesiam *Gubbii* rexit, an verò alius, Marchionis *Horatii Spadæ* (Equitis, non minùs eruditi, quàm humani) notitias Urbis *Gubbii* ad hanc rem facientes adferri mihi curavi, & quasdam insuper adeptus fui ab illustri *Vincentio Armannio*, ingenii cospicui viro, Patritioque *Eugubino*, animadversiones, quas hic inserendas existimavi:

Panvinius *in Annotationibus suis ad Pontificorum summorum vitas à* Platina *descriptas*, *in ea* Felicis Secundi *scribit*, *quod Papa* Marcellus Secundus, *qui fuit Cardinalis* Cervinus *&* Gubbii *Episcopus*,
246 *miserit sibi apographum cujusdam Indicis ab illius prisci temporis Clericis characteribus magnis vetustissimisque conscripti*, *atque à Papa* Marcello *in Monasterio* Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ, *ejusdem Urbis diœcesis*, *reperti*; *Quo in indice inter alia* (ait Panvinius) *legebatur*, *quomodo mortuo Papa* Liberio *anno CCCLXVI*, *Præsbyteri quidam*, *Diaconique*, *ejus sectatores*, *Pontificem elegerint* Ursicinum *Diaconum*, *atque eumdem ordinari*, *seu consecrari curaverint à* Paulo Tiburtino *electo per* Tiberium *Episcopo* Gubbii. *Facile credi potest*, *quod quùm index idem lingua conscriptus fuerit* Latina, *probabile sit* Paulum *istum nuncupatum fuisse* Tiburtinum, Episcopum; Panvinius *idcircò fortassis ignorans ipsum* Gubbii *Episcopum extitisse*, *hæc sinistre intrepretatus est verba*, *& eadem vertens vulgari idiomate dixit:* Paolo Vescovo di Tivoli; *ubi potius ei dicendum fuerat:* Paulus, Tibure oriundus, Episcopus. *Schismate autem inter duos Pontifices existente*, Liberium *scilicet &* Felicem, *uterque* Gubbio *Episcopum dedit*; Liberius *eidem Urbi* Paulum Tiburtinum *tribuit &* Felix Felicem *ex* Antimis; *fieri etiam potuit*, *ut* Paulus *tamquam sanctioris vitæ*, *quietisque amicus*, *propter tumultus illos in* Tibur *Patriam suam secesserit*, *ibique moratus fuerit*, *vel quia ipse hujus Urbis Episcopus electus fuerit*, *vel alia de causa*; *hocque verosimilius videtur*, *quia ipse* Felix ex Antimis *confirmatus fuit in* Gubbii *Episcopatu à Sancto* Damaso *Papa*, Liberii *successore*: *ex hoc facilè colligitur*, *nunquàm ipsum eò rediisse*, *unde Index forsan ille simpliciter eum vocavit Episcopum*, Gubbii, *an vero* Tiburis *Episcopus fuerit*, *ignorans:* Hactenus *Armannus*: Cujus senten-
247 tiam facilè amplector, quum existimem sanctæ quieti *Pauli* valdè obfuisse, habere sub oculis a-

A lium Episcopum, nobilem, & potentem civem, à *Felice Secundo* electum: Eo forsan id contigit tempore, quo per *Liberii* lapsum, quum *Sancti Athanasii* condemnationi (*Arriano* illo *Constantio* suadente) acquievisset, tanto Catholicorum applausu declaratus verus Papa fuit *Felix* (qui insuper Martyrio suo Pontificatum honore affecit), cujus vices in vita & in morte Sanctus *Damasus* gessit; mirum idcircò non videtur, si in *Gubbii* Episcopatu *Felicem* ex *Antimis*, à Sancto *Felice* Papa & Martyre constitutum, permanere passus fuerit.

Concludo igitur, *Paulum* nostrum tredecim priùs consumptis annis in Ecclesiæ *Gubbinæ* re-
B ctione, sese transtulisse ad *Tiburtinam*, nulla, neque de illo, neque de aliis successoribus suis Episcopis, usque ad *Sancti Innocentii* Pontificatum, memoria existente, ad cujus *Innocentii* Tribunal circa annum Domini CCCCII. querimoniæ *Ursi* contra *Florentium Tiburis* Episcopum pervenêre, usurpatæ jurisditionis ipsum accusantes; functiones enim ille Pontificales absque ejus consensu exercuerat, *Ursus* enim Parochiam *Nomentanam*, vel *Feliciensem* ad sese pertinere asseruerat. *Florentio* idcircò scripsit Papæ epistolam sequentem, quæ Epistolarum Decretalium septima est.

Ann. *Christi* 402. *Ursi* querimoniæ contra *Florentium* Episcopum *Tiburtinum.*

C

INNOCENTIUS FLORENTIO EPISCOPO TIBURTINENSI. 248

Epistola Sancti *Innocentii* Papæ scripta *Florentio* Episcopo *Tiburtino.*

NOn semel, sed aliquoties clamat scriptura divina, transferri non oportere terminos à Patribus constitutos, quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter invadat, quod tuam bonitatem, frater, & Episcopus noster Ursus *asserit perpetrasse; nam* Nomentanam *sivè* Feliciensem *Parochiam à majoribus pertinentem invasisse te, atque illic divina celebrasse mysteria inconsulto eodem, ac nesciente, non sine dolore conquestus est, quod si verum est, non leviter te culpam incurrisse cognoscas; unde si declina-*
D *re cupis tantæ usurpationis invidiam, nostris litteris admonitum te convenit abstinere: Certè si aliquid tibi credis justitiæ suffragari, integris omnibus, & in pristino statu manentibus post dies venerabilis Paschæ adesse debebis, ut memoratis possis intentionibus respondere, & partibus in medio collocatis, quid antiquitas, aut veritas habeat inquiramus.* Extrema hæc verba vetustatem Episcopatus indicant *Tiburtini*, nec aliud supra talium controversiarum decisionem mihi dicendum superest; Funesta enim mihi jam enarranda remanent: Anno quippè *Christi* CCCCX. die vigesima quarta *Augusti*, in barbaras *Alarici Gothorum Regis* manus per proditio-
E nem cecidit *Roma*: Sed divina favente gratia trium dierum spoliis tantùmmodo gavisi fuêre Barbari;
eamque dein, non sine magno *Tiburtinorum* terrore 249
deseruêre, licèt, an & ipsi damna quædam acceperint, ignorem, sicut illis evenit ab *Wandalis*, diris *Arrianis*, ex *Africa Romam* ab *Eudoxia* Imperatoris uxore evocatis, ad vindicandum scilicèt Mariti sui interitum, fraudibus enim *Maximi* Tyranni occisus fuerat, à quo ipsa cum Imperio in uxorem erat rapta.

Ann. *Christi* 410. *Alaricus, Gothorum* Rex capit *Romam.*

Hi *Romam* summa cum celeritate, obstaculisque omnibus remotis, pervenerunt, Duce *Genserico* Rege, formidabilis verò eorum exstitit exerci-
F tus, tercentorum videlicèt millium *Wandalorum*, *Africanorum*, *Maurorum*que; atque hi Urbem pretiosioribus, pulchrioribusque ablatis, miserè diripuerunt; licèt tamen Sancti *Leonis* Papæ precibus ab incendiis, occisionibus, suppliciisque Rex iste [1] pepercerit; *Maximus*, tot malorum auctor à *Romanis* ipsis cæsus fuit, ac, post quadraginta duorum dierum spolia, in *Africam*, ut refert *Procopius*,[2] reversus est *Gensericus*, divis copiosus prædis, unà cum multis captivorum millibus, & cum ipsa

Gensericus Wandal. Rex *Romam* populatur. Ann. *Christ.* 455.

1. *Paulus Diacon.* lib. 15. & *Baron.* ann. 455.
2. de bello *Wandal.* lib 13.

ipsa *Eudoxia Augusta*, atque *Placidia* & *Eudoxia*, ejusdem filiabus, anno Domini CCCCXLV., & Pontificatus *Sancti Leonis* decimo sexto. *Genserici* corporis effigies, & animi habitus à *Gothorum* Episcopo *Jornande* describitur [4] his verbis: *Erat* Gensericus *jam* Romanorum *clade notissimus, statura mediocris, & equi casu claudicanus, animo profundus, sermone rarus, luxuriæ contemptor, ira turbidus, habendi cupidus, ad sollicitandas gentes providentissimus, semina contemptionum jacere, odia miscere paratus.*

de Reb. Get. *Genserici effigies.*

250 Is antè suum *Româ* discessum, Urbem etiam *Tiburtinam* invisere voluit, ubi implevit furorem suum: (referente *Petro* de *Natalibus Equilanæ* Episcopo à *Nicodemo* citato) *Wandalis* quippe barbarè & immanitèr agentibus, obviam processit *Majorius*, ardentissimus Christianus, generosi cujusdam nobilis *Tiburtini* servus, & constanti, invictoque pectore horum impiorum militum crudelitatem reprehendit; qui hac de causa rabie adhùc immaniore correpti, impetum fecerunt in *Majorium*, illumque arctè ligatum in conspectum *Genserici* (Catholicæ fidei reum dicentes) adduxerunt. Rex *Arrianus* omni studio *Majorium* à fide sua abducere annixus est; sed eum semper magis intrepidum inveniens, insuper audit exclamantem, se paratissimum esse quodvis, quantumlibet crudele, potiùs pati supplicium, quàm in minimo quidem à Sanctis veræ fidei dogmatibus aberrare. Quapropter perfidi hujus Regis jussu, inhumani Ministri illi, priùs eum baculis percusserunt, in altum dein eundem trochlearum medio elevatum supra duras silices subito lapsu demiserunt, ac ita sursum atque deorsum jactantes miserè diffregerunt, milleque vulneribus lacerarunt: monstruosa indè severitate supra dura saxa corpus Sancti Martyris sic vulneratum traxerunt, usque dum omnis direpta carnibus, ossibusque pellis esset; Rex denique Barbarus (à torquendo jam forsan lassus) decollari eundem mandavit. Hujus Sancti *Majorii* Martyris *Tiburtini* festus dies celebratur 24. *Octobris*, juxtà martyrologia antiqua ab eodem *Nicodemo* relata.

S. Generosus Martyr.

Sub Ara Majori Cathedralis *Tiburis* sacrum *Sancti Generosi* Martyris corpus jacet, quod ego
251 ipsemet vidi, ac ibi legi, *Corpus S. Generosi, Martyris Tiburtini:* quod factum est, quùm in novo Templo Concha Marmorea sub eadem Ara una cum aliis sacris pignoribus reponeretur, à quo corpore desumtum fuit caput, jussu *Cardinalis Romæ* Episcopi nostri, ut in nobili exponeretur repositorio ad populi consolationem: Hujus Sancti Martyris festivitas duplici officio celebratur in eadem Cathedrali die 17. *Junii*, juxtà *Martyrologium Romanum*, ignoratur tamen an iste, vel alius dicti Sancti *Majorii* fuerit Herus.

Ann. Christ. 461. Mors Leonis Magni Papæ.

Quinto post discessum *Wandalorum* anno, die *Aprilis* 11. Domini autem nostri CCCCLXI. laboriosique sui Pontificatus XXI. ad æternam requiem transivit *Leo Magnus*, nobis æternam relinquens memoriam venerabilis suæ magnitudinis, qua nos ab *Attilæ*, *Hunnorum* Regis, furore liberavit; Hic enim pleno sacri horroris vultu, miraculosisque Principis Apostolorum minis perterritus, pedem, celerem in damna regionis patriæque nostræ, retro repressit.

Ann. Christ. 465. Candidus Episcopus Tiburtinus.

Leoni Sanctus successit *Hilarius*, cujus Concilio (*Romæ* habito) interfuit inter alios *Candidus*, Episcopus *Tiburtinus*, summæ æstimationis auctoritatisque vir, ut ex Conciliis ab anno CCCCLXV. usque ad DIV. (quibus subscripsit nomen suum) colligitur, locoque suo demonstrabitur.

Ann. Christ. 467. Simplicius Tiburtinus creatur Papa.

Post *Hilarium* die 20. *Septembris* anno Domini CCCCLVII, assumtus fuit ad Pontificatum *Castini Tiburtini* filius, nomine *Simplicius*, Catholicæ *Tiburtinæ* scholæ (in qua educatus fuit) indicium haud leve, atque insignis gloria.

Simplicius petitionibus renuit Leonis Imperatoris.

Novi Pontificis creatione in Oriente audita, fortitudinem, constantiamque *Simplicii* tentavit *Leo* Imperator, ab eodem putans sese impetraturum 252
quod ab aliis antecessoribus nunquam obtinere valuerat; privilegiorum (scilicèt) *Constantinopolitanæ Ecclesiæ* in *Chalcedonensi Concilio* concessorum confirmatonem. Decreta ante Concilii ejus ea tantum, quæ spectabant Catholicam sedem, non quoad reliqua, à *Sancto Leone Magno* confirmata fuerant: *Simplicius* verò, qui Deo placere soli, *Romanæ*que sedis Majestatem defendere studebat, parvi Majestatem fecit terrenam, intrepidoque pectore renuere id perseveravit, ut affirmat Cardinalis *Baronius* [1], qui addit [2], hunc magnum Pontificem haud tardum in coërcenda *Acacii* Archiepiscopi *Constantinopolitani* audacia fuisse, qui audaciter & superbè Ecclesiæ suæ *Constantinopolitanæ* asserere cogitabat primatum, astuto modo *Leonem* Augustum, ad *Ecclesiæ Constantinopolitanæ* Privilegia Imperiali Constitutione publicanda, inducens. Tanto autem zelo & auctoritate decusque propugnavit auctoritatem Sedis Apostolicæ, ut quacumque occasione, ipsam solam pro prima sede venerari, ejusque Pontificem, tanquàm universale *Christianæ* Reipublicæ Caput venerari, & coli fecerit; sicut adnotavit *Anastasius*, dicens: *Eodem* Simplicii *tempore fuit Ecclesia prima, hoc est, Ecclesia Romana prima sedes Apostolica executrix &c.*

Ann. Christ. 472.

1. Ann. 467. 2. Ann. 472.

Unde & *Gelasius* Papa §. 32. unicæ suæ Constitutionis sic scribit: *Nihilominus Papa* Simplicius, *& post eum Papa* Felix *non solum* Basiliscum Tyrannum, *sed & Imperatorem* Zenonem *pro iisdem ipsis excessibus auctoritate libera sæpiùs increpasse noscuntur.*

Apostolica *Sancti Simplicii* generositas eò mirabilior apparuit, quò laboriosior ejus extitit Pontificatus, paucorum enim annorum exiguo cursu in Occidente conspexit Imperium periclitari *Romanum*; quùm anno ejus quinto Imperatorem *Anthemium* per proditionem à *Ricemero* genero suo viderit occisum; *Olybrius* huic successit, cujus locum post octavum mensem occupavit *Glycerius*, qui à *Julio Nepote* Imperio dejectus fuit, qui pariter Imperio ab *Oreste* fuit privatus, hic enim *Mamilium Augustulum* filium suum Imperii *Romani* fecit dominum. Dignitatis *Romanæ* auctoritas quùm per tam varias revolutiones & tot clades despecta facta esset, *Turilingi*, *Herculi*, aliique Barbari, mirum in modum facti audaces, Patrem Principis regnantis *Orestem* occiderunt, sibique in Ducem elegerunt *Odoacrem*, ejusdem *Crestis* militem, magni ingenii virum, qui brevi temporis spatio *Italia*, & *Roma* potitus fuit, atque *Augustulum* Imperio orbatùm, captivum in *Luculliano*; (non procul ab urbe *Neapoli*) vivere coëgit: *Odoacer* autem Imperatoris nomine spreto, illo Regis *Romæ*, *Italiæ*que usus fuit: Ubi per annos quatuordecim, juxta *Jornandem* & *Matthæum Palmerium*, Tyrannidem exercuit, aut decem, secundum *Procopium*, vel septemdecim secundum *Baronium* [3]: sicque *Romanum* Imperium, in *Octaviano Augustulo* interitum reperiit extinctumque fuit anno Domini CCCCLXXVI. *Simplicii* verò Papæ IX, *Zenonis*que Orientis Imperatoris III. Eventus prædictos narrat *Jornandes Gothorum* Episcopus [4], *Paulus Diaconus* [5], *Tarcagnota* [6], *Mattheus Palmerius* in suis Chron. *Procopius* [6] & *Leonardus Aretinus* [7].

253

Baron. tom. 6. Ann 475. & 476. 3 de reb. Get. 4. Hist. Rom. lib. 5. 5. Hist. Mund. lib. 6. 6. de bell. Goth. lib. 7. de bell. Ital. advers. Goth. lib. 1.

Christianæ Religionis status commiserandus pariter erat, sub Principum Hæreticorum Dominio jacens; *Roma* enim unà cum *Italia* ab *Odoacre* Rege *Arriano*; *Galliæ* à *Burgundis*, & *Græcis* pariter *Arianis*, atque à *Francis* adhuc Ethnicis,

cis: *Hispaniæ* suberant eorundem *Gothorum* Imperio; gemebat *Africa* sub barbara *Genserici*, Filiique *Honorico*, Catholicæ Ecclesiæ persecutorum, crudelitate. Orientis Imperium universum habebat *Zeno* qui intus in corde suo erat *Eutychianus*, quùm Ecclesiæ ejus subjectæ Monarchiæ summopere turbarentur, deplorabilitèrque ab Hæreticis (quibus impensè favebat) opprimerentur, quorum opera ab Ecclesiis suis Catholici pastores expellerentur, introductis perfidis Hæreticis. Revocati inter alios fuère ad *Anthiochiæ* Ecclesiam ab exilii loco *Petrus Gnapheus*, dictus *Fullo*, ad illamque *Alexandriæ* Parricida *Timotheus Herulus*, qui ut eamdem ibi acquireret Ecclesiam, dirè Sanctissimum *Proterium* Episcopum occiderat: Iste autem sacrilegus Carnifex ad Ecclesiam rediens *Alexandrinam*, indèque *Bysantium* se conferens, ab hæreticis coram Imperatore *Zenone* & Archiepiscopo *Acacio*, quasi Sanctus Confessor ab exilio revocatus, pompa plausibusque triumphalibus impudenter est receptus, illique ita fuit acclamatum:

255 *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Quibus stomachati (ait *Baronius*) Zelantes Archimandritæ Monachi, ac Presbyteri *Bysantini*, Pastorem suum *Acacium* obmutescentem cernentes, *Simplicium* Papam de hisce certiorem facere decreverunt; Pontifex hic, divino favente Numine, in mediis curis tam mordacibus pastoralem vigilantiam, sanctamque prudentiam suam emicare fecit: die enim nona Januarii Anni CCCCLXXVI. intrepide gravem Imperatori scripsit Epistolam, prudenter tamen illius dissimulans culpam, ut stimulo accensus laudis co magis ad Catholicorum impelleretur defensionem, & denuò impium *Timotheum* expelleret, *Alexandrinam*que Ecclesiam ita in pristinam libertatem, & quietem reponeret. Hujus Epistolæ exemplar à *Baronio* recitatur Tomo sexto Annalium suorum *Anno Christi* CCCCLXXVI, ubi etiam legitur epistola à *Sancto Simplicio* scripta ad *Acacium* Episcopum *Constantinopolitanum*, una cum exemplari epistolæ olim missæ à *Sancto Leone* Papa ad *Leonem* Imperatorem, ut ita *Leonem* exemplo antecessoris sui ad fidei Catholicæ favorem excitaret, in qua ipsum quoque admonet, ut sua auctoritate Generale Concilium ab iniquo *Timotheo* efflagitatum (quum nulla necessitas ad illud convocandum urgeret) averteret, atque inhiberet.

Idem Pontifex Archimandritis *Constantinopolitanis* rescripsit, eorum Sanctum laudans Zelum, duròsque ab iisdem Catholicæ fidei ergo passos labores, de *Acacio* conquestus, quod humano metu de novitatibus adeò gravibus Ecclesiæ Caput pernicioso silentio admonere prætermiserat: Adeò

256 insuper rigidum contra Sacrorum Canonum eorundemque præceptorum transgressores sese ostendit Sanctus *Simplicius*, ut, quùm commonitus fuisset ab Episcopis *Florentio*, *Equitio*, & *Severo*, *Gaudentium Aufiniensem* Episcopum contra sacrorum Canonum, suorumque præceptorum formam quibusdam Clericis ordinum sacrorum canonem contulisse, ei inposterùm ordines conferendi potestatem abstulerit, eamque Sancto *Severo* Episcopo tribuerit; promotosque à *Gaudentio*, ab eorum ordinum exercitio excluserit.

Sancti Simplicii constitutio circa proventuum Ecclesiasticorum distributionem.

Voluerat edicto edito prætereà Sanctitas sua, quòd ex quatuor proventuum Ecclesiasticorum, fideliumque oblationum partibus, altera conferretur Episcopo, ad Ecclesiarum restaurationem pertineret altera, pauperibus daretur tertia, & tandem quarta inter Clerum divideretur; *Gaudentius* nihilominùs tribus annis ultimas tres partes sibi vindicaverat; quapropter Sanctus Pontifex, ut eas restitueret, mandavit, quemadmodum clariùs legitur in sequenti Epistola in primo Conciliorum volumine inter *Sancti Simplicii* Decreta adnotata, his verbis,

SIMPLICIUS EPISCOPUS 257
Florentio, Equitio, & Severo Episcopis.

Relatio Nos vestræ dilectionis instruxit, & gestorum series plenius intimavit, Gaudentium, Aufiniensis *Ecclesiæ Sacerdotem, contra statuta Canonum, ac nostra præcepta, ordinationes illicitas perpetrâsse: quare illi totam penitus auferri præcipimus potestatem. Scripsimus enim ad* Severum *Fratrem, & Episcopum nostrum, ut, si necesse fuerit, ipse in supradicta Ecclesia, consideratis Patrum regulis hoc fungatur officio, quo ille abusus esse convictus est, ita ut ii, qui illicitè ab eodem sunt provecti, ab Ecclesiasticis ministeriis sint remoti. Simul etiam de reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, quod deceat, nescienti nihil licere permittat, sed sola ei ex his quarta portio remittatur. Duæ Ecclesiasticis fabricis; & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ, ab* Onagro *presbytero sub periculo sui ordinis ministretur. Ultima inter se clericis pro singulorum meritis dividatur.*

At vero ministeria Ecclesiæ, quæ alienata comperimus, reparare Præsumptor prædicti fratris compellatur instantia, cui etiam hoc specialiter præcipimus imminere, ut tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicasse, restituat. Data XIII. Kalen. Decembrium post Consulatum Leonis *Augusti.*

Pariter, ut *Baronius* annotat ad Annum CCCCLXXXII. acerrimè *Simplicius* reprehendit *Joannem Secundum*, Episcopum *Ravennæ*, quod violenter *Gregorium* fecisset Presbyterum, non ut ipsum honore afficeret, sed ut removeret eundem ab officio quo fungebatur, pro quo in solatium illi Papa assignavit reditus Prædii Mensæ seu Tabulæ *Ravennatis*, & gubernationem Ecclesiæ *Modenensis*, Episcopum jubens, abstineret a similibus prævaricationibus, nisi ipse privari mallet privilegiis sibi a Sede Apostolica concessis, dicens: *Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate*, aliaque in eundem sensum gravia, quæ legi possunt in Epistola ab ipso *Simplicio* ad eundem *Joannem* scripta, quæ exstat Tomo Conciliorum I. quibus ille admonitionibus adeo fuit correctus, ut cum Sanctitatis laude sit mortuus, ejusque dies festus celebretur a S. Ecclesia XII. Januarii, juxta *Martyrologium Romanum*. 258

Basiliscus Imperium Zenonis occupat.

Sed ad Orientem revertamur, ubi licet nihil efficere apud *Zenonem* Imperatorem potuerint literæ S. *Simplicii*, occupato Imperio ejusdem a Tyranno *Basilisco*, valuerunt tamen ejusdem admonitiones apud *Acacium*, Archiepiscopum *Constantinopolitanum*, qui acri imflammatus zelo sese opposuit novi Tyranni ejusdem violentiæ; ille enim inter alia nefanda publicari jusserat literas circulares per universum Imperium, contra Sacrum Concilium *Chalcedonense*, scriptas ad infamem illum *Timotheum*, Tyrannum pariter Ecclesiæ *Alexandrinæ*.

Daniel Stylita.

Acacius itaque, comitatus celebri illo *Daniele Stylita*, qui propter Sanctam Fidem descenderat a summitate columnæ quam habebat pro habitaculo, magna cum populi turba, in conspectum venit *Basilisci*, tantaque orationis vi Religionis causam tutatus est, ut impulerit Tyrannum revocare dictas literas, aliasque, pariter Circulares, verum prioribus contrarias, per Imperium dimittere. *Acta hæc esse* (inquit *Baronius* ad Annum CCCLXXVI. ex ore *Gelasii* Papæ) *ab* Acacio *vigore literarum* Simplicii, Romani *Pontificis*, *Epistola* Gelasii *Papæ manifestat.* 259

Acacius defensor Religionis Catholicæ.

Zeno Imperium recuperat.

Zeno interim, quem Imperio dejectum diximus,

mus, cum ingenti exercitu Anno CCCCLXXVII. profectus est contra *Basiliscum*, omnibus suis jam perosum propter insatiabilam avaritiam; jamque in aciem processerant utrimque milites, quum subito Tyranni exercitus depositis armis ad *Zenonem* transiit. Territus itaque *Basiliscus*, ubi cladem hanc *Constantinopoli*, ubi versabatur, accepit, salutem suam fuga in Ecclesiam, tanquam asylum, quæsivit. Verum extractus inde per Archiepiscopum *Zenoni* est traditus; qui acerrima tum existente hyeme, illum una cum uxore & liberis ablegavit in *Cappadociam*, jubens ut vestibus spoliati, atque alimentis prohibiti, frigore & fame necarentur. Ibi itaque inter mutuos amplexus planctusque & ululatus miserabiliter satis cito perierunt, postquam tenuisset Imperium *Basiliscus* menses viginti, ut vult *Procopius*, harum rerum Scriptor, de bello *Vandalico* Lib. I. sive octodecim, prout mavult *Baronius* ad Annum CCCCLXXVII.

Miserabilis Basilisci suorumque interitus.

Simplicius itaque scripta Epistola (quam inseruit Cardinalis *Baronius* Annalibus suis) ad *Zenonem*,
260 de recuperato Imperio illi gratulatus est, excitans eundem, ut liberaret Ecclesiam *Alexandrinam* ab impio isto *Timotheo*, expelleretque omnes Episcopos Hæreticos ex Dominatu suo, qui tam promtè votis S. Pontificis respondit, ut videns zelum Imperatoris impius ille *Timotheus*, veneno sumto pœnam suam præverterit.

Timotheus qui Ecclesiam Alexandrinam involârat, veneno se ipsum necat.

Verum quum in locum ejus Hæretici illi alium quemdam, nomine *Petrum Mogum*, elegissent, hunc etiam, motus S. *Simplicii* literis, Sede *Alexandrina* expulit Imperator *Zeno*, atque in eandem reposuit priorem suum atque legitimum Episcopum *Timotheum*, successorem S. *Proterii*; quos lætos Ecclesiæ eventus data Epistola ad S. Papam anno CCCCLXXXVIII. celebrat Archiepiscopus *Acacius*; Epistolam vero hanc recitat *Baronius* ad annum CCCCLXXVIII. estque ejusmodi ejus principium.

Episcopi Hæretici pulsi, & revocati Catholici. Epistola Acacii ad S. Simplicium.

261 DOMINO BEATISSIMO SANCTO PATRI ARCHIEPISCOPO SIMPLICIO.

Cui ita respondit S. Pontifex:

Quam sit efficax supplicantium Domino perseverantia Sacerdotum, & quam jucundo gratuletur affectu studium, quod defensioni fidei sinceris mentibus exhibetur, literis tuæ dilectionis agnoscitur, quando post tanta certamina quibus Dei misericordia in causa propriæ Religionis famulos, & ministros suæ constituens potestati, probatissimos sibi efficit esse victores.

Siquidem Alexandrina *Ecclesia divino judicio liberata in consortium communium nos advocans gaudiorum, cum qui ab hæretico fuerat expulsus, ad ejus sedem rediisse testaris, Unde animis exultantibus ad universalis Ecclesiæ quietem* Christo *Domino nostro pro salute primum fidelissimi Principis supplicamus, cui pro devotione, qua cunctos antevertit Sacerdotes, pietas hæc divina concedit, quæ Nos liberos pro populis* Christianis *apud Omnipotentiam cœlestem præstat interpretes, sicut ergo in reditu fratris, & Coëpiscopi nostri* Timothei *gratulamur, ita eum commonente dilectione tua cupimus irreprehensibilem reperiri, quia meministi hoc, eum jam dudum fidelis Præsulis non habuisse constantiam, quando ei, ut damnati* Dioscori *nomen inter altaria recitaretur, extortum est. Data tertio Idus Martii Illo V. C. Consule.*

Tom. I. Concil. & Baron in Annal. Responsio S. *Simplicii.*

Verum in animo, in quo ambitio regnum pos-
262 det, omnis cito perit virtutis externus ille apparatus. Hinc evenit, ut subdola *Acacii* fallacia non potuerit bonum finem operi imponere, verum cito sit detecta. Quum enim novus Ecclesiæ *Antiochenæ* Episcopus, qui mortuo priori succederet, à Papa electus atque confirmatus esset *Calendionus*, noluit primatum ejus, cui semper is fuit debitus habitusque honos, agnoscere *Acacius*, verum Hæreticorum ope subnixus & adjutus, deposuit sede sua Catholicum Episcopum, atque *Oasum* misit in asperrimum exsilium, ubi misere finiit mortalem hanc vitam; substituit vero illi impium illum *Petrum Fullonem*, ipseque *Acacius* de malo in pejorem transeuns, facile in partes suas Imperatorem quoque *Zenonem* vocavit, cujus favore sedem & Ecclesiam *Antiochenam* occupavit rursus *Petrus Mogus*, ejecto Episcopo Catholico & legitimo *Joanne*, qui quum *Romam* sese recepisset, ut ad S. *Simplicium* confugeret, invenit illum æternam jam requiem præoccupasse, unde necesse habuit Successorem ejus exspectare, sicut notat Cardinalis *Baronius* ad annum CCCCLXXXIII.

Calendioni mors.

Mortuus autem est S. *Simplicius* anno Domini CCCCLXXXII. die 2. Martii, quo ipso Festum ejus celebrat S. Ecclesia, sicut patet ex Martyrologio *Romano*, postquam ipse summo cum zelo & prudentia Ecclesiam Dei in terris gubernasset annos quindecim, menses quinque, dies decem, prout scribit *Anastasius Bibliothecarius* in Vita ejusdem; verum in Voluminibus *Ciacconii* hæc inveniuntur:

Simplicius *Papa VI. Nonas Martii Anno* Christi CCCCLXXXIII. *Obiit cum sedisset annos XV. Menses septem. dies VII.*

Res ab ipso Sanctissime Præsule gestas Anastasius Bibliothecarius *in lib. de* Rom. *Pontificibus refert.* 263
Hic dedicavit (inquit) *Basilicam Sancti* Stephani *in* Cœlio *Monte in Urbe* Roma, *& Basilicam Beati Apostoli* Andreæ *juxta Basilicam Sanctæ* Mariæ, *& aliam Basilicam Sancti* Stephani, *juxta Basilicam Sancti* Laurentii, *& aliam Basilicam intra Urbem*, Romam *juxta Palatium* Licinianum, *B. Martyris* Bibianæ, *ubi corpus ejus requiescit. Hic constituit ad S.* Petrum *Apostolum*, *& ad Sanctum* Paulum *Apostolum*, *& ad Sanctum* Laurentium *Martyrem hebdomadas, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & baptismum. Regionem tertiam ad Sanctum* Laurentium, *Regionem primam ad Sanctum* Paulum, *Regionem sextam, & septimam ad Sanctum* Petrum. *Hæc ibi.*

Ecclesiæ Romæ à S. Simplicio ædificatæ.

Hebdomadarii erant hujusmodi, quod ob ingruentem populum vicissim succedere solerent, sed Hebdomadarii isti pro quatuor Regionibus constituti, cum septem essent, quod alias tres Regiones Eruli *occuparent, qui Catholicæ Ecclesiæ minimè communicarent, utpotè, qui sectâ essent Hæretici* Arriani.

Basilica autem S. Andreæ *Apostoli à Papa* Simplicio *condita, & dedicata, hodie cerniter conjuncta ædi S.* Antonii *propinquæ S.* Mariæ Majori, *& conservatur in ea ornamentum opere vermiculato, sivè musivo elegantissimo, in quo* Christi *imago, & B.* Andreæ, *& aliquot Apostolorum visuntur, cum hujusmodi inscriptis versibus.* 264

Hæc ubi mens validè decrevit prædia Christe,
Cui testator opes detulit ille suas.
Sinpliciciusque *Papa, sacris cœlestibus aptans,*
Effecit verè muneris esse tui.
Ne quod Apostolici deessent limina nobis,
Martyris Andreæ *nomine composuit.*
Utitur hæc hæres titulis Ecclesia jussis,
Succedensque domo mystica jura locat
Plebs devota veni perque hæc commercia disce
Terreno censu regna superna peti.

Vocatur à quibusdam hæc eadem Ecclesia S. Andreas *in* Barbaris, *quod in muris ejus variæ ferarum imagines à* Diana *venatrice, & ab* Hippocentauris *conficiantur, opere partim tessellato ex variis confecto marmoribus, partim vermiculato.*

Dies natalis Sancti Simplicii *Papæ aliqui V. Nonus*

nus Martii adscribunt. Alii melius VI. Nonas postridie, qui est ipse dies ab Ecclesia cultus Pontificalium librorum, & Tabulas sequentes. Tiburi *præsertim ejus natalis solemnitas agitur, ejusque ibi sacræ reliquiæ habentur.*

265 * Ex libro eodem de *Romanis* Pontificibus, quæ ad ornatum Ecclesiæ pertinent, hæc de *Sim*- A *plicio* referuntur; Hic fecit in Ecclesia *Romana* Schyphum aureum, pensantem libras quinque; Cantharos argenteos ad B. *Petrum* XVI. pensantes singulos libra XII. Hic fecit Ordinationes in Urbe *Roma* per Mensem Decembrem & Februarium. Creavit Presbyteros LVIII. Diaconos XI. Episcopos per diversa loca, numero XXXVI. Sepultus in Basilica S. Petri VI. Men. Martii, an. Dom. CCCCLXXXVI. & cessavit Episcopatus ejus dies VI.


* Hic deficit exemplar *Historiæ Tiburtinæ.* Sequentia itaque (ut integer sibi constaret sensus) ex ipso *Ciacconio* adjecimus.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

La-

F I N I S.




ANTONII DEL RÈ,
Tiburtini, Juris Utriusque Doctoris,

ANTIQUITATES TIBURTINÆ,

IN DUAS PARTES DIVISÆ.

PARTE PRIMA agitur
De Mirabilibus Palatii Hortique
SERENISSIMÆ FAMILIÆ ESTENSIS,
Ejusque Fontibus atque Statuis, addita brevi Historiarum Fabularumque expositione;
PARTE SECUNDA continetur
Compendium Ædificiorum superbissimæ
VILLÆ HADRIANI IMPERATORIS,
Collectum ex MS. Descriptione PYRRHI LIGORII. Inquiritur deinde in VILLAS, quas in AGRO TIBURTINO habuerunt CAJUS CÆSAR, SYPHAX REX NUMIDARUM, & ZENOBIA PALMYRENORUM REGINA, aliique.
Accedit in fine
Defensio AQUÆ ANIENIS nunc TEVERONE.
Latine *ex* Italico *vertit, Notulis, Præfatione & Indicibus auxit, ut & Ichnographia Villæ* Estensis
SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

Imprimatur si videbitur Reverendiss. P. M. S. P. Apostolici.
Cæsar Fidelis Vicesg.

E*x commissione Reverendissimi* Fr. Ludovici Ystella *M. S. P. Apost. accuratè perlegi caput unum antiquitatis* Tiburtinæ *editum ab* Antonio del Re, *& in eo nihil reperi quod Sanctæ Fidei, aut bonis moribus repugnet. In quorum fidem me subscripsi die* 18. *Octobris* 1610.

Don *Raphaël Rastellius* Cler. Regul.

Imprimatur, Fr. Thomas Pallavicinus Bonon. *Magist. & Reverendissimi P. Fr.* Ludovici Ystella *sacri Pal. Apostolici Socius, Ord. Prædicatorum.*

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS
L. S.

Auctor noster in senium jam vergens (sicut colligi potest ex Defensione ejus pro Fluvio *Aniene*, in fine hujus Opusculi pag. 110. E.) hosce Libros conscripsit, ætate & judicio maturo, experimentis etiam dives; nam (quæ prima hisce ejus cogitatis ansam præbuerunt) quum Collegium quoddam formassent, pro eruendis *Tiburis* Antiquitatibus, viri ejus Civitatis Principes, *Regius* etiam noster, seu *Del Rè*, in illud coöptatus fuit; Neque satis illi fuit intra privatos forulos gaudere deliciis illis, quibus facile cogitare est tam Illustrem Conventum sæpius fuisse oblectatum, sed &, tradendo posteris, sui simul cum inclitæ Patriæ memoriam propagare voluit.

Excreverat hic ejus labor ad XII. usque Libros, seu, prout ipse ubique in Citationibus appellare maluit, Capita; verum ex hisce optimum judicavit hunc Librum in binas divisum Partes prius divulgare, quem Capituli V. nomine insignivit, ut ex Dedicatione ipsius patere potest.

Quum itaque prima vice in oculos nostros incurreret, existimabamus imperfectum ad manus nostras pervenisse volumen Operis, cujus plures exstarent Tomi; verum, debita adhibita diligentia, invenimus reliqua ista XI. Capita, seu Libros, numquam ab Auctore in lucem editos fuisse, utpote (quod plurimis accidere solet, qui, dum cunctantur, se suaque *Parcarum* faciunt spolia) fatis intercepto. Affectos tamen habuisse, satis ex crebris patere potest allegationibus.


Quum alia plurima Sanctæ Antiquitatis adoranda vestigia, tum & Inscriptiones nonnullæ occurrunt, quarum quasdam Collectoribus insignioribus, *Grutero* & *Reinesio* certe, incognitas animadverti. Hujus generis est nobile Monumentum ævi Imperatoris *Domitiani*, a *L. Pasquidio* dedicatum *Bonæ Deæ Cœlesti*, occasione refectionis Ædis Sacræ, & instaurationis Aquæ *Claudiæ*. Videre illud licet pag. 20. E. In illo autem quod sequitur pag. 63. D. *Cæsonii*, lin. 8. *Gruterus* pag. CCCLXXXI. 3. legit VIROS EX SENATUS &c. pro VIRO SENATUS. & lin. 11. pro CURATOR ALBEI TIBERIS, exstat ibi CUR. ALBEI TYBERIS. sicut 14. EODEM pro EODE & VICEPROCONSULIS lin. ead. pro quo male apud Nostrum edebatur VICEPRONSULIS; denique præfert idem *Gruterus* mox CURATOR R. P. pro CUR. R. P. sicut in CURATORI Postremam literam non agnoscit. In sequenti *Cæsoniorum* Inscriptione pag. 64. B. *Gruterus* etiam variat pag. CCCLXXXI. num. 1. illam exhibens, prout videlicet lin. 3. post AUGUSTALI vocem COMITI. lin. 5. LANIVINORUM pro LANIVIORUM. lin. 8. SUPERIORIS pro SUPERIOR. lin. 11. TARRICINENS pro TARRICENS. lin. 15. PR. LEG. pro PROLEG lin. 17. ADJUTRIC pro ADITIC. & in fine CONSULARIS pro CONSULARI.

ELENCHUS VILLARUM,

Quæ in Opusculo hoc enumerantur.

INDEX AUCTORUM,

Qui Citantur, aut Illustrantur in *Antonini Del Rè Antiquitatibus Tiburtinis.*




EXPLICATIO

Notarum seu numerorum, quibus distinguitur Ichnographia admirabilis Palatii Hortique, exstructi quondam ab Illustriss. et Sereniss. Hippolyto Estensi, *Cardinali* Ferrariense, *sumtibus ultra octingentorum millium monetæ, quam* Itali *appellant* Scudi. *idque præter operantium ministrorum mercedem, amicorumque liberalitatem, quæ omnia æstimationem excederent. Admirabilia vero ibi tum Fontium artificiosissimorum sunt opera, tum alia infinita, illis, qui sequuntur numeris, distincta et insignita.*

1. *Palatium sumtuosissimum foras et intus excellentissimis Statuis exornatum, cameris, aulis, porticibus, musæis, aliisque bene dispositis structuris superbum: hospitium Regum et Principum virorum multorum. quos splendida* Hippolyti Estensis *liberalitas. ut et Serenissimæ ejusdem Familiæ generositas. ibidem lauto apparatu excipere solita semper fuit.*
2. *Hortus Secretus.*
3. *Fons Unicornu.*
4. *Aulæum cum quatuor Fontibus. qui aquam in speculi formam rotare solent.*
5. *Sphæristerium.*
6. *Fons* Ledæ.
7. *Fons* Thetidis.
8. *Fons* Æsculapii.

ICHNOGRAPHIA
PALATII HORTIQUE TIBURTINI
SEREN. FAMILIÆ ESTENSIS.

9. *Fons* Arethusæ.
10. *Fons* Pandoræ.
11. *Fons* Pomonæ.
12. *Fons* Floræ.
13. *Ambulacrum Hortum dividens.*
14. *Fons* Pegasi.
15. *Fons* Bacchi.
16. *Spelunca* Veneris.
17. *Fons Magnus, cum tribus Statuis Colosseis,* Sibyllæ, Herculanei *et* Anienis *Fluvii cum decem Nymphis aquam versantibus.*
18. *Fons Imperatorum.*
19. *Spelunca* Sibyllæ.
20. *Fons* Dianæ *et* Palladis.
21. *Fons* Romæ.
22. *Fons Avium aquarum spiritu canentium.*
23. *Fons Draconum.*
24. *Fons Deæ* Naturæ *ubi Organum Hydraulicum vi aquæ sonos edit musicos, variasque modulatur cantiones.*
25. *Fons* Antinoi.
26. *Vivarium.*
27. *Vivarium.*
28. *Fons* Neptuni.
29. *Fons* Veneris.
30. *Fons* Tritonis.
31. *Labyrinthi.*
32. *Horti simplicium herbarum.*
33. *Scala cum basibus aquam versantibus.*
34. *Introitus Horti.*
35. *Parvi Lacus extra Hortum.*
36. *Oppidum* Tybur.



ANTONINI DEL RE ANTIQUITATES TIBURTINAE.

PARS PRIMA.

VILLAE URBIS TIBURTINAE ATQUE EJUSDEM AGRI, ILLARUMQUE NOMINA ANTIQUA ET RECENTIORA.

VILLA ESTENSIS.

Villa unde dicta.



Rbis *Tiburtinæ* ejusque Agri Villas recensituris, ut & earundem Antiqua pariter & Recentiora nomina, æquum est, investigare prius, quidnam significet vocabulum *Villa.* Nihil vero aliud est, quam locus Habitatus, seu Statio Prædiumve extra Urbem, in aliquo agro seu regione, tria hæc (secundum *Columellam* in Lib. de *Agricultura* I. Cap. VI.) requirens. Ut scilicet primo non sit vacua, sed inhabitetur, aliter quam *Quinti Scævolæ* quæ dicebatur Villa, sine incolentibus, quam propterea notat *Plinius Hist. Nat.* Lib. XVIII. Cap. VI. ubi de Villarum agit collatione. Duo reliqua secundum *Columellam* requisita hæc sunt: ut in Villa discernatur pars usibus Agriculturæ, sitque non sine Sylvis & Fruticibus; pars autem fructibus variis dicatur, neque sit instar Villæ *Lucii Luculli*, quam ille habuit in *Tusculano* Agro, nunc *Frascato* dicto loco, quæ tota quanta sumtuosissimis occupata fuit ædificiis, ideoque pariter a *Plinio*, loco citato, improbata fuit. *Villa*que (secundum *Varronem* de *Re Rustica* Lib. I. Cap. II.) dicitur, quod comportent in illam fruges Villici, atque inde reportent ad vendendas, ubi lubitum fuerit.

Secundum hanc significationem Villa dici nequit Palatium, Sylva Hortoque sumptuosum in morem decoratum, quod habet Familia Serenissima *Estensis* in Urbe *Tiburtina*, de qua quidem primo in loco acturi sumus, quum intus in ipsa Urbe inveniatur. Negligi tamen nequit, nec decet, ut de illa mentionem non faceremus singularem, quum sane *Pratolino*, in *Hetruria* laudato multum loco, quem assidua diligentia ditissimorum Principum *Mediceorum*, longa successionis serie eximie exornavit, ut oculorum sit voluptas & pastus gratissimus pulchritudine sua atque magnificentia, nihil concedat hæc ipsa Fabrica viginti solum annorum spatio a fundamentis exstructa, instaurata, & pluries commutata a Gloriosæ Memoriæ Cardinale *Hippolyto*, dicto *Ferrariensi*, ex Familia Serenissima *Estensi.* Habet autem locus hic universa ista tria requisita *Columellæ*, quæ vult idem esse in Villa bene ordinata.

Recte Villa dicta Palatium Estense.

Licet enim habeat Palatium nobilissimum, vel maximo dignum Principe, succedit tamen Palatio isti locus Rusticus & Sylvestris in Tumulo quodam, in quo, per æstatem, quum
2 longi sunt dies atque fervent Caniculares, amœnissima est statio & refugium tutissimum contra Solares radios, qui quantumvis ardentes per densitatem tamen nemoris nequaquam penetrare
A possunt. Rustico illi & Sylvestri loco subjacet pulcherrima Planicies, variis fructibus deliciisque omnigenis multifariam abundans. Et licet in media sit Urbe ejusdem Villæ situs, tantum tamen occupat locum, ut non nisi ipsis mœnibus terminetur. Atque ita quasi media est Urbem inter & Agrum, ut ita satis illi competere *Villæ* nomen possit. Hujus itaque loci descriptione Primam hujus Libri Parte m absolvemus, atque ita facilius sequenti Secunda Parte reliquas Antiquas Villas, *Tiburtinas* simul & *Romanas* descripturi sumus.

B

VILLA SERENISSIMÆ FAMILIÆ ESTENSIS.

Qua occasione condita.

Antequam pergamus ad ipsam descriptionem Villæ seu Semi-Villæ hujus (prout appellare lubet) noscendum erit, qua occasione locum hunc in *Tibure* condiderit Illustr. Mem. Cardinalis *Ferrariensis.* Habuere scilicet in Urbe hac Monachi Nigri Ordinis S. *Benedicti* complura loca, & inter ea locum seu Monasterium S. *Mariæ Majoris.*
C Satis commodus erat Conventus in usum istorum Monachorum, situs ad Ecclesiæ sinistram, Septentrionem versus, ipsumque Monasterium a Civitate fuisse exstructum hodieque apparet ex Aquilæ marmoreæ effigie, quæ adhuc exstat supra fenestram antiquam inter Introitum Palatii, qui Orientem versus spectat, & Hortulum Secretum.

Postquam vero S. *Franciscus*, Gloria Honosque, non tantum Urbis *Assisiorum*, verum universæ *Italiæ*, cordis puritate, & Apostolica paupertate insistens fidissime vestigiis Domini nostri *Jesu Christi*, Ecclesiam Dei sua decora-
D vit Seraphica Religione, Papa *Alexander* IV. ejus nominis, anno Salutis Humanæ MCCLV. locum illum *Benedictinis* ademit, atque *Franciscanis* assignavit, qui tamen paucis contenti, Ecclesiam cum exiguo, quantum sibi sufficeret, loco occupaverunt, reliquam omnem Monasterii partam *Benedictinis* relinquentes.

Pius II. Papa *Romanus*, quum æstivo tempore tribus mensibus *Tibure* commoraretur (ut Cap. VIII. ex Auctoritate *Joannis Gibellini* in *Commentariis Gestorum Pii* II. Lib. V. demonstrabimus) in hoc Monasterio hospitatus est;
E quumque videret male uti hoc loco Conventuales, ademit eundem iis, atque Observantibus Discalceatis dedit. Hi pariter partem sibi sufficientem modo occuparunt. Reliquum itaque locum Magistratus Urbis invasit, ut suum, & suis olim impensis conditum, atque in eodem Prælatis aliisque, prout res postulabat, hospi-

tium assignavit. Verum Fratres *Franciscani*, haud, ex veteri instituto, parte contenti, majorem ejusdem Monasterii imo totum locum cupierunt. Camera denique Apostolica intervenit, quæ Conventum hunc, utpote discessu *Benedictinorum* ad se devolutum, assignavit Cardinalibus quibusdam, qui ibidem divertere solebant, consignatusque fuit iisdem a Communitate, & per consequens Cardinalibus Gubernatoribus, seu Præfectis.

3 Antequam ad Cardinalem *Hippolytum* devoluta fuit *Tiburis* Præfectura, locum hunc Monasterii a *Benedictinis* relictum pro Sede Apostolica tenuit Cardinalis *Arragonensis*, titulo S. *Mariæ in Cosmedino*. Post ejus vero mortem, per Diploma Apostolicum *Leonis* X. mense Januario consignatum, habuit *Bernardinus Caravagialus*, Cardinalis Titulo S. *Crucis in Hierusalem*. Isti enim Diplomati obedientes fuere *Tiburtini*, locique possessionem Cardinali isti confirmarunt, una cum Hortulo contiguo, prout testantur Archiva *Tiburtina* istius temporis pag. XCVIII. quæ in Cancellaria servantur. Huic successit *Columna*, quem Urbis constituit Præfectum *Clemens* VII. qui & eundem postea submovit rursus. Successit vero in ejus locum Cardinalis *Mantuanus*, qui quum Urbem per factiones vastatam cerneret, ubi nimis rigide contra primos Civium agere voluisset, ejusdem ministri Urbe expulsi fuerunt, & ipse extra Urbis Præfecturam mansit, quoniam turbulentis istis temporibus malebat Papa tolerare Civium quædam peccata, atque morbidas retinere Civitates, quam nimis rigide agendo, novis tumultibus occasionem præbere.

Varia ejus Fata.

Pervenit deinde Præfectura ad Cardinalem *Alexandrum Farnesium*, Nepotem Papæ *Pauli* III. ex Serenissima Familia *Farnesiana*. Hic autem, multis urgentibus negotiis, & ipsa non satis pacata adhuc & tranquilla a turbis intestinis Civitate, ultro Honori renunciavit. Successit dein Cardinalis *di Cuppi*, dictus *di Trani*. Post quem concessus fuit locus Cardinali *della Queva*, qui erat ex Progenie Ducum d'*Alberqueque*, qui licet Præfectus Urbis non fuerit, ejusdem tamen exstitit benefactor.

Habuit denique spontanea donatione *Julii* II. Pontificis, qui ex Familia *de' Monti* fuit, ad Vitam, Præfecturam Urbis dictus Cardinalis *Ferrariensis*. Hic autem, consentientibus Sede Apostolica atque Civitate, dissolvit utrosque Conventus Monachorum dissentientium, & nec alias satis aptum locum, salvis in circuitu muris, renovavit atque extendit, pulcherrimamque, quæ ibidem visitur, Fabricam exstruxit, subjectis nobilissimo Palatio, præter Secretum Hortum, ingenti atque spatioso Horto, omnibus deliciis repleto.

Quum itaque jam viderimus, qua occasione Cardinalis iste Palatium hoc exstruxerit, ut & Hortum, quem quidem tantopere celebratis Mundi Miraculis adjungere fas est, restat ut singulariorem exhibeamus descriptionem ejusdem Palatii atque Horti. In quibus describendis primo considerabimus eorundem Situm, deinde Plagam seu Clima, atque Signa, quibus subjacet, Cœlestia, Solem denique Ventumque cui expositi sint.

Situs ejusdem. Situs eorundem est in Clivo Collis versus Aquilonem sese extendentis. Superstat Horto Palatium, atque ex fronte ejusdem, ut & lateribus ad Orientem Occidentemque obversis, tres fenestrarum habet ordines, in summo vero versus prædictam Ecclesiam non habet aliquam ex regione Ecclesiæ frontem, verum Portam habet excuntem in planiciem ejusdem Ecclesiæ. 4

Clima. CLIMA, sub quo Situs loci, QUINTUM numeratur. Signa Cœlestia, eadem, quæ *Tiburi* Cap. III. assignavimus. Venti, quibus Palatium exponitur, sunt quidem, e regione seu perspectiva versus Hortum, præcipue ille, qui *Græcis* ΤΡΑΣΚΙΑΣ, *Latinis* CIRCIUS dicitur, Nautis vero MAJOR AQUILO, qui quidem est violentus, ruitque omnia, ipsasque interdum radicitus arbores evellit. Habet aliquid & ex AQUILONE, verum interruptum quodammodo ex jugo Montis, qui a *Tiburtinis* vocatur *Peschiavatoro*; habet & ventum ΖΕΦΥΡΟΝ *Græcis*, at *Latinis* FAVONIUM dictum, Nautis OCCIDENTALEM. Ex hisce ventis per Pyxidem Nauticam facile colligitur quibusnam ventis exposita sit Ecclesia, quoniam e directo opponitur Palatio, atque flantes inde Ventos pro eodem excipit, quique dominentur Venti ab utraque Palatii Fronte, Orientali scilicet & Occidentali. Sol vero occupat Frontem seu Prospectum præcipuum versus AQUILONEM & CIRCIUM, prædictos Ventos, tempore Solstitii Æstivi, ab Oriente & Occidente; verum in Hyemali Solstitio non capit ab Oriente, verum aliquantum ab Occidente. Unde jam colligi potest, quo Sole reliquæ partes gaudeant.

Signa Cœlestia.

Inquisitis jam Situ, Plaga, & Signis Cœlestibus, Ventis denique & Sole Palatii, restat primum contemplari, quæ extra Palatium sunt, antequam illud ipsum intremus.

Frontispicium. Frons prædicta seu Prospectus Aquilonem versus, Circium atque Occidentem habet ab extremis, dextro & sinistro, lateribus, duos angulos, aliquantum elevatiores reliqua Fronte, in morem quadratarum duarum Turrium, ornatos lapidibus Tiburtinis, atque opere fornicato exstructos ad angulos. In media Fronte seu Prospectu Frontispicium erigitur, quod extenditur Hortum versus duobus Peristyliis, cum Columnis suis, Basibus, Quadratis, Coronis atque Columnationibus sumtuose elaboratum, quorum quod magis altitudine eminet atque superius est, nullo tecto tegitur, verum inservit pro introitu Majori Aulæ mediæ Substructionis. Alterum vero Peristylium tectum est superne, atque adeo solo proximæ inservit substructioni. Sicut autem Palatium illud tres habet Substructiones, ita pariter triplex in Frontibus Fenestrarum ordo est, sibi invicem respondens atque eodem more dispositus.

Harum Substructionum, quæ Hortum versus prospectum habent, quæ suprema est tredecim continet Fenestras. Secunda, seu media, duodecim, atque unam pro Fenestra Portam; Tertia vero, quæ & ima est, Fenestras habet decem atque vice Fenestrarum tres Porticus, quæ ex Palatio ducunt in Peristylia ejusdem Frontispicii, de quo inferius acturi sumus.

Murus istius partis in circuitu, a terra seu primo Ambulacro Horti usque ad fastigium altitudinis centum est palmorum, latitudinis vero palmorum . . . crassitiei, in inferiore quidem parte, palmorum quinque, & in superiore parte prope tectum, palmorum quatuor cum quarta parte.

Frontispicium, cujus superius fecimus mentionem, totum ex lapide est Tiburtino satis pulchro, inferius autem vacuum ejus latum est palmos quatuordecim, longum vero triginta. Intus in Vacuo duo ista sunt Peristylia, quorum superius apertum, inferius tectum est, utraque vero strata sunt lapidibus mixti generis variique, in quadrum sectis, & plurimorum etiam 5

etiam angulorum, variarumque formarum, habet autem in parte inferiore Fontem.

Pars illa, quæ Hortum versus spectat octo sustentatur Columnis, totidem Basibus innixis, ex eodem lapide, cum Zophoris suis, Pilis totidem innixis. Ex hisce quatuor, ordinis *Dorici*, in inferiori sunt parte, inter quas per tres aditus ad Fontem itur; estque illarum una, quæ in medio est, reliquis major, fornicato opere, duæ vero reliquæ quadrangulæ sunt non tantæ latitudinis altitudinisve. Sunt supra easdem aliæ quatuor Columnæ ejusdem lapidis, ordinis *Corinthii*, cum foliis non exsculptis, faciuntque Prospectum Peristylii tecti, in superiore parte, mediæque sunt inter tres Fenestras ejusdem Peristylii satis magnas, quarum major fornicati est operis, reliquæ duæ quadrangulares ad latera, minoresque, ut Fons qui subtus est. Intus magnam illam Fenestram Fornice tectam Concha reponitur mixti Lapidis *Africani*, lata palmes tres, longa octo, quæ insistens basibus suis ad altitudinem hominis mediam, Fontem aquæ salientis efformat ex Fonte deductæ, qui *Rivellese* dicitur, atque Speculi figuram exhibet. Reliquæ vero duæ Fenestræ innituntur Columnationibus, ut inde possit oculus pasci Horti aspectu; prout & Peristylium apertum superius pariter undique Columnationibus cingitur, cum Basibus suis in medio, quæ inserviunt inponendis Statuis seu Vasibus pro lubitu.

Ex Peristylio Frontispicii tecto exitur ad duo latera, ad Orientem videlicet & Occidentem, in Planiciem undiquaque quadratam, cum simili pavimento mixti lapidis, atque fulcimento Lapidis *Tiburtini*, super quatuor Columnationes versus Hortum, & dein ab utroque latere

Ambulacrum.

descenditur in Clivum Hortuli, in ingens Ambulacrum, quod superioris in parte Sylvæ est instar (de quo acturi sumus inferius) per viginti tres amplos gradus, qui ad alterum latus, quod e regioni Horti est, murum ejusdem habent Lapidis, cum ædicula atque Statua intus posita, superius autem viginti sunt Columnationes, quæ descendunt pro dimensione graduum descendentium, atque exeunt in Planiciem quadratam cum pavimento hærentibus ad invicem lapidibus strato, aliquanto latiore ipsis gradibus. Ex quo pavimento seu strato solo denique descenditur in planiciem dicti Ambulacri per quinque gradus, qui ad duo latera præbent descensum in Horti planiciem superiorem.

De Fonte isto, qui sub ipsa Ædificii Fronte est, agemus, ubi pertractaverimus interiora Palatii, atque eximus ad Hortum contemplandum.

Prospectus seu Paries versus Orientem atque Aquilonem crassitie similis est Majori superius descripto, cum tribus pariter ordinibus Fenestrarum, in singula serie duodecim Fenestras complectentibus, verum non tam altis; latus vero idem est palmos centum quinquaginta.

Hortus Secretus

Contiguum autem ab illa parte habet Hortum Secretum, palmorum ducentorum & viginti in longitudine, in latitudine autem centum & decem; per longitudinem conjungitur cum dicto
6 Hortulo, & ad dictum Ambulacrum supra Hortum Magnum; ad alteram extremitatem adnexum angulo contiguo ipsi Palatio est Cunicularium, ad alteram vero extremitatem Aviarium. Quod quidem Cunicularium longum est palmos ducentos & viginti, latum vero....

Sphæristerium.

A parte Zephyrum versus atque Austrum Murus ejusdem est altitudinis, crassitiei, atque Fenestrarum ordinis, verum duas tantum in singula serie habet Fenestras, habet enim Pala-
A tium ab illa parte conjunctum sibi pro pilæ ludo locum, seu Sphæristerium, quod sub dio est, longum palmos centum & quindecim, latum triginta novem; cingitur illud altis Muris, & duabus Porticibus contiguis ipsi Sphæristerio, cum Pergula superne sub dio, longis palmos ducentos viginti, latis quatuordecim, atque ita longioribus ipso Sphæristerio, quod scilicet palmos totidem plures prosiliant exterius versus Occidentem, ad formam Peristylii insignis cum Columnationibus suis, versus Hortum atque Palatium, stant vero in summitate Fontis *Dianæ*.

Varia Ædificia.

Reliquum dein quod Meridiem versus est,
B ut & Conventus Fratrum, occupatur illa in parte duabus Culinis, altera communem, altera privatum in usum, Cellis item Vinariis, & Speluncis pro refrigeratione Vinorum. Hisce Porticibus, Peristyliis, aliisque Ædificiis Venti nocentes repelluntur. A Pergula vero ista, quæ sub dio est, supra Peristylia ista, Montes circumvicini, una cum Vallibus cerni possunt satis longo prospectu, imo & diebus quibusdam, clariore luce, quod subjacet, Mare spectatur Mediterraneum, ita ut Occidenti Soli tanquam Speculi amœnum præbeat usum.
C Atque is quidem conspectus Fabricæ hujus est Palatii extrinsecus a tribus istis lateribus, reliquum enim latus (ut diximus) Ecclesiæ est oppositum, habetque Palatium ab illa parte Murum modo altiorem Hortuli Secreti, qui quidem ipse totus Muris incingitur, atque ab hac parte Porta est Palatii, per quam (ut dictum est) introitus patet, nosque ingrediemur, orsuri descriptionem Palatii & rerum, quæ intus inveniuntur.

Atrium.

In Introitu itaque per Portam Palatii, invenitur Atrium, seu receptaculum satis longum latumque, atque inde in Impluvium pervenitur,
D quod sub dio est, undiquaque nonaginta palmorum latitudinis, impositum ingentibus fornicibus, sub quibus maxima aquarum conservatur copia. A singulis lateribus, excepto quod Ecclesiæ proximum est, Porticus sunt seu

Porticus.

Loca Ambulatoria, quæ Fornicibus teguntur, pilis quadratis, operis *Dorici*, insistentibus, altitudinis competentis, sub quibus & statur & ambulatur æstivis temporibus vel pluviis, ubi malus aër urget & anni tempestas. Æqualiter vero ad hanc Porticum media ipsius Palatii surgit Structura.

Aula Magna.

E Hujus Structuræ hæ sunt Cameræ: Aula Magna, longa sexaginta palmos cum uno, lata palmos triginta sex, cum duplici quarta parte, cum quatuor Cameris, altera post alteram, recta e regione laudati superius Sphæristerii, atque Capella pro celebranda Missa, in qua depicta cernitur effigies Divæ Virginis *Rheginensis*, nec non Camera quadam ante istam Capellam. Ab altera Aulæ Magnæ extremitate duæ sunt Cameræ, quæ quidem Cameræ omnes, excepta ipsa Capella & quæ ante illam est, lucem suam accipiunt ab Aquilone & Circio prædictis. Ulti- 7
mæ vero isti Cameræ alia contigua est, ad an-
F gulum Palatii, longa palmos quinquaginta quinque, lata triginta sex, cum æqualibus aliis quatuor Cameris, ex quibus tres se invicem sequuntur recta versus Portam Palatii, lumenque capiunt ab Hortulo Secreto, reliquæ autem a Porticu.

Scala.

Itur & ex eadem Porticu per duos Graduum ordines satis latos ad alias duas Cameras. Scala autem, quæ ducit ad Cameram inferiorem, lapidis est *Tiburtini*, atque dupliciter se dividens exit in Porticum Opertam, æstatis tempore frigidissimam, inde vero in prædictam Structu-

ram, quæ Cameras suas æquales proxime descriptis habet mediæ Structuræ, nisi quod non habeat Cameram respondentem Porticui. Altera dein Scala, quæ a Porticu ad tertiam Structuram ducit superiorem, similiter bifariam sese explicat, non autem ex lapide *Tiburtino* est, plano, verum *(fatta a Cordoni)* linea pergens recta; ejusque Structuræ Cameræ non factæ sunt similes illis reliquarum duarum Structionum, verum diversimode, in usum Ministrorum Aulicorumque Principis, ubi commodam Stationem habent, atque ipse Papa *Gregorius* XIII. cum Cardinale *Ferrariensi*, atque tribus aliis sumtuosissime exceptus a sæpius laudato superius Cardinale *Ferrariensi*, ibidem hospitatus est anno MDLXXII. Sunt & adhuc pares isti Porticui vel Impluvio aliæ ejusdem Palatii Mansiones, de quibus jam non sumus acturi.

Fons. Postquam Cameras Substructionum jam vidimus, æquum est, ut agamus de Fontibus, Statuisque, quæ in Palatio sunt, ut & in Horto Secreto. Hoc autem ut ordine faciamus, revertemur retro, incipiendo ab Impluvio, ubi in Pariete, qui Ecclesiæ proximus est, e regione Portæ Magnæ Aulæ, ex lapide *Tiburtino*, operis *Dorici* Fons cernitur, cujus Fornix quatuor sustentatur Columnis, aliisque ornamentis. Alta ejusdem structura est palmos triginta, lata totidem, cum fundo intus seu vacuo, toto ex opere Marmorato constructo. Pars plana istius vacui Ecclesiæ propinqua, montanis fragmentis colliumque, super quorum amfractus dispergi incipit, aureis Solis similis est radiis; descendunt autem inter Colles Montesque rivuli, atque aquæ clarissimæ, Fontis, qui *Rivellese* dicitur; estque in Agro *Tiburtino*, duobus a Civitate milliaribus, quique in ipsam Civitatem conducitur Aquæductibus muratis. Fundi ejusdem ornamentum in circuitu Marmorati est operis, atque ab omnibus lateribus repræsentat ramos duos Malorum *Cydoniorum* deauratorum, qui in medio similiter vacua quædam habent, in quorum meditullio *Veneris* aves Columbæ sunt. In medio autem superioris Arcus seu Fornicis colliguntur conjunctæ extremitates ramorum istorum Malorum *Cydoniorum*, atque intra sese sustinent Aquilam candidam, & hoc pacto formant Insigne Serenissimæ Familiæ *Estensis*: per Aquilam videlicet albam ipsa Domus istius Serenissimæ Arma; per Mala vero *Cydonia* Emblema ipsius Cardinalis, quod depictum exhibet ramum Malorum *Cydoniorum*, ad exprimenda Aurea *Hesperidum* Hortorum Poma, cum hac Epigraphe: AB INSOMNI NON CUSTODITA DRACONE; atque simul *Veneris* Symbolum, Columbas.

Cardinalis Ferrariensis insigne & emblema.

8 Per transversum intus in vacuo Statua est Marmoris candidi *Veneris* cubantis, longa palmos decem, sinistrum in latus recumbentis, dextram manum supra lævum pectus tenentis, dextrum genu super sinistrum duplicantis. Tota autem nuda est, nisi quod exiguo panno quædam pars corporis velетur. Dormientis altè vero habitu ad Solis exortum repræsentatur. Cadunt ibidem dulci cum murmure aquæ rivuli in Concham candidi Marmoris, reflexis extrinsecus oris atque serpentino flexu dupliciter in gyrum circumvolutis, figuræ ovatæ. Longa autem est palmos decem, lata palmos quatuor cum duabus tertiis, insistens duabus Basibus similis Marmoris in Leonis ungulas desinentibus, ex qua dein Concha aqua labitur in fundum quadratum, unde per subterraneos meatus ad alios Fontes derivatur.

Statua Veneris.

Ut autem melius structuram Fontium apposítarumque Statuarum intelligamus, succinctè explicanda est Fabula seu Historia, quæ iisdem repræsentatur. Atque ut a *Venere* hac exordium sumamus, sciendum est, Antiquos varias agnovisse *Veneres*, quarum unam filiam fecerunt *Cœli* & *Diei*, quam *Venerem* appellarunt *Majorem*, cuique zonam dederunt, quam ipsi *Cingulum* dixerunt *Veneris*. Hoc cinctam Cingulo ad legitimas convenisse Nuptias, sine vero eodem ad furtivos concubitus accessisse referunt. Secundam pariter *Cœli* filiam faciunt *Venerem*, verum alio prognatam more: fabulantur enim *Saturnum* filium, iratum patri *Cœlo*, arrepta falce abscidisse ejusdem genitalia, quæ quum sanguinolenta in Mare deciderent, ex spuma Maris sanguini eidem permixta, genitam hanc esse *Venerem*, atque visam primitus in *Papho*, qui locus est peramœnus & celebris in Insula *Cypro*, juxta *Pomponium Melam* Lib. II. Cap. VII. Falcem vero demisisse ajunt *Saturnum* prope Promontorium *Siciliæ* Insulæ *Lilybæum*, quod e regione est *Africæ*, ubi nunc *Trapano* est, *Græcis* dictum Δρέπανον, Falcis etiamnum figuram referens. *Jovis* vero & *Diones* tertiam *Venerem* filiam constituunt, promiscue autem & fusè (prout nos succinctè) de tribus hisce *Veneribus* loquuntur.

Veneris Fabula.

Collocarunt *Venerem* Antiqui tertio in Cœlo inter septem Planetas, dicaveruntque illi Currum a Cygnis tractum, ut candorem Matronis propriam ostenderent. Inter Flores Rosam illi addixerunt, pulchrum Florem, sed qui multum tractatus manibus, & coloris & odoris amittit vivacitatem; ut ita ostenderent, mulieres formosas, vaga libidine & ferarum in morem promiscuo concubitu omnem veræ pulchritudinis & dignitatis bonum perdere odorem atque dignitatem. Arbores inter Myrtum illi consecrarunt, marinum fruticem, utpote Deæ in Mari natæ, vel quod excitet voluptatem odore, vel quod (secundum Physicos) multa mulieribus commoda apportet; qui vero plures desiderat videre proprietates atque explicationes, adeat *Joannem Boccacium* in *Genealogia Deorum*, Lib. III. Cap. XXII. in *Venere Magna*, & Cap. XXIII. in *Venere Secunda*, & Lib. XI. Cap. IV. in *Venere Jovis* filia, Adnotationesque *Germani* cujusdam ad eundem librum, neque enim tædio, sed voluptate afficere Lectorem, nostri est propositi.

In summo ejusdem Fontis Caput est *Constantini Magni* Imperatoris, ex Marmore Candido, satis ingens, quodque ejusdem ad vivum exhibet effigiem Corona Gemmata exornatam, barba vero rasa. Fortis hic fuit Imperator, *Christianus*, & bene Catholicus, qui Dei Ecclesiæ Sacerdotibusque multa dedit Privilegia. Sub eodem pro tollendis infinitis Hæresibus convocatum fuit Concilium in *Nicæa* Urbe, quod inde *Nicænum* appellatur; atque ibidem Symbolum Fidei compositum fuit, quod in Missis prælegunt Presbyteri, similiter Nicænum dictum. *Julianum Apostatam* aliosque Tyrannos Fidei Catholicæ oppressores depressit. Idem ut rebellantes sæpe in Orientis plaga Barbaros in fide contineret, Sedem mutavit Imperii, & *Roma* transtulit *Byzantium*, nunc *Constantinopolim* inde dictam, ut cervicibus hostium semper immineret. Quod quidem ejus consilium animosum magis quam prudens fuisse eventus postea ostendit, privatis hoc modo fræno sufficienti bellicosissimis *Europæ* populis. Namque Successores ejus hoc pacto non *Europæ* modo Imperium, sed & ipsam *Constantinopolim* amiserunt, Regia Sede & Imperio pariter privati. Agit opero-

9 Constantini M. Caput.

Constantinopolis.

perosius de illo *Joannes Baptista Egnatius*, in *Vita Constantini*, ut & in ejusdem Vita *Petrus Messia*, aliique. Sunt & in Fonte eodem alia quædam minora Signa ex candido Marmore, quæ *Mercurium* referunt, quæque ibidem nescio qua ratione posita sunt, & quum recentioris sint artificii, de illis nihil ulterius dicam.

Capita alia. Vitellii.

E regione Fontis ejusdem, ab alia Impluvii parte, supra Portam Magnæ Aulæ Palatii, intus in rotunda ædicula ex candido Marmore cernitur caput *Auli Vitellii* Imperatoris. Hic mortuo *Galba*; atque *Othone* electo, in *Germania* versabatur cum legionibus aliquot, a quibus salutatus fuit Imperator. *Romam* inde tendens, *Othonem* coëgit voluntaria morte Imperio sese abdicare, qui tunc annorum erat XXXVIII. & per quatuor menses imperaverat, unde fit, ut tam rara *Othonis*, propter breve scilicet Imperium, sint Numismata.

Fuit hic *Vitellius* amplæ Staturæ, ventre obeso, liberalis, ut haberi volebat, verum crudelis supra modum. Dum itaque ipse *Romæ* opiparis conviviis helluonem agit, in Oriente ab exercitu suo ad Imperium rapitur *Vespasianus*. Ipse autem *Vitellius* a factione hostili superatus, cum in abditum sese locum recepisset, ex latebris extractus, vinctis a militibus post tergum manibus, subjecto, ne demitteret caput, mento pugione, atque reflexis cervicibus, seminudus, omnibus contumeliis vexatus atque publice traductus & impetitus fuit, conspersusque omnibus immunditiei generibus est inter convicia publica incendiarii latronisque, & similium. Compunctus denique lanceis gladiisque miserabiliter immundam evomuit animam. Cadaver ejus in *Tiberim* fuit projectum, & una cum illo occisi sunt frater & filius; cum ipse annorum esset LVII. menses autem imperasset octo, atque ita dignum vita exitum habuit. Hujus quoque *Vitellii* eadem ratione haud vulgares Nummi existunt. Agunt vero fuse de eodem
10 in *Vita Vitellii* ipse *Suetonius*, ut & *Joannes Baptista Egnatius*, atque *Petrus Messia*, aliique, qui Imperatorum Vitas literis mandarunt.

In eadem Impluvii Porticu, ubi *Vitellii* est Caput, ab utraque extremitate, in paribus ædiculis suspiciuntur alia duo Capita ex candido Marmore Imperatoris *Septimii Severi Pertinacis*. Hic enim ita amabat defunctum *Ælium Pertinacem*, ut & nomen ab illo sit mutuatus, atque indignam cædem decore ultus fuerit. Doctus fuit, aspectus venerandi, longa barba capillisque crispis, voce canora, quæ & ex effigiebus istis deprehendi possunt. De hoc etiam in Vita ejusdem *Jo. Bapt. Egnatius* & *Petrus Messia* egerunt.

Caput Meleagri.

Ad sinistrum *Vitellii* latus in alia ædicula similis Marmoris Caput *Meleagri* conspicitur, quod operitur pelle excoriati Aprini capitis, dependentibus in anteriorem partem ungulis, ea autem arte elaboratum est, ut efflare spiritum videatur precarium.

Filius traditur fuisse Regis *Calydonii* (quæ Provincia a *Pomponio Mela* Lib. I. Cap. III. in *Græcia* ponitur) & quum primum natus esset, visas a matre *Althea* prope focum tres *Parcas* (de quibus inferius agendi erit locus) nentes vitalia *Meleagri* stamina, atque bacillum quendam in ignem jacientes, dicentesque (ut nobis sonat, *o Nato adesso, a te sarà la vita pari co 'l tizzone*) quæ ita *Latine* effert *Joannes Boccacius* in *Genealogia Deorum* Lib. IX. Cap. XV. in *Althea*, & Cap. XIX. in *Meleagro*:

O nunc nate, erit æqua tibi cum stipite vita!

Meleagri Fabula.

A Cernentem audientemque ea *Altheam*, ex lecto prosiluisse dicunt, atque ardentem suffocasse titionem, curatèque servasse. Quum vero adultus jam *Meleager* robore corporis esset eximius factus, accidit, ut in *Calydone* inusitata Apri visa fuerit species, ferocitatisque immensæ fera. Ad venatum itaque excitavit *Meleager* fortissimos juvenes venatoresque ex vicinis regionibus valentissimos. Venit igitur & *Atalanta*, Regis *Jasii* filia natu minima, inter comites *Dianæ* eximia, atque formosissima. Prima illa canes contra Aprum incitavit, feramque sagitta percussit, palam quidem, occulte vero fortius adhuc ipsum *Meleagrum*. B Ipse enim Virginis tactus pulchritudine atque virtute grandius ipsa fera vulnus accepit, unde &, ut præstantissimæ ex venantium comitatu, caput Apri dono dedit, fortitudinis præ cæteris testimonium. Ob id indignati *Plexippus* atque *Theseus* (quem *Agenorem* alii vocant) *Altheæ* fratres, atque *Meleagri* avunculi, vi Virgini donum abstulerunt; quare iratus *Meleager* utrumque peremit. Post venationem itaque domum reverso *Meleagro*, gavisa mater est cæde feræ & gloria filii; verum ubi intellexit occisos ab eodem fratres suos, subito furore incensa fatalem C vitæ *Meleagri* requisivit titionem, atque ardenti foco injecit. Atque ita pro defectu ligni consumebatur miseri *Meleagri* vitalis spiritus. Atque hanc deficientis imaginem mirabiliter ipsum 11
hoc (de quo agimus) Caput exhibet. Qui vero plura de Fabula hac desiderat, ejusque fusiorem narrationem, adeat *Jo. Boccacium* in laudata sæpius *Genealogia*, locis citatis, Lib. IX. Cap. XV. in *Althea*, & Cap. XIX. in *Meleagro*.

Prope Caput illud *Meleagri* e regione Scalarum, quæ ad superiores Stationes ducunt, in ædicula ingenti fornicata Marmoris similis est Statua, induta *Romanum* in morem toga, alta D palmos novem cum tertia parte, sine basi, cui insistit; dextrum vero brachium una cum manu extendit, cujus digitum indicem annulus exornat, ipse autem sinistra manu chartulam tenet convolutam (*Acaciam* posteriores dixerunt) atque circumrotatam, exiguam vero habet barbam.

Statua Alexandri Severi.

Statua hæc *Alexandri Severi* est, qui post *Heliogabali*, alterius *Caracallæ*, cædem, in locum hujus sui cognati ex sorore matris *Mammeæ*, ad Imperium *Romanum* cum omnium applausu evectus fuit. Doctus fuit in literis atque E artibus, fortis in Armis, in rebus Civilibus justus, in sumtibus faciendis parcus, doctorum fautor, *Christianorum* amator, libere enim cuique sua uti Religione permisit, ut & baptizari, quod tamen deinde fuit revocatum ab eodem. Habuisse & in Larario traditur inter alia sua Numina Redemtoris *Jesu Christi* effigiem, ut & *Abrahami* Patriarchæ; verum quum non caperet Religionis nostræ (quæ Deorum excludit pluralitatem) mysteria, neque unum Deum tribus distinctum Personis intelligeret, abreptus a mala educatione in Deorum pluri numero doctrinaque Gentium, suis falsis intermiscuit Diis. F Prudenti matris consilio semper usus fuit, ex cujus etiam nomine appellavit Pontem, qui super *Anienem* est, Via *Tiburtina*, non longe a *Roma*, quondam *Mammeum*, nunc corrupta voce *Mamolo* dictam. Ætatis suæ anno XXIX. mense III. die VII. Imperii vero sui XIII. dieque IX. nefarie una cum matre occisus fuit a militibus *Germanis*, artibus *Maximini*, prope *Moguntiacum*, in *Germania*, dum securum sese in tentorio suo existimat. Quod sane ejus fatum tam fuit immeritum, quam digna pœna *Heliogabali*, cui in Imperio successerat. Atque hinc etiam-

etiamnum in Monumento ejus Sepulcrali, quod Marmoreum exstat *Romæ*, in *Capitolio*, in Palatio Illustrissimorum Dominorum Conservatorum, effigiem ejus, Matri *Mammeæ* junctam venerari licet. Agunt de optimo hoc Imperatore, in Vita ejusdem *Jo. Bapt. Egnatius* & *Petrus Messia*.

Statua M. Aurelii.

Ad sinistrum Statuæ hujus latus, pariterque e regione Scalarum, quæ ad inferiores ducunt Stationes, in simili ædicula, atque ejusdem Marmoris cernitur Statua, *Romano* pariter habitu, extenso etiam cum manu brachio, digitoque annulo ornato, alta palmos IX. cum duabus quartis, præter basim, capillis barbaque promissioribus aliquanto. Est vero Statua hæc *Marci Aurelii*, Imperatoris facti, postquam ante in juventute diu operam dedisset *Apollonio* Philosopho. Egregie vero Statua hæc ejusdem ostendit macilentiam, & barbæ capillorumque neglectum Philosophicum. Multum vero differt ab juvenili ejusdem effigie, quali ætate Caput
12 ejusdem exsculptum visitur in eadem hac Villa, licet non penitus perfectum, de quo & inferius acturi sumus.

Princeps fuit valde doctus & prudens, verum securus satis in toleranda libidine uxoris *Faustinæ*, mulieris impudicissimæ, lassatæ quandoque viris, nunquam satiatæ, cujus publica satis lupanaria, & famam mariti denigrantem luxuriam, Imperii causa, quod pro dote cum eadem acceperat, bonus homo patienter toleravit. Agunt de illo pariter laudati sæpius in Imperatorum vitis *Jo. Bapt. Egnatius* & *Petrus Messia*.

Aula depicta.

Postquam vero vidimus Statuas & Fontes extra Cameras seu Stationes e regione Impluvii, intremus jam, ut cernamus quoque in ipsis Cameris, e regione (ut diximus) positis, res Memorabiles. Intratur itaque primo in Aulam, quæ Fornicem desuper Marmoratum habet, ut & Coronas in circuitu, quæ sub se habent vacua diversarum formarum: sunt enim nonnulla ovata, alia rotunda, quadrata, alteriusve figuræ, pro inserendis picturis iconicis Heroum, responsuris depictis ibidem ad miraculum usque variis lusibus ingenii Hieroglyphicis, antrorum, rupium, aliorumque figmentorum; verum immatura Cardinalis *Ferrariensis* mors opus imperfectum reliquit. In interiori vero Corona, cui proprie insistit Fornix, Icones sunt satis magnæ peritorumque Pictorum. Cernuntur enim ibidem inter vacua illa Marmorata depictæ Virtutes variæ atque Symbola, aliaque viginti numero, quibus *Latini* hi Tituli subjiciuntur, suis quique Picturis respondentes: *Hilaritas*, *Fiducia sui*, *Cupiditas Vitæ*, *Majestas*. E regione harum versus Occidentem sunt *Verecundia*, *Jucunditas*, *Benignitas*, *Innocentia*. A parte Impluvium versus: *Industria*, *Intentio Bona*, *Tutela sui*, *Patientia*, *Parentum Indulgentia*, *Sapientia*, *Sublimitas ex Humili*: a Parte Aquilonari: *Continentia*, *Valetudo*, *Temperantia*, *Religio*, *Eloquentia*, *Zelus Stabilis*. In quatuor vero Angulis ejusdem Aulæ sub Picturis istis & Symbolis quatuor sunt Insignia Marmorata ejusdem Cardinalis.

Statua Veneris.

Ad Extremitatem Aulæ hujus, ad dextram Introitus partem basi suæ insistit ex candido Marmore *Veneris* Statua, tota nuda, *Græco* more, alta palmos octo cum tertia parte, sine basi quidem; sinistra manu virgineas tegit partes, dextram vero lævæ mamillæ applicat, capillis eleganter post occiput collectis. Ad lævam vero coxam, formæ oblongæ vas est tamquam unguentarium, atque in operculo vasis sudarium

A conspicitur. Repræsentat itaque Statua *Venerem* balneum ingredientem, vel eodem exeuntem. Artificii autem tam excellentis est, ut videatur totis nisibus elaborasse ars, ne a natura in fingenda pulchra muliere vinceretur. Fabulam de *Venere*, quoniam superius habuimus, hoc loco repetere non lubet.

Circa sese *Venus* hæc similis Marmoris duo Signa habet *Amorum*, quorum alter ad latus quinque palmorum & duarum quartarum est altitudinis, sine basi, cui insistit. Uterque vero plane nudus est, si fasciam, quæ ante oculos
B est, excipias. Pharetrati sunt, arcumque tenent manibus tanquam percussuri aliquem telis suis.

Plures autem *Amores* Veteres finxerunt, unum enim *Erebi* filium fecerunt, quem quidem a recta via pudoris abire asserebant, deque 13
illo agit *Joannes Boccacius* Libro I. secutus *Platonem*, *Aristotelem* & *Apulejum*, ejusque *Amoris* qualitates enumerat in *Geneal. Deorum* Lib. I. Cap. XV. in *Amore*. Alium dein filium *Jovis* finxerunt & *Veneris*, de quo idem agit *Boccacius* Lib. XI. Cap. XII. Illud dicere sufficit, depingi circa *Venerem* alatum nonnunquam *Amorem*, nonnunquam vero sine alis, fascia etiam
C oculos cinctum, atque rursus aperto vultu; arcu, telis, rosis similibusque exornatum.

Statuæ aliæ.

A parte ejusdem Aulæ versus Hortum duæ sunt Statuæ Marmoris candidi duorum juvenum. Horum alter, qui alteri ad sinistram statuitur manum, quinque palmos altus est cum duabus quartis, sine basi; manibus vero ambabus tibiam tenet ori admotam infantis ritu. Tota vero nuda est sinistrumque genu dextro imponit, atque trunco innititur arboris, pellem habens dorso dependentem, quæ videtur esse Tigridis vel Scymni, *Faunum* vero repræsentat.

D Sunt *Fauni* medii inter ferinam humanamque formam, magis tamen ad hominem accedentes quam *Satyri*, sunt & *Sylvani*, sunt & *Panes*, Rustica Numina, quibus tamen diversa assignantur officia. *Panibus* enim Camporum demandatur cura; *Sylvanis* Sylvarum; Nemorum *Faunis* atque *Satyris*. Differunt a *Faunis Satyri*. Hi enim coxas, tibias pedesque caprarum habent, verum illi, cœtera homines, ex protensis auriculis cognoscuntur. *Pomponius Mela* Lib. I. Cap. IV. genus tale hominum inveniri testatur in *Africa*, circa Occidentalem Montem *Atlantem*; Lib. I. autem Cap. VIII. in fine, dicit: *Satyros*
E hominis nihil præter vultum habere. Qui plura de iisdem cupit, adeat *Joannem Boccacium* in *Geneal. Deorum* Lib. VIII. Cap. XIII. ubi agit de *Faunis*, *Satyris*, *Panibus*, *Sylvanis*.

Signum alterum, quod altitudinis est palmorum quinque cum tertia parte, trunco arboris ad sinistram innititur partem, dependente clava ab eodem trunco, sinistrum vero genu dextro inponit, atque circumdatur floribus atque ramusculis, cœtera nudum, nisi quod damæ vel capreoli pellis, ut ex ungulis colligere licet, partem quandam pectoris contegat. Utraque manu fistulam tenet septem cannarum, quam ori ad
F inflandam videtur applicare. Ex illa Fistula vero & Bove, quæ ad pedes sculpitur, *Panis*, amatoris *Syringis*, colligitur esse Signum.

Pergula.

Exitur ab hac Aula in Pergulam supra dictum Frontispicium, quæ Pavimentum totum ex mixtis habet lapidibus seu Marmoribus, ut dictum est. *Roma* hinc spectari potest, imo occidente Sole *Mare* etiam *Mediterraneum*, *Viterbi* Montana, cum iis *Sancti Oresti*, olim *Soracte* dictis, omnibusque collibus locisque infrapositis. A dextro autem latere amœnos habet Montes vicinosque Colles, sub quibus virent cel-

celsissimæ Olivæ aliaque poma, & in Planicie
14 Prata & Sati Agri sunt, Fluviusque labitur *Anienis*, qui medius anguis more intervolutus descendit *Tiberim* versus; quibus *Jo. Gobelinus* Lib. V. testatur, valde delectatum fuisse Papam *Pium* II.

Cameræ Occidentales

Reditur inde Aulam versus, atque ad dextram manum flectitur versus Cameras Occidentales, quarum prima palmorum est triginta septem cum duabus quartis, undique quadrata, Fornice superius tecta, in cujus concavo & summitate Insignia dicti Cardinalis *Hippolyti* sunt. Reliquum Fornicis ex Marmoratis constat Coronis, inter quas vacua sunt variæ formæ, nondum Picturis exornata. In Coronis autem sub Cornice, quæ Fornicem sustinet, infrascripta depinguntur Symbola; Videlicet: *Regalitas*, *Gloria*, *Opulentia*, *Constantia*, *Senectus*, *Religio*, *Modestia*, *Jucunditas*, *Pudicitia*, *Concordia*, *Immortalitas*, *Tranquillitas*, *Providentia*, *Charitas*, *Humanitas*. Intra singulas vero harum Emblematum Picturas Vacua sunt Marmorata nondum depicta; in singulis autem Coronarum angulis istius Fornicis ejusdem Cardinalis cernitur Emblema, Aquila Marmorata inter duos ramusculos Malorum Medicorum, seu Aureorum.

In Secunda Camera, longa palmos triginta septem & duas quartas, lata palmos viginti quinque Lacunar est depictum deauratumque, cum Insignibus & Emblemate Cardinalis, eleganti opere elaboratum, cum Zophoro sub Tabulato, exornato iconibus quibusdam seu Symbolis Virtutum aliarumque rerum, quæ singulæ in medio etiam continent vacua quædam nondum depicta.

In Tertia Camera, quæ viginti quinque palmos longa, lata vero est novendecim, ut & in Quarta, longa palmos quadraginta quatuor, lata viginti, quæ recta e regione ab Aquilone oppositæ sunt duabus modo memoratis; nulla hactenus exstat Pictura, illoque ornamenti genere destituitur etiamnum Capella contigua, longa palmos triginta, lata viginti, absque altera parva Camera pro audienda Missa; in Capella autem Altaris depicta est imago Divæ Virginis *Rheginensis*. In dicta autem Quarta Camera tres sunt Statuæ, plane nudæ, candidi Marmoris, prima puerulum crispatis exhibet capillis, qui scutica villoso catulo minatur, alta quinque palmos & duas quartas. Secunda, quatuor palmorum cum duobus quartis, *Veneris* est, quæ pudendas partes dextra manu tegit, atque Delphinum ad pedes habet, sinistra vero manu lævam tangit papillam, nodoque collectos capillos atque aliquantum pendulos habet. Tertia duos palmos cum duabus quartis alta *Satyrum* exhibet, cujus corporis curvatura elegantissimum robur oculis exponit.

Recurritur inde in laudatam sæpius Aulam, atque illinc Orientem versus intratur in alias duas Cameras cum Testudinibus & Lacunaribus nondum depictis; quarum prior longa est palmos triginta sex cum duabus quartis, lata palmos viginti quatuor, pariterque posterior.

Aula Minor.

Ex duabus hisce Cameris pervenitur ad Minorem Aulam angularem Palatii, longam palmos quinquaginta quinque, latam triginta septem, inque illa invenitur Statua candidi Marmoris re-
15 cubans, palmorum sex cum duabus quartis, quæ exhibet *Venerem* dormientem, nudam, nisi quod ab umbilico ad pedum usque talos ima velo tegantur, crinibus caput sparsis est, altera manus in longum extensa jacet, atque altera

A super lævum quiescit humerum. Pulchrum opus est, & peritissimi judicatur esse artificis. Superius autem de Dea *Venere* satis multa diximus, quæ jam repetere nihil necesse est.

Tres Cameras contiguas hæc Aula habet, unam post alteram, quæ versus Hortum Secretum spectant. Harum prima longa est palmos triginta sex, cum duabus quartis, lata viginti unum; Secunda longa triginta quinque, lata viginti quatuor; Tertia, longa palmos triginta septem, lata vero viginti tres cum duabus quartis, atque alterâ Camerâ contiguâ illi versus Impluvium.

B Reditur Aulam versus ab istis Cameris, & ab Aula exitur versus Impluvium, in illum locum, ubi stare diximus Statuas *Marci Aurelii* & *Alexandri*, Imperatorum, atque in exitu ibidem invenitur ad sinistram manum Scala Lapidis *Tiburtini*, lata palmos duodecim, qua per novendecim gradus descenditur in Planiciem, longam palmos viginti quatuor, latam palmos duodecim, ubi in duabus ædiculis Fornicibus desuper tectis, Marmoris candidi duæ cernuntur Statuæ. Harum altera faciem obvertit versus Scalam istam ad manum dextram, altera vero ad
C sinistram manum spectat versus Scalam alteram novendecim item graduum & ejusdem fabricæ, qua est, quam modo memoravimus, per quam Scalam descenditur in Structuram Camerarum inferiorem.

Statua Jovis.

Statua ad dextram manum altitudinis est palmorum decem absque basi, nuda tota, more *Græco*, est autem *Jovis* Tertii. Ad pedes Aquilam habet, quæ ad illum respicit sursum, caput fascia seu diademate coronatur, quod Divinitatis est signum, sicut in signum, quod Numini inserviant, Virgines etiam gestant *Vestales*, quæque illis præsunt, ut alibi demonstraturi su-
D mus; quomodo & gestarunt Flamines *Diales* Secundum *Lucium Fenestellam* Cap. V. *de Sacerd. Romanis*, ubi agit de *Flamine Diale*, & *Pomponium Lætum* in Lib. de *Sacerdot. Rom.* ubi agit *de Flaminibus*. Manu dextra, dependente deorsum, fulmen gestat, in signum quod Gigantes olim fulmine disjecerit, terroremque hominum, licet *Joannes Boccacius* in *Genealog.* Lib. XI. Cap. II. in *Jove Tertio* dicat, illi pro sceptro inservire; manu vero sinistra Statua hæc levatum in altum Sceptrum tenet, seu Baculum, non valde longum, signum
E Dominii. Qualis Baculus non tantum olim tribuebatur Regibus & Dominantibus, sed & adhucdum datur in potentiæ Symbolum Ducibus Terrestris atque Navalis Militiæ, quum in illos confertur tale munus. Sed & *Gothicis* etiam temporibus fuisse usitatum morem, docet Monumentum Sepulcrale Ducis cujusdam illorum seu Archithalassi, qui *Briobris* dicebatur. Exstat vero illud in Oppido *Vetralla*, qui locus *Provinciæ* est, & ad Patrimonium *S. Petri* in *Italia* pertinet, in Ecclesia Fratrum hisce nostris temporibus *Franciscanorum*, ubi cernitur ex Mar-
F more candido, satis pulchri artificii, pro vetustate ejus temporis. Recubantis autem speciem Ducis est effigies marmorea, dextra talem Baculum, similiter haud longum, tenentis, in fronte vero Sepulcri longa est Inscriptio *Gothicis* Characteribus exarata, exsculptaque pariter duo cernuntur Insignia, quorum alterum Domus est *Ursinianæ*, ex qua vel ipse Dux originem traxit, vel cui ipse forsan originem dedit in istis locis.

Jovis Tabula.

Hic *Jupiter* vero nomine, atque suo dictus 16
fuit *Asterius*, prout demonstrat *Joannes Boccacius* in *Genealog.* Lib. II. Cap. LXII. in *Europa* qui

qui & homo fuit, & Rex *Cretæ* Insulæ, nunc *Candia* dictæ, atque maximus Terrarum Orbis Rex olim exstitit. Multa de eodem narrantur, quorum breviter tantum quædam perstringemus. Vere fuit homo, qui utilia mundo adinvenit. Humanis enim carnibus (quod *Saturni* patris temporibus fieri consueverat) vesci vetuit. Orbem Terrarum, tunc temporis cognitum, sæpius circumvectus est, atque hoc pacto cum Regibus ejusdem contracta amicitia ad obsequium suum adegit. Jussit autem ut in signum amicitiæ suique adventus singuli Reges Templum erigerent, cui & *Jovis* nomen & suum inscriberent. Quod non modo est factum, sed & Sacrificia illi sunt instituta, atque astuto hoc consilio non modo sibi summum in Orbe asseruit Dominium, sed & Divinitatis opinionem ad se rapuit, Regemque se fecit Deorum, debitum vero Deo furatus est honorem, atque sibi, instrumento Diaboli eundem applicavit.

Bello illato *Titani* avunculo suo filiisque ejus, patrem *Saturnum* matremque *Opem* vinculis liberavit, Regnum præterea *Cretæ* occupatum ab iisdem, dum ipse esset absens, recuperavit, seque Insulæ Regem constituit. Quum vero gratiam propterea cum patre *Saturno* iniisse sperasset maximam, ubi advertit Regno suo atque capiti insidiari, facto cum hostibus suis *Titane* filiisque fœdere contra sese, eundem Regno ejecit. *Saturnus* dein pro restitutione & ut antiquum sibi vindicaret Regnum, totius Occidentis excivit Populos, Orientis autem *Jupiter*; atque ita universis Terrarum Orbis armis, quum ab ultimis *Atlantici* Occidentalis, atque remotissimis *Eois* partibus concurrerent Gentes, gravissimum conflatum est bellum, depugnatum vero est in Campis *Phlegræis*, ubi, quum victoria penes *Jovem* esset, pulsus cum suis *Saturnus*, ad *Italiæ* & *Latii* oras sese applicuit. Atque hoc ingens illud est Bellum, quod tantopere fuit decantatum a Poëtis, sub nomine *Gigantomachiæ* contra Deos.

Regnum deinde *Jupiter* cum fratribus divisit, & postquam quinta vice terram obiisset, Regnaque & possessiones cognatis amicisque assignasset, legesque condidisset, reversus in *Cretam*, ibidem mortuus est. *Curetes* Populi, qui nutritionis ejus olim susceperant curam, funeris quoque habuerunt, atque in Urbe *Cretæ*, dicta *Aulatia*, ab *Ope* condita, Monumentum Sepulcrale erexerunt, hoc titulo sed literis *Græcis* inscripto, JUPITER SATURNI. Quod quidem in pudorem nostræ ætatis sit dictum, qua mos est mille superbiæ cantilenas vanissimas Monumentis insculpere, quasi grande nomen a terris abiisset, si in Urbe *Roma* Ripulæ vel Agri Circitor (*Bargello di Ripetta in Roma*, o
17 *Bargello di Campagna*) similisve farinæ homo diem supremum obierit. Quod sane valde est ridiculum, quum Rex tantus & tam potens tam brevi contentus fuerit Elogio, atque ita mortalitatis suæ, non vero Divinitatis testimonium posteris reliquerit, fragilitatisque humanæ dederit specimen, quæ quantumvis magna ejus sit gloria, momento tamen temporis solet evanescere. Multis de illo agit *Jo. Boccacius* in *Genealog. Deor.* in *Titane* Lib. IV. Cap. I. & in *Saturno* Lib. I. Cap. I. ut & in *Jove Tertio*.

Statua Saturni.

Altera Statua, quæ consistit in ædicula ad sinistram prædictæ manum, Scalamque spectat duodecim palmos latam, quæ in dictam Planiciem porrigitur, & per similes alios gradus novendecim descendit ad inferiores Stationes, pariter ex candido est Marmore, alta palmos de-
A cem sine basi, nuda tota *Græco* more, capite (ut modo dictum est superius) in Divinitatis argumentum, fascia vel diademate exornato. Sceptrum tenet ad inferiora porrectum, in signum Regni quondam exerciti (ut demonstratum est) sinistram vero manum elevat, specie tristi. Statua hæc *Saturnum* repræsentat, qui alio nomie *Aberides* dictus fuit, *Cœli* filius, seu *Cœlii* (qui *Uranus* etiam dictus fuit) & *Vestæ*, seu *Opis*, prout docet *Jo. Boccacius* in *Genealog. Deor.* Lib. VII. Cap. III. in *Persa*, & Lib. VIII. Cap. I. in *Saturno*.

Saturni fabula.

Hic itaque, ut tanto major hominibus vide-
B retur, patre *Cœlo* seu *Urano* prognatum sese jactavit; regnavit autem in *Candia*, Regnoque bis exutus fuit, primo per *Titanem* fratrem, deinde per *Jovem Tertium*, filium, atque, ut diximus, fugit in *Latium*, ubi benigne a *Jano* exceptus atque in Regni parte locatus fuit. Multa idem utilia homines docuit, atque e vestigio discessit, unde ipsi ut Deo Templa & Altaria erecta fuerunt. *Dionysius Halicarnassæus* Lib. I. *Historiar.* narrat *Saturni* temporibus in *Latio*, ubi nunc *Roma* est atque *Tibur*, Seculum viguisse Aureum, cujus nunc vix memoria nedum fruitio exstat. Superius modo in *Jove* de hoc *Saturno*
C egimus, & diffusius loquitur *Jo. Boccacius* Lib. VIII. Cap. I. in *Saturno*, & Lib. II. Cap. I. in *Jove Tertio*.

Per Scalam ubi descenderis, Xystum, seu Porticum Tectam invenis, quæ est sub Porticu ista, de qua superius locuti sumus, atque ubi Statuas *Alexandri Severi* atque *Marci Aurelii* sumus contemplati, atque subtus Xystum seu Porticum Tectum Impluvii juxta Aulam, quæ longa est palmos . . . . quæ Xystus jungitur cum Porticu Inferiore, quam superius diximus conjungi Sphæristerio.

Statua Claudii.

E regione hic Aulæ, in ædicula rotunda,
D Statua cernitur candidi Marmoris, tota nuda, nisi quod super lævum humerum exigua pars sit pellis ferinæ, Leunculi scilicet, seu Scymni, cujus caput ad pectora dependet, habitu valde melancholico, nescitur vero hucusque, cujus sit, propter stodilitatem vero *Claudii* Cæsaris, a quibusdam ejus esse creditur.

Statua Matronæ.

Cernitur & alia ex candido Marmore, Matronam tristi quoque vultu repræsentans, capillis in verticem collectis; visitur autem ad extremitatem ejusdem Xysti, supra Portam Magnam Aulæ Parvæ angularis, quæ ad Hortulum du- 18
E cit. Pariter in ædicula collocatur, nec scitur hodieque cujusnam sit, verum haud pulchra est forma, magisque anum quandam repræsentat quam juvenculam, & quoniam ignota utraque nobis est, revertemur ad Aulam Structuræ Inferioris.

Antinoi Caput.

Supra Portam Aulæ istius in rotunda ædicula candidi Marmoris Caput cernitur juvenis inberbis, *Antinoi*, ut quidam, putant, quem in deliciis habuit *Hadrianus*, atque Divinis honoribus coli voluit. Alii ipsius *Adriani* juvenilem volunt esse formam, verum hujus Imperatoris
F quidem Nummi ostendunt faciem illi a fronte ad mentum rotundiorem fuisse & nasum minus acutum. Verissima autem opinio est eorum, qui Effigiem hanc tribuunt *Marco Aurelio*, in puerili adhuc ætate constituto, antequam frequentaret *Apollonii* Scolam, istius temporis celeberrimi Philosophi. *Hadrianus* enim, quum sine liberis esset, per adoptionem successorem sibi elegit *Lucium Ceionium*, mutato ejusdem nomine in *Ælium Verum*, verum hic ante *Hadriani* fata diem supremam obiit, filiumque reliquit *Marcum Aurelium* dictum. Ante mortem itaque de

de alio successore cogitans *Hadrianus*, *Antoninum*, ab aliis *Antonium* dictum, adoptavit, qui postea sub *Pii* cognomine diu Imperium tenuit, verum hac lege id fecit, ut ipse sibi *Marcum Aurelium* adoptaret. Obsecutus itaque ejusdem voluntati est *Antoninus*, sibique *Marcum Aurelium* ubi adoptasset, nihil prius habuit, quam ut de bono illi Præceptore provideret, accito *Chalcedone* dicto isto *Apollonio*, sub quo tantum profecit *Marcus Aurelius*, ut non tantum animo, sed & capillis & barba Philosophus evaserit, prout superius in ejusdem Statua vidimus.

In eodem Xysto ad sinistram manum, Occidentem versus si flectas, e regione Portæ seu Januæ Aulæ istius, ubi diximus locatum esse Caput illud *Marci Aurelii* juvenis, tres sunt Fontes Fornice desuper tecti, intus cavi, verum coronis superius cincti. Hi Fontes aquam suam mutuantur ex dicto superius Fonte seu Aqua *Rivellense*. Horumque unus e regione Portæ istius Aulæ est; alter e regione Fenestræ ejusdem Aulæ; tertius autem e regione Fenestræ Anticameræ adhærentis dictæ Aulæ versus Occidentem. Singuli hi Fontes viginti palmos alti sunt, lati vero, si vacua intus & ornamenta coronarum una numeres, palmos undecim. Singuli etiam intus ornamentum habent ex lapidibus spongiosis, qui produci solent ex aqua sulphurea, & Flumine, quique *Tartari Tiburtini* appellantur. Vacua intus albos pariter & nigros continent lapillos, aliorumque colorum, opere musivo rustice adornata, exceptis illo, quod e regione est Portæ Aulæ, atque ultimo, qui in circuitu habent Columnas fabricæ ejusdem duas medias. Duæ Columnæ mediæ illius Fontis, qui in medio est, encarpis distinguuntur, qui circumvolvuntur in gyrum. Eodem opere apparet constructas esse duas Columnas ultimi Fontis versus Occidentem striatas. In circuitu ejus, e regione Portæ Aulæ, procurrunt ornamenta satis pulchra, encarpis atque floribus frondibusque varie distincta, ita ut cum voluptate incurrant in oculos omnium illorum, qui Aulam illam, ut & Hortum Magnum, ingrediuntur aut exeunt;
19 verum interveniente morte Cardinalis opus imperfectum mansit.

Caput M. Aurelii.

Intus ex Aula ista, in angulo ad dextram, intrantis per Januam, in rotunda ædicula Caput invenitur *Ælii Pertinacis*, fortissimi Imperatoris, neque meriti ut tam miserabili morte per tumultuantes milites periret, subornatos, ut quidam volunt, a successore ejus *Didio Juliano*. Sex menses Imperio præfuisse *Ælium Pertinacem* quidam volunt, verum *Aimarus Rivallius* in *Histor. Ration. Civil.* Lib. IV. pag. 293. concordat cum *Julio Capitolino*, qui in ejusdem Vita illi tantum dies octoginta quinque assignavit. Præter *Capitolinum* & *Aimarum*, laudatus sæpe *Petrus Messias* de eodem agit.

Caput Pertinacis.

Parvum caput ejusdem Marmoris, quod in simili locatur ædicula in angulo opposito, *Lucillæ* est, quæ filia fuit *Marci Aurelii* & *Commodi* Imperatoris soror, maritata *Pompejano* cuidam, viro potenti, *Aurelio* patri valde cara, adeoque celebris.

Caput Lucillæ.

In altero Aulæ angulo, eodem in pariete atque in simili ædicula Caput Marmoreum est ex nigro Marmore quoad caput & collum, verum humeri & vestis ex albo sunt Marmore. Perfecte hoc *Julium Cæsarem*, juvenem adhuc, refert, quum nondum calvus esset.

Caput Julii Cæsaris.

Natus hic erat ex Familia nobili, prout videri potest apud *Antonium Augustinum* in *Fam. Antiq. Rom.* in *Familia Julia*, atque simili libro

A *Fulvii Ursini*, verum multis ex casibus debilitata atque divitiis suis spoliata, inter Patricios nequibat pervenire ad dignitates debitas quidem sibi, sed ab æmulis potentioribus præoccupatas atque interceptas. Ad Plebem itaque sese transtulit temporibus Bellorum Civilium *Marii* atque *Sullæ*, ejusque factionem fovit, unde Plebeja dicta fuit, non quod ex plebe fuerit, sed ejus partes foverit, prout & *Marcus Antonius* & alii fecerunt Nobiles. *Paulus Manutius* de *Antiq. Urbis*, in Libello *de Civitate Rom.* pag. 9. Nobiles tales ab ignobilibus distinctos quoque in Plebe notat fuisse, alterosque *Plebejos* quidem, alteros vero *ex plebe* dictos fuisse. Favore autem
B Plebis summos honores *Cæsar* adeptus fuit, ita ut *Romæ* tandem dominus evaserit. Ut ære alieno sese liberaret data illi fuit Prætura *Galliæ*, pluriesque prorogata, ubi & decore & fortiter sese gessit; ita ut *Appianus Alexandrinus* in *Epit. Bell. Gall.* affirmet, decem istis annis quibus Provinciam istam obtinuit, quaterdecies centena hominum millia debellasse, quorum quarta pars occisa, reliqua capta vel fugata fuerit. Quadringentos Populos *Romanæ* ditioni adjecit seu obedire coëgit; Urbes octingentas vel cepit, vel
C rebellantes recepit. Scio *Plutarchum* testari de terdecies centenis millibus, quorum una pars fuerit occisa, duæ captæ, verum reliquos fugatos non numerat.

Hæc itaque gloria invidiam illi peperit æmulorum, qui revocare illum ex Provincia summopere adnixi sunt. Ad vim itaque conversus est, primo quidem propulsandam, deinde & inferendam. Unde diversas in partes abierunt & Cives *Romani* & reliqui Orbis Terrarum Principes. Plebs *Cæsari* favebat, verum Senatus & Patricii *Pompejum* illi opposuerunt, generum quondam *Cæsaris*; qui quidem tunc mortua uxore *Julia*,
D filiaque pariter *Cæsaris*, cujus matrimonio fuerat hactenus inter utrosque concordia, bellum *Cæsari* movit, & cum eodem in *Græcia*, in Campis *Philippicis* conflixit. Victor prælio, & Dominus simul *Romæ* remansit *Cæsar*, Dictatorque factus est Perpetuus post *Pompeji* mortem.

Hic vero Princeps tam clemens quam fortis 20
fuit, ignovit enim inimicis suis, a quibus tamen postea ut & aliis conjuratis occisus fuit in Curia, viginti tribus perfossus vulneribus. Atque hunc finem habuit *Galliarum*, *Germaniarum*que,
E bellicosissimarum *Europæ* Provinciarum terror, omniumque qui in Orbe fuerunt mortalium fortissimus. Adeoque is, quem sæpius peregrinis in oris adductum in summum Discrimen hostes occidere nunquam potuerunt in maximo belli tremore, in alta pace, media patria, ipso Senatu, & summo Majestatis suæ Throno, nefarie necatus est ab illis, quos sibi innumeris atque ipsius vitæ donatæ beneficiis devinxerat.

Quod quidem Patriæ suæ Oppressoribus atque Tyrannis evidens est exemplum, tutos aliquando, securos esse nunquam, & manere illos
F pœnas injustitiæ suæ ubi minime extimescunt; Sicut & hinc docemur inimicis reconciliatis haudquaquam esse fidendum, quæ vera Politices & firma est Regula.

De *Cæsare* copiose egerunt ipse *Cæsar* in *Commentariis* suis, *Suetonius* in Vita ejusdem, *Appianus Alexandrinus* in *Bellis Civilibus*. *Joannes Bapt. Egnatius* & *Petrus Messias* in *Cæsare*. Deque illo tanto viro multa passim exstant apud Auctores, præsertim vero quod ab illo omnes Imperatores *Cæsaris* nomen adoptaverint.

Caput Sullæ,

Ex regione Capitis istius *Cæsaris*, in angulo opposito, in pari-ædicula ex eodem Marmore aliud est Caput, quod quidam *Lucio Cornelio Sullæ* attribuunt, factionis Pacriciæ singulari vindici, *Marii*que Plebejarumque Factionum excisori, eo tempore, quo juvenili ætate erat *Cæsar*. Qui ita judicant id sese animadvertere ajunt ex similitudine effigiei ejus, quæ exstat apud *Fulvium Ursinum*, in Libro de *Famil. Rom.* in *Famil. Cornelia*, Tab.I. Num. I. & *Famil. Pomp.* Tab.III. Num.I. Verum alii, haud paullo verfatiores in Antiquitatibus hisce, caput esse judicant *Publii Cornelii Scipionis Africani*, cui tantum *Roma* debuit, ut per illum & remansisse & ad tantum, ut hodieque est, gloriæ surrexisse fastigium dici possit.

Vel Scipionis.

Hic, quum juvenis adhuc esset, honesto munere in *Hispania* functus, tanta virtutis suæ contra *Carthaginenses* dedit specimina, ut, in maxima rerum desperatione, oppressa *Pœnorum* armis *Italia*, atque ipsa fere *Roma*, in illo juvene, nec per ætatem legitimam tanto muneri apto, omnem suam spem cives collocaverint, summamque illi belli contra *Carthaginenses* permiserint.

In *Africam* itaque, capitalem *Romani* nominis hostem, ubi trajecit, capto *Syphace*, potentissimo *Africæ* Rege, atque *Carthaginensium* fautore, eodemque in catenis *Romam* misso, *Carthaginem* ita debellavit, ut nullus inde amplius metus *Romanis* superfuerit. In compendium redigit eleganter parentes ejus, ut & magnitudinem, fortitudinem, atque pudicitiam, fidem etiam hostibus servatam, & a pueritia denique laudes ejus prosequitur *Anton. Augustin.* in *Famil. Rom.* in *Fam. Cornelia* pag. 329. *Appianus* etiam *Alexandrinus* in *Bellis Punicis*, *Hannibalicis* & *Hispanis*, *Polybius* etiam *Hist.* Lib.X. aliique.

Atque hic tantus vir, dissensionibus *Romæ* propter Leges Agrarias natis, quum cognosceret nullo modo satisfacere sese posse Populo *Romano*, qui enixe divisionem agrorum flagitabat, aliisque amicis suis, a quibus ad sedandum ex
21 novitate hac tumultum electus fuerat, sibi ipse tacite mortem conscivit, vel prout alii volunt, conscia uxore, atque *Gracchorum* opera, elisis faucibus de nocte periit, nullis apparentibus violentæ mortis signis. Atque misera hoc morte vitam finivit *Romæ* liberator, non impetrata ab ingrata Patria solita pompa funebri, idque propter suspicionem, quam susceperat de eodem tanquam oppugnatore Legis Agrariæ, prout testatur *Appianus Alexandrinus* Lib.I. *Belli Civilis* in initio.

Fons Quadrangularis.

In Extremitate Aulæ medius inter *Scipionis* & *Pertinacis* Capita Fons est quadrangularis, altus viginti sex palmos, latus cum vacuo suo atque ornamentis palmos tredecim, eleganter constructus, atque Musivo opere plus minus hic illic ornatus, rustice etiam versicoloribus lapillis & encaustico varii coloris decoratus, cum coronis planis in summitate, atque Aquila candidi Marmoris inter duos ramos malorum *Hesperidum*, quod Insigne esse diximus Cardinalis *Hippolyti*. A singulis autem lateribus Coronæ superioris æquali distantia cum ramis istis *Hesperidum* malorum, sedet puerulus pomum manu tenens *Hesperidum*, intus autem in vacuo ad latera & summitatem Vitis serpit variis flexibus. Medius in vacuo paries perspectivam habet agrorum fabricarumque. In medio vero istius Vacui adversa cernitur Statua vestita, quæ pedes, manus, brachia visumque ex albo habet, verum reliquas partes nigro indumento tegitur. Tenet eadem Statua sinistra manu dependente Cornucopiæ ex albo Marmore, altera vero manu erectum gerit Sceptri in morem Scipionem. Statua hæc, sex palmos alta, Effigies est *Sentæ Faunæ*, seu, ut alii, *Fatuæ*, quam & *Bonam Deam* dixerunt aliisque nominibus appellarunt Veteres. Pro Dea habita fuit illis in locis, ubi nunc *Roma* est atque *Tibur*, sicut sequente Cap. VI. demonstraturi sumus.

Statua Sentæ Faunæ.

Hanc quidam filiam faciunt *Pici*, Regis *Ausoniæ*, sororem eandemque uxorem *Fauni*, ipsiusve (ut alii volunt) filiam; qui quum ejus amore captus esset, nec vino licet gravatam, ad desideria sua pertrahere posset, myrteis eandem cecidit virgis, & denique una cum illa in Serpentem commutatus est. Addunt &, tam præclaræ fuisse pudicitiæ, ut vivam nemo retecta fronte viderit, neque nomen ejus (marito uno excepto) audierit. Hinc secreto Sacris ejus operabantur mulieres, & nefas erat viris illuc accedere, vituperatusque fuit *Clodius*, quod muliebri habitu sumto, propter *Julii Cæsaris* uxorem, quam amabat, ausus fuerit illis interesse, ut dicto Capite VII. demonstraturi sumus. Quoniam vero eadem Myrteis virgis a Marito suo cæsa fuit, nefas fuit tales in Templum ejusdem portare. Diciturque insuper Vitis in ejusdem fuisse Templo, quoniam ejus arboris fructu pudicitiam filiæ pater expugnare tentaverat, cujus propterea imaginem Templo quoque inferre nefas erat, nec vinum inferebatur; verum adduci solebat *vas vinarium*, sed mutato nomine, ut ait *Macrobius*, in quo *vinum inditum*, *Mellarium nominabatur*, & *vinum lac nuncupabatur*.

Dicuntur & Angues in ejusdem apparere Templo, nec quidquam hominibus nocere, verum libere cum iisdem versari. Scribit *Ovidius* porcam illi Kalendis *Majis* sacrificari. Dedicatum fuit eidem Templum in Agro *Tiburtino* in Montanis antiquitus *Affliana*, nunc vero *di S. Angelo* dictis, in Valle di *Fiaccia* seu *Arcense*, in finibus versus *S. Gregorii* Oppidum, ubi *Pasquidii* cujusdam inventa est Inscriptio, qui *Domitiani* temporibus ex voto Templum refecit, atque Aquæductum ibidem contiguum consummavit. Ducebatur vero eodem *Aqua Claudia* in Urbem *Romam*, prout docet ipsum Marmor, quod subjecimus, quodque exstat in Palatio Excellentissimi ejusdem Loci Principis. Est autem tale: 22

BONAE DEAE SANCTISSIMAE CAELESTI
L. PASQVIDIVS FESTVS REDEMPTOR
OPERVM CAESAR. PVBLICORVM AEDEM
DIRVTAM REFECIT. QVOD ADIVTORIO
RIVOM AQVAE CLAVDIAE AVGVSTAE
SVB MONTE AFFLIANO CONSVMAVIT.
IMP. DOMIT. CAESAR. AVG. GERM. COS. V. NON. IVI

Ex qua quidem Inscriptione complura Orthographiæ Veteri *Romanis*que Antiquariis inservire possunt, quæ brevitatis gratia omittimus. Depinxerunt vero Deam eandem Veteres cum Sceptro in manibus, atque aliis etiam modis effigiarunt, secundum nomina quibus appellabatur, eorumque intellectum atque significatum

Aqua Rivellensis.

A Fonte hoc prodit Aqua superius nominata *Rivellensis*, quæ postquam eleganter per varios tubos, eruptiones, atque rivulos, lapides inter candidos (quos stillicidium aquæ Fluvii congelati seu lapidosi facit concrescere, quique *Tartari* vocantur a *Tiburtinis*) aliosque, ut & Conchilia Marina, (quæ subtus & in circuitu sunt Statuæ) dispersa est; tandem in Concham labitur, ex simili Musivo quadrangularem in formam factam, in Sepulcralis Monumenti figuram, in summo quam in imo latiorem; atque inde rursus in aliud

aliud effluit receptaculum, quod ſub Concha eſt, exornatum lapidibus ſpongioſis & cavis Fontibus aptis, unde poſtea rurſus per Aquæductus Subterraneos dispertitur in uſum aliorum Fontium, qui in Horto ſunt.

Qui plura deſiderat de Bona Dea, adeat inferius hoc ipſum Caput V. ubi de Sacerdotibus ejusdem Deæ acturi ſumus, quæ prædictum *mellarium* Sacrificio ejusdem procurabant, ut & Cap. VI. ubi de Religionibus ſeu Superſtitionibus Antiquis *Tibure* conſuetis, & præterea *Jo. Boccacium* in *Genealog.* Lib. I. Cap. XII. in *Senta Fauna*, ſeu *Fatua*, in fine.

Picturæ.

Pictura ejusdem Aulæ variorum bonorumque Pictorum eſt. Agnoſcitur ibi manus *Frederici Zuccari*, ſed adhuc juvenis, *Hieronymi Mutiani*, aliorumque, qui magnum ſibi in arte illa nomen pepererunt. Supra Coronas Marmoratas deauratasque, quæ Teſtudinem ſuſtinent, ex opere Marmorato, in angulis quatuor, Emblemata totidem ſunt ipſius Cardinalis *Hippolyti*,
23 Aquila ſcilicet alba inter duos *Heſperidum* malorum ramos deauratos; in circuitu unius ex Emblematibus hisce effigies eſt *Palladis*, ſeu *Bellonæ*, & *Mercurii*; alterius, *Jovis* & *Junonis*; tertiæ, *Martis* atque *Veneris*; quartæ, *Bacchi* & *Cereris*, ita plane ad vivum expreſſæ, ut præter vocem nihil deſiderari videatur.

Inter dictos Angulos & quatuor Emblemata quatuor Sacrificia depicta ſunt ruſticorum larvatorum. In una illarum Picturarum *Dianæ* cerva ſacrificatur, in terram deducta ante Simulacrum *Dianæ*, quod baſi inſiſtit; In Secunda Caper *Baccho* ſacrificatur; In tertia *Cereri* fœta immolatur porca; In quarta denique *Apollini* pro hoſtia Taurus adducitur. Inter hasce autem Angulorum Effigies & dicta quatuor Sacrificia per longitudinem Aulæ quatuor ſunt ovata rotunda coronis in circuitu marmoratis auratisque exornata, ut & quatuor Deorum effigiebus currubus vectis, *Jovis* videlicet, *Plutonis*, *Neptuni* & *Junonis*, pro ſingulis Ovatis, quæ pariter quatuor, ut diximus, exiſtunt; ſunt etiam inter Angulares Effigies & Sacrificia inſerta varia ſpeluncarum aliarumque ſimilium rerum ornamenta. Denique in medio & ſummitate Teſtudinis, in quadrangulari Vacuo, longitudinis & latitudinis ad Teſtudinem proportionatæ, nobile cernitur Convivium Deorum Gentilium in circuitu Tabulæ rotundæ ſedentium. In Pariete autem inferiore, in fine verſus Occidentem, ipſum depingitur Palatium cum Horto, prout conſtitui debebat; in reliquis denique duobus Parietibus, qui ad latera ſunt, Urbes, Villæ, Lacus, Flumina, Agri, & ſimilia Ruralia, magna pinguntur amœnitate pro paſcendis videntium oculis.

Cameræ Occidentales.

Exitur ex Aula hac in Cameram Occidentem verſus, longitudine atque latitudine ſimilem illi, quæ deſuper eandem in ſuperiore eſt contignatione. Cernuntur ibi in quadrato, quod in ſumma parte Fornicis eſt Marmorati & opulente deaurati, Picturæ ſeu effigies *Jovis*, *Junonis*, *Neptuni*, *Plutonis*, *Palladis*, *Cereris*, *Veneris*, aliorumque Deorum Gentilium Nubibus inſidentium. Fornix autem ubique Marmorato conſtat opere, inque quatuor parietis ejusdem curvaturis quatuor ſunt Vacua Marmorata & in circuitu deaurata, anguſta quidem in ſuperiore, lata vero in inferiori parte, quæ eleganti more circulum faciunt. In inferiore autem parte ſingulorum Vacuorum depictus aliquis ex *Herculis* cernitur laboribus; in ſummitate autem conſpicitur Emblema Cardinalis iſtius, ſeu Symbolum, Aquila alba inter Mala Aurea, ſuper duo Vacua ex quatuor, & ſuper duo reliqua inſignia Regni *Francici*, cum tribus auratis Liliis.

Picturæ.

In uno ex iisdem Vacuis *Herculis* cum *Anteo* depingitur Lucta, & in circuitu lateris dicti Vacui, *Hercules* coërcens *Cerberum*, & ab altero latere *Hercules* cum *Centauro*. Alio in Vacuo depingitur *Hercules*, ubi confligit cum *Harpyis* ſeu *Sphingibus*. In tertio Vacuo idem *Hercules* 24
abactos a *Caco* boves recuperat, atque ab altero latere Leonem ſtrangulat, ab altero Hydram cum ſeptem capitibus conficit. In Quarto Vacuo puerum *Lycum* pedibus præhenſum longiſſimo abjicere jactu minatur; ſicut ibidem ab altero latere Columnas humeris geſtans cernitur, ab altero Cœli axem pro *Atlante* ſubeuns.

Cameram vero hanc tam nobiliter *Herculis* rebus geſtis exornavit Princeps, in glorioſam memoriam Ducis *Herculis*, patris ſui; qui ſicut a teneris *Herculis* habuit nomen, ita eundem in Vitæ curſu imitatus eſt, atque Illuſtri reddita *Italia* robore ſuo, *Herculem* novum ſeſe inter *Europæ* Principes oſtendit.

Secunda Camera pariter opere Teſtudineo atque Marmorato eſt, quadratum in medio continens atque ſummitate Fornicis, quibus intus Tres Symbolicæ Effigies depinguntur, cum ſingulis ſubſcriptis Titulis ſuis. Primæ ſubſcribitur LIBERALITAS, Secundæ NOBILITAS, Tertiæ GENEROSITAS. In ſingulis etiam Fornicis angulis Inſignia ejusdem Cardinalis inveniuntur. Supra Feneſtram effigies eſt cum hac Inſcriptione CHARITAS; in adverſo Pariete ſpectatur ſimili modo NATURA RERUM, Occidentem verſus OPULENTIA, Orientem verſus HONOR. Sunt & ibidem albo obſcuro depicti Veteres quidam Philoſophi.

Jam & Tertia eodem more fabricata eſt Camera, opere ſcilicet Fornicato, atque in ſummo Effigiem habet Symbolicam, cum inſcriptione GLORIA, Aquilonem verſus aliam, cum inſcriptione FORTUNA, Meridiem verſus cum Inſcriptione iterum GLORIA, verſus Orientem, cum Inſcriptione RELIGIO, atque Occidentem denique, cum Inſcriptione TEMPUS.

Quarta Camera nondum depicta eſt, ſed Lacunaria ſua, æque, ut utraque Capellæ, & quæ ad latus eſt Camera, ex rudi adhuc ligno habet. Ad latus ultimæ Cameræ, a fundamentis Palatii atque Planicie Sphæriſterii, usque ad ſummum tectum adſcenditur Cochlide, qualem Scalam *Itali* appellant *fatta a lumaca*. Structa eſt ex Lapide *Tiburtino*, graduum CXLV. longa palmos ſex cum duabus quartis, intus, ab imo ad ſummum, Vacuum amplectens latum palmos quinque, ita ut intus ipſa Scala tota ſit palmos octodecim lata, qua aditus eſt ad utrasque Palatii Stationes.

Cameræ aliæ.

Flectitur inde ad Aulam, atque intrantur Cameræ, quæ retro Fontem Orientem verſus ſunt, longitudinis & latitudinis conformis cum Cameris ſuperioris Contignationis directo ſuperpoſitis. In prima Camera in Teſtudinis ſummitate in Vacuo quadratæ formæ depingitur *Catillus*, primus *Evandri* Dux, paterque *Tiburni*, aliorumque filiorum, a quibus *Tibur* nomen ſuum accepit, atque, cum Claſſe appulſus in *Latium* cum ejusdem Regionis Gente pugnat. In Curvaturæ Fornicis lateribus quatuor ſunt Quadrata, in quorum uno depingitur Augurium, quod ex fulgure atque igne capit *Tiburnus* cum fratribus. In altero autem Quadrato Augurium condendæ Civitatis, deſignatione aratri capiunt Sacerdotes, 25
ad duo Altaria. In tertio Ichnographiam Urbis delineant & fundamenta ponunt; in quarto domos ædificant.

In Parietibus inferioribus tria ſunt Quadrata, in

in Primo horum depingitur, quo pacto *Tiburnus* cum fratribus suis *Siculetum* eripuerit *Sicanis*, atque *Tibur* nominaverit, ut & pugna cum iisdem; In Secundo, quomodo post victoriam Arietibus Taurisque Sacrificia peragant; In Tertio, quomodo *Hercules*, reversus ex *Hispaniis*, una cum præda, quam *Geryoni* ibidem eripuerat, oppugnatus fuerit ab *Albio* & *Belgio* fratribus multisque aliis ad fauces *Rhodani* in *Galliis*, ubi ipsum deficientibus telis pressum ab hostibus *Jovis* patris auxilium implorasse, atque ab eodem, lapidum imbre adjutum fuisse, fabulantur Poëtæ, unde *Sassolæ* Urbi nomen est factum, & in Templi ejusdem, quod *Tibure* exstat, Marmoribus inscribitur *Hercules Saxanus*. Undiquaque vero Ornamenta Aquilarum albarum, Liliorum, similiumque Cardinalitiæ Domus Emblematum conspiciuntur.

In Secunda Camera in summitate Fornicis *Solis* depingitur Currus generosissimis instructa equis *Lucifero* lychnucho præeunte. In Ovato autem ejusdem Fornicis, super Fenestram *Athamas* Rex conspicitur, qui furiis agitatus filii *Clearchi* caput parietibus allidit, Uxor vero *Ino* cum *Melicerta* filiolo fugit ad Naves, ut iram mariti evitet. In Ovato autem, quod e regione est, *Anius* Rex eques *Cethegum* persequitur, filiæ raptorem, atque in transitu *Tiburtini* Fluminis, cui inde ab *Anio* nomen, submergitur. In quadrato inter duo ista Ovata est Uxor *Athamantis* in Fontem conversa, atque e regione conspiciuntur Fluvii *Tybris*, *Aniene*, & *Herculaneus*. In Quadrato inferiori Concha Marina a Delphinis tracta vehuntur *Neptunus* atque *Venus*, qui humero *Tritonis* exceptam uxorem *Athamantis* cum filiolis, in Deos commutant hosce Marinos, illam vero in Fontem; Verum de hisce inferius. In alio Quadrato, quod e regione est, *Tiburtinorum* Sacrum est *Leucotheæ*, quæ (ut alias dicemus) per *Sibyllam Albuneam* significatur. Effigiem autem hujus *Sibyllæ*, seu *Leucotheës* ibidem super humeros portant.

Intratur ex hac Camera in Aulam angularem, similem angulari positæ a me in ordine Camerarum superioris Contignationis. In summitate Fornicis ejusdem, in Vacuo quadrangulo depingitur *Noachus*, ubi ad Summi Dei mandata (qui jam excidium per aquas Humanis delictis Generique Mortalium decreverat) omnis generis quadrupedes, bipedes, serpentes atque volucres in Arcam congregat. In inferiore autem Pariete depinguntur Ruralia varia, ut Fontes, Villæ & similia.

Intratur inde in alias duas Cameras e regione Horti Secreti, de quo superius locuti sumus. In priore harum in Fornice summo depingitur *Moses*, Virga Petram percutiens, atque aquam inde pro siti *Israëlitarum* eliciens, quos *Ægypto* eduxerat, neque amplius quid pictum cernitur.

In Secunda Camera Fons est Arcuatus rusti-
26 co ornamento lapidum spongiosorum, cum Statua Virginis ex Marmore candido. Cernitur vero gestu recumbentis dormientisque, anteriori parte Cœlum versus opposita, velatur autem ab umbilicio ad pedes. *Veneris* vero figura est, nec de illa quid dicam amplius, quum superius satis multa de *Venere*, quæ prima occurrebat, dixerim. Prope ejusdem Marmoreus conspicitur Hinnulus, exeuns Fontis quadam Caverna, cujus aqua a memorata superius *Rivellense* conducitur, atque labitur in Concham similis Marmoris quadrangularem, lævem, palmos decem longam, latam quatuor cum dimidio.

Ad latera ejusdem Fontis atque Conchæ duæ

A sunt Statuæ muliebres ejusdem Marmoris atque magnitudinis, invicem oppositæ, quæ sub axillis Vas singulæ continent, quibus aquam in Concham effundunt. Statua illa, quæ ad sinistram manum est, collectos capillos atque in occiput contortos, habet, ab umbilico autem inferne, ut & superne a lævo brachio, vestita est. Quæ vero ad dextram est, diverso quodammodo est capillamento, totaque vestibus tegitur ad imos pedes, verum alio more, descendit enim vestis per humerum sinistrum in pectus & anteriora, per posteriora autem sub dextrum brachium, læva autem manu bacillum tenet, in
B Sceptri formam porrectum in longitudinem supra complicatum brachium a manu usque ad cubiti curvaturam.

Postquam vero hoc loco exiveris, progredieris in Hortum Secretum, cujus sæpius mentionum fecimus. Invenitur illic in Pariete versus Aream atque Palatii Portam, Fons Rustico more ex spongiosis lapidibus exstructus, altus palmos viginti quinque, latus quindecim, si solum commensuraveris vacuum sine ornamentis Rustici operis in circuitu, una cum Coronis superne similis operis, atque rotundo fasti-
C gio. Hortus Secretus.

Intus in Vacuo hujus Fontis coagmentati Scopuli tanquam Montem efficiunt, ex cujus summo salit aqua sæpius laudata *Rivellensis*, atque per oras summitatis ejusdem labitur ad inferiora loca usque ad Monocerotem ex candido Marmore, postquam vero per varios rivulos dispersa est ejusdem aqua, cadit in Concham Ovatam Musivi Rustici interspersis varii generis lapillis. Hic Primus Fons est, qui exstructus est in hac tam grandi atque pulchra Machina. Fons.

In medio Pariete dicti Fontis, grandis invenitur Ædicula superius Fornice tecta, cum Sta-
D tua intus Marmoris Candidi alterius *Veneris*, Statua Veneris. alta palmos octo cum tertia parte, tota nuda, *Græco* more, nisi quod altera manu Virgineas tegat partes, altera partem vestis retro complicatam colligat; adstat illi ad sinistrum latus, juxta femur pedesque, ex eodem Marmore, Delphini Caput, cui insidet *Amoris* effigies tres palmos alta cum dimidio. De *Venere* atque *Amore* superius a nobis actum est, quare hoc in loco repetere necesse haud erit.

Pergentibus per eundem Parietem Monocerotis & *Veneris*, in angulo, in alia Ædicula si-
E milis Marmoris cernitur Statua, quæ absque basi alta est palmos sex cum dimidio, flexus autem 27
corporis in effigie valde est singularis; repræsentat vero pulchra hæc Statua *Clothonem*, unam ex *Parcis*, subtilissimo quasi habitu vestitam, brachiis aliquatenus nudis, alisque, Papilionibus quales esse solent, exornata in humeris. Capillos super verticem versus humeros retrahit, atque læva manu colum seu pensum tenet, quod circumvolvitur pampino.

Fabulantur Antiqui in imo Terrarum loco exstitisse omnium falsorum illorum Deorum patrem *Demogorgonem* dictum, prout in primo Capitulo
F Operis nostri ex *Boccacio* demonstravimus. Inter aliam prolem tres illi assignarunt filias, *Clothonem* scilicet, *Lachesin* & *Atropon*, licet *Cicero* filiam illam faciat *Erebi* & *Noctis*, *de Natura Deorum* Lib. III. Hæ a Poëtis aliisque Scriptoribus Antiquis *Parcæ* dictæ sunt per antiphrasin, ut quæ nemini parcant, vitam vero hominis in illarum finxerunt esse manibus, prout superius *Meleagri* exemplo docuimus.

Ex hisce *Clotho* (quam nostrum hoc designat Marmor) secundum illorum descriptionem, illa inquam ipsa

Clo-

Clotho colum bajulat, Lachesis net, Atropos occat.

Simili autem Fabularum involucro Sapientes veterum bellas rerum non cuivis idiotæ cognitarum significationes involvebant, quas brevitatis gratia transeo. Apud nos enim *Christianos*, & quoscunque homines (quibus in corde mica salis inest) nullæ aliæ cognitæ sunt *Parcæ*, seu *Clotho*, *Lachesis*, *Atropos* habentur, præter solam Summi Numinis voluntatem, quæ utique potenti sua dextra clausam nostram habet vitam, creavitque hominem rationis potentem, quem mille indies beneficiis afficiens, nutu suo B conservat, atque, ubi Divinæ suæ placuerit Majestati, de improviso desinere facit.

Prope Ædiculam hanc, ab altera parte ejusdem anguli, in simili, erigitur Statua, pariter ex candido Marmore, alta palmos octo sine basi. *Fauni* vero est, penitus nudi, nisi quod Tigridis pelle tegatur ita, ut caput ejusdem pellis sit super dextrum humerum, reliquumque pectus percurrens, sub lævum brachium procurrat, & cum illa parte, quæ supra dextrum est brachium redunetur, super arboris, quæ retro est, truncum.

Statua Fauni.

Alter similis *Faunus*, similisque Marmoris C palmorum octo altitudinis, cum duabus tertiis, absque basi, in simili Ædicula ponitur in altero angulo ejusdem Hortuli parietis, qui Palatium versus spectat, nudus etiam plane, nisi quod hircina pelle eodem more, quo prior Statua, cingatur, atque eodem more arboris trunco acclinis sit. De *Faunis* quum antea jam actum sit, repetitione hic opus non est.

Quum jam Palatio atque Horto Secreto nos expediverimus, convenit, ut revertamur ad Aulam, ubi consistere diximus Statuam illam *Sentæ Faunæ*, atque inde pergamus in Xystum, D qui est in Fronte versus Hortum, ubi diximus stare Fontem atque Concham mixti lapidis *Africani*, & per Scalas intercolumniis distinctas, 28 atque superius a nobis descriptas, ubi de Fronte ista seu Frontispicio agebamus, descendamus ad Magnum Hortum.

Statim atque e vestigio ubi descenderis per Scalas istas exteriores Palatii, in summitate Nemoralium Horti sub ipso Palatio Ambulacrum invenitur, longum palmos nongentos quadraginta, latum vero palmos viginti novem cum duabus quartis, quod ab altero latere cingitur Muro Palatii, Sphæristerio, atque Cuniculario, aliisque E paucis Muris; Hortum vero versus sustinetur Muro similis longitudinis cum Ambulacro ipso, alto autem palmos triginta duos cum Arcu seu Fornice inferius Ambulacrum versus, in quo ab utroque latere per longitudinem ordines sunt densarum arborum altarumque, Ulmorum scilicet, quæ æstatis tempore per universam Ambulacri partem umbram gratissimam efficiunt, exceptis Palatii Fenestris, juxta quas non sunt plantatæ arbores, ne scilicet prospectum Horti impedirent, ut & Vallium atque Collium, quæ ab illa parte sunt. In parte Occidentem ver- F sus decem sunt, quinque scilicet ordine, atque in parte Orientem versus triginta sex, id est octodecim ordine.

Ambulacrum.

Ipsa Frons vero Palatii, quæ ex *Tiburtino* est Lapide, quæque per gradus prædictos descensum præbet in illud Ambulacrum, Aquilonem versus atque Circium (ut superius in initio dictum est) spectat. rectaque inferius Ambulacrum, quod Hortum dividit e regione aspectus Portæ Primariæ Horti plani in infima parte seu depressiore, atque ita elegantissimum ex

A sublimi prospectum præbet. Diximus autem superius in extremo Frontis Fontem esse æqualem planiciei Ambulacri.

Postquam itaque relictis interioribus Palatii seu ipsius Ædificii Hortum jam intravimus, rite eundem explicabimus. Intratur tribus Portis quarum media atque maxima arcuata est, reliquæ autem duæ quadratæ sunt. Intus in Fonte planicies est longa palmos triginta unum, lata quatuordecim cum quinta parte, Fornice superius elegantissimi operis exornata; pulcherrimæ ibi inter Marmorata varia sunt Picturæ, atque itidem tres visuntur Statuæ candidi Marmoris, quarum prima, quæ mox, ubi intraveris, occurrit, atque medii aditus est e regione, in ingenti Ædicula fornicata, seu fundo Fontis in longitudinem plani istius superius erigitur; reliquæ in minoribus stant Ædiculis pariter Fornicibus tectis ad duas ejusdem plani extremitates.

Horti introitus.

Fons Ledæ.

Statua illa, quæ in majori stat Ædicula, seu potius fundo Fontis interiore longo palmos decem, lato octodecim cum dimidio, præter Concham subtus latam palmos novem, quamque e regione aditus majoris, & in plani longitudine exstare diximus, *Ledæ* est, resupinato jacentis habitu, non penitus tamen, sed innixæ sinistro brachio, capite atque pectore inclinato aliquantum sursum versus. Longa Statua hæc est palmos sex cum dimidio, capitis membrorumque flexura non commensurata. Subtili quasi veste ad femora & latus tegitur, reliqua nuda sunt. Dextrum ejus brachium flectitur circa dorsum Cygni ex eodem marmore, supra cujus alam dextræ manus digiti exstant. Femoribus *Ledæ* pedibus suis Cygnus insistit, explicatque alam dextram super crura ejusdem, sinistra vero pariter diffusa pertingit usque sub axillam *Ledæ*, tanquam amplecti illam desiderans, longum vero collum protendit ad ejusdem ora, quæ & ipsa projectis labiis satis proterve Alitis osculum expetere videtur.

Statua Ledæ.

Visitur & ad sinistrum *Ledæ* brachium Signum itidem Marmoreum pueruli, qui ex Somni ministris unus est, atque papavera manu tenet pro somno *Ledæ* conciliando.

Pro intelligenda vero Fabula sciendum est, *Ledam* uxorem fuisse *Tyndari*, qui Regnum tenuit in *Laconum* Urbe, quæ a *Pomponio Mela*, de *Situ Orbis* Lib. I. Cap. III. collocatur in *Græcia* atque in *Peloponneso*, specie præstantissima; quare *Jupiter* (quem Deum, & Deorum omnium Regem, cæca Gentilitas, ut superius diximus, fecit, adulterum licet, stupratorem alienæ pudicitiæ & quid non?) Hic, inquam, *Jupiter* amore *Ledæ* tactus, ut perficeret desiderium suum, Cygni formam assumsit, atque prope *Ledam* canere incepit; Quæ capta cantu ejus accurrit ut prehenderet illum, cui ipsa parabatur præda; atque ita *Jupiter* optatis amplexibus potitus est. Ex hoc Adulterio ovum concepisse *Ledam* finxere Veteres, atque natos ex eodem *Castorem*, *Pollucem*, atque *Helenam*. Verum alii duo concepisse ova asserunt, ex quorum altero *Castor* & *Pollux*, altero *Helena* & *Clytemnestra* nati sint; illa *Helena* cujus formæ pulchritudo *Trojæ* exitiosa fuit. Neque sane a matre sua hæ filiæ degeneraverunt, quæ nihilo matre continentiores, imo longe deteriores materno pudore exstiterunt.

Qui autem desiderat fuse videre Hieroglyphicam significationem mutati *Jovis* in Cygnum, ejusdem cantum, ova, atque ejusmodi amplexuum fructus, is adeat *Jo. Boccacium* in *Deor. Genealogia* Lib. V. Cap. XL. in *Tyndaro*, & Lib. XI.

Cap. VII. VIII. IX. in *Polluce*, *Castore*, *Helena*, *Clytemnestra*, Adnotationesque ad ejusdem dictum Cap. VII.

Quod vero ad Puerulum illum attinet, qui Papavera manu tenet, sciendum est, quod finxerit Antiquitas *Somnum* filium *Erebi*, ipsique assignaverit locum in remotissimis Antris *Cimmeriis*, quæ *Solinus* Cap. XXI. ponit in *Mare Caspio*. Papavera vero aliasque herbas somniferas circa stationem ejus florere dixerunt. Dedere huic Deo *Somno* tres ministros, quorum primum *Morpheum* dixerunt, secundum *Itatonem* penes Deos, penes homines autem *Phabetora*; tertium *Panthum*, quem *Panthosam* vocant Adnotatores *Boccacii* Lib. *Genealog. Deor.* I. Cap. XXXI. *de Somno*. Distincta quoque tribus hisce famulis ministeria tribuerunt, unde & quidam Puerulum hunc juxta *Ledæ* nostræ Statuam pro *Morpheo* capiunt, cujus officium esse affirmant, ut pro voluntate *Somni*, Domini sui, in quascunque velit, hominum sese transformet facies, assumto insuper eorundem habitu, incessu, moribus, sermone; ut ita *Jupiter*, illo ministro, *Ledam* oppresserit, habitu, moribus, & sermone falsi deceptam Tyndari mariti sui. Propter transformationem vero in Cygnum, secundum, *Itatonem* apud Deos fuisse dictum cre-
30 do, atque apud homines *Phabetora*. Hujus officium esse volunt, ut ad nutum Domini sui *Somni*, vertatur in omnis generis feras, volucres, serpentes similiaque animalia, sicut hac occasione in Cygnum sese mutasse intelligendus est, sub plumis fabulosæ istius avis *Jovem* abscondens adulterum. Multa de *Somno* Deo videre licet apud *Jo. Boccacium* Lib. I. Cap. XXXI. *de Somno*.

Fons iste aquam suam ex *Rivellensi* laudata accipit, atque amœnum velut Speculum *Ledæ* præbet, indeque labitur in profundum cavum quadratum, quod longius subjacet ipsius Fontis Plano, atque illuc per rivulos devolvitur ex illo loco, ubi quiescens recumbit *Ledæ* Statua.

In Extremitate Orientem versus ejusdem Plani, ad dextram manum Fontis *Ledæ*, cernitur in Ædicula Statua octo palmos alta, absque basi, quæ *Bellonæ* est; tota hæc ad pedes usque tenui veste est tecta, paludamentum ferens humeris, sandalia humilia pedibus subdita habens, dextram elevans manum, sinistraque longam tenens hastam, caput galea, pectus chlamyde ornatur. Agemus vero de *Pallade*, ubi inferius loquemur de Fonte *Dianæ*, ad quem ingens *Palladis* erigitur Statua.

In Ædicula dein Occidentem versus ejusdem Plani, *Ionis* cernitur Statua lævo innixæ brachio, ejusdem Marmoris fulcro insistens, vestitæ, brachiis exceptis.

Fabulantur hanc filiam fuisse Regis *Inachi*, forma pulcherrimam, a *Jove* quoque adamatam. Quum autem repulsam ab eadem *Jupiter* passus esset & obnixe rogatus, ne ejus violaret virginitatem, narrant inductis tenebris ab eodem compressam fuisse; Advertisse dein ex alto *Junonem* istas tenebras, & suspectas propter *Jovis* mariti mores easdem habuisse; descendisse itaque atque tenebras hasce dispulisse; *Jovem* dein id ipsum veritum, amatam virginem in vaccam commutasse, pulchram inter vaccas, ut quondam fuerat inter virgines. Eam ubi *Juno* (inquiunt) vidit, pulchritudinem admirata, suspectamque eandem habens, dono laudatam vaccam a marito petiit, qui quidem, ægre licet, eandem ipsi concessit. Huic itaque *Juno* custodem *Argum* apposuit, centum habentem oculos, ex quibus duo tantum dormiebant per vices, vigilabant reliqui nonaginta octo. At *Jupiter*, ejusdem misertus casum, *Mercurio* liberationem puellæ commendavit; qui ocius pastoris assumta forma *Argum* adiit, atque cum illo de Fistulæ seu Sambucæ ageris structura, latenter virga percussit, usque dum omnes plane, nullo excepto, oculi obdormissent, dormienti dein caput abstulit. Indignata vero *Juno*, fidi custodis collectos oculos Pavonum, qui Currum ejus trahunt, caudæ inseruit; Vaccæ autem stimulum addidit, qua agitata cursum *Ægyptum* versus direxit, ubi ad *Jovis* preces restituta illi humana fuit forma, peperitque ibidem ex *Jove* filium *Epaphum*, Regem *Ægypti*, dictaque pro *Inone* ab *Ægyptiis* celebrataque nomine fuit *Isidis*.

Fuse de eadem agit, Fabulamque omnem ex- 31
plicat *Jo. Boccacius* in *Genealog. Deor.* Lib. VII. Cap. XXII. in *Ione*, & ad idem Caput multa adjiciunt Commentatores ejusdem. Violator autem iste *Iones Jupiter*, non ille, de quo superius egimus, *Saturni*, atqueadeo Tertius, verum Primus fuisse & alius colligitur ex filio *Epitapho*, sicut & demonstravimus Cap. I. in fine.

Foras ubi exieris ab hoc Fonte, in circuitu ejusdem, sub Columnationibus Scalarum, ex eodem Marmore Matronales duæ sunt Statuæ Fornicatis Ædiculis inclusæ, quæ stant ad singula latera. Statua, quæ ad dextram manum, Orientem versus est, octo palmorum est altitudinis, sine basi, & in capite coronæ in morem frontale aliquod habet ornamentum. Stola vero a collo usque ad pedes tegitur, atque cingitur super umbilicum; rugas autem varias longa vestis super cingulum contrahit; tegiturque insuper caput humerosque velo dependenti, verum non tam longo, ut ad imos pedes defluat. Dextra manu Securim seu Bipennem tenet, quæ a limbo veli aliquantum ad anteriora eminet, læva autem manu, quæ similiter porrigitur, ante pectus velum tenet compressum pugno, strictumque ibidem, verum latum ab inferiore parte. Credo hanc unam esse ex *Virginibus Vestalibus* iis, quæ reliquis præerant & *Maximæ* dicebantur, de quibus sequenti Cap. VI. acturi sumus. Quod & ex Securi colligimus, quæ Sacerdotii Sacerdotumque insigne esse solet, prout videre est ex *Andrea Fulvio* in *Antiq. Rom.* in fine *de Instrum. Pontif.* seu *Sacrif.* ut & *Fulvio Ursino* passim in *Famil. Romanis*.

Altera Statua, quæ cernitur in Ædicula Occidentem versus, ad sinistrum Fontis latus, *Cereris* est insanientis. Alta est palmos octo, absque basi, admensuratis sandaliis seu crepidis non valde altis, similem vero priori coronam capite gestat, velumque modo unum retro habet, quod nodatur superius atque partem humeri dextri & levæ mamillæ procurrens tegit, lævum autem brachium tollit, sublimem tenens facem, extenditque dextrum brachium, actu quærentis *Proserpinam* filiam suam, raptam a *Plutone*. Fabulam narrat *Jo. Boccacius* in *Genealog.* Lib. VIII. Cap. IV. in *Cerere*, atque ita contigisse affirmat:

Cererem, quæ secunda in *Sicilia* regnavit, *Sicani* uxorem, a fratre *Jove* compressam, filiam peperisse *Proserpinam*, raptamque candem fuisse. Ira itaque & mœrore insanientem, accensa face, peragrasse Orbem, ut illam recuperaret; invenisse tandem, indicium ferente *Arethusa*, pro conjuge ad Inferos a *Plutone* abreptam fuisse. Conditionem itaque a *Jove* hanc obtinuisse, ut liceret eandem recuperare atque ad Superos reducere, si nondum quidquam ibidem degustasset. Quum itaque Inferos adiisset, invenisse

tria

tria modo grana Malogranati, pomi pulchritudine illectam, comedisse, quod ejusdem delictum aperuisse *Ascalaphum*, atque ita ad Superos re-
32 dire prohibitam. Obtinuisse tamen a *Jove*, ne propter tantillum peccatum semper Infernis damnata maneret tenebris, verum sex quidem menses cum Matre apud Superos versaretur, sex vero reliquos cum *Dite* apud Inferos.

Aperuit eadem Dea multa (ut tradunt) utilia humano generi, præsertim vero Agriculturæ ritum, fuseque de eadem agunt *Ovidius* Lib. V. *Fastorum*, & *Jo. Boccacius in Genealog.* Lib. VIII. Cap. IV. Sacra Scriptura vero *Genes.* Cap. IV. Agriculturam *Caino*, filio *Adami* tribuit, quod quidem longe credere præstat, quam anilibus Gentilium attendere fabulis.

Ambulacrum, ubi Fons *Ledæ* conspicitur, (prout superius diximus) longum est palmos nongenta quadraginta, latum vero viginti novem cum dimidio. Verum ubique æquali non est latitudine, quum e regione Palatii novem palmos in latitudine amittat per longitudinem quidem palmorum ducentorum octoginta sex.

In hac novem palmorum restrictione, ejusdem longitudinis, e regione Fontis *Ledæ*, alius est Fons, Fornice tectus, in Ædicula Columnationibus exornata, & copiosis Coronis ex lapide *Tiburtino* ab omnibus lateribus circumdato, excepta ista parte, quæ Fontem *Ledæ* prospicit. Planum hujus Fontis pavimento exornatur mixtorum lapidum octoangularium, sexangularium, quadratorum, aliarumque formarum, longo ab Oriente Occidentem versus palmos triginta duos, latoque non tantum dictos palmos novem, verum insuper densitatem seu spatium muri, atque universi Ambulacri inferioris, versus Hortum; lati palmos quindecim, ita ut tota ejus latitudo sit palmorum viginti quatuor.

Fons Equorum Marinorum.

In medio hujus Pavimenti surgit Fons Marmoris candidi, cujus basis formæ est triangularis, lunatæ aliquantum ad angulos. Super singulos tres angulos Leonis ponitur ungula, quæ inservit pro basi Marmoris, quod Columnæ quadratæ instar est, altumque (a basi usque ad Capitellum, quod foliato opere exsculptum est) palmos quatuor, cum *Sirenis* in summitate figura, supra Capitelli folia; ejusdem Columnæ pars interior lævis est, ad latera exterioresque partes striata, atque in illis partibus, quæ exterius in fronte sunt, varie eadem Columna exsculpitur vitibus in circuitu sursum serpentibus uvisque instructis, quas appetunt aviculæ rostris suis.

Sustinent dicta tria Marmora, mediaque inter illa ejusdem Marmoris Columna grandior Colubri in morem elaborata, Concham rotundam Marmoream candidam elegantissimis Coronis undique exornatam. In medio ejusdem, super Marmoreum quasi Collem elevatiorem, ex imo Conchæ, pectoribus innixi tres Equi surgunt Marini, sublatis in altum capitibus versus tres angulos, clunibusque in medio conjunctis; erigitur medias inter clunes eorundem Equorum Columella cum rotundo in summitate vasculo, ex quo scaturigo salit aquæ ex dicta *Rivellensi*, caditque inde super Equos in grandem illam
33 Concham.

Ad latera duo Fontis ejusdem, in eadem longitudine Ambulacri restrictioris duo sunt Receptacula Columnationibus exornata Hortum versus, longa singula ab Oriente Occidentem versus palmos quindecim, lata septem. Singula Sedilia duplicem Scalarum habent ordinem pro aditu alterius Ambulacri, quod supra Horti Sylvam seu Nemus est. Altera Scala ex lapide est

A plano *Tiburtino*, triginta cum uno graduum, descenditque versus Opertum Fontem, qui stat subtus illum Equorum Marinorum; altera, quæ ad oppositam tendit partem Ambulacrumque, gradibus triginta tribus, ex lapide est quoque *Tiburtino*, sed recta tendens linea, cum conjunctis ejusdem lapidis scalis & calce, in Ædicula magna cum Fornice, quæ sustinet Latum quod supra est Ambulacrum, & Vacuo suo semicirculum format, quod Vacuum in circumferentia circa centrum semicirculi est palmorum sex cum tribus quartis, totum depictum Prospectibus
B Ruralibus aliisque Picturis amœnis, sedibus interius in circuitu cinctum lapidis *Tiburtini*, ubi Aulicum famulitium refrigeranti in loco sese recipere potest, ut nullo modo Principibus obsint, qui in dicto Ambulacro animi gratia obambulant, dum ex superioribus Scalis descendunt. E regione istarum Scalarum descensus parva Ædicula est reponendæ Statuæ, alta palmos undecim cum tribus quartis, lata palmos quinque, cum sedilibus suis ex lapide *Tiburtino*.

Antequam post Scalarum harum descensum reliqua Sylvæ seu Nemoris, atque ipsius Horti planiciem contempleris, per dictum Ambulacrum
C grande itur versus Occidentem, atque in ejusdem extremo Pergula cernitur Operta, satis alta, quæ alteram sustinet Prgulam Columnationibus instructam Apertamque, quam superius dixi Sphæristerio eminere. Introitus hujus Pergulæ valde est magnificus, spectaturque ibi quomodo opere Marmorato, deaurato, depictoque egregie, coronare eandem Princeps cogitaverit, tam scilicet Fornicem ejusdem quam latera seu parietes. Habet autem intus quatuor ædiculas quadratas pro Statuis, totaque candidi est coloris. A quatuor lateribus quatuor habet fundos, altos, atque Fabricæ respondentes, primus illo-

Pergula Operta.

D rum versus Palatium est, unde in Porticum pervenitur inferiorem, per Scalam planam viginti duo graduum, ex Lapide *Tiburtino*. Oppositus fundus Hortum versus porrigitur atque Septentrionem, exitque in Liminare seu exiguam Pergulam Apertam, quæ foras extenditur supra Portam Fontis *Dianæ*; atque ab illa parte circa fundum illum in quatuor fornicatis ædiculis, quarum ad singula latera duæ sunt, Hortum versus, quatuor stant Statuæ, quæ singulæ octo palmos cum sexta parte altæ sunt, & quatuor anni tempora designant, *Ver*, *Æstatem*,
E *Autumnum*, *Hyemem*, ex lapide Piperino dealbato. Utriusque fundi pavimentum longum est palmos quinquaginta duo, latum viginti sex, formæ ovatæ, prout etiam ipsa Fontis est fabrica. Tertius fundus prospectum versus Occidentem habet, cum Columnatione Lapidis *Tiburtini*, & Pavimentum ejus longum est palmos viginti sex, latum viginti, & quasi duas tertias superiores Crucis conficit. Pars Pergulæ istius, quæ versus Ambulacrum prospicit, in pariete, qui Prospectum Ambulacri habet, circa introitum Pergulæ, in duabus Ædiculis Fornicatis duas habet Statuas candidi Marmoris, alteram ad dex-
F trum latus, alteram ad sinistrum.

Fons Dianæ.

Statua ad dextrum latus *Cybeles* est, alta palmos octo cum duabus tertiis, absque turri, qua 34
caput tegitur, quæ turris exigua est, atque illâ pro more coronatur; cothurnos pedibus habet aptatos, longaque veste ad genua usque tegitur, sub mamillis autem cincta est, baculum dextra manu, eo ritu, quo hodie Tamburini solent, elevans, ut tympanum pulset, quod sub lævo brachio tenet trunco arboris innixa. Simile autem est Tympanum illi instrumento, quod tintinnabulis undique cinctum ludicra arte puellæ *Ro-*

ma-

manæ atque *Tiburtinæ* votare sciunt. De *Vesta* autem diffusius non agemus, quoniam Capitulo VI. de eadem loquendi erit locus, ubi de Falsis Diis Religionibusque *Tiburtinis* loquemur, atque etiam de *Vesta*, quæ Templum quoque in hac ipsa Urbe habuit.

Altera Statua, ad lævum latus, *Pomonæ* est, alta palmos novem, cum quarta parte, longa veste ad talos usque defluente induta, sub mamillis pariter cincta, superindumentum etiam habens super humerum colligatum, ut & sub dextro brachio, dependente eadem manu inclusa aliquot poma gestans. Caput fructibus coronatur, lævaque pariter corbem cum fructibus sustinet.

Pomonam hanc, quam Deam constituerunt fructuum, Nympham fuisse fingunt, a *Pico*, Rege *Ausoniæ*, *Saturni* filio adamatam, atque ejus voluntati obsequium præstitisse. Sed & eundem *Picum* ab insigni Maga *Circe* adamatum fuisse narrant, quam quum præ *Pomona* contemneret, irata *Circe* in Picum avem ex nomine ejus dictum convertit, quæ præter Regium nomen habitum etiam retinet versicolorem. Fuit eadem hæc *Circe*, quæ postea *Ulyssis* socios in variæ formæ mutavit animalia. Qui autem plura videre desiderat, adeat *Jo. Boccacium* in *Genealog. Deor.* Lib. IV. Cap. XIV. in *Circe*, & Lib. VIII. Cap. X. in *Pico*, & Adnotationes ibidem. Quibus in locis (ut & apud *Boëthium Severinum* in *Consolatione Philosophiæ* Lib. IV. Carm. III.) videre est, quid hoc Symbolo mutationis in bestias innuerint Antiqui. Eandem hanc *Pomonam* quidam a *Vertumno*, uno ex Gentilium Diis quoque adamatam fuisse perhibent.

Inde per idem Ambulacrum devenitur ad aliam extremitatem ejus Orientem versus; atque in prospectu medii Ambulacri Fons surgit, qui aquam capit ab eadem *Rivellense* sæpius laudata.

Fons Europæ. Ædicula istius Fontis alta est palmos sexaginta; lata, absque ornamentis, viginti unum, Fornice superius tegitur, atque ad latera duas habet Ædiculas, singulas altitudinis palmorum undecim, atque cum istis Ædiculis atque Ornamentis lata est palmos quinquaginta octo.

Habet in fundo suo pilæ insistentem atque ita elevatam a terra Concham quadrangularem, latam palmos undecim cum tertia, longam palmos quinque, cum quatuor quintis, Marmoris candidi, lævis, & corona tantum exterius sub oris cincta. Interius autem magis, in ipsius Fontis Ædicula, supra Conchæ hujus oram, Statua jacet *Europæ*, similis Marmoris, longa palmos quindecim, dimidiata pectoris parte, ut & reliqua membra inferiora velata, dimidiata vero pectora ut & brachia collumque nuda, prosternitur vero super Marmoreum Mare, lævumque brachium super Tauri porrigit tergum, a quo raptam eandem, ejusque dorso per Mare vectam
35 fingunt.

Fabulantur autem *Europam* filiam fuisse *Agenoris*, pulchram, facieque præstantem, quæ dum cum aliis virginibus ludit & choreas agit ad littus Maris *Phœnicii*, jussum ab *Jove* fuisse *Mercurium*, ut in littus illud armenta ageret, quæ custodiebat in *Phœnicum* Montibus. Quod quum fecisset *Mercurius*, candidi Tauri formam assumsit *Jupiter*, præstantissimâ inter armenta reliqua formâ, propiusque ad *Agenoris* natam mansueto accedens habitu, tractari manibusque palpari ab illa sese sivit; tandem ausa virgine terga ejus conscendere, fraudulentus ille *Jupiter*, idipsum desiderans, falsa sub imagine tauri pedetentim mare ingressus, littora reliquit. Quo facto territa *Europa* arctius sese dorso ejus applicans, cornua

A firmiter prehendit, atque vecta ab eodem est in Insulam *Cretam*, cujus superius mentionem feci, ubi assumto veri *Jovis* habitu eandem compressit, atque ex eadem filios tres sustulit, *Minoa*, *Rhadamanthum*, atque *Sarpedonem*, inque ejus honorem nobilissimam Mundi partem, quæque reliquis imperat, *Europam* ex ejusdem appellavit nomine. Atque hoc minimum est ex furtis *Jovis*, quod & videre est apud *Boccacium* in *Genealog.* Lib. II. Cap. LXII. in *Europa*. In Ichnographia hujus Horti, quæ æri incisa edita est anno MDLXXV. Statua hæc *Thetidis* venit nomine, cujus tamen Deæ nullum Signum
B invenio.

Præcipuæ jam Scalæ, quibus descenditur in Hortum atque Ambulacrum, immediate super Clivum Nemoralem ejusque Fontes, superius a me descriptæ sunt, quas dixi descendere a duabus istis pro quiescendo Stationibus seu Locis, quæ sunt circa Fontem *Equorum Marinorum*; quare inde nobis flectendus esset gradus ad Nemoralia, quæ in superiore loco sunt. Sed quoniam occupor jam descriptione Fontis *Europæ*, ad caput Ambulacri Magni flectere inde iter est animus versus Hortum, per Scalam descendendo
C graduum triginta trium, quæ ex lapide *Tiburtino* structa est linea recta lapidibus adstrictis *Tiburtinis*, & calce, atque versus Collem Lauris egregie consitum, in cujus summitate Alatus spectatur Equus, *Pegasus* dictus, longus palmos novem, sine capitis admensuratione, pedibus retro insistentibus Monticulo ex lapidibus rusticis spongiosisque coagmentato in medio ipsius Fontis, qui Lacus in morem dilatatur, atque clauditur Muri circuitu, lati palmos viginti duos, atque lapidibus rusticis. *Pegasus* vero iste elevatos salientis ritu priores habet pedes, humerisque exstantes pariter in sublime alas, totus ex
D lapide *Tiburtino*, præstantissimi artificii. *Heliconem* in Fabulis hunc Caballinum appellant Fontem Poëtæ propterea, quod *Pegasi* equi ungula excitatus sit, atque *Musæ* eundem delicias suas atque mansionem elegerint. Fons hicce aquam suam quoque a *Rivellensi* nanciscitur.

Fons Pegasi.

Reditur hinc retro versus Ambulacrum Secundum, quod est infra longum Murum, qui sustinet Primum Ambulacrum Magnum, atque Clivum Nemoralem; Longum Ambulacrum 36 illud est palmos nongentos septuaginta, latum quindecim. Murus, qui ad latera Ambulacrum
E sustinet, Fornicato opere, stabulandis intus feris, quæ in Nemore vagantur, exstructus, sustinet & Ambulacrum Magnum superius, altusque est palmos triginta duo, superneque constringitur ingentibus saxis *Tiburtinis* ad dimidii palmi magnitudinem sectis, supra quæ saxa XLV. rotunda Vasa sunt egregie elaborata, alta palmos quatuor cum quarta parte, floribus aliisque plantis rarioribus consita, sunt autem cocti lateris.

Nemus seu Sylvam versus Hortumque Ambulacrum illud celsissimas habet Ulmos, ut & Lauretum; Arbusta varia, inter quæ & quæ nobis *Corbezzole* & *Latinis* dicuntur *Cerasa Mari-*
F *na*, Myrtus, Ilices aliæque arbores, quæ virere semper Sylvam faciunt, præter hederam Ulmis circumplicatam; quæ ardentissimo æstatis tempore solem defendunt Magno illi Ambulacro, atque amœnum idipsum reddunt. Ipsius quoque Ambulacri solum musco Sylvestri (quali Fontes Nemorales musco quoque virent) amœnum oculis reddit spectaculum, mollemque ambulantibus viam. Et licet hoc ipsum Ambulacrum intersecetur Atrio, seu Subporticu Fontis, quæ stat sub prædictum Equorum Marinorum Fontem, nihilominus fundi ejus Atrii adeo sunt lati, ut

ut non vel prospectum adimant, vel spatium deambulandi in eodem Ambulacro, ab altera Extremitate usque ad alteram.

In Extremitate hujus Ambulacri Orientem versus sub ultimo dicto ordine Scalarum invenitur Fons ex lapidibus spongiosis rustico more adornatus, altus palmos viginti, latus palmos undecim, atque intus similiter totidem palmos undecim excavatus, arcuatus, atque aquam suam ex sæpius laudata *Rivellensi* acquirens. Intus stat *Æsculapii* Statua, ex Marmore candido, decem palmos alta cum tertia parte, tota vestita, excepta dimidia brachiorum, atque anteriore a pectore sursum parte, pedibus calceatis, cubitoque dextro innixa extremitati tenuiori grandis & nodosi baculi. Barbata quoque eadem & capillata est, atque contorta caput fascia cincta, non dissimilis illi, quam puerulis apponere solemus, ne in cadendo capita iisdem vulnerentur. Inferius ad lævum pedem Anguis sursum ad caput *Æsculapii* tendens prorumpit.

Fons Æsculapii.

Æsculapii hæc est Historia: narratur fuisse filius *Apollinis* & *Coronidis* Nymphæ, quam quum telis suis, adulteratam suspicatus interfecisset *Apollo*, matris utero extractum filiolum *Chironi* tradidit Centauro nutriendum. Peritissimus inde in Arte Medica evasit, ita ut medicamentis suis fabulentur eundem ab Orco revocasse in vitam laceratum *Hippolytum* injustis jugalibus, ut & ad *Dianæ* preces alterum ex *Castoribus*, quare propter novæ rei exemplum fulmine a *Jove* tactus fuit. Licet etiam sint, qui duos fingant fuisse *Æsculapios*.

Anguis seu Serpens illi dedicatur, quod Medicinæ Deus præsit *Æsculapius*, atque multa pro eadem arte ex Serpentibus proveniant remedia, prout *Plinius* testatur *Hist. Natur.* Lib. XXIX. Cap. IV. Effigiem ejusdem pariter cum serpente atque baculo ponit *Fulvius Ursinus*, in Familia *Acilia*, Denario primo, reique historiam narrat. Quatuor illi liberi tribuuntur, *Hygia*, *Egle*, *Panacea*, & *Iaso*, ut & inferius dicturi sumus sequenti Cap. VI. ubi de Religione Antiqua agentibus de *Hygia* locus dicendi erit. *Fulvius Ursi-*
37 *nus* præterea ibidem existimat filiam insuper habuisse *Sanitatis* Deam. Consuli de *Æsculapio* potest *Jo. Boccacius* in *Genealog.* Lib. V. Cap. XIV. in *Æsculapio*.

Prope *Æsculapii* Fontem, in altero Anguli Pariete, qui ad Murum dictæ Scalæ, atque Murum Longum Ambulacri exstructus est, in alio Fonte, similis altitudinis, longitudinis, excavationis atque operis, Statua cernitur Matronalis, ex simili Marmore, alta palmos novem cum tertia parte, pedibus calceatis, *Romano* vestita more, præter extremam dimidiamque brachiorum partem mammas versus, & quidem duplici veste, crinem vero in caput retortum habet; Dextra serpentem tenet, sinistra vasculum, a quo Serpens sese proripere velle videtur.

Hygiæ Statua.

Variæ de hac Statua eruditorum sunt opiniones. Volunt quidam *Angitiam*, quam alii vocant *Agenoriam*, filiam *Solis* & *Circes* eadem repræsentari. Festos ejusdem dies celebratos a *Romanis* decima octava *Decembris* die, tradit *Jo. Boccacius* in *Genealog.* Lib. IV. Cap. XV. in *Angitia*, sacrificabant vero illi in Ara *Volupiæ*. Eandem hanc *Angitiam* cum *Medea* facit *Blondus Flavius* in *Italia Illustrata*, *Regione* IV. atque adeo regnasse in *Marsis*, quæ Provincia nunc quidem *Abruzzo* dicitur, sitaque in *Italia* est; docuisse autem remedia contra Serpentes, atque inde *Medeam Angitiam* dictam fuisse, tanquam quæ afflixerit atque fugaverit Serpentes, unde

A & Serpens, quem manu tenet altera, a vasculo illo refugiat. Hæc *Blondi* opinio refutatur *Solini* auctoritate, qui Cap. VIII. in medio, *Angitiam* sororem vult fuisse *Circes*, atque regnasse circa Lacum *Fucinum*, qui in *Marsis* est, atque ibi remedia ista contra Serpentes docuisse, *Medeam* vero diversam ab eadem fuisse, longe autem post *Angitiam* filium *Medeæ* in *Marsis* Regnum tenuisse. *Silius Italicus* Lib. VIII. in fine, *Anguitiam*, eorum respectu remediorum, appellat.

Verum alii intelligentiores Antiquitatum eandem esse cum dicta *Hygia*, filia *Æsculapii*,
B volunt, quæ juxta patrem suum *Romæ* Statuam habere solebat, prout & inferius Cap. VI. docebimus. Nec aliam diversamve eandem puto *Hygiam* ab *Dea Sanitatis*, quam commemorat *Fulvius Ursinus* in Familia *Acilia*, ubi filiam eandem facit *Æsculapii*, neque, ut hic, collecto capillo, sed dependente facit, dextra serpentem tenentem.

Habet Fons hic aquam suam ex memorata sæpius *Rivellensi*, duæque illæ commemoratæ *Æsculapii* Statuæ, ut & *Hygiæ*, eodem in loco adhuc in Horto consistunt, prout positæ sunt
C in Ichnographia ejusdem, edita in lucem anno MDLXXV. *Romæ*, numero scilicet 8. neque, ut multæ aliæ, locum mutarunt.

Pergendo jam per Ambulacrum illud Occidentem versus, ubi medium illud pertransiveris, ad Fontem venis, qui a quibusdam *Hydra*, ab aliis *Pandora* dicitur. Est subtus illum Equorum Marinorum; Aditum vero seu Atrium habet quadrangularem, quod Ambulacrum intersecat duobus fundis seu Portis ingentibus Arcuatis, rotundis, altitudinis palmorum novendecim, latitudinis palmorum novem ab Aditu suo, cum Columnationibus lapidis *Tiburtini*, atque 38
D lapidis similis Porta Magna, duabusque Fenestris versus Hortum quadrangularibus, in quibus Fenestris Columnationes sunt, quibus inniti possis. Fons intus altitudinis est palmorum viginti, absque fundo, qui valde depressus in ipsam terram recedit. Vacuum, quod intus est, longum est palmos novem cum dimidia parte, latum Statuam versus octo palmos cum dimidio. Tota hujus Fontis Structura Musivo rudi, ex lapillis versicoloribus, elaborata est, ita ut amœnum in morem repræsentet anates atque alias volucres variaque ejus generis ornamenta.
E Intus in cavo Fontis *Hydra* surgit septem terribilis capitibus, atque inde a quibusdam *Hydra* dicitur ipse, ut superius tetigimus, Fons. Desuper *Hydram* atque spongiosos Fontis lapides directo Statua apparet Matronalis ejusdem Marmoris, alta palmos novem cum dimidio, capite floribus coronato, atque stola pedes usque diffluente vestita, aliudque super habens indumentum, quod a collo usque ad genua pertingit, sub quo manus continentur, quibus levatis versus pectora intus in velo isto inferiorem partem vasculi altitudinis unius fere palmi continet deor-
F sum conversis oris, leve undique & glabrum, quasi rem quandam sacram gestaret, occultandamque mortalium conspectui.

Fons Pandoræ.

Hanc quidam *Pandoræ* asserunt esse Statuam, unde & *Pandoræ* eundem appellant Fontem, atque vasculum illud id ipsum ajunt significare, ex quo effusa in Orbem omnis generis mala fuerunt.

Pandoræ autem nomen pluribus applicatur; fabulantur enim quidam *Noachi* nurum fuisse. *Pandoros* autem populos, quorum mentionem facit *Plinius* in *Hist. Nat.* Lib. VII. Cap. II. qui ducentos annos vivere eidem dicuntur, hic

non commemorabimus. Finxere & Antiqui *Pandoram* quandam, quæ vas aliquod manibus teneat, unde cuncta hominibus mala provenerint, atque hanc de eadem Fabulam narrant:

Ex luto quondam humanæ similem figuram finxerat *Prometheus*, excellenti admodum artificio; hanc quum vidisset *Pallas*, tam impense sibi placere professa est, ut assumto secum in cœlum *Prometheo*, spoponderit perfecturam, quodcunque illi pro perfectione ejus *Iconis* deesse videretur. Ille itaque sumta face ad rotam Solis eandem accendit, fictamque effigiem eadem animavit; Andax hoc facinus indignati Dei, ipsum

Promethei fabula.

Prometheum alligari *Caucaso* Monti fecerunt, immiseruntque illi Aquilam seu Vulturem, quæ crescentem continue jecorem depasceret; hominibus vero immiserunt *Febrim*, *Macilentiam* & *Fœminas*, aliaque multa mala, quæ recenset *Jo. Boccacius* in *Genealog.* Lib. XLIV. Cap. XLIV, in *Prometheo*. Verum Commentatores ibidem *Boccacii* Scriptorum *Græcorum* auctoritate aliam affirmant iræ Deorum causam fuisse. Ex *Hesiodo* enim probant *Pandoram* hanc non fuisse formatam a *Prometheo* mulierem, verum a *Vulcano*,
39 ex jussu *Gratiarum*, Deorumque singulos singulas eidem dotes dedisse. *Epimetheo* deinde, *Promethei* fratri, vasculo inclusam datam fuisse, ne aperiret interdicto; verum illum aperuisse, unde omnia in Mundum mala effluxisse, calamitatesque universas, quibus repletum idem vas erat. Affirmat idem *Dionysius Lambinus* in Commentariis super *Horatium* Lib. I. Ode XXXV. versu 21. ita ut omnes inde evolaverint, una Spe reliqua, quæ in fundo resederit.

Credunt autem alterius ex eisdem hanc esse Statuam, verum falluntur, nam *Pandora* quidem *Promethei* esse nequit, quem virum fingunt, quum hæc muliebris sit Statua; ut nec *Vulcani* virgo *Pandora* item nuncupata, quam *Hesiodus* recenset Lib. I. *Operum & Deorum*, Neque enim convenit apportatricem illam malorum & calamitatum omnium floribus redimiri, quod tamen fit in hac Statua, licet sua quique ex Diis dona illi apportaverint. Præterea vas illud *Pandoræ*, sive jam virum a *Prometheo*, sive mulierem a *Vulcano* fictam intelligamus formatamque, continuit intus (atque ita passim pingitur sculpiturque) *mortem*, *dolores*, *febrim*, *proditionem*, *pallorem*, *fœminas*, & omne malum, quibus Mundus affligitur; quod tamen in hac cœlatura non observatur.

Opinio Auctoris.

Omnes itaque falli credo, & verius Statuam hanc repræsentare quandam ex castis illis *Sentæ Faunæ* Sacerdotibus, de qua Dea superius jam egimus, seu ex illarum genere, quæ eidem Deæ Sacra faciebant. Utut sit, non licitum fuit virilem inferre imaginem in *Sentæ Faunæ* Templum, sed inferebatur vas vino plenum, quod tamen (ut superius diximus) non vini sed lactis vocabatur nomine, ipsumque vas *mellarium* dicebatur. Ideo autem credi potest hic illi subjectam *Hydram*, quoniam Serpentes in ejus Templo apparere dixerunt. In signum vero castitatis ejusdem Deæ, ut & Matronarum, quæ illi sacra faciebant, floribus caput Statuæ cingitur. Agemus de eadem uberius sequenti Cap. VI. In Ichnographia hujus Horti *Romæ* edita anno MDLXXV. appellatur Statua hæc *Pandoræ* Num. 10.

Fons Dianæ.

Exitur inde iturque per Ambulacrum Occidentem versus, atque ad idem latus in fine Ambulacri celebris ille *Dianæ* invenitur Fons, qui sumtosissime & artificiosissime constructus est,
A licet jam temporis idem multum de pristino splendore amiserit, quum ad alium loci dominum pertinuerit, qui quum hæredibus ex sanguine suo illum non relinquere posset, passim talia neglexit ornamenta. Hujus mutationis hæc est ratio: Diem suum obiens supremum Gloriosæ Memoriæ *Hippolytus*, Cardinalis *Ferrariensis*, Testamentaria dispositione voluit, ut in *Tiburtina* hæreditate succederet sibi Cardinalis *Estensis*, deficientibus autem Cardinalibus ex Domo *Estensi*, succederet Decanus Collegii Cardinalium. Quum autem ipse moreretur, Cardinalis ex *Estensi* Familia Gloriosæ Memoriæ
B erat *Aloisius*. Qui quum & ipse extinctus esset, 40
nullusque inter Cardinales Domus *Estensis* superesset, Collegii ejusdem Decani locum illum ut ad se devolutum postulabant, ajebantque satisfactum Testamento Cardinalis *Hippolyti*, primo isto actu, atque prima successione Cardinalis *Aloisii* ex Domo *Estensi*, jam mortui. Examinatis itaque (contra nitentibus pro retinenda possessione illis ex Domo *Estensi*) Testimoniis Testamentariis, ipsisque (qui adfuerant) Testibus, quum satis appareret voluntatem Cardinalis *Hippolyti* fuisse, ut perpetuo in possessione Domus *Estensis* maneret, licet dubie a Notarii manu ex-
C pressum esset, lites inde ortæ sunt, quibus durantibus Decano tum temporis per interim usura loci cessit. Verum quum post duodecim circiter annos novus ex *Estensi* Domo creatus esset Cardinalis Illustriss. & Reverendiss. *Alexander Estensis*, recuperavit is pristinam possessionem, atque reposuit Statuas, quondam ab *Aloisii* hæredibus sublatas, vastaque loca resarcire studuit, quæque labem passa fuerant litis tempore, corrigere omni ope annixus est. Isto itaque tempore gravia damna etiam hic Fons passus fuit una cum aliis, qui pro majori parte imperfecti relicti sunt, quales multi inveniuntur.

D Brevem hanc Digressionem facere volui, ne si quis Fontem hunc pulcherrimum *Dianæ* ita indigne cernens habitum, similiaque neglecta ornamenta, cogitet, naturales Ædis hujus Dominos, Principes *Estenses*, quorum sumtibus Structuræ hæ factæ & refectæ sunt, impensis scutatorum octingentorum millium, ut ex tabulis expensi patere potest, tam negligenter pulcherrimum hunc locum habuisse.

Ut vero jam ad Fontem redeam, dico tædiosum me fore, si singulas ejus enarrare vellem pulchritudines, quare præcipua quædam breviter
E tantum recensebo.

Intus in Vacuo suo Crucis figura hic Fons exstructus est, ubi enim intraveris, spatium reliquis invenitur longius, atque ab altero Capite seu Extremitate e regione Portæ Ædicula cernitur Fontis *Dianæ*, atque transversim secatur ad dextrum latus alio plano, atque Ædicula pro Statua *Bellonæ*, seu *Minervæ*, prout appellare lubuerit, a sinistra autem alio rursus Plano, quod exit in Pergulam Occidentem versus. Universi Fontis Pavimentum ex quadratis lapidibus est coctis atque vitro incrustatis, Aquilis albis (quæ pro Insigni esse Domui *Estensi* diximus) distinctis, ut & Liliis Flavis ex *Gallorum* Regis insignibus, Malisque Aureis, quæ
F pro emblemate *Estensi* item fuerunt Cardinali *Hippolyto*. Testudo superior atque parietes laterales ex Musivo Rustico sunt, lapillis varie coloratis, ornatisque *Persei*, & liberatæ ab eodem *Andromedæ* historia, ut & *Actæonis*, in cervum mutati, quum inscius lavantem vidisset *Dianam*, atque aqua ab eadem conspersus fuisset, & dein a suis dilaceraretur canibus; *Daphnes* item, quæ insequente *Apolline*, ubi jam jamque ab

41 ab eo teneretur, in semper-virentem commutatur Laurum; *Syringis* item a *Pane* adamatæ, atque, ubi, prohibentibus aquis, nullum pateret effugium, in tremulam cannam litoralem commutatæ; *Pana* autem Nemoris Deum Veteres constituerunt; *Callistæ* præterea, quæ quum una esset ex *Dianæ* choro, gravida comperta furtivo Dei concubitu, ab eadem fugata atque in Ursam commutata fuit; Suntque præterea aliæ similes ibidem Historiæ, atque alia ornamenta.

Antequam vero ad illam venias Ædiculam, ubi Statua est *Dianæ*, intras in Aditus Planum, quod longum est palmos quatuordecim, latum viginti quatuor, altum vero viginti duos. In utroque Aditus latere Statua est Marmoris candidi, *Amazonem* repræsentans. Illa vero *Amazon*, quæ ad intrantis est dextram, lævam vero, respectu Ædiculæ *Dianæ*, alta palmos octo, sine basi, capillisque retro in nodum collectis, virili longe magis quam muliebri facie spectanda venit. Dextra manu elevata scipionem tenet rotundæ formæ breviorem, ut solent esse Ducum, quasi ipsa quoque Dux *Amazonum*, atque sinistram manum ad pectus elevatam tenet. Duo quasi vulnera habet, alterum supra, alterum infra mamillam dextram, ex quibus guttulæ velut sanguinis effluunt; veste subtili seu pellucida tegitur tanquam sericea, quæ dimidiata contegit dependens femora, infra dextri lateris cincturam, a læva autem parte sinistram tegit mammam; supra dextram vero mammam & retro ad tergum a collo dependet chlamys. Nudæ utriusque pedis plantæ sunt, ad latera autem truncum habet arboris, cum pelta atque bipenni, quæ propria harum Viraginum arma esse solebant, prout ab *Ovidio* describuntur Lib. III. De Ponto, Eleg. I.

Statuæ Amazonum.

Secunda *Amazon*, quæ e regione prioris est, atque ejusdem altitudinis octo palmorum sed cum dimidio non admensurata galea cristata in vertice, ex qua prodeunt alicubi virginales capilli. Vestis tenuis similis alterius est Statuæ, qua pariter ut alter ailla tegitur, nisi quod pectus aliquanto magis habeat opertum. Dextrum brachium elevatum tenet implicitumque arcus extremitati, sicut depressum alterum brachium ad alteram arcus extremitatem, tanquam tendere eundem velit; ad sinistrum vero latus phraretra pendet plena sagittis, statque pariter acclinis arboris trunco, unde pelta atque bipennis dependet, ut diximus in superiori Statua, lævamque pedis plantam ostentat tectam tanquam calceamento pro adnectendis calcaribus in equitandi usum.

Abeunt duæ hæ Statuæ in illo a more *Amazonum*, quod hæ virgines juxta *Pomponium Melam* Lib. III. Cap. IV. dextra careant mamma, quæ recens natis aduri solet, ut ita melius adultæ arcum endere possint. Verum Sculptores, in utraque repræsentanda mamma, videntur maluisse sequi perfectionem naturæ, quam defectum arte pro belligerandi commoditate inventum.

Traduntur hæ *Amazones* fuisse viragines,
42 quæ peculiarem sibi constituerint Rempublicam, atque ex sexu suo Reginam habuerint, virili Imperio haud obedientes, nec commercia cum viris habuisse solita, verum bello etiam prosequutas fuisse. *Solinus* Cap. XXI. & *Pomponius Mela* Lib. I. Cap. II. & XXI. atque Lib. III. Cap. V. narrant habitasse citra Montes *Cimmerios* versus Marc *Caspium*, in illa *Asiæ* parte, quæ in Mare, *Oceanum Scythicum* dictum, procurrit, cujus incolæ *Tartarorum* nobis hodieque nomine veniunt. Hæ mulieres ab omnibus Scriptoribus describuntur, ut feroces, & ab omnibus muliebribus officiis consuetudinibusque abhorrentes; traduntur etiam in *Trojanorum* auxilium venisse contra *Græcos*, Duce *Penthesilea*, ut in *Iliade* demonstrat *Homerus*, atque ex earundem stirpe fuit *Camilla* illa *Virgiliana*, quæ adjutum ivit *Turnum* & *Rutulos* contra *Æneam*, bello isto *Italico*. Hinc qui inter veteres gloriosum aliquid perpetrare vellet, contra easdem proficiscebatur atque bellum gerebat, quod fecisse dicuntur mortalium fortissimi *Hercules* & *Theseus*.

De origine harum atque incrementis agunt *Paulus Orosius*, Commentatoresque ad eundem. Neque de illis ut fabulosa sed tanquam vera narrantes agunt Historici, celebrantque ut *Asiæ* atque *Europæ* terrorem, quo ex *Libya* transiisse affirmant Commentatores *Jo. Boccacii*. Narrat etiam *Justinus*, quod quum in *Asia* magnas res gereret *Alexander Magnus*, in extremis ejus oris occurrerit ipsi Regina *Amazonum* cum exercitu nationis suæ, desideraveritque ex ejus complexibus prolem suscipere, famæ ejus allecta magnitudine, licet alias consuetudinem virorum odio haberent, neque mares alerent, additque, quod quum per aliquot dies, quoad uterum implesse videretur, cum Rege m orata fuisset, recesserit.

Qui plura de *Amazonibus* desiderat, aderat *Plinium Histor. Natur.* Lib. VI. Cap. VII. & XIII. *Curtium* de Gestis *Alexandri Magni*, *Solinum* Cap. XXI. *Pomponium Melam* Lib. dicto, Cap. II. & XXI. *Jo. Boccacium* in *Genealog.* Lib. X. Cap. XLIX. in *Theseo*, & Lib. XIII. Cap. I. in *Hercule*, ut & Adnotationes ad dictum Cap. I. denique & *Justinum*.

Interius magis, versus Ædiculam Statuæ *Dianæ*, ad dextram manum dictæ Ædiculæ, cernitur Aditus simili instructus Pavimento, atque opere Musivo Rustico in circuitu atque superius in Fornice, longus autem est palmos quindecim, latus palmos quatuordecim cum dimidio. In Prospectu autem ejusdem stat in Ædicula Fontis, qui *Rivellensem* pariter accipit aquam, Statua similis Marmoris, alta palmos decem sine basi; est autem *Bellonæ*, quæ quandoque & *Minerva* dici solet, nonnunquam & *Pallas*, secundum varia, quæ illi a Gentilibus tribuebantur, Officia; ensem dextra manu tenet, læva clypeum, cui *Medusæ* anguicomæ imprimitur facies, in capite cristata est galea, prorumpentibus capillis sparsis per humeros. Tota *Romano* more ad pedes usque vestita est, ad pectus vero dependet Chlamys a gutture, dextro autem genu stat protenso, lævoque retro retracto, pugnantis vehementique impetu adorientis ritu.

Bellonæ Statuæ.

Narrat hanc *Jo. Boccacius* in *Genealog.* Lib. V. Cap. XLVIII. in *Minerva*, filiam fuisse *Jovis* Secundi, atque eandem cum *Tritonia*, cui 43
perpetuam tribuerunt virginitatem, quam tamen matrem fecerunt *Apollinis* Primi, sororem vero atque aurigam *Martis*, inventricem ducemque belli, unde & a *Belli* voce *Bellona* dicta fuerit. Antiqui armis describunt potentem, oculis sævis, manu hastam tenentem prælongam, quarum rerum significationem ibidem exponit *Jo. Boccacius*.

A sinistra parte Ædiculæ *Dianæ*, e regione Statuæ *Bellonæ* Aditus rursus est eodem Pavimenti genere stratus, cum Musivo in circuitu Rustico, ut & superius in Fornice, longus palmos quindecim, latus quatuordecim cum dimidio, ex quo Occidentem versus intratur in Pergulam Columnationibus exornatam ex lapide *Tiburtino*, longam palmos novendecim, latam duodecim, Historiato pariter opere Musivo, seu Fa-

Fabularibus exornatam argumentis.

Inter tres Aditus atque Ædiculam Fontis *Dianæ*, Quadratum stat Structuræ ipsius Fontis, quod conjungit in Crucis figuram reliquas in meditullio partes, longum vero est palmos viginti duo, altum viginti quatuor, undique quadratum. In summo seu Fornice ejusdem Quadrati pariter variæ figuræ amœna valde positione Musivo opere elaboratæ sunt, atque deauratæ. Cernitur & ibidem Aquila alba, operis Musivi, composita ex Marmore omni zaccharo candidiore & splendidiore, quod revera non longe ab his locis inventum fuit. Sub Aquilæ vero pedibus cernuntur rami arboris cum malis Aureis, solitum Cardinalis *Ferrariensis* Symbolum.

Juxta Quadratum illud in Prospectu ad Introitum, Ædicula Fontis est egregie ex Musivo opere elaborata, alta palmos viginti tres in Vacuo suo, atque lata quatuordecim, quæ & aquam a prædicto Fonte *Rivellensi* accipit. Intus vero super Fontis aggestum ex lapidibus spongiosis atque lævibus etiam, ut & splendentibus glaciei instar, conchiliis marinis, ramis corallinis, similibusque pulchris ornamentis, lapillisque, inter quæ in summo emicant rivuli dictæ aquæ, atque decurrunt ad inferiora, Statua cernitur *Dianæ*, ex simili Marmore candido, alta palmos octo cum tribus quartis, cothurnata, coma artificiose in nodum collecta, & lunam corniculantem super caput gerens. Vestita tota genu usque est subtili veste, habetque præterea velum seu sudarium, quod per plicas a collo decurrens pro zona admirabili artificio lumbos circumdat. Sinistrum genu protendit, dextrumque retrahit, pharetram dextro gerens humero, utrumque brachium nudum habet, lævaque arcum ritu curvantis in transcurrentem tenet leporem.

Dianæ Statua.

Narratur hæc *Jovis* atque *Latonæ* fuisse filia, uno partu cum *Apolline* edita. Celebris autem fuit propter perpetuam virginitatem, & quoniam fugiens consortium hominum Sylvas habitaret atque feras venaretur, arcum illi affinxerunt pharetramque, & cinctam fecerunt altè, Deamque constituerunt Nemorum & Montium; Currui ejus candidos duos junxerunt cervos, Nymphasque dedere pro servitio.

44 Quare vero hæc illi Deæ attributa fuerint, diligenter inquirit *Jo. Boccacius* in *Genealog.* Lib. V. Cap. II. in *Diana*, & Lib. IV. Cap. XVI. in *Luna*, ut & Commentatores ejus ibidem, ubi inter alia ex *Theocriti* Idyllio II. cognoscitur Festi quoddam genus αἱ Καvηφορίαι dictum, in quo virgines nupturæ, ut *Dianæ* iram pro amittenda virginitate placarent, calathos cum variis donis ad ejusdem Templum in sollemni pompa deferebant.

Quatuor sunt Aditus, quibus ex Ambulacro hoc superiori Nemorali descenditur ad alia inferius sita. Horum unum est e regione Fontis *Dianæ*, cum uno tantum descensu secante partem superiorem Nemoris deorsum, Orientem versus. Secundus Aditus e regione Fontis Sacerdotis fœminæ *Sentæ Faunæ* est, seu *Bonæ Deæ*, atque in plano suo habet Columnationem lapidis *Tiburtini*, quæ supereminet prospectans versus Nemoris Hortique partem decliviorem, habet autem descensum suum ad sinistram manum Occidentem versus deorsum, alterumque item ad dextram e regione descendentem deorsum Orientem versus. Tertius Aditus similes duos descensus descriptis modo secundi habet Aditus. Quartus vero Aditus in Capite istius Ambulacri seu Extremitate est Orientem versus, de-A scensum vero habet versus Occidentem contrarium illi, qui ante Fontem *Dianæ* est.

Descensus vero horum quatuor Adituum dividunt dissecantque partem superiorem Nemoralem in formas triangulares, quarum unaquæque unam habet lineam majorem, duasque minores, duæ illæ minores a partibus Ambulacrorum simul conjunctæ angulum faciunt obtusum, licet acuetur hinc inde amœnis aliquot Planis atque Ædiculis, ducunt vero ad Ambulacrum, quod in medio est Nemore, non tam longum ac prædictum est, verum ab Oriente versus Occidentem palmorum tantum nongentorum quadraginta novem, B latum vero palmos modo undecim.

In medio Ambulacri istius Nemoralis Hortum versus Murus cernitur fornicato opere exstructus, qui desuper adstrictis tegitur seu stratus est lapidibus, intus sedilibus cinctus atque in medio basim continens, cui pulcherrima imponitur Statua candidi Marmoris, nudum *Græco* more exhibens *Herculem*, leonina modo cinctum, quibus exuviis caput ejusdem tegitur, reliqua vero super humeros ut & caudam lævo involutam brachio tenet. Alta est undecim palmos, dextramque cum clava demissam habet tenentem C acutam ejusdem partem ita ab anteriore parte, ut densa & nodosa retro ad genua dependeat terram non attingens, volæ autem sinistræ manus insidet brachioque incumbit puerulus, subtus vero puerulum atque juxta lævum *Herculis* femur Cerva est, caput ad puerum istum elevans.

Statua Herculis.

Singularis artificis hoc opus est, ex solido Marmore unius lapidis, tergum vero ejusdem obvertitur dicto Ambulacro medio, facies autem ad inferiora Horti. Repræsentatur vero hac Statua *Hercules* Nymphæ *Auges* stuprator; quæ Nympha, quum vidisset aliis amoribus, sese reD licta, eundem implicitum, indignata, tempore partus sui conceptum filiolum exposuit in Sylva. *Jo. Boccacius* quidem in *Genealog.* Lib. XIII. Cap. XV. in *Telepho*, nihil de invento eodem ab *Hercule* dicit, verum Commentatores ejusdem ibidem ex *Diodori Siculi* id adnotant auctoritate, atque aliam quodam atque diverso more narrant. *Auges* scilicet patrem, ubi gravidam scivisset filiam, nec auctorem rescire posset, eandem nautæ tradidisse, ut in mari submergeret, verum quum illuc cum eodem pergeret peperisse *Augen* puerulum, atque in Sylva exposuisse inter frutices, ubi invenE tum nutrivisse pastores, atque Regi *Corito* obtulisse, a quo *Telephus* vocatus fuerit, utpote a Cerva nutritus. Verum ut ut sit, sufficit, *Telephum* ut a Cerva nutritum & tanquam *Herculis* filium a Sculptoribus repræsentari. De *Hercule* vero plenius acturi sumus inferius Cap. VI. 45

Ab hoc Ambulacro Secundo ope duplicis Aditus descenditur ad depressiorem Nemoris partem, cujus quidem Aditus alter ad dextram, alter ad sinistram est manum, verum satis longe ab *Herculis* illa Statua. Uterque vero Aditus duplicem habet descensum, qui intersecantes inferiorem partem Nemoris triangulum efficiunt, eodem quo superiF us diximus more. Ab utroque Aditu, descensus illi, qui viciniores sunt Statuæ prædictæ, deorsum versus eandem tendunt Statuam, atque subtus Statuam concurrunt in planum Ædiculæ Fontis, altæ palmos viginti septem, latæ tredecim cum dimidio, depictæ vario modo, atque in fundo suo Vas continentis.

Sumit pariter a *Rivellensi* suam aquam iste Fons, cujus aquæ jam nobis amplius sermo non erit, nisi ubi agemus de Montibus circa Fontem *dell' Ovato* dictum, qui a *Rivellensi* pariter aquam accipit; verum reliqui Fontes qui

A e medio Nemoris versus decliviora Horti pergunt, omnes aquam ex Fluvio *Aniene* accipiunt, cujus quidem tanta ibidem est copia, ut omnes, quos deinceps descripturus sum Fontes, uno eodemque tempore aquam emittere possint, & quidem ita, ut reliquis inde Fontibus nihil pereat.

Statua Herculis jacentis. Intus in hoc Fonte, super basim opere Marmorato multi Labores sculpuntur *Herculis*, desuperque visitur Statua *Herculis* jacentis, ex candido Marmore, longa palmos undecim & plus, inflexo varie corpore, ad *Græcum* morem nudi.

B Cernitur autem in hac Statua Sculptus nudus *Hercules*, filius *Jovis* & *Alcmenæ*, quæ uxor fuit *Amphitryonis*, hic laboribus fessus sinistro innixus cubito recubat, capiti pellis leonis incumbit cubitus ipse, ejusque pellis ungula supra dextrum volvitur genu, dextrum vero idem genu inflectitur super sinistrum, brachiumque dextrum supra dictam protenditur ungulam, baculum brevem clausa tenens manu dextra;
46 in summa eximii artificii est Sculptura, atque ad vivum elegantissima corporis flexura est.

C Triginta *Herculis* labores ponit *Joannes Boccacius* in *Genealogia Deorum* Lib. XIII. Cap. I. in *Hercule*, verum Commentatores ibidem & plures adjungunt, aliasque res curiosas de illo ibidem referunt; de quibus quoque diffuse magis & ipsi acturi sumus inferius Cap. VI. ubi recensebimus, quot numero fuerint *Hercules*, quisque fuerit ille, cui celebre Templum illud *Tiburtinum* dedicatum fuit, adeoque hic jam nihil amplius addemus.

D Planum, quod ante hunc Fontem est, inter duplicem descensum, exit in medio tertii Ambulacri subtus Nemus illud, quod longe superstat Fonte, de quo inferius agendi erit locus, longum vero est palmos sexcentos, latum decem.

Alii duo descensus duorum supra memoratorum Adituum ad latera sunt, atque ipsi quoque (licet diverso more) exeunt versus extremitatem dicti Ambulacri tertii, ubi singuli isti descensus inveniunt in fine Fontem ex lapidibus Rusticis spongiosis, atque aquæ ebullitionem, quæ ex Ædicula per dictos lapides spongiosos in grande Vas recidit, quod subtus aquam illam recipit. Omnes hi Fontes partem posteriorem versus Nemoralia vertunt, Vacuum vero & Prospectum apertum habent Aquilonem versus atque Hortum, alti vero sunt palmos viginti

E unum, lati quatuordecim, atque in rotundum absque Ædiculis palmos habent viginti. In summa Semitæ omnes seu Ambulacra, quæ Hortum dividunt, nec describi nec legendo concipi possunt, verum contemplantibus summum injiciunt stuporem.

Fons dell' Ovato. Paucis inde scalis in aliud descenditur Ambulacrum, longum palmos sexcentos, latum sexdecim cum dimidio, ubi in extremitate Orientem versus invenitur Fons Magnus *dell' Ovato* dictus, dictusque ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Cardinale *Bandino*, Patrono

F meo & Benefactore, qui pulchritudine ejus admodum delectatur, REGINA FONTIUM.

Intratur primo in Planiciem septam muro altitudinis palmorum viginti & unius, cum duabus ingentibus Portis Arcuatis, ab utroque latere, Occidentem versus atque Aquilonem, atque ita quadratam, quasi ab omni parte palmorum centum vigintiocto, quatuor ubi sunt Platani pulcherrimæ ordine pulchro consitæ, quæ calidissimo æstatis tempore amœnitate umbræ suæ Planiciem istam atque ipsum Fontem contegunt.

Ex Fontibus, qui in ista Planicie sunt, maximus, qui supradictum Ambulacrum prospicit, Orientem versus acclinis est Colli Equi *Pegasi*, Laureto consiti, ut & Fonti *Heliconis* descripto, cum rupibus Rustico more exstructis in formam semicircularem seu semilunarem Theatri, ex lapidibus spongiosis, hedera ornatam aliisque plantis arbustisque viridibus, intra quæ bullæ scaturientis aquæ prorumpunt, ex aqua adhuc *Rivellensi* Fontis *Heliconis*, variasque in partes effluit ibidem intra dictos lapides.

Sunt Rupes istæ valde excelsæ, atque tria intus continent Vacua, in morem trium Spe- 47
luncarum in circuitu medii Ovati. Intus in singulis hisce Speluncis Statuæ ex lapide sunt *Tiburtino*, egregie sculptæ, quarum media in Spelunca Statua est *Sibyllæ Albuneæ*, dictæ *Tiburtinæ*, alta palmos septendecim capillis in caput collectis, totaque vestita longa veste ad imos usque talos, sedensque. Statua Sibyllæ Albuneæ. Juxta latus ejus dextrum ex eodem stat lapide Puerulus octo palmorum cum duabus tertiis, qui *Tibur* repræsentat, supra cujus dextrum latus dextram manum suam tenet *Sibylla* retro humeros ejusdem porrecto brachio, brachium vero sinistrum una cum manu supra pectus extendit. Hanc vero non aliam esse *Sibyllam*, constat ex Inscriptione, quæ basi insculpta est hoc titulo, SIBYLLA ALBUNEA. Voluere quidam per puerulum illum a dextris intelligere non ipsum *Tibur*, tanquam amatam *Sibyllæ* sedem, verum *Melicertam*, atque hoc pacto vocatur in Ichnographia sæpius memorata, editaque anno MDLXXVII. in Urbe *Roma*, & *Melicertam* filium fecerunt *Sibyllæ*. Quod sane est falsissimum, ut non modo ex ipsa patet Inscriptione, verum & perpetua virginitate, quam simul & Vaticinii donum accepisse a Veteribus credebantur *Sibyllæ*, præcipue illa *Tiburtina*, cujus rei varias opiniones inferius fusius pertractabimus Cap. VI. ubi loquendum erit de Templo *Sibyllæ Albuneæ*. Sed & præterea *Melicerta* illa filia fuit *Æoli*, Regis *Thebarum* ex *Inoë* filia *Cadmi*. Verum quod errare fecit denominatorem atque sculptorem istius Fontis atque Statuæ, nomen est *Leucothoës*, quæ mater dicitur fuisse *Melicertæ*, atque commutata in Rupem ad littus Maris, quodque illud *Leucothoës* nomen tribuatur *Albuneæ* Fonti; ita ut forsan creditum fuerit ab illis unam esse eandemque *Albuneam* Sibyllam, *Albuneam* Sylvam, atque *Albuneam* Fontem, quod ita non esse Cap. VI. demonstrabimus.

Nunc quidem aliud nihil dicam, nisi quod *Ovidius* Lib. *Metamorph.* IV. (quem & *Boccacius* sequitur *Genealog.* Lib. XIII. Cap. LXVII. in *Athamante*) affirmet *Athamantem* uxorem habuisse *Neiphilen*, quam *Nephelen* vocant Scolia *Homerica* ab Commentatoribus *Boccacii* adducta, sicut & varie apud eundem *Boccacium* scribitur, atque liberos ex eadem sustulisse *Phryxum* atque *Hellen*. Idem postea uxorem duxisse dicitur *Inoën*, filiam *Cadmi* Regis *Thebarum*, ex qua duos procreavit filios, *Learchum* scilicet, quem alii, *Græci* præsertim, *Clearchum* appellant, atque *Melicertam*. Scolia *Homerica* ab Commentatoribus
loco citato producta, dicunt, *Athamantem* primam 48
uxorem habuisse *Inoëm* prædictam, ex qua duos istos susceperit liberos, quæ quum postea furens in Sylvas sese abdidisset, *Neiphilem* seu *Nephelem*, secundam accepisse uxorem, unde totidem aliosque illos procreaverit liberos, ut videre est apud *Boccacium* Lib. XIII. Cap. LXVIII. in *Phryxo* & *Helle*. Verum quum secunda uxor adverteret *Athamantem* repetere sæpius connubialem prioris uxoris consuetudinem, abscessit, il-

illumque dereliquit, atque ita recepit priorem uxorem in vacuum thorum *Athamas*, quæ, ex consuetudine novercarum odio prosecuta privignos, undique quæsivit fraudes, ut eosdem vita privaret; quod quum præsentirent *Phrixus* cum *Helle* sorore, relicto patre atque noverca, ex patria fugam arripuerunt. *Juno* postea haud favens *Athamanti* Infernales excitavit *Furias*, quæ intrantes Regiam ejusdem, serpentes in *Athamantis* pectora injecerunt, qui inde ita furere incepit, ut, uxorem Leænam filiosque Scymnos existimans, furiose illos fuerit aggressus, & raptum quidem ex Matris gremio *Learchum* saxo allisерit, matrem vero cum altero filio *Melicerta* fugientem persecutus fuerit, quæ ex Rupe quadam *Leucothoë* dicta sese cum nato præcipitem dedit, unde *Inoë* postea *Leucothoë* & *Melicerta* dictus fuit *Palæmon*, in Numina Marina commutati a Deo *Neptuno*, *Palæmon* autem *Latinis* dicitur *Vertumnus*.

Exprimuntur Fabulæ hæ in Palatio, in inferiori Statione, in quadem ex Cameris, quæ est e regione Fontis *Sentæ Faunæ*, in Aula inferiori, descriptio autem earundem inveniri potest apud *Jo. Boccacium* ejusque Commentatores Lib. II. Cap. LXVII. LXVIII. & LXX. in *Learcho* & *Melicerta*, atque *Ovidio* Lib. *Met.* IV.

At vero, quoniam nomen *Albuneæ* tribuitur Sylvæ, & Fonti in agro *Tiburtino*, imo & *Sibyllæ*, sitque Fons ille, juxta *Jo. Boccacium*, in Libro ubi Fontes describit & Flumina, in *Albunea*, atque secundum *Fulvium Cardolum* in Passione S. *Symphorosæ* filiorumque pag. 91. in Agro *Tiburtino* in Montis *Januarii* vertice, ita forsan dictus, quod inde præcipitem sese ad *Inus* exemplum dederit *Leucothoë*; inde, inquam, evenit, ut recentiores nomen hoc *Leucothoës* dederint *Sibyllæ Albuneæ*, pro Fonti *Albuneæ*, utque tota sibi constaret Fabula, puerulum istum, qui ad dextrum latus est Statuæ *Sibyllæ*, vocarunt *Melicertam*.

Statua Fluvii Herculanei.

Grandis ista Statua, quæ in Spelunca ad dextrum *Sibyllæ* est latus, secundum incisam Inscriptionem Fluvius est *Herculaneus*, licet potius Rivus nominari debeat; adque dextram *Sibyllæ* manum ponitur, non quod *Aniene* sit major, sed quod nomen suum ad *Herculis* habeat similitudinem. Non facile distinctè dici potest, ubinam ille Rivus fuerit, *Jo. Bartholomæus Marlianus* enim in *Topographia Romæ Antiquæ* Lib. VII. Cap. XVI. atque *Fulvius Cardolus*, in dicta *Passione* p. 109. ut & *Andreas Fulvius* in dictis *Antiquitatibus* Lib. III. Cap. XV. atque *Lucius Faunus*, demonstrant, *Anienem* nove *Romam* deductam, fuisse sumtam in via *di Subiaco*, illique quadraginta duobus a *Roma* milliariis Rivum *Herculaneum* sese permiscuisse, qui ipse Rivus dicitur nasci solitus fuisse quadraginta tribus a *Roma* milliaribus, atque ita uno longius milliari abfuit a *Roma* quam locus, ubi cum *Aniene* fuit permixtus. Idem quoque ipse *Marlianus* paullo inferius ex *Plinii* dicit narratione, octo a *Roma* milliaribus, in Urbem *Aquam Vir-*
49 *ginem* advexisse *Marcum Agrippam*, in via *Prænestina*, prope rivum *Herculaneum*, atque omnino rivus ille in principio esse non potest, ubi novus *Anio* deprehenditur, & quod sit viâ *Prænestinâ*, è differentia, distantia situque alterius loci ab altero colligitur, docente *Lucio Fauno* Antiquit. *Romæ* Lib. III. C. XV. Quin *Andreas Fulvius* Antiqu. *Rom.* Lib III. Cap. XVII. itidem refert, commemoratam aquam *Virginem Romam* conductam fuisse ab *Agrippa*, octo milliaribus procul *Roma*, in via *Prænestina*, prope rivum *Her-*

A *laneum*, directeque circiter duo milliaria in loca paludosa profluere, quæ *Aniene* duo milliaria distant, cum ambitu sub terra milliaria quatuordecim complectente. Unde multæ oriuntur dubitationes, utrum quidem hic rivus *Herculaneus* sit brachium illud, quod in *Anienem* cadit, verum clarius limpidiusque ipso *Aniene*, ut ibi docet *Lucius Faunus*. Hæc Statua palmos sexdecim longa est, cum barba promissisque capillis, amicta ab umbilico sursumque pallio, cætera nuda, mediaque recumbens in manum sinistram, qua vasi imminet, aquam fundenti, genu dextro posito supra sinistrum, & manu dextra cornu copiæ
B tenens, faciemque *Albuneam* versus vertens. Altera Statua, a latere, *Sibyllæ* sinistra, e regione dictæ *Herculaneæ* locata est, longitudinis ejusdem, parisque artificii, nisi quod hæc in brachium inclinet, pedibus brachiisque priori dissimiliter positis, fluvium *Anienem* repræsentat; verum *Leander Albertus Descriptione Italiæ* in Agro *Romano* in mediterraneis; *Ambrosius Calepinus* voce *Anio*; & Auctor *Syntagmatis Heroici* in Regno *Hetruriæ*, scribunt quod fluvius hic olim dictus fuerit *Parentius*, & mox ab *Anio* Rege *Anius*, qui hic, dum *Cethegum* equô vectus persequitur, quod filiam rapuerat,
C dum trajicit, fuit submersus: & ibi, contra alias sententias, quæ enumerantur apud *Ambrosium Calepinum*, picturis exprimitur in quodam cubiculo Palatii, in inferiori cella pone dictum fontem *Sentæ Faunæ*, putantque Regem *Hetruriæ* fuisse; cœterum in recensione Regum *Hetruriæ*, ipsum invenire non potui penes Auctorem *Syntagmatis Heroici*, ubi Successiones omnium Mundi Regnorum pulcherrimo labore recenset, ut superius dixi Cap. IV.

Infra statuas memoratas *Sibyllæ*, *Herculanei* & *Anienis*, per cavum subterraneum, derivata
D e fluvio *Aniene* summa vis aquæ emanat, quæ inter scopulos horridos dividitur in tres Conchas marmoris candidi, quibus singulis subjacet Statua quædam palmos quatuordecim alta, senosque in quadrum palmos lata, atque ab ora ipsarum iterum in rivulum specie lunæ dimidiatæ reciproca, sub has statuas & montosa effluit. Adhæc Fontes visuntur parvuli, in ripa memorati rivuli passim ordinateque dispositi, bullisque aquarum, speculorum instar aliarumque formarum sub dictos montes rupis spongiosæ effluentes.

Coram his Statuis & Fontibus Pergula lapidi-
E bus strata, in speciem dimidii ovi extenditur, palmos centum & quinquaginta longa; octoque lata; atque circa hanc rivulus instar parvi euripi facit ambitum, de quo secunda parte hujus Capitis in villa *Hadriani* Imperatoris agimus. 50
In lithostroti nostri longitudinis medio reperitur series ubique asarotici lapilli longe lateque porrecti, accurateque in modum cribri perforati, crebris foraminibus, unde guttæ aqueæ prodeunt, quæ à terra in aërem exiliunt, quæque ambitum mirantes circumeunt, atque fallaciter aquis inundant, a quibus se nemo liberare potest, nisi asaroto pedes infigat, nec cernas facile vel advertas
F prosilire hominesque petere, quare fœminæ, pedibus vestitu prolixo undique circumdatis, infortunium difficulter evadunt, itidemque mares veste induti talari. Ambulacrum autem nostrum Fornicibus subtus est innixum, atque serie cancellorum exornatur e petra *Tiburtina*, quæ vacuis introitum Fontis versus distingitur, platanisque & ambulatione modo descripta Zephyrum versus, scenam repræsentat. In medio Columnationis, platanos versus & planum Fontis, sese exerit vas quoddam semicirculare, rotunditate sua latum platanos versus palmos sex & viginti; intra ve-
ro

ro vas illud aqua e monticello ſive tumulo, qui in medio vaſe ſitus ſpeciem Lilii præbet, inter duos delphinos erumpit. Aqua vero vaſis per totam fimbriam ſparſa, initio fluxus, tentorium ſpeculi inſtar efformat, at in aërem tandem effuſa ſpeculum ipſum in diverſos ramos diſſipat, & ex altitudine palmorum viginti & duorum decidit in concham ſeu vas fabrefactum in muro, alto à terra palmos tres cum parte ſexta, verum ſub terra palmos triginta profundo, atque in circuitu longo palmos ducentos ſexaginta & ſex, in ſpeciem ovatam, unde Fons nomen mutuatus eſt OVATI. A commemoratis columnis, fontibus & ambitu licet deſcendere ex utroque fine ambitus noſtri per ſeriem quandam graduum planorum e petra *Tiburtina*, longam palmos . . . quæ gradus habet viginti ſex ab utroque latere diſtinctos per duas planities a ſeſe invicem, & venire in planitiem quadratam platanis conſitam ante commemoratis, ubi habetur Concha, aut vas dictum in prioribus, in quod aqua cadit. Murus, qui ambit ubique hoc vas, ſuperne coöpertus eſt, & ex petra lævi *Tiburtina* factus, atque zophoris ornatus, exteriusque formatus ex lateribus coctis, incruſtatisque, cum Aquilis albis, Liliis flavis, malis *Cydoniis* ramisque, quæ emblema dicti Cardinalis denotant, atque Inſignia Coronæ *Galliæ*, cujus fuit Protector.

Pone hoc vas capaciſſimum aditus patet duobus ingreſſibus, altero dextro, altero ſiniſtro, per totidem portas ampliſſimas in Teſtudinem, (cui incumbit Pergula modo dicta, ut & Fontes, *Sibyllæ*, *Herculanei*, & *Anionis*) longitudine & latitudine reſpondentem Pergulæ ſuperiori; hanc murus cingit ipſa teſtudine ſpatioſior. In muro cernuntur ſtylobatæ decem, altitudinis palmorum ſedecim, latitudinis ſex, qui circuitu minori & interiori ſuſtinent deſcriptas ſuperius Columnationes, cum muro, qui habet decem feneſtras ampliſſimas operis arcuati, palmos quatuordecim altas, latas palmos ſex, ſin-
51 gulis harum oppoſitus eſt ſingulus ex dictis ſtylobatis. In curvatura hujus muri feneſtrarum, vas noſtrum capaciſſimum verſus, inter feneſtras viſuntur Statuæ Piperinæ, nimirum inter quamcunque feneſtram una, alta palmos quinque cum dimidio, tenentes vaſculum brachio ſubjectum, unde in vas maximum quod Statuæ dictæ circumſtant, effluit vis aquæ. Has *Muſas* eſſe conjiciunt quidam, verum errant, quippe quæ modò novem ſunt, nec aquam miniſtrare ſolent; Hæ vero, Statuæ numerantur decem, aquasque effundunt cum ſuis vaſis; ſunt itaque Nymphæ, cuſtodes fontium dictæ *Napeæ*, nam *Perſis*, dicente *Joanne Boccacio Genealog.* Lib. VII. Cap. XIV. in *Nymphis*, & Lib. XI. Cap. II. in *Novem Muſis*, *Napte* fomentum indicat, & ſic Nymphæ hæ vocatæ fuerunt *Napeæ*, quaſi NAPTÆ, nimirum *incitamentum aquæ*, additque ipſis fuiſſe dedicatum Fontem *Caſtalium*. Medio interſtitii feneſtrarum in altum erigitur tubus aquæ capax, qui ſpeculi inſtar aquam in idem vas maximum effundit. Sub ſerie memoratarum feneſtrarum inter muros utriusque lateris & lithoſtrati ſcaturiunt ſcatebræ aquarum, unde utriusque lateris aquæ ita ſibi occurrunt, ut qui nimis improvide accedant, ſubitò ab omni latere adſpergantur, nec evadere poſſint, quum ab utraque parte ingentes aquarum tubi exſurgant.

Statuæ Nympharum.

Similiter in hac planitie Meridiem verſus reperitur capaciſſimus locus, longus palmos quinquaginta, altus palmos triginta, latus palmos viginti & ſeptem, & ibi Fons quidam cum pluri-mis ſcatebris aquarum, qui intrat in vas magnum

A muro coöpertum ſuperne ex lapidibus *Tiburtinis*, in media parte ovato, atque e lateribus plano, longitudine reſpondenti ipſi loco. In Ædicula majori Fontis è regione introitus portæ occurrit Statua marmoris candidi *Bacchum* referens, alta palmos . . . plane nuda more *Græco*, coronata baccis foliisque hederæ, cum trunco arboris circumdato vitibus, quæ uvis oneratæ ſunt; cui trunco innititur parte poſteriori pedum, inberbi mento, atque tenera habitudine, brachio dextro & manu ſimul in caput ſublatis; manuque ſiniſtra porrecta ad caniſtrum cum uvis
B (quod ſupra caput quoddam reponitur barbatum, pelle Tigridis inſtratum, ſupra baſim itidem marmoream) tenet racemum. Pone Statuam hanc emergit ſcaturigo aquarum, quæ longè lateque extenditur. Heic ſunt etiamnum quatuor Statuæ Pueriles ex ſimili marmore, quarum quæque habet ſupra humeros vaſculum ex quo itidem aquam in Fontem effundunt, qui quidem Fons ab utroque Ædiculæ *Bacchi* latere, verum non in eodem muro, duas minores habet Ædiculas, ex quarum utraque adſcendit ſcatebra aquæ, quæ itidem facit ſpeculum, emiſſionemque in Fontem inferiorem. Continet por-
C rò hic Fons alia duo diverticula, alterum dextrum, alterumque ſiniſtrum, ad introitum, quæ iti- 52
dem Fontibus erant deſtinata, ſed poſt obitum memorati Cardinalis tria ſimul manſerunt imperfecta.

Narrant Veteres de his ſuis Diis, quod *Jupiter* captus fuerit amore *Semeles*, filiæ *Cadmi*, *Thebarum* Regis, ipſamque inprægnaverit; *Juno* verò zelotypia propter furta fratris & mariti *Jovis* acta, aſſumſit formam *Beroës* anûs *Epidauriæ*, atque abiit ad *Semelem*, ut illam conveniret; Accidit itaque, ut inter colloquendum interrogaret illam, an *Jupiter* ipſam amaret, illa verò
D repoſuit ſe credere, quod amaret. *Juno* perrexit, ipſam non certo ſcire poſſe *Jovem* ſe amare, niſi ſponderet juramento per paludem *Stygiam*, coiturum ſe cum ipſa, quomodo ſoleret cum *Junone*. *Semele* verò ad hoc experiendum incitata, *Jovem* per nominatam Paludem obſtrictum reddidit, ut ſe dono quod poſtulatura erat, ornaret, qui viciſſim hoc jurejurando ipſi obligatus promittit; verum mox poſtulati iniquitate penſata, promiſſum reprobat; nec promiſſum, quod jurejurando hocce habito ſtrictiſſimo ſpoponderat, reſcindere potuit; quare fulmine invito ipſam combuſſit, atque ex utero partum
E extraxit immaturum, quem lateri ſuo inſeruit, ut ad maturam partus perveniret ætatem, Adveniente demum partus tempore, *Ino*, de qua antea diximus, ſoror *Semeles*, nutriendum fœtum Nymphis commiſit, quæ inter hederam eundem abſconderunt, ne *Juno*, anxie inquirendo, inveniret. Fuſius fabulam explicant *Ovidius Metam.* Lib. IV. & *Joannes Boccacius Geneal.* Lib. V. Cap. XXV. de *Baccho*, qui ſimul adductarum aliarumque rerum, heic ſeſe offerentium, ſignificationem enodat; additque *Cajum Julium Cæſarem* primum fuiſſe, qui *Romæ* introduxerit ejus Sacra, quæ quam obſcœna fuerint, ſatis
F ſuperque colliges ex *Petronio Arbitro* in ſuo *Satyrico*; & inter cætera narrat *Boccacius*, Gentes huic ſuo Deo ſolitas fuiſſe ſacrificia facere ſpurciſſima, atque in hujus gloriam pudendum virile publice venerari, imo diebus ipſi feſtis latum fuiſſe membrum virile erectum in Foro publico, cum verbis fœdiſſimis, & inde deportatum ad locum conſtitutum, ubi mater familias, quæ probitatis erat expertæ, cogebatur, coronam publice ipſi imponere. Eò usque proceſſerat amentia Gentilium cum hisce obſcœnis Diis à ſeſe fi-

Fabula Jovis & Semeles.

fictis fabulisque involutis, quod omni pudore abjecto talia adorârent. Quamquam alias *Bacchus* hic fuit vir fortis, qui claras reddidit *Thebas* patriam suam, ut canit *Franciscus Petrarcha* in *Fama*, his versibus:

Et se non che 'l suo lume à l'estremo che
Forse era il primo, & certo fu frà noi.
Qual Bacco, Alcide, Epaminonda à Tebe.

Penetravit enim usque ad *Indos*; inter *Græcos* ipse quoque primus invenit vinum multis annis post *Noachum*, ac demum pugnans cum *Perseo*
53 extinctus fuit, & in frusta dissectus humo fuit mandatus, quem fingunt postea integrum resuscitatum fuisse. Et quamquam hæc Statua potius tenera gracilisque videtur, quam crassa, tamen ubique *Bacchus* haud paullo habitior circumfertur & à Pictoribus exprimitur, qui quovis opere ludicro obesum depingunt, præpinguem habitu, coronatumque racemis aliisque rebus, edacibus bibacibusque gulis non uno modo propriis.

Fontes duo.

Antequam exitur e memorata planitie Platanorum intra circuitum muri circa Portam magnam Occidenttalem reperiuntur Fontes duo, alter quidem ad latus ipsius Portæ, altitudinis palmorum viginti trium, latitudinis palmorum quatuordecim & dimidii, cum columnis ornamentisque operis rustici, verum ad Artis normam. Uterque Fontium habet in Ædicula statuam Piperinam seu pumiceam *Bacchi*, altam palmos senos cum dimidio, omnino nudam, nisi quod quodammodo tegatur pelle Tigridis, trunco imposita, cum vase sub brachio, cui innititur, e vase autem effundit aquam in Concham, quæ subjacet, longitudinis respondentis latitudini Fontis; & pone caput Statuæ aqua facit speculum liquidum, Ædiculæ par latitudini. Utriusque Statuæ memoratæ pedes dimidiis ocreis calceati sunt usque suras, & dexterior comam habet coronatam hedera, sinisterior verò passos capillos atque cincinnos.

Ambulacrum superius.

Pergitur ab hac planitie Platanorum & Fontium ad Ambulacrum Superius, longitudinis palmorum sexcentorum, latitudinis palmorum sexdecim cum dimidio, per Portam magnam Occidentalem. Quam longe patet Ambulacrum, à sinistro latere, habetur Fons amœnissimus speciem præbens trium ordinum fontium per totam longitudinem, qui palmorum est sexcentorum. Supremus ordo exstat à latere Sylvæ, & ibi sunt bullæ aut scatebræ aqueæ, quæ impetuose erumpentes ascendunt circiter palmos decem & octo; harum quædam in sese directo recidunt, ita ut erumpens aqua ab illa, quæ instar lacteæ spumæ recidit, interrumpatur. Scatebræ vero e viginti duobus navigiolis erumpunt, & duobus sertis foliorum marmorati operis; quorum alterum ad summum, alterum ad infimum est ordinem fontium, & inter dicta serta & navigiola singula, totidem vasa fictilia interponuntur, tres palmos alta cum tertia quarta parte. Inter singula hæc erumpit rivulus in dimidiam conchulam, quæ in concavo recipit aquam superne, moxque in subjectum ordinem fontium emittit. Ambo vero serta, alterum a summo, alterumque ab imo Fontis nominati, confecta sunt binis ordinibus foliorum, ut alter sit intus alterum, aquæ autem illorum in vas quadratum lapidis *Tiburtini* recidunt, quod sustentatur à tergo Leonis, aquamque recipit, quæ inde in receptaculum superius emittitur, quo sese etiam reflectunt aquæ navigiorum, perguntque dein aquæ in receptaculum superius citeriusque Sylvæ, cujus murus Sylvam versus in fastigio la-

A pide tectus est lævi *Tiburtino*, latusque est palmum unum cum tribus quartis. Ab hac prima
scaturigine feruntur aquæ per commemoratas 54
conchulas, laterculorum coctilium, in secundam, ejusdem longitudinis, largamque palmos tres cum semisse, cujus murus inferior tectus est saxo *Tiburtino* adornato zophoris suis; superiorque, qui sustinet navigiola, fabulis *Metamorphoseos Ovidii* ornatus est. Inde per canales nonaginta duos, qui prodeunt ex oribus canicularum, cervorum, aliorumque animalium, ab quodam muri pariete extructo musivo rustico opere lapide littorali, decidit aqua in tertium
B Receptaculum, latitudinis palmorum duorum cum tertia parte, cujus murus Ambulacrum versus tegitur superius saxo *Tiburtino* cum zophoris suis, inferiusque prope terram zophoris ejusdem saxi, faciesque tota hujus muri distincta est saxis *Tiburtinis* fabrefactis, distantiâ æquali ab zophoris inferioribus & superioribus. Amœnitas Fontis hujus summa est, quod aquam videas simul emanantem e ducentis capitibus & decem, quæ non modo aquas inter se recipiunt atque reciprocant, sed etiam ad Fontes demittunt. Pars hujus Ambulacri è regione Fontium di-
C ctorum, & hortum versus inferius Lauris ornata est.

In medio hujus Ambulacri à dextro latere euntis Occidentem versus reperitur Columnatio integrarum Columnationum octo cum duabus dimidiis, ab utroque latere, ex saxo *Tiburtino* constructarum, cum Statuis duabus Marmoris candidi, una ad latus superius Columnationis, amicta veste talari, cum galea & crista in capite; quæ obversæ sunt portæ inferiori & primariæ Horti, septentrionem versus, Fontique *Draconum*, de quo postea disseremus, superpositæ: & ad illas hâc descenditur è dua-
D bus scalis cochleis, quæ superius murum ejusdem Fontis ambiunt, sensimque, ut ipse clivus horti declinat, in Ambulacrum inferius descendunt. Adhæc supra murum, qui Fontem circumdat, visuntur Lilia saxea inaurata ab invicem distincta, & Aquilæ lapideæ inargentatæ, quæ aquâm Fonti immediatè immittunt, ita ut binis Liliis totidem Aquilæ ubique interponantur, quod opus elegantissime & magnificentissime alludit ad insignia *Estensis* Familiæ, quæ Lilia sunt aurata & Aquila candida. Circa Columnationem hanc, & inde procul, æqualiter si spatium
E Ambulacri dispescas quod inde superest, utrinque series deprehenduntur duarum scalarum, quæ ex hoc Ambulacro in aliud subjectum clivo te deducunt. Orientalis scala nondum perfecta fuit, at Occidentalis e saxo *Tiburtino* absoluta est, gradibus constans planis quinquaginta & sex, qui mediam complectuntur quadratam planitiem; & scaturigines aquarum in circuitu viginti habent, quæ floribus quibusdam seu rosis lapideis simul erumpunt, & ad sese recurrunt in vas ejusdem lapidis quadratum; canaliculus vero aquæ sub quavis rosa effluit, qui vicissim in pi-
F scinellam ovatam, scaturigini cuivis seu flori subjectam, recurrit. Sunt autem canaliculi sexdecim, totidemque etiam piscinulæ.

Fons Romæ.

Tandem Ambulacro ubi exiveris Occidentem versus occurrit Fons dictus nomine *Romæ*. In
cujus Introitu invenitur pavimentum lapide con- 55
structum simili *Tiburtino*, verum subtiliori, atque e materia sabulosa aquæ sulphureæ, facitque conspectum instar areæ spatiosæ. In latere sinistro Fonticulus profluit, in quo duo sunt rivuli aquarum, qui descendunt inter lapides & conchylia marina certatimque ambobus lateribus superioribus occurrunt, inde prosilit spatiosissimus

A mus aquarum fons per totum latus, atque mutuo occursu superne, speciem arcûs effingunt, incidùntque in receptaculum quadratum marmoris albi, figuris hominum animaliumque pugnantium artificiosissime ornatum, quod longitudine palmorum novem, latitudine palmorum duorum cum quarta parte absolvitur. Prope hunc Fontem inferiores quædam visuntur piscinulæ limpidæ, ubi rudera quædam ornamentorum marmoris candidi antiquorum habentur, & inter alia Statuæ *Herculis* fragmentum, quæ in templo *Tiburtino* erecta fuerat, & inde translata cum aquæ amphora, quam humerô sustinuit, B pugnans ad fauces *Rhodani* cum *Albione* & *Bergione*, ut supra expositum est. Inter has piscinulas ascendere licet paucis gradibus, inque pratum descendere, ubi ad os cavernæ effingitur sedens mulier rustica, gallinas quasdam observans; in prato ipso observantur duo caprarii, alter pedo innixus cane adstante, alterque submisso subligaculo ventrem exonerans, avideque adspiciens par caprarum coëuntium. In Introitu prati invenies Fontem amplissimum lapidis spongiosi, altitudinis palmorum triginta & octo, in extensione maxima, latitudinis palmorum triginta duorum. Supra dextrum ipsius Fontis la- C tus visitur effigies fluminis *Anienis*, sicut in antecessum explicitum fuit, opere Marmorato; hæc manu dextra cornucopiæ tenet, sinistraque Templum *Vestæ* amplectitur, quod olim *Tibure* erat, eadem præterea manu botrum tenet, pulchrum;& infra ipsam vis ingens labitur aquarum. Insuper videbis subjectam, in caverna quadam, Statuam Marmoratam, quæ omni vi brachiorum annititur *Anienem* sustinere, quæ nescio a quo efformata est, ut repræsentet Montem *Appenninum*, qui labentem supra juga sua habet *Anienem*, cujus aqua in planitiem prati effluens cum *Tybere* se conjungit, ut dicturi sumus inferius. A si- D nistro latere in caverna quadam ejusmodi lapidis jacens fingitur Statua lapidis *Tiburtini*, longitudinis circiter ejusdem,ac fluminis *Herculanei* & *Anienis* modo recensitorum, cum barba & capillis prolixis, femore nudo, sinistro pede quidem in terram explicato, dextro solo infixo, genuque erecto, pectus vero & brachium itidem detecta sunt, quorum dextrum pectori applicat, manus vero procumbenti vasi superposita est, unde aqua profluit. Sinistrum brachium suppositum corpori est, & superius è lapidibus spongiosis aquarum rivi affatim emergunt, qui E in Concham muri quandam decidunt, & inde exeunt currentes per rivum qui transversus oc-
56 currit quibusdam muris inferioribus, unde aqua pedetentim descendens ab uno in alium varias amœnas instar fluctus maris species effingit. Statua hæc repræsentat *Tyberim*, Regem dictum fluviorum, propter plurimos triumphos a *Romanis* reportatos ex omnibus mundi detriumphatis partibus, à potentissimo subactis Imperio *Romano*; longa vero est palmos . . . Fluvius olim nominabatur *Albula*, dividens populos *Latinos* ab *Hetruscis*; cogitansque aliquando trajicere *Tyberinus Sylvius*, Rex *Albæ* (hodie *Al-* F *bano*) submersus ibidem fuit, nomenque à se illi *Tyberim* imposuit, unde etiamnum hodie dicitur *Tevere*. Hunc explicat *Joannes Boccacius Genealog.* Lib. VI. Cap. LXIV. in *Tyberino Sylvio.*

Non ita procul à Statua *Tyberis*, incluso iisdem prato, confluunt *Tyberis* & *Anio*, faciuntque simul unum fluvium; in quo visitur Insula, formâ naviculæ, exhibens *Insulam Tyberinam*, & dicitur jam *Sancti Bartholomæi*, longa palmos duodeviginti, lata decem. In navicula vero vice tormentorum bellicorum undique videbis scatebras aquarum,& in medio quemdam Globum lapidis *Tiburtini*, altum palmos decem, locatum in stylobata inferne atque superne encarpis ornato, atque similis lapidis, alto palmos tres cum semisse (qualem Antiquæ *Romæ* delineationes demonstrant in ista Insula olim fuisse) perforatus vero in longitudinem est, indeque effluit vis aquæ per aquæductum plumbeum in orbem stanneum ubique perforatum, qui in Globi consistit apice, perque totum circuitum scaturigines aquarum e foraminibus eructat. Intra Naviculam à latere, quod Statuæ *Tyberis* obversum est, unde Flumen incipit, habetur quid quasi domus, cui superjacet serpens, in gyrum involutus, caputque è media exerit spira, & ex ora aliisque spiræ foraminibus varias aquarum, sed tenues scatebras in altum ejicit; significat vero Templum *Æsculapii*, cui serpentem dedicatum superius notavi; Templumque ipsius in Insula nostra fuisse non dubitant asseverare *Joannes Bartholomæus Marlianus Topograph.* Lib. VII. Cap. VI. *Lucius Faunus Antiquit. Romæ* Lib. IV. Cap. IV. & *Andreas Fulvius Antiquit.* Lib. V. Cap. XIII. Ab altero opposito Naviculæ latere, altera domuncula cernitur, Aquilâ superne ornata, cujus rostrum itidem foraminibus tenuissimis perforatum est, denotatque Templum, quod *Jovi* in Insula positum erat, ad mentem *Marliani*, *Fauni* & *Andreæ Fulvii* in *Topogr.* Lib. VII. Cap. VI. *Antiq. Rom.* Lib. IV. Cap. IV. & V. Cap. XIII. Præterea in ipso Flumine videbis pontem, per quem perges ab impluvio seu area hujus loci ad alteram ripam Fluvii Occidentalis in fundum eminentiorem planitie hujus areæ palmos decem, repræsentantem Scenam vel Theatrum dimidiâ parte ovatum; longitudinem vero è Meridie Septentrionem versus habet palmorum centum & sexaginta, latitudinem ab Occidente Orientem versus palmorum quinquaginta, & in locis quibusdam majorem & minorem, ad distantiam, quam ædificia antiqua *Romæ* ibidem efformata majorem minoremve dicti spatii occupant.

Antequam descendamus ad explicandas res ejus loci, qui in speciem surgit Theatri, adnotandum est, quod circum Fon- 57
tem parvum & piscinulam atque ripam, quæ Impluvium seu Aream respicit, pratulumque descriptum, muri sit ambitus, qui aquam coërcet, superne rotundi, penitus operti lapidibus spongiosis parvis,& inter ipsos lapides scaturigines vel fistulæ teneræ aquarum in altum prodeunt, alicubi ad palmos viginti, & alicubi pauciores, quarum quædam aquæ speculum efficiunt, nec ad cæterarum altitudinem ascendunt; idemque evenit vertici muri, qui ducit à memorato fonte parvo, ubi visitur cista marmorea, usque ad fluxum *Anienis*; murus vero penitus lapidibus ex parvulis spongiosis memoratis constructus est. Adhæc idem reperies in vertice muri, Theatrum vel Scenam portantis, qui Impluvium aut aream versus & ripam Fluvii, integer è Lapillis spongiosis, arte & opere, quod locum hunc satis superque ornat, factus est; summatim, scaturigines seu fistulæ, quæ in altum ab hisce muris ac fastigio duorum murorum ante commemorarum, exsurgunt, sunt numero . . . quæ omnes simul & una cum illis Naviculæ aliisque Fontibus, ad summam admirationem & oblectamentum adstantium, scaturiunt.

Nec transibo quatuor fraudes, quæ heic celantur; quarum prima deprehenditur in sedilibus; nam ubique circa ante dictum Impluvium seu Aream Septentrionem versus & Orientem sedilia reperiuntur, quibus si quis insederit,



mox inferne inter murum & sedile, minimis abstrusisque foraminibus emittitur aqua, quæ nates madefacit. Secunda habetur in paucis illis gradibus, unde ascenditur inter memoratas piscinulas, petendo pratum *Tyberim* versus & *Anienem*, ubi gradus datur, cui pedem infigenti evenit, ut gradum inferius conculcet, superiusque scatebra aquæ satis larga emergens, ab umbilico inferne conspergat eum aqua, qui expers huc ascenderit. Tertius dolus contrahitur in muro Pontis ante memorati, ubi invenies clausos cancellos, & desuper sinistrorsum salientem fistulam seu tubulum aqueum, ut si suber, quo concluditur, tollas, in faciem osque tam violenter aqua exiliat, ut negotium facessat respirandi, atque à vertice imum aspergat, teque ita decipiat, ut effugere non possis. Solent audacibus hoc in loco imponere, suberi catenulam ferream adjungendo infra plutei partem lævorsum, ubi habetur, partemque plutei seu cancellorum memoratam claudendo, atque inhibendo eruptionem aquarum, ut si quis ad res, quæ in Scena habentur, tendat, partemque plutei aut cancellorum dictam aperiat, suber ipsum una removeat, seque ipse madefaciat. Dantur ibidem nebulones quidam, gnarique doli, qui alios solent præcedere in pontem, partemque hanc consecuti, ut comitatum decipiant, calce feriunt cancellos pluteumque; atque con-
58 festim introeunt, cum comites viæ ducem sequentes uvescant. Aliquando suberi dicto adhæret chirotheca, strophiolum aut ejusmodi res, quam ubi aliquis officii gratia, ut alicui ex comitatu tradat, repetat, una suber attollit, atque ita uvescit. Quarta fallacia in extremo pontis fit, ubi habetur tubulus vel aquæductus plumbeus, qui insensibilibus foraminibus totum ubique pontem occupat, æreaque aperitur clave; Scenam vero commemoratam sive Theatrum superius ambiens, emittit alia scatebra laticem satis idoneam, quæ humectet, quamvis amplitudini prioris non respondeat: fallaciam autem hanc perficiunt nebulones, cum ipsi antecedendo fefellerint comites, qui ad pluteum seu cancellos secuti fuerant; & hi itidem hâc fallaciâ humectantur, dum comitatum deceptum rident.

Statua Romæ.

Mediâ planitie, quam dixi palmos centum & sexaginta longam esse, in extremo pontis ad formam Scenæ vel Theatri reperitur Statua *Romæ* ex lapide *Tiburtino*, unde totus hic Fons cum partibus suis traxit nomen. Statua vero more *Romano* tota amicta est, præter brachia partemque pectoris dextram; nititurque armaturâ, inter galeas, scuta, cetras, aliaque arma militaria, inter fasces nobilissimos securesque Magistratus supremi, Consularis, Regalis, Dictatorumque *Romæ*; habet autem galeam, & cristam in capite, dextramque elevat, innixam hastæ præpilatæ, cum gladio brevi in vagina ad latus sinistrum, suspenso supra coxendicem sinistram, quomodo *Romani* exhibuerunt *Romam*, in picturis, cælaturis, & præcipue Nummis & Monetis, quarum immensum exhibet numerum *Fulvius Ursinus* in *Familiis Romanis*; alta vero est palmos duodecim, subjectamque pedibus habet cassidem. Infra hanc galeam pedibus substratam canaliculus seu fistula aquæ, quæ speciosa est, & à lateribus *Romæ* alii duo profluunt canaliculi vel tubuli aquæ inter arma militaria, altumque petunt; atque deinde refluunt hæ aquæ in vas Fontis e muro & marmorato opere factum, quatuor angulis instructum, & fere quadrangulare, ambitus palmorum septendecim, altitudinis trium, cum clausuris semiovatis inter angulos.

A In eadem planitie coram Statua *Romæ*, in duobus stylobatis marmoratis in fimbria dictæ planitiei, quæ nominatæ naviculæ superjacet, utrisque altis palmos duos cum quincta, longis palmos sex cum dimidio, remotis à Statua *Romæ* palmos quindecim, ab invicem verò palmos undeviginti, effinguntur *Romulus Remus*que à lupa nutriti, nec non Equus contra Leonem dimicans. In basi sinistra habetur ex lapide *Tiburtino* Lupa longa palmos septem cum dimidio, alta palmos tres, cum quincta sextarum, quæ ubera præbet *Romulo* & *Remo* fratribus, de quibus ita fabulantur: *Iliam* matrem, fuisse Virgi-

Romulus & Remus cum Lupa.

B nem Vestalem, quæ *Tyberim* aquatum euns pro- 59
pter sacrificia, defatigata ibi requievit sub salice, ubi cantu avium sopita, compressa à *Marte*, gravida facta fuit. Deprehenso stupro, *Amulius*, frater *Numitoris*, Regno *Albano* ab ipso privati (hodie vocatur *di Alba*) avunculus *Iliæ*, illam sepeliri vivam jussit, quæ pœna erat Virginibus Vestalibus impudicis, quemadmodum Cap. VI. sequenti docebo; adhæc *Romulum Remum*que ab ipsa editos in *Tyberim* conjici. Qui exponerent infantes, deprehenderunt flumen exuberans antecedenti die reliquisse in ripa mollem arenam, propter quam appropinquare Flu-
C vio non poterant, unde in ripa infantes exposuerunt, ubi fuerunt initio educati à Pico ave, & mox a quadam Lupa, quæ catulos perdiderat; tandem vero repertos *Faustulus* & *Accia Laurentia* uxor susceperunt, docueruntque nativitatem suam. Ubi adolevere hi fratres, alter alterum, ut cum aliis prædonibus captum deduxit ad *Amulium* Regem, ubi ex composito quasi invicem armis, orta rixa, congredientes, eadem arma contra *Amulium* verterunt, & occiderunt ipsum, avoque suo *Numitori* antiquum restituerunt Regnum; hi vero Civitatem *Romam* ex-
D struxerunt, ipsam terra, loco muri circumdantes, relinquentesque inter aggeres loca quædam pro introitu vacua, mortis statuentes pœnam viro illi, qui aliunde intraret. *Remus* vero aliquando contra mandatum transiliit aggerem loco muri congestum, atque ideo, seu potius cupiditate regni quod teneret solus, sub hoc prætextu, *Romulus* interfici illum curavit cultello pastorali, à *Fabio* Præfecto suo. Fusius hæc narrat *Dionysius Halicarnassensis* Hist. Lib. I. pag. 74. qui non uno modo factum gestumque persequitur, & *Joannes Boccacius Genealog.* Lib. VI. in *Ilia Rhea*
E Cap. LXXIII. & Lib. IX. Cap. XL. *Remo* & *Romulo*.

Gestorum inter Romanos & Tiburtinos historia.

Basi dextræ impositus est *Equus* lævorsum cubans, habensque dextrorsum *Leonem*, qui unguibus dentibusque ipsum lacerat, cui vicissim calcibus feriendo mordendoque resistit; sunt vero altitudinis palmorum trium cum dimidio, longitudinis palmorum septem & dimidii. Pares vero figuræ marmoreæ & picturæ *Romæ* dantur, imo & *Tibure* in ore hominum fabula est, pro dirimendo bello inter Populum *Romanum* & *Tiburtinum* commissas hasce binas fuisse feras, *Tiburtinos*que fortunam Equo expertos fuisse,
F *Romanos* vero Leone; Equum itidem inferiorem evasisse, atque mox illos tributarios factos esse *Romanis*; at hactenus nondum inter Memorias Marmorum, nec in Historiis inveni, quando hoc evenerit. Circiter milliare a *Tibure*, prope Pontem, *Lucanum* dictum, in Via Veteri, ubi etiamnum inter vineas itidem via strata cernitur lapidibus maximis, à dextro latere *Tibur* civitatem petentibus, habetur largissima via lapidum *Tiburtinorum* maximorum, copulatorumque accuratissime, ibidemque reperies tres ar- 60
cus ejusdem lapidis *Tiburtini*; medio autem horum mar-

marmor candidum insertum fuit, insculptum Equo frænato, nudoque homine, qui Equum frænatum teneret, *Tibur* versus; superius ad dextrum latus hujus habetur Marmor album maximum insculptum Leone jubis arrectis, quasi tentante Equum adoriri, cui vultum obvertit; in altero Arcu aliud habetur Marmor insignitum Sacrificio, aut Sacro Augurali quorundam hominum larvas manibus tenentium; horum quidam virgam in manu habet; adest & tripus, atque agnus subtus illum seu ovis, adaptato circulo rotundo annulisque adjunctis, est interius noctua; cujus Marmoris & meminit *Leander Alberti* in Descriptione Agri *Romani* Mediterranei, pagina 148. Quin certamen hoc inter memorata duo animalia commissum fuisse, quo *Tibur* tributarium factum fuerit, colligitur ex pictura candidi atque nigri, seu candidi obscuri, quæ cernitur haud procul ab Æde primaria Sancti *Laurentii* sinistrorsum, in fastigio domus plateæ, quæ ducit superiorem Civitatis partem versus. Pictura nimirum est Leonis jubis erectis, quasi in certamen tendentis, cum hac Inscriptone: QUID MIHI ET TIBI? hic Equum respicit ab homine ductum, adinstar marmorei à nobis mox expositi; subjacet vero Nummus cum imagine Cæsaris, atque à latere Equi inscriptum cernitur: REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI, ET QUÆ SUNT DEI DEO. Quod ipsum est responsum Domini nostri *Jesu Christi* apud Sanctos Evangelistas, cum ipsum *Judæi* tentantes interrogarent, licitumne esset censum Cæsari dare, ipse vero inspiciens nummi effigiem rogaret, cujus impressam gereret imaginem, respondentibus vero esse Cæsaris, ipse mox memorata verba protulit. Quasi ita Populus *Romanus*, Leone denotatus, respondi sibi vellet a Populo *Tiburtino*, per Equum significato, quæ similitudo sibi invicem intercederet, aut quæ æqualitas, quod nollet solvere censum numismatis ibi expressi, cui reponeret Populus *Tiburtinus*, Equo devicto assimilatus, sese censum redditurum esse. Conficitur e *Polybio*, *Ovidio*, *Paulo Manutio* & *Fulvio Cardoli*, quos Cap. VIII. inferius allegavi, Civitatem *Tibur* Rempublicam fuisse sui juris, nec unquam imperio *Romano* subjectam, neque legibus vixisse *Romanis*, idemque invenies in Ære Marmoribusque; verum quando primum tributaria facta sit, nusquam reperire licet. Cæterum autumant, quod post abitum *Frederici Primi*, cognomine *Barbarossæ*, ab Urbe *Roma*, (quo tempore narrant Historici illorum temporum Vexilliferos, hodie dictos *Caporioni di Roma*, adeo caput exseruisse, ut insuetum sibi imperium arrogarent, tentarentque tributum populis finitimis imponere, contra nitentes vero ruina punivisse & clade, sicut evenit *Albæ*, *Tusculo* aliisque circa annum MCXC.) quod tunc *Romani* itidem contra *Tiburtinos* talem inceperint novitatem, ita ut coëgerint persolvere censum
61 quotannis ad libras ducentas & quinquaginta, quæ secundum hodiernam computationem scutatos triginta septem cum dimidio efficiunt, quos per annos quinquaginta solvere noluerunt *Tiburtini*, & è contrario *Romani* voluerunt augeri censum, quare inter populum utrumque conventio fuit instituta Martio Mense, anni millesimi, ducentesimi & quinquagesimi initio; dumque conventio fieret, exeunte Martio, ad arma inter ambos populos ventum est, ubi quidam Optimatium *Romanorum* occubuerunt, quare pax impedita fuit, quæ tamen facta est Augusto mense anni supra millesimum, ducentesimi noni & quinquagesimi, expressâ summâ formulâve, duodecim millium & plurium librarum, quæ præterito tempore supererant solvendæ à *Tiburtinis*, quamobrem conventum est, ut quotannis tributum Populo *Romano* redderent libras mille, quæ ad hodiernam pecuniam efficiunt scutatos centum & quinquaginta. Reliquæ vero Conditiones ejusdem pacis, tributique successus & innovationes ulteriores, quas memorati Signiferi seu Vexillarii invexêre, & quomodo ad Sedem *Romanam* pervenerunt rationes Populi *Romani*, quantum ad hoc tributum attinet, aliaque jura in Civitate *Tibure*, simul assentientibus *Romanis*, nobis restant enodanda capite Octavo, ubi demonstrabimus tributum idem hodieque solvi Reverendæ Cameræ Apostolicæ, quæ Populo *Romano* successit, nec ulterius Populo memorato. Scrupulum tamen movet discrepantia Marmorum Equi & Leonis, cum tempore tributi dicti impositi; tributum scilicet ducentarum & quinquaginta librarum irrogatum fuit circiter annum millesimum, centesimum & nonagesimum, ut narravi, (quantum colligitur ex duodecies mille pluribusque libris, quas tempore pacis factæ pro residuo & neglecto debebant *Tiburtini*) & quod augeretur tributum usque mille, ducentas, novem & quinquaginta libras tempore *Christianorum*: cum tamen Marmor ad sinistrum Equi latus exprimat Augurium captum, aut Sacrificium, ob contentionem utriusque Populi nominati, more Gentium, adeoque videatur tributum diutissime antea impositum fuisse. Hæc ita transacta inter Populum utrumque inveniuntur fusius in Archivo Castelli *Sancti Angeli*, *Romæ*, unde conditiones pacis descriptæ sunt in pergameno, quæ inter ipsos anno millesimo, ducentesimo nono & quinquagesimo, convenerunt, atque adhucdum in Archivio *Tiburtino* conservantur, atque huc delatæ fuerunt, postquam Papæ, assentiente toto Populo *Romano*, consecuti fuere merum mixtumque imperium *Romanum*, etiam in temporalibus, à *Constantino* Imperatore relictum, atque à Populo ipso occupatum, usque Papam *Innocentium* Secundum, Bonum Pastorem, qui vi omni sua jus suum propugnare annixus fuit, sicut etiam ipsius successor *Eugenius*, adjuvantibus *Tiburtinis*, ut capite Octavo nominato exponam, *Ottone Frisingensi* auctore, cujus verba adducam; Atque inde elucet, quantum *Tiburtini* Pontificem *Romanum* contra rebelles *Romanos* adjuverint.

Statuæ Mercurii & Bacchi. 62

Pontem descendendo invenies parvas Statuas duas marmoris candidi, alteram *Mercurii*, cum crumena in manu, altitudinis palmorum quatuor & dimidii; alteram *Bacchi* cum poculo in manu, coronato uvis, & racemo à manu sinistra pendente, inclinantem sinistrorsum, altitudinis ejusdem ac prior; inter quas in aggere lapidum locatas descendes Septentrionem versus per binas series graduum lapidis *Tiburtini*, quarum quæque gradibus constat quadraginta & octo; quibus interserta sunt lævia repositoria tria quadrata, facitque descendendo quævis series duos angulos, pervenitque ad quandam Fontis planitiem, quæ, intermediante Fonte, longa est palmos viginti duos cum dimidio, & pedem Fontis versus palmos occupat viginti; ubique strata subtilibus largisque lapillis, aquâ sulphureâ productis, qui à *Tiburtinis* appellantur *testine*, (testæ) lapidibus *Tiburtinis* respondentes, verum non æquales firmitate. Interius, in nido alto cum encarpis palmorum quadraginta, marmorato opere intus ornato, ubi res pastorales Gentium, Dei *Panos* exhiberentur, quæ nondum ibi habentur; & exterius, Pons habet quatuor columnas marmoratas, duas utrinque, cum Nido quodam

pro Statua duabus quibusvis interjecta. Reliquum præteribo, quippe quod nondum perfectum est.

Exitu muri ab utroque ambarum, quæ nominatæ sunt scalæ, latere, quibus ad Fontem hunc patet descensus, canalis maximus aquarum prodit, qui Fonti memorato occurrit effluenti, & è parietibus circumjectis erumpunt tubuli subtiles aquarum, qui spectatores Fontis inundant, nec effugere possunt, per duos fluxus aquarum maximos, qui exeuntibus obvii sunt.

E planitie seu areola hujus Fontis, in aliam, muro circumdatam, eodemque lapide stratam, latitudine ab Occidente in Orientem palmorum septuaginta septem, latitudine palmorum quinquaginta & novem, murisque Civitatis contiguam, emanat Fons nominatus *della Civetta*, *Noctuæ*, obliquus, altus præter pedem cum ornatibus palmos quinquaginta, latus palmos triginta duos; intra basim hanc duæ reperiuntur ex calce Columnæ rotundæ, factæ opere musivo rustico e lapillis versicoloribus, & intra hasce ramus Malorum *Cydoniorum* a summo ad imum, eodem genere musivi operis, vitis serpentis instar ambit. Superior similis est ornatus Epistylii, & in summo medii zophori habentur insignia Cardinalis *Hippolyti*; & supra hæc inter ramos *Cydonios* erecta est Aquila cum amplissimis alis, opere Musivo, lapideque candidissimo, refulgentique in modum albi sacchari, qui lapis ad radices montis non procul dissiti repertus fuit. Denique in extremis ornamentis zophori duo cernuntur Lilia, unum nimirum ab utroque latere, lapide luteo opereque simili musivo. Intra pedem Fontis Mons constructus est è lapide raro, cui insistit par hominum, aut potius *Faunorum* opere marmorato russo, qui ora sublimia ha-
63 bentes, tenent inter sese lagenam, unde aqua erumpit in vas cadens, quæ inde profluens, format inter lapides spongiosos, rivos amœnissimos. Inferius demum exstat Noctua, quæ vi aquæ in festucam ascendit, moxque descendit; hanc cingunt in ramis arbuscularum diversæ aves, quæ minuriunt Noctuâ evanescente e conspectu, & contra apparente conticent; & inde Fons ille nomen *Della Civetta*, seu *Noctuæ* nomen mutuavit. (*Fons Noctuæ.*) Subtus inter lapides nominatos latent quædam scatebræ, quæ aquas circiter palmos quindecim altas extrudunt. Medio lithostroto vel pavimento opus habetur Musivum lapidum sabulosorum versicolorum, longitudinis palmorum sex & viginti, latitudinis palmorum tredecim, atque in hoc dantur scaturigines binæ per totum opus ipsum Musivum extensæ; quarum utraque est rotunda, & altera quinque & sexaginta tubulos comprehendit, altera vero septuaginta; ambæ autem circiter palmos viginti aquam levant; atque eodem more aquam spargunt, ut *Romæ* in Castello *Sancti Angeli* tempore Lætitiæ Publicæ pompa duci solet. Sunt tandem heic aliæ venæ Fontis minores sex similes, quarum quævis tabulis sex constans, itidem aquam ejicit. Muri, qui locum cingunt, ubique sculptura variisque coloribus sunt ornati, habentque vacuos altissimos arcuatos quatuor, nimirum singuli parietes suum, in quos divisa est longitudo dicti loci a duplici suo aditu, quorum alter Austro obversus est, alter Septentrioni. In quodam horum vacuorum arcuatorum habetur currus *Solis* in summitate depictus, & inferius venatus coturnicum, campique sati, aliæque res æstatis. In altero è regione hujus, *Phaëton* superius expressus apparet, qui signo Zodiaci Scorpio territus curru patrio excidit; inferius vero Auceps cum tibia & visco, aucupiô

A æstate Autumnali commodô, Turdos capit; alteroque latere depicta est sepultura *Phaëtontis* cum sororibus, quæ ipsum deflentes ad ripam fluvii *Eridani*, hodie *Padi* vel *Pò* appellati, in arbores mutantur. Tertium interstitium repræsentat *Icarum*, Patremque *Dædalum*, qui in aëre volitant; ubi filius alis à sole privatus in Mare quod ab ipso *Icarium* dictum est, decidit. Quartum vacuum nondum depictum erat, quum hæc annotarentur. In medio horum vacuorum deprehendere licet Nidos seu Ædiculas ipsis minores, pavimentoque & lithostroto paullo al-
B tiores, e quibus vasta quædam aquarum scatebra erumpens altum petit. In suprema parte parietum Septentrionalium visuntur picturæ quadratæ Aucupum, ejusdem operis, quorum quidam retia tendunt, alii observant ponuntque; alii nectunt laqueos vel decipulas, reliqui cum captis avibus redeunt. In adverso latere deinde apparent mares fœminæque in aves versæ, auctore *Ovidio* in *Metamorphosi*. Ad exitum hujus loci Orientem versus erectæ sunt Statuæ duæ marmoris albi fœmineæ, altera cum vase ad latus, unde aqua in humerum exsilit, altitudinis palmorum sex cum dimidio. Altera à dextra ma- 64
C nu quodammodo sese inflectit, habetque comas ad occiput ligatas, brachiaque nudata; vestitu duplici induta est, hac subscriptione subjectâ: MYRTOESIA. Alterius sinistra cæsaries collecta est in cirrhum verticis, totaque vestibus duplicatis est circumdata, si à medio brachio dextro, totoque sinistro discedas; erecto penitus est corpore, atque pedibus subjecta hæc Inscriptio legitur: ANGHYRRHOE. utraque nonnihil à terra elevata vasi quadrangulari lapidis *Tiburtini* insistit, in quod aqua cadit, quæ ex vase in humero portato effluit. (*Statuæ Myrtoesiæ & Anghyrrhoes.*)

D Ab hoc Fonte Orientem versus reperitur Ambulacrum sive Semita utrimque cincta ulmis maximis & altissimis, additâ inferius areolâ arbusculorum, quas *Lentagine*, sive Lentiscos dicimus, loco muri, atque superius muro non cincta excelso, qui partem horti asperam portat; sese vero extendit à parte plana difficilive incipiens, palmos octingentos in longitudinem, palmos viginti & sex in latitudinem. (*Ambulacrum.*) Progressus per hoc Ambulacrum invenies seriem scalarum dexteram, per quam descendere licebit a superiori Ambulacro, eamque dixi comprehendere à lateribus
E Flores viginti, cum totidem aquarum scatebris, tubulisque laticis sedecim, & æqualibus piscinulis: Insuper è regione seriei scalarum dispositarum altera occurrit tessellata, quæ usque ad exitum planitiei horti pertingit, distincta ordinibus lapidum *Tiburtinorum*, ornataque scaturiginibus aquarum & Floribus undiquaque viginti & duobus, item vascellis & canalibus viginti, juxta commemoratarum scalarum ordinem. His scalis emensis, Ambulacri ejusdem latere dextro cernitur Fons *Draconum* dictus, & a nobis ante nominatus. In Introitu Fontis occurrunt, Statuæ quatuor nudæ, more *Græco*, viriles, utrimque
F duæ, marmoris candidi, totidemque basibus innixæ in quaternis amborum scalarum ordinum lateribus, quos antea monui à superiori Ambulacro pergere in hoc per circuitum Fontis; porro harum una Juvenis est cujusdam, gestibus amœnissimis ad pugilatum sese præparantis, ad medium brachiorum circumligati loris coriaceis, more antiquo hominum ejusmodi, qui in ludis publicis *Romæ* hoc frequentabant exercitium.

Fons verò ipse totus in spatio interno, & per transversum, longitudinem palmorum centum

tum conficit, latitudinem vero ab introitu ad A
Fontis Nidum seu Ædem maximam, palmorum
septuaginta & quinque. Media planitie, muro cir-
cumcingitur, ex lapidibus *Tiburtinis* Zophororum
in morem ambientibus, quædam Concha; quæ in
terram sub plano isto palmos plurimos subsidit, fi-
guræque ovatæ, per longitudinem spatii interioris
Vacui, ab extremis lateribusque artificiosissime di-
stinguitur muro directo; qui introrsum in ovatum
procurrit, dividitque ab his lateribus Concham in
quatuor sectiones. In meditullio Conchæ coa-
gmentatur Collis ex rudibus lapidibus, paullò
eminentior muro, qui Concham ambit; Colli
65 vero huic quatuor insistunt *Dracones* alati à tho- B
race sursum, dorsisque invicem obversis figurâ
Fons Draconis. quadrangulari locati, unde hic Fons nominatus
fuit, inque craterem ex ore cujusvis horum plu-
rimæ effunduntur aquæ. Inter quatuor dorsa
Draconum prodit tubulus aquarum copiosissima-
rum, altitudine palmorum vigintiquinque, quæ
repercussæ sese infringunt, efficiuntque lactis
instar spumam. Interdum aqua hæc artificiose
tumultum excitat in morem parvi tormenti ænei,
vel sclopetorum plurimorum simul emissorum,
vicissimque undiquaque exundat adinstar tento-
rii, exhibendo impetuosam pluviam; res mira
visu, atque animadversu, quomodo eadem aqua C
adeo pulchre uno tempore tam variam vicissitudi-
nem subire possit. Intra hunc Fontem habetur
quædam arcuatio, alta palmos quadraginta quin-
que sine encarpis ornatuque superiori, lata in vacuo
cum columnis circumstantibus palmos triginta in-
troitum Fontis versus; estque primaria Fontis ar-
cuatio, in qua alte erecta est Statua ex marmo-
re albo *Jovis* sedentis in sedili tetragono, parte
corporis amicta, parte nuda, calceata vero est cor-
rigiis quasi passim annexis in speciem ocrearum
dimidiatarum usque suras, manuque sinistra
fulmen levat. Sunt Fonti huic aliæ binæ ar-
cuationes, sed nec eadem spatiositate, nec pari D
vacuo interiori, ad latera Fontis extensa sub sca-
lis ipsum ambientibus, quæ hactenus absolutæ
non sunt, sed ibi similia reposita fuissent, quæ
ad *Jovem* pertinuissent. A lateribus trium Ar-
cuationum, prout Fons ipse crescit altitudine,
& decrescit in quibusdam locis, æquali cum sca-
lis ambientibus altitudine, interpositiones sunt
quædam instar columnarum, opere Anaglypho,
inter quas sunt mansiones quædam, quarum aliæ
altiores, aliæ depressiores, ad altitudinem Fon-
tis sunt ordinatæ; in singulis vero Vacu-
is, quædam habentur ad *Jovem* pertinentia co- E
loribus penicillo impressis depicta. Dextrorsum,
incipiendo ab Arcuatione maxima, ubi Statua
Jovis est, in prima mansione picta *Titanum* cer-
nitur pugna cum *Jove*; in secunda *Minervæ*
Deorumque cæterorum conventus in domo *The-
tidis*, ad fabricandam catenam, quâ *Jovem* liga-
rent, qui *Briareum* in partes vocando, terret
adversarios; tertia mansio repræsentat pictum
Jovem, formâ Oloris in lecto concubentem
cum *Leda*; quarta denique *Jovem* exhibet in lu-
cem editum, Matremque *Opem* enixam, *Cure-
tibus*que incolis *Cretæ* curam partus committen-
tem; qui tympanis aliisque musicis instrumen- F
tis tumultum excitant, ne *Saturnus* Pater cla-
mores *Opis* parturientis audiret, nec infantis va-
gitum, neve, secundum fœdus, quod ipsi & *Ti-
tano* fratri intercesserat (quo omnes masculos
sibi natos perderet) partum editum devoraret.
In angulo perizomatis minimo depictam vides
66 raptum *Helenæ*, filiæ *Jovis*, a *Paride*. Pars de-
mum læva primæ mansionis exhibet bellum *Gi-
gantum*, prognatorum ex sanguine fulminatorum
Titanum, ab umbilico ad inferiora exhibitorum
serpentum formâ, qui montem alium alii impo-
nunt, ut *Jovem* Cœlo expellant, qui pavore
cum reliquis Diis mutatur in animalia, fugiens-
que in *Ægyptum* sese abdit, ut superius in *Pane*
explicuimus. In altera vero mansione *Jupiter* de-
pictus est, mundum cum fratribus *Neptuno* &
Plutone dividens; ut & *Jovis* transformatio in
pluviam auream, introitusque in munitionem &
cubiculum, ubi *Danaëm*, virginem custoditam,
vitiat. Tertia exhibet Raptum *Ganymedis*, ubi
Jupiter in Aquilam mutatus avehit Juvenem
Trojanum ab ipso impudicè dilectum. Quarta
depingit mortem *Jovis* atque sepulturam in *Au-
latia*, quod *Cretæ*, quam hodie *Candiam* Insu-
lam dicimus, oppidum fuit, ejusque Regia.
Quinta & ultima seu minima habet *Venerem*, alte-
ram *Jovis* filiam, dormientem, *Satyrum*que at-
tonito visu nudam contemplantem. Hæc omnia
invenies passim descripta à *Jo. Boccacio Genealog.*
ante memorata.

Adversum hunc Fontem, lævorsum Ambula-
crum, plateam ingredieris, quæ ad planiciem
horti ducit; & secundum delineationem operis
fuisset Scala cum scatebris, canalibus, & pi-
scinulis, adinstar earum, quas superius descri-
psimus; verum nondum ad umbilicum opus per-
ductum est.

Pergendo ulterius, invenies, antequam se-
mita Ambulacri incipiat, alias duas vias, alte-
ram dextrorsum, cujus mentionem supra feci-
mus, explicando Ambulacrum superius; &
alteram lævorsum, qua itidem ad Planitiem Horti
pergitur, fuissentque ambæ viæ, ita ut supe-
rius expositæ, ornatæ, sed post obitum
Cardinalis memorati imperfectæ remansere.

Paullo ulterius Semitæ duæ parvæ sunt, al-
tera dextra, ducit ad introitum præcipuum Fon-
tis *Ovati* ante expositi; & altera sinistra abiens
in Pergulam, quæ etiamnum absoluta nondum
est, fuisset Subporticus ad caput quatuor pi-
scinarum planitiei Horti, planitiemque effecisset
coram tribus Fontibus imperfectis, infra Fontem
Naturæ, nunc vocatum *Organi*, ab *Organo*, quod
ibidem est.

Hinc etiamnum parum ascendendo, pervenies
ad aliam parvam Planitiem, quæ dividit Ambu-
lacri tenorem, anteaquam reliqua projecto Am-
bulationis cernatur; ducitque ad Portam ma-
gnam Horti inter Sylvas Laureas & Ulmorum;
dextrorsum Porta Fontis *Ovati* est, & sinistror-
sum inde itur versus Fontem *Naturæ* memora-
tum.

Fons vero hic latus est palmos sexaginta, lon- Fons Naturæ, seu Organi.
gusque paullo minus, & ferme tetragonus, cir-
cumdatus muro directo, areolis, circulis, zo-
phoris aliisque modis æquo longioribus ad com-
putandum, justoque difficilioribus ad capiendum.
Zophoros medios sustinent quatuor Atlantes
seu viri barbati, duo nimirum utrimque,
lapidibus *Tiburtinis* thoracem usque umbilicum
formati, cætera inferiora muro ad pedes redu-
cto, quomodo veteres soliti fuere terminos pin-
gere & exsculpere. Inter par dictorum virorum
a latere lavacrum est, unde exsurgit tubulus
aquæ in altum bullarum vim excitantis; præter-
ea inferius prodeunt alii tubuli, qui sursum emit- 67
tunt aquas coram prospectu Fontis, alii demittunt
in occursum aquarum inferiorum, ita ut propter
multitudinem a quibusdam audiat *Diluvium*. In-
tra medium emissarii largissimi erectus est Collis
e rupibus lapidum spongiosorum agrestium, va-
cuus interius, cui impositum est *Organum*,
quod ex vi aquarum hauriens ventum, rythmi-
cam cantilenam perfecte sine adjumento ullius
hominis, nisi aquam suppeditantis, edit. In va-

cuitate hujus montis cernitur Statua ex lapide *Tiburtino*, Fœminæ, altæ palmos quindecim cum duabus tertiis, turrito capite, alto sesquipalmum, & ornatæ tympano, quod vulgus *Tamburello* vocat; latæ vero circiter palmos ternos cum dimidio, ab occipite & parte humerorum; Ornamentum utrumque est *Cybeles*, de qua superius egimus, atque *Vestæ*, quas sequenti capite sexto describemus, quod sint eædem, ac *Natura Naturata*. Brachia detecta habet extensa in pedes surasque, quomodo antea docui antiquos sculpsisse Terminos atque pinxisse; totumque corpus a pedibus gulam usque exsculptum est non una serie animalium, fructuum aliarumque rerum; & incipiendo à pedibus & sursum pergendo, à stylobate nimirum, longam palmos ternos invenies. Pars Statuæ anterior continet ordinem primum inferioremque, ubi partes Boum duarum anteriores exsculptæ sunt; secunda tres partes interiores animalium cuniculis similium exsculptas habet; tertia tres alias partes anteriores animalium Leænis non dissimilium; quarta itidem tres alias partes anteriores Leonibus æqualium, jubata cervice; quincta alias anteriores tres partes Arietum. Distinctæ sunt lateralibus variis terminis & ordinibus, Lectori, si notarentur, justo difficilioribus, nec scriptori gratis, locustarum nimirum, quadrupedum pedibus insistentium, à parte postica, formâ mulieris, cum duabus alis, Harpyiarum similitudine; visuntur etiam animalia facie, uberibus, brachiis, & thorace superiori fœminæ similia, paullo infra umbilicum exstantia, sub quo manibus tenent folia, ut corporis basin; apes adsunt cum floribus in ore, rosis aliisque id genus floribus. His rerum mox memoratarum ordinibus imminet quidam ordo, qui totum pectus occupat altus palmos duos, latus palmos tres cum duabus tertiis, cum viginti duabus lactantibus uberibus. Supra hanc seriem pectori ve appensum est sertum glandium versum inferne. Hunc ordinem glandium superat reticulum diversorum fructuum tæniâ vinctorum, quod sinum medio sui format, & à duobus cubantibus Leonibus alatis, in humero singulo singulum sustentatur. Inter dictum reticulum fructuum, & duos memoratos Leones alatos, sub gula in superiori parte pectoris exsculptæ sunt duæ imagines specie Angelorum cum arcubus sine chordis in manibus, & intra illos corpora hominum duorum in terram recumbentia. Alii bini Angeli sine arcu, in extremitate inveniuntur, Leones duo memoratos versus, qui in humeris Statuæ sustinent reticulum fructuum superius descriptum; dexter Angelus lancem manu tenet cum parte
68 anteriori dimidii bovis cubantis; alter Angelus sinistrâ cancrum præfert. Utrumque Statuæ brachium complicatum est, & cuivis brachio complicato impositus est Leo jubatus cubans super omnes quatuor pedes. Quid sibi voluerint his symbolis aut hieroglyphicis rebus sculptis, qui jusserunt hanc Statuam exsculpi, difficile est conjicere; verum quantum e turri colligitur, & tympano *Cybeles* vel *Opis*, conjecturam facio, voluisse denotare has duas, quæ diversas habent apud Gentiles denotationes, ut superius perstrinximus; & inter alias ita denotabant *Naturam Naturatam*, quam Deam faciebant; & quo clarius in hac Statua exponerent Providentiam Omnipotentis Dei *Naturæ Naturantis*; creandi alendique omnes res cœlestes & sublunares, atque virtutem, donatam causis secundis, quo medio parit regitque universitatem rerum, auctor Statuæ tam diversa curavit repræsentari, inferiora faciendo, quæ ad terrestria propius accedunt.

A Cacumini Fontis hujus insistit recta Aquila candida, lapidis *Tiburtini*, pedibus locata, alisque mediis tegit insignia Serenissimæ familiæ *Estensis*. in crepidine subjecta pedibus ejusdem lapidis hæc Inscriptio notatur: NOBILITAS ESTENSIS, prout in argenteis Monetis horum Principum exstat. Prospectus Fontis factus est e muro usui accommodo, cum vacuis & zophoris, tectorio inductis & inauratis, distinctisque marmoribus & speculis, quæ late effulgent, repercutiuntque Septentrionalis solis radios, verum obitu Cardinalis hujus imperfectum opus mansit. Hic enim locus familiæ *Estensi*,
B ob errorem expositum, quem Scriptor Testamenti ipsius Cardinalis admiserat, ademtus per aliquod tempus, non pauca subiit mala, multumque operarii Fontium imperiti errarunt; qui jussu jam auspicioque Domini *Angeli Rasellæ*, Ministri diligentissimi atque observantissimi hujus loci, Illustrissimi & summè Reverendi Domini *Alexandri*, hodie Cardinalis *d' Este*, quotidie emendantur. Inter alios errores est, quod super zophorum maximum hujus Fontis ambiat aqua, quæ inde per tubos rotundos decidit, qui quidem jam obstructi sunt tartaro diuturnitate tem-
C poris ex aqua cruda fluvii enato, nam illi Fontium opifices socordiâ, & fastu ostendendi innovare se posse, fecerunt fluere aquam nominatam per omnem verticem zophori, & inordinate decidere, unde tartarum lapidum ex aqua dicta contraxerunt zophori nominati & ipse prospectus; Hinc sunt, qui putant (sed falso) hunc errorem ab initio admissum, quod hodie hæc aqua minus sit intra cancellos suos coërcita, atque corrumpat amœnitatem Fontis. Præterea æqualiter in alterum Fontem superiorem peccarunt, ubi res quædam *Panos* expressæ occurrunt; & insuper in tres Fontes imperfectos infra Fon-
D tem *Naturæ*; ante quos memorati opifices deri- 69
varunt aquam instar speculum, quod ipsum Fontis tollit prospectum. Ubi vero absolutum erit opus, aqua hujus Fontis incidet in receptaculum non parvo sumptu fornicato opere lapidibus *Tiburtinis* in summo elaboratum, longum in obliquo Fontis, palmos octoginta, & latum palmos quadrata octo cum dimidio, ovatum a parte anteriori longitudinis, & rectum a lateribus latitudinis, quod efficit quasi Lacum parvum, ubi in monticello lapidum spongiosorum visitur labrum apertum lapidis *Tiburtini*, e quo prodit
E Deus *Amor* a pectore sursum alatus.

Planitiem Fontis hujus, pro majori parte sustinent testudines trium Fontium ante memoratorum & imperfectorum; & ab anteriori parte Hortum versus & solem Septentrionalem *Romam*que habet ordinem lapidis *Tiburtini* cum Columnationibus triginta sex, rotundis, & octo transversas planities cum dimidia Columnatione ad latus horum planorum, ubi utrinque alius ordo his octo æqualis occurit. Ad latera hujus Fontis consitæ fuere Platani, nec procul a Platanis inveniuntur ad hominis Statuam muri excitati, perforati, factique cum dimidiatis cana-
F libus ad instar oculorum caudæ Pavonis, cum Sedili, in quo residens aliquis possit illa contemplari.

Septentrionem versus in eadem planitie dextrorsum Fontem hunc, paucis abhinc mensibus, formatus fuit Hortulus quadratus cum areolis, Fonte in medio erecto, necdum finito.

Infra hunc Fontem memoratum, *Naturæ* vel *Organi*, reperiuntur dicti Fontes imperfecti, qui in Ichnographia Horti Veteri, sculpta in ære anno MDLXXV. ad numerum undeviginti memorantur, vocanturque antra *Sibyllarum*, fuissentque tres *Italiæ*, cum planitie anteriori, & so-

solario inchoato, quod pergendo per aliquot gradus fecisset Subporticum in Capite quatuor Piscinarum; & ab hac aquam derivant, quæ mox inde decidit ad suppetendum Fontibus, qui faciendi forent sub nominato Subporticu, cujus rudimenta locata cernuntur super muro primæ Piscinæ Orientalis. Ad hæc in Ædicula media Subporticus decretum erat ponere Statuam *Neptuni*; Dei Maris penes Gentiles, inceptam, sed non perfectam, summa magnitudine, cujus capitis pars, aliaque quædam membra jacent humi penes ultimam Piscinam Orientalem in Horto Secundo. Verum ad exemplar hujus Horti æri incisum anno MDLXXV. *Romæ*, numero 28. debuerat stare cum tridente in manu, supra quatuor equos marinos, quorum ipse tenuisset habenas, in medio quodam Fonte in modum Theatri, pleno aqua, ut mari exundante ad ultimum extremæ piscinæ *Romam* versus, facie versus Piscinas conversâ, spinaque dorsi *Romam*.

Ab hac Subporticu in planitie Horti Occidentali formatæ sunt quatuor piscinæ, quarum duæ proximiores Subporticui post mortem memorati Cardinalis *Hippolyti*, modo remansere in-
70 choatæ; cæteræ duæ erant jam perfectæ. Consummatæ illæ habent undique supra murum suum quatuordecim columnas, quæ palmos sex altæ aquam demittunt in piscinas, & Iridem subinde efformant, & præterea ambæ hæ à tempore injuriam passæ sunt, aquam perdendo, sed incepêre ambas restaurare, & inchoatas duas perficere. Insuper à se invicem quatuor memoratæ Piscinæ Ambulacris distinctæ sunt, quæ ducunt a Palatio per Sylvam & clivum planitiei Horti.

Proxima memoratarum piscinarum cavernis *Sibyllarum*, sese extendit per palmos octoginta sex; sequentes duæ citimæ per palmos MCCCXXXVII. ultima per palmos CXXXII, suntque omnes quatuor eadem capacitate palmorum septuaginta trium, inque medio duarum Piscinarum mediarum destinatæ erant (ut patet ex Tabella) metæ sudantes duæ, mediæ singulæ inter Piscinas.

Inter has quatuor piscinas ibis tendendo in Portam Præcipuam plani Horti, divisi in regiogiones viginti octo, quarum duodecim sunt Orientales, & sexdecim Occidentales, in quatuor singillatim divisæ. Quatuor Orientales habentur in dorso montis, cæteræque omnes in planitie, felicibus arboribus ornatæ, areolis Nardi, Roris marini, Salviæ, Myrtique additis; introrsum deinde distinctæ sunt areæ regionesque in diversas areolas majoranæ, hyssopi cæterarumque bene olentium viridium, & optimæ dispositarum oculisque gratarum herbarum. Arearum octo, vergentium in Ambulacrum, quod ad hanc portam pergit, quatuor mediæ exertæ sunt, & instar

A circuli in medio suo faciunt, inque exsertis ipsarum arearum seu regionum sunt quatuor Fontes, quibus sua sunt lavacra seu piscinulæ infra terram fimbriis lapidis *Tiburtini* ornatæ, atque in medio cujusque exerit sese caudex vel ramus marmorati operis, foliis ubique circumdatus, altus palmos decem, erumpente ex cacumine latissimo flore, e quo erumpit aquæ scaturigo, quæ sese dissipans per Florem, emanat in concham amœno more compositam, difficilem explicatu, nisi coram cernatur. Hos Fontes quatuor, & in quantum excurrit Ambulacrum Cru- B cis inter regiones hasce quatuor medias, & usque ad Portam Magnam, Pergulæ virides rotundæ atque convexæ tegunt, circum serpentibus omnis generis vitibus; nec non supra Fontes quatuor, eorumque ambitum exsurgit tentorium tale octogonum, instar hemisphærii, in fastigio cujus cernitur Lilium inauratum. Secunda serie Quadratorum, circa hoc Ambulacrum utrinque, nimirum in quatuor areis angularibus sedecim illarum, quæ confines sunt Ambulationi, sese produnt quatuor Fontes, erumpentes e vase octogono forma interiori, exteriori vero amœno & vario.

C In ejusdem Planitiei lateribus proximis Portæ memoratæ inferius habes Fontes binos lapidis rudis Scopuli in morem exstructos, qui exhibent accuratissime totidem naturales Fontes, alterum lateralem, altitudinis palmorum duodeviginti, latitudinis novem palmorum, in vacuitate, cum aqua fluminis. Deinde iturus à Fontibus hisce quatuor Occidentem versus in exitu terminoque Ambulationis Fontem invenies retectum, ubi cernitur Statua marmoris candidi, arte *Romana*, tota vestita, est vero *Veneris*, alta palmos novem, semiprocumbens sinistror- D sum, passis capillis super frontem & aures, cum quibusdam papaveribus in manu dextra. Circumstant itidem Statuæ duæ marmoreæ pueriles, altæ palmos binos cum quarta; stantis altera, & super cygnum uvas edentis pueri; & altera cygno insidentis, ita ut collum ipsius stringendo suffocare videatur.

Autumant, plures centies mille scutatis requiri ad restaurationem Fontium locorumque destructorum in Hortis, Secreto scilicet, ac Maximo, nec non Palatii, ut & ad continuandam perfectionem rerum inchoatarum. Itaque Lector, opera quædam addita, cum co- E ram loca inspexerit, observabit; Quum etiamnum ex mandato nominati Illustrissimi & admodum Reverendi Cardinalis *Alexandri* assidue in exornando hoc loco laborent. Ad ultimum, Locus hic noster omnia Mundi prodigia superat, atque de hoc testimonium dictis nostris omnes ad unum spectatores perhibebunt.


FINIS PRIMÆ PARTIS.



AN-

PARS SECUNDA.

VILLAE
URBIS TIBURTINAE
ATQUE EJUSDEM AGRI,
ILLARUMQUE NOMINA ANTIQUA ET RECENTIORA.

Arte jam priori Libri hujus descripsimus Palatium nec non Villam Serenissimæ Familiæ *d' Este*, ut quæ oppidi pomœrio quidem contineatur, sed tamen extra sese etiam extendat, amœnitate omnes cæteras superans, continensque ambitum immensum illius *Hadriani* Cæsaris, imo etiam jucunda integritate sua visui cujusvis apparens; superest jam, ut reliquas Villas Antiquas exponamus; Primumque ut agamus de Villa *Caji Julii Cæsaris* Dictatoris, seu *Caji Cæsaris Caligulæ* Imperatoris, ordo & titulorum & temporis exigit.

VILLA CAJI JULII CÆSARIS DICTATORIS, *aut* CAJI CÆSARIS CALIGULÆ, *aut* CÆSONIORUM.

Deprehenditur in territorio *Tiburtino* regio dicta *Cæsariana*, ubi rudera habentur quædam antiquorum ædificiorum, quæ multis placet adscribere Villæ *Caji Julii Cæsaris* Dictatoris, vel Balneis ejusdem, aliis autem verosimilius, *Caji Cæsaris Caligulæ*; eo quod ille ab Urbe procul abfuerit perpetuis bellis, & tandem Dictaturæ grave onus acceperit, hic vero mollitie deliciisque diffluxerit. Quod vero sententiam hanc firmat, est, quod ipse gloriatus fuerit sese factum esse *Tiburtinum*, talemque quidam fecerunt, narrante *Suetonio Tranquillo* Vitâ *Caji*
74 *Cæsaris Caligulæ* Cap. VIII. nosque alibi diffusius dicemus Cap. X. Heic vero Balnea fuisse colligitur, quod indidem videas venas aliquas aquæ sulphureæ erumpere, quæ, ut in ore vulgi est, per plumbeas fistulas eo conducebatur infra alveum Fluvii *Anienis*, a sulphurea, quæ ab altero latere Fluvii est, Septentrionem versus; præterea heic inventa sunt aquagia plumbea, quæ per nominatam Villam aquas derivabant.

Verum enimvero duæ Inscriptiones indidem repertæ satis evincunt Villam fuisse *Cæsoniorum*. Has habet *Marcus Antonius Nicodemus* de *Rebus Tiburis* Pentade prima, Lib. IV. Cap. VI. & ante ipsum *Aldus Manutius* Junior, in *Orthographia*, in *Africâ*. pag. 25. & 26. Inscriptio vero ita se habet:

L. CAESONIVS C. FILIVS. QVIRINA LVCILLVS
MACER RVFINIANVS COS. FRATER ARVALIS
PRAEF. VRBI ELECTVS AD COGNOSCENDAS VICE. CAESARIS
COGNITIONES PROCOS. PROV. AFRICAE XX. VIRO SENATVS
A CONSVLTO R.P. CVRANDAE. CVRATOR AQVARVM ET MINICIAE
CVRATOR ALBEI TIBERIS. ET CLOACARVM VRBIS LEGATVS PROV.
AFRICAE. EODE. TEMPORE VICEPROCONNSVLIS CVR. R. P.
TVSCOLANORVM. CVRATORI. R. P. SVESSANORVM
PRAETOR KANDIDATVS. QVAESTOR CANDIDAT.
ELECTVS IN FAMILIAM PATRICIAM. X. VIR
B STLITIBVS IVDICANDIS.

In qua Inscriptione observent studiosi vocem AFRICA carere aspirata littera, ALBEI per B, non per V scribi, & in TVSCOLANORVM H non addidisse litteræ T, & O Secundam Syllabam, non V notasse, ut & KANDIDATVS incipere non a C. sed K. Secunda vero Inscriptio hæc est:

C. CAESONIO C. F. QVIR. MACRO
RVFINIANO CONSVLARI SODALI
AVGVSTALI IMPERATORIS SEVERI
ALEXANDRI AVG. CVR. R. P.
C LANIVIORVM II. PROCOS. PROV
AFRICAE. CVR. AQVAR. ET MINIC.
LEG. AVG. PR. PR. GERMAN.
SVPERIOR. CVR. ALVEI TIBERIS.
CVR R. P. TEANENS. LEG. AVG. PR.
PR. PROV. LVSITAN. CVR. R. P
TARRICENS. PROCOS. PROV.
ACAIAE LEG. LEG. VII. CLAVD. CVR.
R. P. ASCVLAN.
LEG. PROV. ASIAE.
PROLEG. PROV. BOETIC. TRIB. PL.
QVAESTORI PROV. NARBON. TRIB.
D LEG. I. ADITIC. 75
DONATO DONIS
MILITARIB. A. DIVO MARCO
III. VIR CAPITALI
PATRI DVLCISSIMO, ET
INCOMPARABILI CAESONIVS
LVCILLVS FILIVS CONSVLARI.

Sunt, qui hinc locum ipsum vocari autumant *Cæsonianum*, & vulgo mox *Cesarano*. Deinde alii putarunt locum vere nominari CÆSONIANUM, & dehinc CÆSARANUM inde, quod plurimum commoratus ibi sit dictus *Cajus Cæsar*; quem quidam dixere progenitum
E fuisse *Tibure* in hoc loco, ut occupavimus dicere; & addunt, quod ipse ita cognominari gloriaretur, item, quod uxorem duxerit e familia dicta, nomine *Cæsoniam*, fœminam venustam, sed impudicam lascivamque, docente *Antonio* *Au-*

Augustino de *Familiis Romanis*, in Familia *Julia* pag. 355. & quia hi nominati ex familia fuere ejus *Cæsonii*, qui longe antea *Pompejanis* in Bellis, *Julii Cæsaris* partes adscivit contra filios *Pompeji Magni*, auctore *Paullo Orosio* Histor. contra Paganos Lib. VI. Cap. XVI. circiter finem. Ipse vero *Caligula* memoriam famamque *Julii Cæsaris* satis amabat, & e contra posteros percussorum aliosque ex ipsorum familia odio summo prosequebatur. Et quamquam narrat *Solinus* Cap. LVI. circa fin. uxorem ipsi fuisse *Lolliam Paullinam*, tamen etiam hanc habuit, monstrante, præter alios, *Petro Messia* Vitâ *Caligulæ*. Propter hanc cognationem aliaque memorata oportuit *Caligulam* frequentasse Villam nostram, illamque vicissim ab illo Cæsare nomen traxisse *Cæsaranum*, vel *Cæsarianum*. Sed Magnificentiâ Imperiali ab ipso impetratâ, *Tibur* non modo debuit lætari, quod *Tiburtinum* sese faceret, verum ejus etiam gratia pudore suffundi, quod vitam idem vel dictu fœdam degeret. Narratur enim egregius iste nunquam legem posuisse utilem, stuprasse proprias sorores, in Palatio Imperiali Lupanar erexisse, ubi aluit venustas fœminas, quæ sui copiam aliis facerent. Ad ultimum talem produxit vitam, ut cum nominata *Cæsonia* filiaque *Julia*, ab ipsa prognata, interficeretur anno suæ ætatis. . . . Imperii vero tertio, & mense undecimo & die octavo. Meminere ejus *Paulus Orosius Histor.* Lib. VII. C. III. *Petrus Messias* in *Vita Calig. Eutropius* Lib. VII. *Eusebius Hist. Eccles.* Lib. II. *Joan. Baptista Egnatius Vit. Caligulæ. Suetonius Tranquillus* in *Vita Caligulæ*, aliique, qui in eo sunt, ut virtutes ipsius venustas sane passim describant. Fuit etiam *Cajo Cæsari* Villa *Tibure*, verum illam *Crispo Salustio* vendidit; de qua agemus inferius. Agit & de illa *Marcus Antonius Nicodemus* Pentad. I. Cap. IX. pag. 74. & 75.

76 VILLA HADRIANI IMPERATORIS.

Procul oppido *Tibure* tria milliaria, ut inspectio docet, asseveratque *Joannes Gobellinus Commentariis de Vita Pii* II. Lib. V. visitur strues ruinarum, instar amplissimæ Civitatis, in Colle celeberrimi Palatii aut VILLÆ HADRIANI Imperatoris, quæ longitudine, ut quidam scriptis retulerunt, incepit a Septentrione, extensa in Austrum, interstitium occupando trium milliarium, aut paullò pauciorum. Latum erat Palatium inæqualiter, verum maxima latitudo quintam partem longitudinis memoratæ implevit, situm in colle a vallibus circumdato, quarum latitudo est circiter trecentorum pedum, ambitusque fere sex milliaria absolvit. *Jacobus Philippus Bergomas Chronicis Vitæ Hadriani* lib. . . . affirmat spatium illud ipsum nostrum fuisse *Tibur*, ædificatumque ab Imperatore *Hadriano*, quem capite I. harum *Antiquitatum Tiburtinarum* refutavimus. *Spartianus* in Vitâ *Hadriani*, & post ipsum *Blondus Flavius Forojuliensis*, in *Italia Illustrata* III. Reg. Pater *Fulvius Cardolinus* Passione S. *Syphorosæ* & filiorum, voce *Tibur* pag. 104. *Joannes Gobellinus* Lib. V. Commemorat. & *Leander Alberti* Descriptione *Italiæ*, capite de Territorio *Romano* pag. 148. asserunt, heic loci *Hadrianum* excitasse Palatium, seu Villam, ita magnificum, ut nihil supra, ipsiusque locis dedisse nomina celeberrimorum locorum & miraculorum totius Mundi, nimirum *Lycei*, *Academiæ*, *Prytanei*, *Canopi*, *Pœciles*, & locorum, quæ dicerentur *Tempe*, nec ullam rem ipsi

A defuisse, si vel maxime *Inferos* tibi fingeres.

Et tam amplus est locus, ædificia tot, tamque sunt spatiosa, ut rudera & ruinas fecerint immensas, super quas jam pullularunt arbuscula & vastæ arbores, ita ut Sylva concreverit, nec propterea exemplar fieri loci potuerit, neque per valles ejusdem confici Ichnographia. Quandoquidem exprimenti sciagraphiam partis Occidentalis e conspectu evanescit Orientalis, iterumque acceptâ Orientalis partis Ichnographia amittitur Occidentalis. Quare justissime *Joannes Gobellinus* Lib. V. plangit ruinas ruderaque hu-
B jus Villæ antiquæ & summæ amœnitatis & superbiæ, & Palatium tam amplum exstructum ab imperatore *Hadriano*, ad instar spatiosissimæ Civitatis, cujus adhuc apparent templorum altissimæ testudines, vastatæque structuræ cœnaculorum & cellarum, columnæ insanæ Porticuum, & vestigia Piscinarum & Balnearum, in quæ olim brachium fluvii *Anienis* derivatum, æstivos temperabat calores, illa inquam, per injuriam temporum ita esse penitus corrupta; virgultaque & rubos orta esse, ubi consueverant Tribuni Imperatoris sedere purpurâ amicti; atque in cubiculis Reginarum morari serpentes; Verba Aucto-
C ris hæc sunt: *Extra Urbem ad tertium circiter milliarium Hadrianus Imperator nobilissimam Villam exædificavit ad instar magni oppidi. Extant* 77
adhuc Templorum sublimes & altæ testudines. Cernuntur & Aularum & Cubiculorum semidiruta ædificia. Visuntur & Peristyliorum & maximarum columnæ Porticuum, ac Piscinarum & Lavacrorum vestigia, in quæ derivata quondam Anienis portio, æstivos refrigerabat ardores. Vetustas omnia deformavit. Sentes & Rubi crevere, ubi Purpurati sedere Tribuni; & Reginarum cubicula serpentes inhabitant. Adeo fluxa est mortalium natura rerum.

D Amœnissimum fuisse Palatium etiamnum perspicies ex permultis & insanis substructionibus, è coloribus hodieque pertinacibus cœruleorum tenuissimorum ultramarinorum, quos abradunt pictores, & præcipue Septentrionales; præterea fragmentis columnarum, Zophororum, encarporum bellissimorumque marmorum versicolorum aliorumque multorum, quibus ornata passim sunt Templa *Tiburtina*, in pavimentis e marmore minori compactis, columnis murorum interiorum, & vestibulorum; quin multa inde varii Principes *Romam* deferri curarunt, & sub rudera eruerunt Statuas, quarum quædam in *Galliam*
E usque sunt delatæ. Et en! nostra ætate invenimus quosdam, tales antiquas nobilitates parvipendentes, qui ejusmodi fragmenta conteri fecerunt in calcem, usui domum struendarum, parum suis mox utilium.

De Palatio hoc nostro seu Villa tam celebri parcam modo descriptionem apud Antiquos Auctores invenire licet, qui dicunt brevi viguisse, quorum quidam asseverarunt decorem suum retinuisse tantummodo circiter sexaginta annos, nec non *Antoninum Pium*, *Hadriani* successorem, bello contra Barbaros implicitum, procul *Roma* maximam partem sui Imperii per degisse, suc-
F cessores alios alium bello civili cupiditate imperandi, persecutos fuisse, interea Villam sibi esse relictam, & ita in rudera oblivionemque recidisse. Deinde alii retulerunt nominatis annis sexaginta amisisse antiquam quidem gloriam; at integram mansisse quadringentos annos circiter, usque *Gothôs* venientes, obsidentes atque desolantes *Tibur*, ac ibi habitantes; cum inventæ sint sepulchra in cœmiteriis, effodiendo pro plantandis vineis, cum ossibus cadaverum sepultorum, & arcis ex creta cocta, additâ artificis

notâ litteris *Gothicis*. tandemque Imperatores *Germanos* in *Italiam* venisse majori detrimento, quam emolumento; Imperioque *Romano* in casum vergente, eminentiam *Tiburtinam* simul in nihil recidisse, docente *Leandro Alberti* loco citato; atque post desolationem *Gothorum* dirutam fuisse vicissim à *Germanis*, permultosque annos *Tibur* mansisse in ruderibus, monente *Blondo Flavio* loco citato.

Desiderarunt complures quandam Descriptionem hujus Palatii vel Ichnographiam, sed nec aliam invenerunt, quam Descriptionem *Pyrrhi Ligorii*, Viri Antiquarii potius, quam commodi Historici & docti, possessam ab hæredibus quibusdam Aulici alicujus, feliciss. memor. *Hippolyti d' Este*, Cardinalis *Ferrariensis*, Gubernatoris *Tiburtinorum* perpetui, quæ conscripta fuit à nominato *Pyrrho Ligorio* Antiquario, *Villæ Hadrianeæ* titulo, atque Cardinali nominato dedicata. Indicat in hac Descriptione * *Ligorius*, sese Ichnographiam inde facere Cardinali *Hippolyto* velle,
78 verum inventa non fuit. excusæ fuere quædam Ichnographiæ hujus Palatii cum quatuor antiquitatibus murorum exsculptis, sed quæ non accurate depingunt, nec partem quidem millesimam loci ipsius, verum ita fuerunt compositæ & inscriptæ à designatoribus & sculptoribus, ad pecunias lucrandas, vel loci ipsius ignominiâ.

Itaque ad nominatum *Pyrrhum Ligorium* recurremus, ut perstringamus Villam hanc ejusque statum pristinum. Verum quia *Pyrrhus* ille late excurrit, res explicando, quæ in nominatis locis *Lyceo*, *Academia*, *Prytaneo*, *Pœcile*, *Tempe* ac *Inferis* exhibitæ fuere, quæ quidem debuere esse in locis Originalibus nominatis, quas *Hadrianus* ibi curarat repræsentari, & forte fuere in hisce Villæ *Hadriani* locis sculptæ & pictæ, sed de quibus præcise nobis non constat: tantummodo ab ipso excerpemus loca, mensuras, & Statum pristinum ædificiorum, omissis rebus ibi forte depictis atque exhibitis, quamvis hodieque hic paucæ quædam inveniantur picturæ, & opera Marmorata. Principio descripturos oportet quærere introitum, portamque dictæ Villæ, ad quam inveniendam multi conati sunt multa, sed cui usui, incertum est, nisi haberent libros, qui docerent quasdam res in porta hac costitutas, vel ab eadem dissitas. De Porta quidem nullam inveni mentionem factam; sed notum est, introitum fuisse ab hoc latere collis, quod incipit Caurum versus, inter Occidentem & Septentrionem, viâ Regiâ, silicibus ingentibus stratâ, cujus etiamnum vestigia apparent, & parte illa a Ponte *Lucano* fluminis *Anienis*, ducenteque Urbem versus, & per clivum collis.

Termino memoratæ viæ siliceæ in colle incipiunt Palatii hujus ædificia, mansionum scilicet, tam in terra, quam sub terra, nimirum cubiculorum, hortorumque pensilium, præter nonaginta Fora, Porticibus & Xystis instructa, quæ immane quantum differunt ut situ, sic figura atque arte, singula autem per quasdam vias & introitus communicationem invicem habent. Intrando habitationes Palatii ab nominata via strata, relinques ad dextram manum Vallem Orientalem, a qua parte Vallem versus habetur murus excelsus, sed olim ad amussim minime directus cum tristegis, quas *Tiburtini* vocant *centum cubicula*, relinquentibus duo Fora sive Areas, de quibus inferius erit sermo; putantque has habitationes Equitatui fuisse reservatas,

* Confer Edit. nostram in Luculenta hac Collectione pag. 24.B

A quem pro cohorte Prætoria habuit *Hadrianus*, pervenisseque, docente *Pyrrho Ligorio*, ad *Pœcilen* Porticum, quam ductu Architecturæ esse debere asseverant, ubi ad dextram manum eunti Austrum versus apparet longus altusque murus, qui pergit in Occidentem, & quidam autumant positum, ut frequentantes hæc Fora sole umbraque fruerentur, ad lubitum; alii existimant, respectum habuisse ad cursum certum solis: & duplicasse Porticum, alteram faciendo septentrionalem, alteram Australem; Hasque Porti- 79
cus exeuntes fuisse in Cellas sive Exedras, quæ initio muri habentur, & Porticuum, quas duo
B vasta Fora ambientia, cum toto fundo ædificii occupant, quæ octingentos pedes habent in longitudine, lataque sunt paullò minus tertiâ longitudinis parte. *Pœcile* fuit Porticus *Athenarum* Urbis celeberrimæ *Græciæ*, principiò vocata ΠΕΙΣΙΑΝΑΚΤΕΙΟΣ, mox ΠΟΙΚΙΛΗ *Græce*, & POECILE *Latine*, quod nobis denotat *varium*, propter picturarum (quas ibi gratis, & ut gratiam modo *Atheniensium* captaret, pinxerat *Polygnotus*, nobilissimus pictorum ejus ætatis) varietatem & diversitatem. Cætera ut omittam, heic expresserat pugnam *Græcorum Persarum*que memorandam, qui *Europam* ad subigendam *Græ-*
C *ciam* intrarant. In campis autem *Marathoniis* centum millia *Persarum* à tredecim millibus *Græcorum* ductu *Miltiadis* fuere deleta, qui hoc prælio *Græciam* servitute liberavit, canente *Francisco Petrarcha* de *Fama* Cap. . . .

Milciade, che 'l gran giogo à Græcia tolse.

† Porticus hæc testimonium Victoriæ hujus distichum *Græcum*, allegatum ab ipso *Pyrrho Ligorio* habuit. *Zeno* nobilissimus Philosophus docebat Philosophiam, discipulique ipsius Porticum nominatam frequentantes, ab ipsa appella-
D tionem traxerunt, quod *Græce* ΣΤΟΑ vocaretur; & inde *Stoici* Philosophi originem derivarunt, quorum summus Auctorque erat *Zeno*. Imperator *Hadrianus* perspicacissimus erat Philosophus, omniumque studiorum peritissimus, atque ideo hanc Porticum propriæ delectationi, aliorumque ejusdem professionis depingi curarat.

A duobus hisce vastissimis Foris dependebant aliæ habitationes plurimæ cum aliis Foris minoribus rerum studiis aptarum, & delectationibus, quibus heic animum relaxarunt Stoicam Philosophiam repræsentantes. Meminit *Pœciles Plu-*
E *tarchus* in *Vitâ Cimonis*. Sub his spatiosissimis Foris duæ sunt cavernæ, quas moris erat ipsis cuivis Porticui submittere.

In latere horum Fororum, quod ad Austrum & Occidentem vergit, duplex erat scala, quæ per tres distinctas planities ducebat in totidem Pergulas divisas, horum aliud alii fuit impositum; atque applicitæ fuerunt habitationibus, quæ deprehenduntur in termino horum laterum duorum, plana facientium nominata duo Fora; suntque habitationes, quæ, ut antea demonstravimus, fuerunt mansiones Prætorianorum equitum Imperatoris, dictæ *centum cubicula*.
F Antrorsum duo hæc Fora Orientem versus exstructa ædificia complura fuêre, Balnea scilicet, Triclinia sive Cœnationes, Heroicum & Bibliotheca, additis distinctis Areis ante singula loca, quæ erant pro atriis seu vestibulis.

Aperte ad initium Porticuum in medio, quæ vicissim respondent ingentibus illis duobus Foris, quæ *Pœcilen* efficiunt, magna est Cavea, quam si subeas, ingressus patet in Templum apta-

† *Porticus hæc*] Vide Editionem nostram pag. 10. C.

aptatum Diætæ *Stoicorum*, ubi in angulis erant
80 Columnæ atque alia commoda locandis Statuis Numinum Præsidum studiorum. Pavimentum ejusdem Diætæ seu Templi totum erat ex lapide Porphyrite, aliisque marmoribus miscellis varie insculptis, parietibusque eodem lapide misto constructis, qui terris eruti fuere, cum heic effoderetur. Ad latus Diætæ alius est locus exornatus Porticu ovatæ figuræ. In medio Fori ejusdem ædificium octangulum est, quod per singula latera Portas habet & ædiculas, aliaque loca disposita habitationum, ubi intus & extra multæ Deorum Gentilium erant Imagines, scaturiebantque Fontes interius eodem in loco. Pro ornatu ipsorum varia exsculpta erant Monstra Marina, hominum non tantum, sed & omnis generis animalium forma, cum cauda etiam Delphini, adjectis fœminis & Amoribus equo vectis. Præterea heic visebantur insculptæ bigæ a variis animalibus tractæ, cygnique alatis Cupidinibus ductoribus, aut potius Geniis, tanquam Ludos Circenses celebrantibus. Quibusdam bigarum Struthiones pro equis erant, aliis Arietes, Capræ, Leones, Tigrides, Columbæ, aliisque equi proprie dicti. Quæ, teste nominato *Pyrrho Ligorio* (citato loco *Manuscript.* pag. 12. E.) qui vixit temporibus Illustrissimæ & Felicis memoriæ dicti Cardinalis *Hippolyti Estensis Ferrariensis*, partem *Romam* avecta sunt, atque reposita in Hortis Illustrissimæ & felicis memoriæ *Alexandri* Cardinalis *Farnesii*, qui fuerat Gubernator *Tiburis*, & antecessor nominati Cardinalis *Hippolyti*, partemque fuere in potestate ipsius Cardinalis *Hippolyti*, & partem *Tibure* hodieque parietibus passim inserta visuntur. Apparet etiamnum amplum & pulcherrimum habitaculum dirutum, ubi quondam erat Bibliotheca cum triplici ordine Stationum, cum Porticibus in circuitu ejus. Ibidem, ut ubique, Statuæ fuere, aliaque ornamenta marmorati operis, depicta, atque incrustata, singularia, nec inventionis simplicis. Prope Bibliothecam sunt alia loca sive conclavia, in Templorum formam, Hexedrarum, Diætarumque & Hospitiorum parvorum grandiumque, cum Porticibus suis, Fontibusque & aliis planis pro Hortis.

Ulterius, Aquilonem versus, quo omnes fenestræ & portæ locorum dictorum vergunt, grande spatium cernitur cum muro viginti quinque stylobatis ornato. Ante hoc erat Porticus ambulationi conveniens, hortum circuitu suo includens. Et ad ejusdem loci latera alii sunt Tumuli, magis depressi, cum aliis Foris & ædificiis; & in fronte est Piscina purgandæ aquæ, alia item loca cum altis muris, parvis Porticibus ornata (unde subtus bases aliaram Statuarum indidem erectarum, erumpebant aquæ) quæ recta occurrunt alteri Foro, quod cum aliis Ædificiis suspensum erat quasi ab altis ripis, cum prægrandibus muris, Statuis item à tribus lateribus exornatis.

In tumulo etiam *Villæ*, qui depressior adhuc magis est, ingens conspicitur Theatrum, cum quatuor aliis Ædificiis, unacum Foris & Porticibus inædificatis innixisque non Columnis,
81 sed Pilis, in quo Foro quum quondam effodi faceret Cardinalis *Ferrariensis*, auctore citato *Ligorio*, [1] dicto loco inter bases & stylobatas quadraginta numero, tres modo Statuas seu trunca busta pulcherrima invenerunt. Pavimenta hujus Fori strata erant Marmore Augustali, dissecto in tabulas quadrilateras. Prope Forum idem aliud longe pulcherrimum, Columnis pulchrisque Sta-

1 *Dicto loco*] Vide Edit. nostram pag. 14. D

A tuis exornatum, quas invenit *Joannes Baptista* Capucinus, alias vocatus *Buccicola*, *Tiburtinus*. Post loca illa Forum erat, nunc passim *del Oro* dictum, quod circumdatum erat variis Ædibus, agrestis operis incrustati, ad repræsentandas rupes, agresti more elaboratas, prout exigebat locorum in Villæ talis formam dispositio. Et hoc deprehenditur, quantum ad Villæ latus obversum ad *Pœcile*, quodque ad Aquilonem pertinet.

Deinde Meridiem versus habet hoc Palatium alia Fora, & Balneas cum Pinacothecis suis, quæ lumen suum a Septentrione & Oriente accipiunt, ubi loca sunt accommodata Frigidariis
B & Empodyteriis, in usum illorum, qui Balneis illis uti vellent. Sunt & ibidem Luctæ destinati loci, *Xysti* dicti, aperti pariter atque tecti, *Apodyteria* item, ubi exuebant sese, qui oleo perungebantur ad luctationem; Laconica etiam loca calida, quæ lumen recipiebant à Meridie & Occidente, quo ibidem exercerentur post prandium, tempore hyberno, varie quoque exornata Marmoribus exstanti sculptura elaboratis atque depictis.

Inter *Pœcilen* & duos Tumulos, qui ad Academiam pertinent, de qua inferius acturi sumus,
C longissima interjacet Vallis, satis ampla, proportione ad Circuli normam: *Circi* vero quam ampli soleant esse, & cui usui, invenies notatum à *Dionysio Halicarnassensi* Lib. III. de *Circo Maximo*, constructo à *Lucio Tarquino*, Rege *Romanorum* quinto, *Joanne Bartholomæo Marliano*, Topographiâ *Romæ* Antiquæ Lib. IV. Cap. II. ubi Circum Maximum describit, & *Andrea Fulvio* Antiquitat. *Romæ* Lib. IV. C. XV. In summo hujus Vallis, sive *Circi*, Templum *Neptuni* fuit, alias nominati *Canopi*, seu *Canobi*, secundum *Ligorium*; ubi dextra lævaque diversa invenies habitacula, Mansionibus & diversoriis
D respondentia, additis Porticibus utrimque, quæ per passus singulos vario mirifice opere distinguuntur, verum dextrorsum & lævorsum invicem conveniente, quod exhibet locum, quem *Hadrianus* vocavit *Canopum*. Fuit vero *Canopus* auctore *Solino* Cap. XXXIII. (qui describens hunc, variat ab illo, quod narrat *Pyrrhus Ligorius*) Oppidum *Ægypti*, ædificatum ab *Alexandro Magno*, haud procul *Alexandria*, Urbe ita ab ipso *Alexandro* vocata, & locus amœnus & jucundus, & ideo effictus ab *Hadriano* in Palatio suo, seu Villa, seu quoque propter lasci-
E viam. Quandoquidem *Canopus* fovea fuit, instar Euripi, nocte dieque referta maribus & fœminis, qui canentes & saltantes interdiu noctuque omni deposito pudore navigiola ascendentes, omne genus impudicitiæ exercebant, auctore *Strabone* . . . , *Hadrianus* extrui curavit eundem, ad relaxandum sese ab rebus seriis, dum heic delectationi jucundisque rebus indulgeret; adhæc notat idem *Pyrrhus*, quod heic loci anniversalia *Bacchanalia* pro vindemia habita sint. Templum nominati Dei *Canopi* in summo Vallis dictæ conditum, structurâ rotundum, fuit vastum, passimque ornatum Statuis, ubi sub ba-
F sibus effictorum Deorum erumpebant Fontes con- 82
tinui aquarum derivatarum ab aliis regionibus, quæ exilientes omnes congregabantur in *Euripum*, ita ut aptum redderent etiam navigiola ascensuris, ad celebrandos lusus in morem *Canopitarum*. Summatim locus hic apparet adhibitus ita aqueis negotiis, quia Vallis hujus totum solum compactum est ad sustinendam aquam, & etiam, quia omnes res, hîc depictæ, sunt maritimæ Ne-

2 *Fuit vero Canopus*] Vide *Pyrrhum Ligor.* Edit. Nostræ pag. 16. D.

*Neptuno*que ſacratæ; ſive hic exprimi curârit *Hadrianus* Oppidum cum *Euripo*, vel *Euripum* ſolum; certe verum eſt, *Hadrianum* denominaſſe locum aliquem *Canopum* in hac Villa, qui alius eſſe non poteſt, ac hic, ut aſſeverat *Pyrrhus Ligorius* in Deſcriptione *Villæ Tiburtinæ*. Additque ibi inventum fuiſſe Equum marmoreum, & hodieque quoque cernas ibidem fundum *Euripi*. Ut autem in templo *Canopi* reſponſa reddebantur, ſic in hoc templo *Canopi* rotundo, ut notavimus, usque ad hunc diem, ſpatium quoddam eſt quod ſolet vocari *Sibylla*, ubi viſuntur ſcilicet Loca *Sibyllina*, & reſponſis apta intra conclavia Deorum, heic dedicata. [1] Verum autumo, *Pyrrhum Ligorium* hac in parte erraſſe, quippe locus etiamnum nominatus *Sibylla*, non extat in hac parte, & ſummo Vallis, verum longius remotus, & qui locus hodieque vocatur *Sibylla*; non Templum fuit *Neptuni*, ſed *Sibyllæ Albuneæ*, cui hic poſita erat Statua marmorea, ſemiexſtans, opere Anaglypho, nuda, cum exuviis Hirci in dorſo, pilis extantibus, additis pelle capitis hircini & cornibus ſupra caput *Sibyllæ*, item cum pedibus quatuor hircinæ pellis paſſim collectis ante pectus *Sibyllæ* jucundiſſime; quamquam cornua ſatis rudia ſunt pro principio ſcilicet Statuæ, quæ manu teneret Librum, ut depingitur *Sibylla Albunea*, collumque vertit cœlum verſus, quaſi jam divinatura. Et hæc Statua operis ſemiexſtantis vetus, quæ jam habetur in vinea Doctoris *Pacis* Medici Phyſici, cum brachiis & facie fractis, putatur fuiſſe in Templo dictæ *Sibyllæ*. Sunt alii etiam, qui putant Statuam hanc eſſe *Junonis Soſpitæ*, quæ itidem amicta erat pelle caprina cum cornubus in capite, monſtrante *Fulvio Urſino* in Familiis *Romanis*, Famil. *Cornuficia* Numiſmat. I. & II. Famil. *Papia* Nummo I. II. & III. Famil. *Proc.* Nummo I. Non præteribo, me neſcire, quare *Pyrrhus Ligorius Euripum* producat deſcribendo *Canopum*, quippe quæ Civitas fuit *Ægyptia*, ut docuimus; & *Euripus* eſt ſinus inter *Eubœam* & provinciam *Græciæ Bœotiam* proceſſoſus, qui ſexies quotidie æſtum receſſumque maris patitur, navibus & triremibus etiam tota vela pandentibus periculoſus, auctoribus *Pomponio Mela* de *Situ Orbis* Lib. II. Cap. VII. & *Joan. Boccacio* Tractat. *de Mari* litera E, voce *Euripo*; qui addit, non modo Mare illud vocari *Euripum*, verum quodvis etiam proceſſoſum, vocabulumque *Euripum* ſignificare mare proceſſoſum; niſi voluit forte dicere, locum hunc fuiſſe *Euripo* ſimilem noſter
83 *Pyrrhus* & parem, quod velle metaphorice videtur. Adhæc veroſimilius affirmatur, *Pyrrhum Ligorium*, *Euripo* non denotaſſe mare tempeſtuoſum, ſed foſſas, quæ undique circa Circos ſeſe altitudine & latitudine pedum decem dilatabant, & attollebant, ad recolligendas aquas, quibus impediti alias fuiſſent Ludi Circenſes; & hæ foſſæ inſtar dumetorum ambibant Circum, vocanturque *Euripi* à *Dionyſio Halicarnaſſenſe* Lib. III. ubi Circum Maximum exponit, & ab *Æmilio Franciſco Porto*, Notis in hunc locum *Dionyſii*. Verum tranſilientes diverticulum *Sibyllæ* & *Euripi*, redibimus ad *Canopum*, cujus domunculas, ut pergit *Ligorius* [2] cit. loco, ſermone ipſe deſcribere non poteſt; verum proponit, præſtare mox *Ichnographiam* dare, indidemque porticus ait alias incumbere aliis, conclavia eſſe balnearum, duplicesque habitationes, & ſcalas pulcherrimi artificii, quibus magis opus ſit demonſtratione coram oculata, & ſciagraphiâ, quam deſcriptione.

Supra dictum *Canopum* ſunt ſpatia locorum, ubi fuit Academia, quæ tot Fora habuerunt atque Ædificia, ut exprimi non poſſint, immo impoſſibile videtur hisce ſæculis tantam molem, reſpectu magnificentiæ excitari poſſe. Hocce ſpatium viginti complectitur Fora, ut ita olim commode & cum voluptate *Academiæ* huic neceſſaria ſuppeditarentur, exceptis tamen ingentibus illis ſpatiis, quæ occupabantur Nemoribus Hortisque, quæ ibidem diſpoſita erant; & prope Atrium locus erat figuræ ovatæ, varius, multisque Statuis exornatus. *Academia* locus fuit diſtans *Athenis* circiter milliarium, ſterilis quidem, tamen ornatus à *Cimone* aquæductibus, Hortis additis, Sylvis Laurorum Platanorum aliarumque arborum plantatis, ubi poſtea *Plato* docuit multos, & nominatim *Ariſtotelem*, doctrinam ſuam ingenioſiſſimam; factusque erat adeo amœnus, ut ab denominatione ipſius, hinc dicerentur *Academici*; *Cicero* aliique Villas exſtruxerunt inde *Academias* dictas. In hiſce rebus [3] longe lateque evagatur *Pyrrhus Ligorius*, quod diverticulum excludendum nobis eſt Deſcriptione Palatii Villæque *Hadriani*, quibus ſufficit dicere, *Hadrianum* ad imitationem illius Academiæ heic fabricaſſe locum quendam cum habitaculis modo nominatis, hortisque conſtructis ſupra ædificia vocata Hypogæa, quæ ſpeluncæ ſunt, & Porticus diverſæ, additis plurimis locis commodis pro ejusdem munimento. Super hæc artificioſiſſime innumeris expenſis fabrefacta fuere Porticus, Fora, Horti, Corycea & Ephebea, quæ partes ſunt Gymnaſii, ubi adoleſcentes ſtudebant, atque exercebantur, ut & adoleſcentulæ. Adhæc in uſum illorum & amœnitatem Palatii huc a Fonte *Piconio* prope *Sulmonem*, aquam *Martiam* derivavit *Hadrianus*, quæ delectatione, jucunditate & ſanitate omnem aliam præcedit; hæc, auctore *Joanne Bartholomæo Marliano* Topographiâ *Romæ* Antiqu. Lib. V. propter memoratas virtutes à diverſis illuc ante fuerat derivata, quam in Villam ſuam, ad mentem *Pyrrhi Ligorii*, derivaret *Hadrianus*. Præterea ſpeciatim reperio, tempore *Domitiani* Imperatoris *Manlium Vopiſcum*, Poëtam Comicum, eandem aquam Villæ ſuæ *Tiburtinæ* adhibuiſſe, 84
indice *Statio* Poëta *Sylvarum* Lib. I. [4] quod *Ligorius* non obſervavit.

Hæc *Academia* Villæ *Hadriani* habuit Templum rotundum, magnificentiſſimum, dicatumque *Apollini* & *Muſis*, quod à latere ſuo altero habebat Veſtibulum Statuis ornatum, ut teſtificantur veſtigia. Ab altero exſtitit Atrium amplum ſatis, circumdatum mœnibus, figura quadrata, forisque circumdatis columnis marmoris candidi, cum habitationibus quibusdam pictis & marmoratis, cum pavimentis conſtructis è lapidibus minutiſſime ſectis, junctisque laborioſiſſime, prout etiam omne atrium opere tectorio erat inductum. A tertio latere Templi Zotheca ſive Beſtiarium aut Aviarium erat, ubi continebantur animalia concluſa. Ab hac Zotheca dependent alia habitacula Sacerdotum, & Diætarum Academicorum, & hoſpitiorum. Sequun-

1 *Verum autumo*] Verba *Ligorii*, quæ præcedunt, non inveniuntur in iſto MS. quo ego uſus ſum, ſed in aliis exſtare certum eſt, quum lemmata ad maginem id indicent, dum res contentas enumerant, ſicut in Elencho præfixo Editioni noſtræ videri poteſt.

2 *Cit. loco*] Pag. E. N. 16. F.

3 *Longe lateque*] Pag. 17. & 18.

4 *Quod Ligorius non obſervavit*] Imo videbis obſervaſſe, ſi conferas Deſcriptionem ejus pag. 3. A. B. C.

quuntur alia hospitia, aliæque Porticus circumdatæ columnis, murisque diversis, differentibusque situ, & artificio: alia loca ut omittam, quæ hic sunt variarum Porticuum, quæ ab hoc hospitio ad illud alterum euntem deducebant; cum multis substructionibus conclavium Procœtonumque, quæ omnia ad frontem situs vergebant, a terra levata; murisque maximis, æquilibrium pondusque Porticuum portantibus, defensa.

Anterius prope angulum spatii *Inferni*, & *Academiam* habetur aliud amplissimum & formosissimum Theatrum, ubi etiam supersunt loca Proscenii. Heic loci referunt, Pontifice *Alexandro Sexto* repertas fuisse *Musas*. Pone Theatrum mox erant alia habitacula Diætæque aliæ, Histrionum, Mimorum Pantomimorumque res, quæ exhibebantur in Theatro recitantium.

Ab hac substructione ad latus situs *Inferni* egrediebatur Porticus, longa mille & quadringentos pedes, sociata conjunctaque arcubus aquagii, desinebatque in planitiem alterius spatiosissimæ, mirabilemque substructionem loci memorati *Lycei*, *Græce* ΛΥΚΕΙΟΥ, qui locus regionis *Atticæ*, in *Græcia* fuit, ubi Urbs *Athenæ* sita erat, nominatus à *Lyco* Pandionis filio, cum Porticibus longissimis, arboribus aliisque rebus in modum hortorum formatis.

Heic locorum *Athenienses* Archonte *Pisistrato*, ædificarunt Gymnasium, quod primum *Lycus*, & post *Lyceum* vocatum fuit, *Apollini*que dicatum; ubi *Aristoteles* spatiando docuit Philosophiam suam, quare nominatum est *Peripaton*, Græce ΠΕΡΙΠΑΤΩΝ, & quod ambularet ascendendo descendendoque & circumeundo *Aristoteles*, vocitatum fuit *Paripateon*, quin una cum loco etiam audiverunt discipuli *Peripatetici*, quorum Coryphæus auctorque *Aristoteles* erat, & princeps *Peripateticæ* sectæ.

In *Lyceo Hadriani*, ut apparet in Villæ latere, quod maxime vergit in Austrum, erant (ut ostendunt vestigia) extensissimæ & pulcherrimæ Porticus,
85 rimæ Porticus, ambientes loca arboribus consita, additis variis machinationibus substructionum, ubi sunt ruinæ Templi cujusdam cum Diætis Xystisque luctatoriis tectis atque apertis, adjunctis diversis cursoriis opertis & incrustatis marmore, testudinibusque depictis. Inter reliqua loca deprehenduntur bina Fora aut Horti cincti fabricis, quæ injuriâ temporum diruta sunt & solo æquata, absconsaque herbis, atque senticetis, & in nihilum redacta. Hæc loca dispescuit longissimus murus ambitu quadrintorum pedum, & Notum versus habuere Porticum unam, alteramque Septentrionem versus; Porticus vero à Frontispicio quatuor comprehendebantur Cellis, vel potius Exedris, locis Stationum atque Mansionum, ad spectandam longitudinem Porticuum & Hortorum. Ab Orientali latere porrò reperies in summo varia hospitia, ubi apparet præcipue (verum destructum) conclave quoddam alterumque, quod fuit procœtion ante duas habitationes, ibique, [1] scribit *Pyrrhus Ligorius*, se vidisse rem amœnissimam; atque à se summe expetitam, quo scilicet more calefacerent habitationes cum Hypocaustis. Quoniam inferius conclave hoc in Hypogæo tenet Hypocaustum (nobis *focolare* dictum) velut nostri sunt camini, ubi alebatur ignis; eratque alter parvus furnus ad ejusdem

A latus, ubi prunæ, quæ sine fumo erant, reponebantur, quæ ardore suo locum calefaciebant; exibat vero ad superiorem Cameram calor per quinque Tubulos, seu fistulas quadratas, ut ita dicam, alte ex terra sublatas, & ad angulum Cameræ exstructas. Ex his foraminibus ardor exibat, erantque ora hæc ex muro exstantia ad quinque digitorum altitudinem, nec tamen indecora occurrebant, sed structuris totius Cameræ convenientia, atque inde haud parva loco gratia & voluptas potius accreverat, quam deformitas. Tandem [2] in fine Operis sui subjunxit *Pyrrhus Ligorius*, res ulterius describendas ac
B narrandas, adeo perditas & dirutas prope *Lyceum* fuisse innumeris ruinis domuncularum, ut propter vastationem inde nihil colligi amplius possit, Obtulit idem Cardinali *Hippolyto* Domino suo [3] Ichnographiam hujus loci a se delineatam, quam revera factam esse exstimo, atque haberi adhuc alibi penes Hæredes ipsius Cardinalis aut à Ministris in obscuro angulo repositam.

Hæc sunt, quæ excerpere potui de hac Villa è Descriptione *Ligorii* propria manu exarata (ut opinantur,) dum apud nos degeret, omisit autem in illa commemorare *Prytaneum*, *Tempe* & *Inferos*, quæ in hoc Palatio locat *Spartianus*.
C Sed reperiuntur [4] alia duo exemplaria MSta, non tamen ab ipso *Ligorio* exarata, quæ habent omnia, à nobis modo recensita, adduntque alia tria loca omissa in nostro exemplari; & sive sit Descriptio nominatorum trium cæterorum locorum ipsius *Ligorii*, vel additamentum aliorum, nos concise de illis agemus, & primum de *Prytaneo*, deinde describemus *Tempe*, & tandem *Inferos* subjungemus.

Additamentum duorum exemplarium Manu exaratorum, quæ sunt penes alios, sive ipsius
D *Pyrrhi Ligorii* sit, aut alius auctoris, (ut puto) 86
quia non habetur descripta mensura horum, ut cæterorum, quam solitus est adducere *Ligorius*, Additamentum, inquam, narrat, *Prytaneum* fuisse locum *Athenis*, ubi justissimi judices Reipublicæ rationem reddebant, alebantque milites emeritos, veteres & imbecilles, nec (ut hodie usu venit, speciatim in *Italia*, ubi milites etiam fortissimi, armis assueti, ætate imbecilles, bellis peractis, exauctorantur a Principibus, & rediguntur ad mendicandum & circumcurrendum in viis & Aulis) nulla iis erat merces præstitæ operæ. Verum
E *Dionysius Halicarnassensis* Histor. Lib. II. pag. 68. de *Prytaneo* agens, immane quantum discrepat ab eo, [5] quod narrant Appendices, additque, in antiquissimis *Græciæ* oppidis solita fuisse loca facere publica, quæ curæ essent gerentibus Magistratum supremum; *Nam*, inquit, *quæ* ΠΡΥΤΑΝΕΙΑ *ab illis vocantur*, *sunt quædam loca publicè sacra*, *quorum cura pertinet ad eos*, *qui supremum Magistratum in Republica obtinent*. & *Prytaneum* hujus Palatii omnino detegendum venit inter ruinas ruderaque, quæ superius explicuit circiter finem *Petrus Ligorius*, atque sese eruere posse negavit.

F Præteriit etiam *Pyrrhus Ligorius Tempe* hujus Palatii, quam Adauctores Manuscripti ipsius ponunt ibidem in Valle Orientali Villæ, quod fidem meretur; atque alia plurima referunt de hoc loco, quæ brevitatis studiosi excludemus, dicentes tantum, locum omnino debuisse amœnissimum fuisse, quandoquidem juxta *Pomponium*

1 *Scribit Pyrrhus Ligorius*) Pag. 22. F. 23. A
2 *In fine Operis*] Pag. 24. A. B
3 *Ichnographiam*] Pag. 24. B
4 *Alia duo MSS.*] Horum unum esse puto, quo ipse usus sum ex Bibliotheca Academiæ Urbisque nostræ, quod ex *Italia* secum inter alia Cimelia advexerat *Isaacus Vossius*.
5 *Quod narrant Appendices*] Pag. 24. C. D. E. F.

nium Melam de *Situ Orbis* Lib. II. Cap. III. & *Solinum*, *Tempe* fuerunt loca aspectu summe jucundissima totius *Græciæ*.

Tandem necesse ex Appendice MSS. ad *Pyrrh. Ligor.* est, ut addamus *Inferos*, quos transiit *Ligorius*, nam quamvis in transitu perstrinxerit locum ipsum, non tamen ex professo explicuit, quid esset, atque ubi deprehenderetur. Sed locupletatores *Pyrrhi Ligorii* subjunxere, locum hunc fuisse longe magnificentissimum, *Hadrianum*que exhibuisse ibidem *Phlegethontem*, *Cocytum*, reliquosque *Inferorum* fluvios, & e multis regionibus indidem fuisse depictas historias, verbi gratiâ *Tantali*, *Sisyphi*, *Belidarum* aliorumque passim à *Virgilio* & *Ovidio* memoratorum, adhæc visos fuisse Campos *Elysios* cum populis quibusdam rebusque ejusmodi aliis, quas apud *Ligorium* frustra quæsiveris. Equidem existimo, heic fuisse conclave exhibens Campos *Elysios*, ut etiam *Rupem Ferri*, quam *Virgilius* Lib. VI. describit, additamque illam loco, qui etiamnum vocatur *Rocca Bruna*; Estque in ore vulgi, hic olim fuisse *Inferos*, de quibus agit *Lampridius* in Vitâ *Hadriani* Imperatoris, & nos superius egimus; quos *Inferos* credibile est exhibitos fuisse catenarum stridore, pœnisque servilibus, ad instar Infernalis confusionis. Locum *Inferorum* non eundem monstrarunt omnes; putantque fuisse in Villa
87 loco cavernis testudinibusque repleto, etiamnum dicto *i Puzzali*, ibidemque servata perplurima mancipia, quæ ibidem adhiberentur, ut confusionem Infernalem exhiberent; & hanc sententiam tradidere nobis Patres, Patribusque Avi, quæ identidem porro infinita traditione fuit confirmata.

Villam hanc enarrando secutus fui *Pyrrhum Ligorium*, ejusque Additamenta manu exarata, omissis multis nugis, quæ videbantur supervacaneæ, ne tædium crearem Lectori; verum ne operibus suis Auctores defraudem, stabiliamque, quæ proposui, recensebo additiones illorum in termino operis Cap. XII.

E memoratis colliges, quam fluidæ sint res hujus mundi, scribente *Joanne Gobellino* Commentariorum Lib. V. à nobis superius initio hujus Villæ citato, cum in colle aëris multo saluberrimi hic Imperator exstruxerit tam celebre Palatium, ab omnibus Mundi Principibus frequentatum & cultum, quod intra adeo brevem ætatem perditum iverit, ita ut non alius Scriptor, quam *Spartianus*, datus sit, qui & ipse obiter nimis mentionem injecerit, ex quo excerpserunt superius in initio allegati, atque in antecessum indicati alii Scriptores. De hoc Principe æstimatore amœnitatis regionis Patriæ meæ, non possum omittere loqui, quod quamquam Scriptores facta ipsius impetuosa, mutabilemque animum reprehenderint, utpote qui aliquando inexorabilis erat & crudelis, iterum clemens & liberalis, quique, ut *Trajano* in Imperio successit, sic in *Christianorum* persecutione; tamen Imperator audiit fortissimus & omnis scientiæ peritissimus, multasque dedit leges utilissimas, *Corpori Juris Civilis* insertas & inter illas laudatum liberaleque edictum *Codic.* Cap. *de Thesauris* Lib. X. & §. *thesauros Instit.* tit. *De rer. Divis.* quô, avaritia haud correptus, jussit thesauros pertinere ad reperientes, addita restrictione deponentis. Imperator hic primus barbam aluit, etsi non valde densam; erexit *Romæ* ad ripam *Tiberis* sibi sepulchrum, dictum *Molem Hadriani*, hodie *Castellum S. Angeli* (*Castel Santo Angelo*,) Munimentum summi Pontificis, descriptum à *Ludovico Ariosto Orl. Furioso* pag. . . *Blondo Flavio Forolíviensi*, *Româ Restauratâ*, *Joanne Bartholomæo Marliano Topograph.* Lib. VII. Cap. XII. *Andrea Fulvio Antiquit. Romæ* Lib. III. Cap. VIII. *Leandro Alberti Descript. Italiæ.* Prov. *Latii* pag. 117. ut & *Fulvio Cardoli* Pass. pag. 97. 98. 99. Maculam quodammodo inurit famæ ipsius, ineptus amor, quo flagravit in adolescentulum *Antinoum*, quem more *Græco* amixit, cui etiamnum vivo binas erexit Statuas, quæ *Romæ* inter rudera prope *Templum Martini Montium* repertæ fuere; unde collegerunt illas thermas fuisse ab *Hadriano* positas, ut refert *Joannes Bartholomæus* Topograph. Lib. V. Cap. XI. gloriæque adolescentuli jam mortui ædificavit Oppidum in *Ægypto*, vocatum *Antinoum*, scribente *Aimario Rivalio Ration. Civil.* Lib. . . in *Hadriano*, tentavitque in numerum Deorum referre. Felicitate *Antinoi* inductus, *Quintus Siculus* quidam, 88
qui perdite amavit *Belenum*, ætate, & pulchritudine parem *Antinoo*, exclamavit, si ætate & venustate invicem essent æquales, quare non eadem fortuna quoque esset *Beleni* quæ *Antinoi*, disticho scilicet insculpto marmori in agro prope Templum, olim vocatum *della Tossa*, de quo nobis erit disquisitio Cap. VI. hunc in modum:

ANTINOO, ET BELENO PAR AETAS, FORMAQVE PAR EST.
CVR NON ANTINOVS SIT QVOQVE QVI BELENVS
Q. SICVLVS.

Vixit *Hadrianus* annos sexaginta, imperavit annos viginti.

VILLA SYPHACIS REGIS NUMIDIÆ.

Civitates duæ invicem de Imperio contenderunt, *Roma*, inquam, in *Italia*, & *Carthago* in *Africa*; oppositæ quasi sibi invicem, atque Mari Mediterraneo separatæ; quæ imperio suo plures partes celeberrimas mundi subjecêre, quam ulla alia unquam, quæ in Orbe Terrarum fuit, Respublica. Nec de solo Imperio invicem certabant, verum etiam quænam ipsarum, ut evenit, deleretur. Quare contra pacta ter Pacem mutuam, intra solos annos CXV. fregerunt, nam primum bellum *Carthaginiense* incepit ab V. C. annis CCCCLXXXIX. Secundum DXXXV. Tertium DCIV. si standum est *Solini* auctoritate Cap. II. circa finem, etsi quidam discrepant in annis quorundam nominatorum bellorum. Omnibus tribus bellis inferiores exstitere *Carthaginienses*, & tertio penitus fuere subacti, captaque ipsarum Civitas, & solo æquata. *Hannibal* nobilis *Carthaginiensis* hisce bellis trajecit contra *Romanos* ab *Africa* in *Hispaniam*, & inde in *Galliam*, atque summa festinatione & incredibili profectus è *Gallia*, *Alpes* superans, venit in *Italiam*, ubi *Italis* opem contra *Romanos* tulit, ipsosque variis & periculosis præliis contudit, *Romam*que obsedit, & plurimis impressionibus factis, aversus à tempestatibus & tonitruis, ipsam non cepit, sed dum cogitat felicioribus auspiciis redire, paullo imprudentius discessit. *Romani* miserunt *Scipionem* admodum adolescentem, at prudentia senili, cum copiis in *Africam*, & ab obsidendam *Carthaginem*. Fuere duo Reges *Afrorum* invicem hostes, *Syphax* nimirum memoratus, & *Massanissa* Rex *Gætulorum*, quem Regno expulerat *Syphax*, coëgeratque errare in Sylvis; *Syphax* vero subacto Regno *Gætulorum*, in his regionibus crevit potentiâ, adeo ut omnium sententiâ Respublica, cum quâ ipse copias suas conjungeret, superior esset. Quapropter eadem vespera in cœna-

cœnaculo Palatii Regii convenerant utriusque Reipublicæ Legati, ut quisque ipsorum illum in suas partes traheret; ipse verò societatem *Carthaginensium* prætulit, non solum quod vicini essent, verum etiam quod amaret *Sophonisbam*, venustam mulierem, & primariam *Carthaginensem*; *Romani* e contrario patronos sese *Massinissæ* fecere, ut *Gætulos* subditos, Regem defendendo, in favorem allicerent, & ipsis adjuvantibus, bella *Hannibalis* ex *Italia* facilius transferrent, *Carthiginem*que in *Africa* oppugnarent. Res ad prælium delata fuit, *Carthaginenses*que superati, partem occisi, partem in fugam conjecti, partem capti; inter quos fugiens *Syphax* à *Massanissa* prehensus est; quem quadrupedem catenis constrictum ad
89 *Scipionem* attulerunt *Lælius* & *Massanissa*; hic ipsum captum *Lælio* commisit *Romam* abducendum, quod factum fuit, auctoribus *Tito Livio* Lib. XXX. & *Paullo Orosio*, *Hist.* Lib. V. Cap. XVIII. quemadmodum sæpe res Regnantium imis commutari solent. Non inveni à quodam relatum, *Romanos* de ipso egisse Triumphum, præterquam a *Polybio*, Scriptore *Græco Histor.* Lib. . . . ; *Plinius Hist. Nat.* Lib. I. Cap. VI. & *Solinus* Cap. XXVIII. in fine. narrant Regiam *Syphacis* fuisse *Sigam*, urbem juxta *Pomponium Melam* de *Situ Orbis* Lib. I. Cap. V. satis parvam, etiamsi *Pomponius* ipse postea Lib. I. Cap. VI. asserat Regiam domum *Syphacis* fuisse *Cirtam*. *Massinissam* vero in Regnum ipsi à *Syphace* ablatum reduxêre *Romani*, multoque majorem, quam antea erat, fecerunt; dederunt *Syphaci* commorari *Albæ*, quæ dicitur jam *Albano*, additis fortibus præsidiis, auctore *Tito Livio* Lib. XXX. paullo post initium; unde, morbo implicitus, obtinuit, ut sese *Tibur* conferret cum eisdem præsidiis, ubi propediem obiit. Populus *Romanus* amplitudinem Regis mortui injuriis acceptis anteponendo, funus publice elatum curavit. Rex hic exemplum infortunii, casusque lusus proponitur à *Tito Livio* Lib. XXX. & à *Valerio Maximo* Lib. VI. Cap. XI. circa fin. & fere ab omnibus auctoribus; quoniam ab ipso pendere putabatur, quænam memoratarum Rerumpublicarum superior evaderet, ipse vero statim captus, *Tibure* ab U. C. DLII. obiit. Palatium ipsius non procul *Tibure* erat viâ *Valeriâ*, barbare *Abruzzo* vocata, in loco, quem nominamus *San Marcello*, ubi etiamnum apparent in vineis *Virgilii Zacconis* & *Joannis Baptistæ Buonfiglii* vestigia amplissimi Palatii; in cujus vinea repertus fuit sub terra Fons marmoris candidi, qui labris duobus marmoreis, longis quatuor simul palmos, ornatus erat, additis fulcris, in modum unguium Leoninorum formatis, in quorum unum proximum Fonti aqua incidit; Fuit autem sepultus in Palatio suo indicato, in tumulo fornicato ad modum Crucis, additis muro fenestris, ad habendum candelas accensas circumquaque, altitudine hominis. Longitudo interna Tumuli memorati, & crucis ipsius est palmorum quadraginta trium, & latitudo palmorum viginti. Deinde obliquum internum sepulchri & crucis longum est palmos duodequadraginta, latum palmos tredecim. Eruta paullo antea abhinc fuere Marmora pulcherrima & crassa, alba penitus, & *Romam* delata usibus sacelli, quod Dominus Papa *Paullus*
90 *Quintus*, familiæ *Burghesiæ Romanæ*, exstrui ibidem in Templo *Sanctæ Mariæ Majoris* curat. Regia vero nostra totum continuit spatium viæ *Tiburtinæ* à sepulcro hujus Regis usque terminum *Vicivari*, *Abruzzum* versus. Si vero Rex ipse *Tibure* obiit, & ibidem humo est mandatus, ut narravimus, intelligere non possum *Titum Livium* Lib. XXX. asserentem *Syphacem* à *Romanis* fuisse honoratum, funereque publico sepultum, hoc modo: *fuit elatus publico funere.* [1] nisi statuendum sit, cadaver funusque ipsius in Palatio suo depositum fuisse, ut mox *Romam* deportaretur; verum *Romæ* non invenitur ipsius sepulchrum.

VILLA ZENOBIÆ, REGINÆ PALMYRENORUM.

Ex omnibus Historiis apparet imòin multo plurimis Principibus ostendit ipse rerum usus, Principem altioris animi, terminos augere, non diminuere; quippe cujus vires nemo aggredi audet; contra vero Principem animo angusto demissoque imperium extenuare; spretosque antea, ipsi fieri formidabiles, prout Imperio *Romano* evenit, quod; *Julio Cæsare* dignitatem Dictatoriam tenente; & mox fastigium Imperatorium *Augusto*, *Vespasiano*, *Nerva Trajano*, *Hadriano*, *Antonino Pio*, aliisque fortissimis, crevit finesque dilatavit: invicem remissis temporibus & mollissimis, ut *Valeriani* & similium, vires sensim perdidit. Quandoquidem, postquam documentum sui dederat imparis tanti Imperii fastigio, tempestate ea in variis Orbis Terrarum regionibus effulsere triginta Tyranni ipsi longe infensissimi, qui quasdam Imperii partes occuparunt, & ipse vicissim in prælio cum *Sapore* Rege *Persarum* commisso captus, instar scabelli habitus ab hoc Rege, detentus fuit in compedibus, tergum præbens illi, quoties equum adscenderet, usque ultima vitæ suæ; Quod quidem exemplum mutationem rerum humanarum indicat longe graviorem infelicitate *Syphacis* mox a nobis proposita. Capto *Valeriano* Milites in Oriente, Imperatorem *Odenatum*, primarium Civem *Palmyræ*, ut quidam volunt, & ut alii, Principem *Palmyrenorum*, sibi adscivêrunt, qui Imperium harum regionum suscipiens, *Persas* superavit, annos vero sex tantummodo imperavit, quippe à consobrino quodam suo *Moconio* occisus est. Reliquit *Odenatus* post se filium e prima Conjuge, nomine *Herodem*, *Zenobiam*que secundam uxorem, quæ se ferebat ortam à *Ptolemæis Cleopatra*que Regibus & Reginis *Ægypti*, cum natis tribus adhuc infantibus eadem prognatis; Augustos vero pronunciavit memoratum *Herodem* natu maximum
filium & *Zenobiam* conjugem secundam, atque 91
Cæsares tres illos e *Zenobia* progenitos filios. Rebus ita in Oriente constitutis, *Romæ* in locum patris Imperium subiit filius *Aurelii Valeriani Gallienus*, ipsumque *Claudius* excepit, quorum Imperio in Oriente multa ditioni suæ adjecit *Zenobia*, ac sæpissime copias *Romanas* fregit, delevitque contra se missas, quum ipsa collato pede præliata esset.

Mox cum facies rerum *Romæ* mutata esset, excipiente viliores *Aureliano* Principe, etsi pudendæ prosapiæ, tamen animi magni & excelsi, fortuna *Zenobiæ* etiam inclinare in occasum cœpit. *Aurelianus* autem inclementi animo erat & immiti, vir huic tempestati haud alienus vel inconveniens, ad extirpandam tot Tyrannorum oppressionem, triennio itaque primo omnes ad unum abolevit. Cum tota tamen mole belli & victorioso hujus Imperatoris impetu ausa fuit gradum bis ipsa *Zenobia* conferre, verum acie victa, & mox obsessa, & post diuturnam obsidio-

1 Simpliciter his significatur, impensis Populi *Romani* illum fuisse sepultum.

dionem capta una cum filiis fuit, atque ob illam devictam *Aurelianus* Triumphum meruit, anno post Nativitatem Domini nostri *Jesu Christi* CCLXXII. more pompaque Imperatorum antiquorum; quem ultimum Triumphum, tanto splendore, ut quondam antiqui *Romani* solebant Imperatores, egisse, asseverat *Blondus Flavius Forolivienfis* in *Roma Triumphante*.

Tanta excellentia hujus triumphi fuit & splendor, ut nihil Populo *Romano* splendidius visum credatur: *Zenobia* quippe tot lapidibus pretiosis erat ornata, ut, etsi ætate firmissima, fortissima corporis robore & validissima esset, sæpenumero tamen inter eundum, necesse esset, ut quiesceret, dicens, se non valere amplius ponderosas onerosasque sustinere gemmas. Pedes circumdati erant annulis aureis, ut mancipiorum, manus catenis aureis constrictæ, collumque ejusdem generis catena prolixa insertum erat, ducente scurra *Persico*. Triumphum maxime illustrarunt forma, virtus, fortitudo, aliæque laudes tam excellentis Reginæ. Facie erat subaquilina, coloreque fusco, nobis dicto *olivastro*, oculis nigris & insigniter vivacibus, dentibus tam candidis, ut multi putarint margaritas, non dentes in ore habuisse. Nunquam cum marito concubuit, nisi pro liberorum conceptu, mox mensem exspectavit, quo si perciperet se non gravidam factam fuisse, iterum marito copiam corporis sui fecit; sin vero menstrua conceptum indicarent mense nominato, a complexibus mariti abstinuit, usque iterum concipere desideraret. Delectabatur linguis *Latina*, *Græca* & *Ægyptia*, verum *Latinè* loqui, pudore abstinuit. & tametsi res *Latinas* legebat, *Græce* lubentius loquebatur; sed jussit filios assidue loqui *Latine*, non *Græce*: Ærarii & thesaurorum curam gessit ultra fœminas, & simul tamen splendida & magnifica exstitit; clemens, ubi pius affectus exposceret; attamen sævissima, ubi competeret. Solebat pedibus tria vel quatuor milliaria conficere, raro portari lectica, & sæpissime vehi equo. More Imperatorum *Romanorum* epulabatur, inque epulis vasis aureis gemmis adornatis & distinctis utebatur, *Cleopatram Ægypti* Reginam imitata. Superbiam *Persicam* adhibuit, plus quam quævis alia, atque *Persico*
92 more adorari desideravit. In castris ad milites perorans dansque mandata, apparuit galeata, cum instita purpurea & unionibus dependentibus ab infima fimbria, & sæpe cum dextro brachio nudo. Nec justo nimium exaggerabo excellentias hujus Reginæ rarissimas, quæ magis illustrem de ipsa reddidere Triumphum, ne afferam molestiam tædiumque legendi; ad ultimum fuit talis, quæ pavorem injiceret *Arabibus*, terrorem *Ægypto*, Orientique universo, aciemque opponeret Imperio *Romano*, quod laudis aleam excedit. Et tandem omnes hæ virtutes, omnis fastus, omnisque fortitudo pro nobilitando majori modo fuit triumpho *Romano*, & consequenda parva Villa, quam ipsi exstruere *Tibure* concessum fuit, atque cum filiis suis illuc ad finem vitæ se recipere. Hinc inconstantia honoris humani colligitur, & quam brevissime prætereat; ut de ipsa jure scripserit *Franciscus Petrarcha* Cap. . . de *Fama* versiculos hosce:

Nel cuor feminso fù tanta fortezza,
Che co 'l bel viso, & con 'l armata chioma
Fece temer, chi per natura sprezza.
Io parlo dell' Imperio alto di Roma,
Che con armi assalio, ben ch' all' estremo
Fosse al nostro trionfo ricca soma.

Qui plura ejus gesta avet discere, evolvat inter Imperatorum Vitas, illam *Aureliani*, Reginamque talem stupebit.

Villa ejus in Agro *Tiburtino*, non procul a Palatio seu Villa *Hadriani* dissita fuit; loco, qui vocabatur *Conche*, ut in Vita *Aureliani* habetur: *Non longe ab Hadriani Palatio, atque eo loco, cui nomen est Conche*. e quibus verbis *Fulvius Cardolius* Pass. dicta, pag. 104. elicere ausus est, Palatium hoc situm fuisse, ubi rudera ædificiorum cernuntur, in loco, quem nominamus Colles *Sancti Stephani*, quippe qui proximus est Villæ *Hadriani*; quod non sequitur, sicut, si quis *Tibur* esse Oppidum haud procul *Roma*, diceret, verum fateretur, sed non jure colligeretur inde, *Tibur* esse *Caput Bovis* (*Capo di Bove*) quia *Caput Bovis* est locus *Romæ* proximus. Alii propius ad rem accedunt, elicientes e verbis *Spartiani* in Vita *Aureliani*, Villam seu Palatium *Zenobiæ* non adeo ab illo *Hadriani* remotum fuisse, loco, qui dicitur *Conche*; hic est circa Lacum *della Solforata*, *Sulphureum*, dictum (*Bagni*) *Balnearum*; inferioraque loca vicina etiamnum vocantur (*Plani di Conche*) *Plana Conche*, quod *Cardolo* ignotum fuit; adeoque Palatium Reginæ omnino quærendum est inter rudera *Balnearum* (*delle Bagni*) quæ proxima sunt loco, cui nomen est *Conche*, nec procul Palatio *Hadriani*, unde tantummodo duo milliaria cum dimidio circiter absunt, quale spatium Auctores non reputant longum. Atque ad hanc sententiam potius accedo, quod in hoc loco repertæ fuerint columnæ sumptuosæ virides mixti coloris, *Latinis* dictæ 93
Tiberiaci; Hinc autem abstulit Papa *Julius Tertius* quasdam columnas usui vineæ suæ extra portam *Flumentanam* sive *Flaminiam*, hodie vocatam apud *Romanos*, *del Popolo*, ut auctor est *Andreas Baccius* Tract. de Aquis *Albulæ*; nimirum ad imitandum Papam *Paulum Tertium*, qui antea aliunde heic abstulerat alias, erigendas in Porticu vel Solario supra Portam Maximam Palatii *Romani* Serenissimæ Familiæ *Farnesiæ*. Et quamquam ipse *Baccius* loc. citato dicit, locum indicatum *Balnearum* fuisse ædificatum ab *Agrippa* jussu *Augusti*, in usum Balnearum, tamen non sibi invicem adversantur, quod usui nominato fuisset ab *Agrippa* exstructus, & mox post annos circiter trecentos tempore *Aureliani* adhibitus à *Zenobia* ad usum Palatii. Nec sententiam destruit, quod proximus sit locus aquæ Sulphureæ, atque in campo regioneque infelici, quandoquidem olim fluxit aqua sulphurea territorium *Romæ* versus, atque hic habetur adhuc aquagium materia bituminosa obstructum & oppletum, quod aquam fluentem admittit, pervenitque ad aquæductum & obstructionem; inde per circumjectos agros emanat aqua, obtegitque materia bituminosa, quam *Tiburtini* vocant *testine*, obruendoque aptam alias terram reddit infœcundam, ut effodiendo experieris; præterea ex ruinis Villarum aliisque ejusmodi erui potest, quod de Villa seu Palatio *Centronii* restat dicendum; detegiturque satis, cum sub ædificio aliquo aquæ nostræ vicino terram erueris, idque contigit priscorum inertiâ, quod viam non aperuerint, nec antiquum aquæductum refecerint. Sin vero Villa nostra non reperitur in his locis *Balnearum* memoratarum, verosimile est, prope fuisse, vel inter ædificia non procul à *Balneis* remota, vel inter antiqua illa arcæ Xenodochii Sancti *Antonii Romani*, ubi tempore Illustrissimi & felicis memoriæ Cardinalis *Hippolyti d' Este*, *Ferrarienfis*, eruentes, nacti sunt Musas novem marmoreas, non admodum magnas; vel inter alia rudera vicina *Monticel-*

cellos (*Monticelli*) versus, loco quem nominant *Colle Ferro* (*Collem ferreum*) ubi Illustrissimus Marchio, filius Excellentissimi Ducis *Frederici Cæsii* fodi curavit, & prout mihi narratum à homine quodam est fide digno, ibidem repertum fuit monile aureum, antiquum vas argenteum, aliusque mundus muliebris, cum indiciis quibusdam, unde colligere liceret, quod heic quædam filiarum *Zenobiæ* humo mandata fuerit, itaque ex appellatione loci, qui dicebatur antiquitus *Conche*, ex ædificiis antiquis circumjectis, rebusque heic à fossoribus repertis, colligitur Palatium Villamque *Zenobiæ* propinquam huic loco fuisse, & in Æde *S. Antonii*; Sepulturamque in *Colle Ferreo*, quousque omnino sese extenderit Palatium seu Villa.

Illustratis Palatiis Villisque Imperatorum & Regum, è re esse autumo, subjungere Palatia seu Villas Triumvirorum *Romanorum*, mox Consulum vel Consularium, deinde illorum, qui successores Imperii fuerunt proximi, atque tandem Jurisconsultorum, Poëtarum aliorumque; & principio Palatium seu Villam *Marci Lepidi*.

94

VILLA MARCI LEPIDI.

Cicero ad Atticum Lib. VIII. Epist. XXVII. ubi agit de dissidiis inter *Cæsarem* & *Pompejum*, loquitur de *Domitio*, & dicit, rumorem de *Domitio* constantem non fuisse, cum alii dicerent ipsum degere in Villa *Lepidi Tiburtina*, alii vero alibi. Unde argumentatur, *Lepidi* Villam *Tibure* fuisse; quam volunt in Territorio *Tiburtino*, (*Sabinam* versus, loco perperam vocato *Campo Limito*, pro *Campo Lepidi*) exstitisse; quales sane distortiones nominum Civitatum & habitaculorum pristinorum penes Auctores passim invenies, & in specie, si res *Romanas* apud *Flavium Blondum* in *Româ Restauratâ*, *Joann. Bartholomæum Marlianum Topograph.* & *Andream Fulvium in Antiquitatib. Romæ* quæsieris; Oppidorum vero ratione, si *Dionysium Halicarnassensem* Lib. I. *Blondum* dictum alibi, nimirum in *Italiâ Illustratâ*, *Titum Livium* in *Histor.* aliosque evolveris. Hujus Villæ rudera ibidem undique habentur.

Lepidus vero hic una cum *Marco Antonio*, *Julio Cæsare* occiso, Consulatum gessit, conveniτque inter ipsos & *Octavium* (aliis *Octavianum*) hæredem *Julii Cæsaris*, ut Imperium *Romanum* inter sese, nomine *Triumvirorum Constituendæ Reipublicæ*, dividerent, sicut e Nummis ab ipsis percussis apud *Fulvium Ursinum* in Familiis *Romanis*, cum hac inscriptione IIIVIR. R. C. vel III. VIR. REIP. CONST. constare potest. postea vero effœminate passus est idem sese *Lepidus*, parte sua spoliari, itâ ut superfuerint soli *Octavius* & *Marcus Antonius*, arbitri jam totius Imperii, auctoribus *Suetonio Tranquillo* in *Vitâ Augusti*, & *Appiano Alexandrino* in *Bellis Civilib.*

VILLA CAJI MARII MAJORIS.

A Triumviris descendens ad Consules, arbitror decere, ut incipiam à *Mario Majore*, qui sæpe fuit Consul, possedítque Villam *Tibure*, adhuc ab ipso denominatam; Hæc inter rudera fuit, quibus domûs vicinæ & Templum *Sanctæ Mariæ*, modo *Caritatis* (*della Carità*) vocatum, ab officio, quod peragunt Socii ibidem coëuntes, conclusa fuit; Templum vero hoc scriptoribus, & vulgo olim nominatum fuit *Sancta Maria in Colle Marii*, eratque extra Urbem, antequam ampliaretur tempore *Frederici*

A *Primi* Imperatoris, atque ideo in scriptis priscis parva Ædes *S. Laurentio* posita (remota ab hoc accurate palmos viginti, communiter vocata *Sanctus Laurentiolus* (*Santo Lorenzuolo*) ad differentiam Ædis magnæ seu Cathedralis) olim nominabatur *S. Laurentii extra mœnia*.

Ille vero fuit, auctore *Fulvio Ursino* in *Famil.* cit. Familiâ *Maria* pag. 157. ex gente, ut & 65 partibus plebejis, homo immitis, novarumque rerum cupidissimus, & acerrimus hostis Patriciorum, ac Senatus, atque ideo Plebi gratissimus, quæ ipsum ad tot Consulatus evexit, quot nemo antea gesserat. Fortitudinem ostendit, B gloriose triumphando de *Jugurtha* Rege *Afrorum* potentissimo, ut & de *Cimbris* atque *Teutonibus*, quos *Pomponius Mela* Lib. III. C. III. inter populos *Germaniæ* bellicosissimos recenset; hos tanta internecione delevit, ut milites ipsius pugnâ fatigati & sitientes, bibere coacti fuerint aquas fluvii, qui sanguine magis hostium erat repletus, quam aquis; ipsi autem, post has pluresque res fortissime gestas, erecta sunt nobilissima tropæa, quæ à loco pristino penes *Sanctum Eusebium* remota fuerunt, atque *Romæ*, in aperto prospectu Areæ Capitolinæ C Templum *Jesu* versus, locata sunt.

Tempore ipsius parum abfuit, quin *Tibur Cinnæ* opera perderetur; ratio vero fuit, quod *Roma* divisa esset in plura genera Civium, quorum alii erant tribunitii, atque rebus poscentibus Reipublicæ, pariter censibus onerati, adque gradus honoris annuis censibus admissi, docente *Paulo Manutio* de *Antiquitatib. Roman.* libell. de *Civib. Rom.* & hi suffragia eligendi eligendorumque, in Magistratu habuere. Præterea alii aggregati erant ad Civitatem *Romanam*, quibus facultas fuit suffragia dare in Comitiis creandi Magistratus, potestasque suscipiendi D eosdem, verum censu erant liberi, velut Municipes, qui legibus propriis vivebant, non *Romanis*; neque subjecti erant Prætoribus *Romanis*; ut Cives *Tiburtini*; quod dilucide evincit de nostro oppido *Tibure* nominatus *Manutius* libr. cit. vocabantur vero *Cives novi*. *Romæ* itaque magnum erat dissidium Senatum inter & Plebem, quæ sæpe superior exstitit, quippe quæ non modo à plebejis sustentaretur, verum etiam a multis nobilibus, qui pauperiores, quum non potuissent inter Senatum & Patritios loca expetita obtinere (quibus per nobilitatem suam dignos sese æstimabant) ad Plebem transierant. Inter hos fuere E nominatus *Cæsar* & *Antonius*, aliique; Nam ut per Tribunos Plebis honores acquirerent, quos à Senatoribus non sperabant, ad Plebem sese conferebant. *Tibure* itaque agroque *Tiburtino* ipse *Marius* & *Cæsar*, plures familiares clientesque ejus, ut & *Antonii*, extruxerant Villas, cumque *Tiburtinis* vixerunt. Tales fuere *Quintilius Varus*, *Ventidius Bassus* aliique.

Evenit, ut *Romæ* Dictator *Sylla* hac ipsa tempestate Consul eligeretur contra *Mithridatem* Regem *Ponti*; qui ipse *Sylla* familiæ erat Patritiæ, docente *Ursino* de *Famil. Rom.* Famil. *Cornelia* & ob spolia, quæ ex bello *Mithridatico* F sperabantur, *Mario* invisus. Itaque sociò *Cinnâ* aggressus est *Marius* (auxilio *Sulpitii* Tribuni plebis) *Syllam* bello commisso privare, atque ad sese transferre, unde ortæ sunt plurimæ simultates, quas brevitatis ergo omittam. Interim 96 *Cinna* electus fuit Consul, atque statim, partes fovens *Marii*, sese in *Syllam* convertit, *Romaque* egressus *Tibur* se recepit, atque ibi tentavit operâ *Tiburtinorum*, *Marii* sociorum, aliorumque factionis Plebejæ, *Tiburtinos* in partes trahere, ad propugnandum Civium novorum

societatem contra veteres, ut contra *Syllam* à *Mario* starent: verum irrito conatu, *Præneste* se contulit, atque inde ad cætera Oppida, ubi idem tentavit; si vero *Tiburtini* factionem *Marii* suscepissent, Oppidum pessime a *Sylla* affectum fuisset. Quandoquidem cum *Sylla* ipsum persecutus esset, ipse & . . . . [1] mutuo se interfecerunt, inito pacto hoc, ut alter alterum pugione conficeret, ne in potestatem *Syllæ* venirent; qui pessime *Præneste* & Cives ejus excepit, quod *Marium* excepissent; filios fovissent, plebejæque factioni accessissent, effodique cadaver *Marii* idem curavit, atque in fluvium *Anienem* projici: ne vero hostes vices sibi referrent, jussit corpus rogo lignorum accensorum concremari, primusque morem cremandi cadavera *Romæ* invexit, testibus *Plinio* Hist. Nat. Lib. VII. Cap. LIV. & *Joan. Bartholomæo Marliano Topograph.* Lib. V. Cap. XIII. Alia sævitiæ & rabiei genera ab his duobus partium principibus & sociis contra invicem exercitæ fuerunt, quas diffusissime exponit *Appianus Alexandrinus* de *Bellis Civilib.* Lib. I. ubi apparet, hac tempestate inventum fuisse mercedem dare indicanti, vel interficienti hostes partis contrariæ, bonorumque amicorum hostiumque, & publicationem & proscriptionem.

VILLA QUINTILII VARI.

Quintilium Varum scribit *Ascensius* Commentariis in *Horatii* Odas. Lib. I. Od. IV. fuisse *Cremonensem*: sed ut in ore vulgi est, immo in membranis servatis in Archivio, picturaque nigri & candidi domus cujusdam, vocatæ *Buslenorum*, in frontispicio plateæ publicæ, ad latus sinistrum abeunti à Templo *S. Laurentii*, Æde Primaria Oppidi, petentique *Valeriam* (*Abruzzo*, haud procul Templo dicitur *Tiburtinus*; habuitque ipse Villam, seu Palatium *Tibure*, cujus hodieque occurrunt ruinæ non contemnendæ, nomenque a patrono tractum *Quintiliolum*. Utraque sententia consistere potest; & quod vere natus fuerit *Cremonæ*, & quod jure Municipis *Tiburtini* hic Villam possederit, & inhabitârit, eo tempore, quo *Augustus Cremonam* concessit dividi inter Milites, ut *Appianus Alexandrinus* de *Bellis Civilib.* sicut & *Virgilius* Ecloga I. videntur innuere. Sunt, qui putant ipsum fuisse *Quintilium Varum*, quem narrat *Cornelius Tacitus* Annalium Lib. IV. circiter fin. oppressum accusationibus tempore *Tiberii Cæsaris*, etsi sanguine conjunctum: *ita*, inquiens, *accusatorum major in dies, & infestior vis sine le-*
97 *vamento grassabatur; Corripueratque* Varum Quintilium, *divitem, & Cæsari propinquum.* Quod ita esse nego, cum, *Augusto* imperante, in *Germania* obierit conditor hujus Villæ, ut Cap. X. probandum erit. hoc vero evenit *Tiberii* Imperio, nimirum successoris *Augusti*. Præterea *Justus Lipsius* not. in loc. citat. *Taciti*, affirmat, *Quintilium Varum*, qui floruit *Tiberii* regnô, prognatum fuisse *Quintilio Varo*, qui adversus *Germanos* militârat, huncque fuisse *Tiberio* propinquum, quippe qui in matrimonio habuit filiam *Germanici*, auctore *Lipsio*, Stemmate *Augusti*; ne dicam *Quintilium Varum*, qui in *Germania* occubuit, uxorem habuisse *Claudiam Pulchram* sororem patruelem *Agrippinæ*, conjugis *Germa-*

A *nici*, atque ita duplici modo *Tiberium* attigisse; diductius id ostendente *Lipsio* Annotationibus in *Taciti* locum citatum.

Contignationes duas Villa habuit: prima inferius fuit in angulo Meridionali, ubi piscinam longam invenies, descendes vero ad eam duplici serie scalarum, alterâ a summo, alterâ abimo; secunda imposita fuit testudinibus aliquantulum altioribus, supra memoratam, strictiorque est primâ ipsa & prolixior. Et hoc fundamentum in summa planitie incumbens dorso montis, emissaria tria habet Fontium, quo manavit aqua saluberrima Fontis *Sancti Angeli in Piavola*, cu-
B jus aquæductus fracti supersunt in montanis locis supra viam; altera vero, seu fluvii *Anienis* aqua, illuc conducta fuit per aquagium satis capax, cujus inter eundum observabis vestigia, quæ te Palatium versus conducent. Cloaca vel alveus aquæ hujus Villæ non ita inde procul apparet, partes emissariorum dictorum versus in dorso vel clivo montis ad Septentrionem & Orientem, eminetque super Villam ordinibus columnarum pulchre inter se dispositis, quæ sustinent magnam testudinem; alveus vero interne loricâ vel incrustatione amœni operis,
C more pristino, inductus est.

Oportuit Villam hanc splendidissimam, ut eis temporibus sumtuosissimis structam, fuisse, id & reliquiæ ostendunt; nam Occidentem versus super ultimum fundamentum signum se exerit, quasi Porticus, ubi consisterent spectatum venientes per planitiem, ut fluvium viderent currentem, cum collibus *Tiburis*, *Tusculi*, aliorumque locorum. A parte Boreali apparent loca, ubi demum nostra ætate inventæ sunt habitationes, quæ foculis ornatæ fuerant calefaciendis superioribus conclavibus, ut explicuit [2] *Pyrrhus Ligorius*; atque adeo gloriatus est, inventione
D ipsorum in Palatio *Hadriani*, ut antea de eodem expositum fuit. Adhæc pavimenta fere ubique reperta fuerunt è lapillis sectis conjunctisque, quasi opere musivo, non uno modo, nec uno colore. Materia destinata huic Villæ erat sumptuosissima, quoniam repertæ sunt maceries mixti lapidis in modum gemmarum, horum vero lapidum versicolorum quidam referebant pyropos, topazios, jaspides, smaragdos, aliasque
pretiosos gemmas, mediasque inter conjunctu- 98
ras aurum argentumque & alia pulcherrima metalla radiabant. Hique lapides polientibus du-
E ri non erant nec difficiles, verum molliores politique refulserunt, instar gemmarum, diuque manserunt ignoti, & spreti, veluti massa neglecta petrarum, maximique eorum habebant palmi magnitudinem cum dimidio, vel duos. Pontifice *Pio Quinto*, qui relegarat Cardinalem *Montinum* in Urbem *Tiburtinam*, incepêre cognoscere pretium horum lapidum; ipse enim Cardinalis, amicus possessorum Villæ nominatæ, aliique effodientes, plus quam plaustra viginti *Romam* miserunt, & ad alia *Europæ* loca, atque inde non uni Principi fabrefactæ fuerunt mensulæ, aliaque opera pulcherrima.
F Lapides vero audiunt *Tiburtinæ glareæ*, [3] (*Breccia di Tivoli*) non quod istos gigneret *Tibur*, verum quia ibidem nacti fuerant in hujus Villæ nostræ apparatu; & perquæsiverunt postea adeo dictos lapides, ut ulterius utiles non inve-

1 Hic lacuna in Libro est *Italico*, quasi quid deficiat. *Marium* vero sibi ipsi manus intulisse *Appianus* & *Plutarchus* narrant.

2 Vide illum superius pag. 73. B. & in Descript. *Villæ Hadr.* pag. 22. F. 23. A

3 Crebra hujus generis lapidis fit mentio in *Italicis* libris, in describendis pretiosioribus Columnis seu Mensis, ut patere potest ex *Manilli Villa Burghesia*, quæ hoc eodem Volumine a nobis comprehensa est.

venias, sed fragmenta ambusta, exustis fruticetis, ubi habebatur maceries glarearum, quæ etsi igni corruptæ, pulchritudinem tamen singularem præ se ferunt.

Si fidem meretur *Cajus Vellejus Paterculus* Fragmentor. Lib. II. Cap. LXIII. *Quintilius Varus* hujus Villæ structor, Illustri fuit magis, quam nobili genere natus, indole non immiti, dulcibus moribus, verum animo inquietus; Prætorque *Syriæ* creatus in Provinciam pauper ivit, exiit dives, atque illinc autumant hos lapillos pretiosos Palatio suo seu Villæ acquisivisse. Tandem Consul factus est, Imperatore *Augusto* ab U. C. DCCXLI. ad *Haloandri* sententiam Chronolog. Consulum *Romanor.* subjunctâ illi *Henrici Glareani* in *Titum Livium*; progressusque cum copiis in *Germaniam*, exercitum suum pessum dedit, victus ab *Herminio*, filio *Simigeri*, horum populorum Principe, occisis tribus legionibus *Romanis*, alis tribus, & cohortibus sex, cum omnibus auxiliaribus copiis; quæ maxima fuit clades *Romanorum* post illam *Crassi*, quare maximus *Augustum* invasit dolor atque pavor, narrantque offenso ad parietem capite vociferatum fuisse: *Vare redde mihi legiones meas.* Dolose vero hostibus circumdatus ipse *Varus*, mortem sibi consciVit, Patrem Avumque imitatus, qui itidem se necarant; cadaver autem ipsius semustum concidêre hostes, milites autem *Romani* cervicibus abscissum caput, *Romam* detulerunt, ubi *sepulchro* avito fuit mandatum; Talem *Vari* ingenium inquietum habuit exitum. Poëtas dilexit, & præcipue *Virgilium* & *Horatium*, quem vide *Carminum* Odis XVIII. & XXIV. qui vero res ipsius avet cognoscere, adeat *Suetonium*, Vitâ *Augusti*, *Paullum Orosium*, *Histor.* Lib. VI. Cap. XXI. *Cajum Vellejum* citatis Fragmentis, & *Appianum Alexandrinum* de *Bellis Civilibus.*

VILLA VENTIDII BASSI

Præterea *Tibure* Villam, Palatiumque possedit *Ventidius Bassus*, qui *Marchensis* fuit, & *Ascola-*
99 *nus*, unde suum popularem *Matthæus Bonfinius* appellat Comment. in *Horat.* Carm. Lib. I. Od. XII. haud procul ab illo *Quintilii Vari*, in Valle Boreali, ubi rudera clarissima etiamnum dantur; ne dicam de Fontibus & Piscinis, quo aqua derivata fuit à Fluvio, eodem aquagio, ac in *Vari* Villam. Ipse autem non minus humilis (*Basso di legnaggio*) fuit familia, quam cognomine, *Romam* enim à consanguineis instar capti cum jumentis deductus est, ubi innotuit *Antonio*, qui postea factus est Triumvir. Hoc patrono augente, pullulare cœpit cliens, & à Mulione factus est Consul *Romanus*, Legatusque missus in *Parthos*, populum bellicosissimum, *Romanis*que formidabilem, qui cum præcipuis *Romanorum* inito prœlio, sæpissime victoriam reportaverant, narrantibus *Vellejo* nominato in fragmentis pag. 49. & *Appiano Alexandrino* de *Bello Parthico*; fortitudine vero sua dedecus familiæ amovit, & sua ætate summe floruit. Ipsi enim de *Parthis* triumphum agere permissum fuit, & Triumphantem, more *Romano*, antecessit mimus clare exclamans:

Concurrite omnes Augures, Aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam Mulos qui fricabat, Consul factus est.

Gloriam comitatæ fuêre divitiæ, oblectandisque posteris extruxit *Tibure* Palatium in loco, ab ipso *Cajo*que filio, vocato nunc *Vassi*, prout mutata fuit denominatio a plebe *Tiburtina*, sicut *Hispani Græci*que solent literam *B*, in *V*, mutare, & sicut *V* sæpe solent efferre per *B*. Cum occisus esset *Cæsar*, & *Marco Antonio*, ejusdem anni Consuli nuntiatum, Legionem *Martiam* rebellem progressam fuisse *Albam*, eo se contulit, & rejectus, auctore *Appiano Alexandrino* de *Bellis Civilibus* Lib. III. *Tibur* se contulit, ad hoc Palatium seu Villam suam, instar loci clientelæ fidissimæ, perstititque sexdecim dies, docente *Marco Antonio Nicodemo*, quamvis ibi hospitium hoc vocet Palatium *Scipionis*. Huc confluxerunt præcipui Cives *Romani*, Sanatores, Patritii, & Plebeji, quorum quivis ab ipso quiddam petiit. Senatus poposcit, ut reconciliaret *Octaviano Antonium*, sicut *Atticus* idem pro *Cicerone*, ut ipse dicit Epistol. ad *Attic.* Lib. I. Ex adventu tot principum *Romanorum*, qui totidem Regibus erant similes, ad præsens usque tempus vocatur ædificium quoddam inter Villam hanc & illam *Quintilii Vari*, *Palatium Regum.*

VILLA LUCII MUNATII PLANCI.

Æquævus *Quintilio Ventidio*que *Basso* fuit *Lucius Munatius Plancus Tiburtinus* (ut colligitur e manu exaratis *Membranis* in Archivis *Tibure* existentibus,) quantum ad paternum genus attinet, auctore *Horatio* Carmin. Lib. I. Ode VII. ut & Commentatoribus in hunc locum, teste etiam *Cornelio Tacito Annalium* Lib. XIV. & *Leandro Alberti.* Verum *Leander Alberti* hæret, ubi de *Equicolis* agit pag. 151. in hoc loco *Taciti*, quia etsi textus *Cornelii Taciti* passim legat *Plan-* 100
cum, tamen emendatiores, & recogniti à *Justo Lipsio*, admodum harum rerum perito nostra ætate, præ se ferant *Plautum*, ibidemque sermo sit de *Rutilio Plauto*, de quo cujusque Villa infrà agendum erit. Et quamvis vulgo legatur apud *Horatium Numatius*, correctius tamen, ut & in Editionibus *Dionysii Lambini*, *Mureti* aliorumque Eruditorum est, *Munatius*, & ita habetur apud *Aldum Manutium* Juniorem *Ortograph.* pag. 541. voce *Munatia*, *Fulvium Ursinum de Familiis*, Famil. *Munatiâ* & eruditissimum quemque. Ubi vero hæc fuerit Villa non equidem satis notum est, verosimile tamen est, fuisse inferius *Tibure*, aut in clivi ascensu, quia *Glossæ* interlineares manuscripti *Horatii* Carminum Ode VII. vers. 20. & 21. in *Bibliotheca Vaticana*, narrant in hac Villa Palatium fuisse, Sylvas & Piscinas. *Marcus Antonius Nicodemus* Pentadeos Lib. III. Cap. IX. mentionem facit Marmoris inventi penes *Cajetam*, in quo recensentur ejus dignitates, & ex quo novimus ipsum extitisse Consulem, Imperatoremque bis, Septemvirum Epulonum, Triumphatorem *Rhætorum*, structorem Templi *Saturni* e spoliis hostium, Divisorem agrorum *Italiæ*, *Beneventi*, nec non in *Gallias* deduxisse Colonias *Lugdunum*, & *Rauricum*; Ipsa vero hæc Inscriptio ita sese habet:

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON.
PLANCVS. COS. IMP
ITER. VII. VR. EPVLON. TRIVMPH.
EX RAETIS. AEDEM.
SATVRNI. FECIT. DE. MANVBIIS. AGROS. DIVISIT. IN
ITALIA. BENEVENTI. IN. GALLIA.
COLONIAS. DEDVXIT.
LVGDVNVM. ET RAVRICVM.

Plura habentur apud *Aldum* nominatum *Ortograph.* pag. 67. & *Fulvium Ursinum* in *Famil.* de hac Familia. Recensitam vero Inscriptionem

nem excerpsit e *Fulvii* indicati *Familiis Romanis*, Familiâ, inquam, *Munatiâ*, ipse *Nicodemus*.

VILLA CAJI TURPILII.

Exstitit hæc in ejusdem *Tiburtini* territorii regione, vocata *Regia*, ad latus dextrum viæ fluvium versus, petenti *Abruzzo*, quæ regio barbare jam mutato nomine nominatur *Tortiliana*, ubi reperiuntur ædificia antiqua, viâ citeriori *Iconi* Deiparæ, cum quibusdam reliquiis murorum, cisternarum, aliorumque ædificiorum. Tempestate ejus factum fuit Senatusconsultum *Turpilianum*, viguitque coætaneus *Hadriano*, ut putant quidam, *Aimarusque Rivalius* Histor. *Jur. Civil.* Lib. V. Idem in *Vita Tertulli* pag. 336. asserit coævum fuisse *Antonino Pio*. Latius capite decimo de illo acturi sumus.

101 ## VILLA RUBELLIORUM.

Tibure fuit genus nobile *Rubelliorum*; ex quibus Avus *Rubellii Plauti*, morte mulctatus (ut dicemus) a *Nerone*, genus nostrum hoc *Roma* huc traduxit, atque Equitis dignitatem obtinuit. *Rubellius Blandus*, Pater hujus, fuit Consularis, auctore *Cornelio Tacito Annalium* Lib. III: *Solus Lepido Rubellius Blandus e Consularibus assensit*. Atque Consulatum, ex computo *Justi Lipsii* Comment. in *Tacit.* dict. loco, accepit ab U. C. DCCLXXI. tantumque per divitias virtutesque increvit, ut uxorem duxerit *Juliam*, *Drusi* & *Liviæ* vel *Livillæ* sororis *Germanici*, filiam, propinquorum *Augusti* Imperatoris, atque ita numeratus est inter soceros *Augusti* non affinitate solum, sed etiam adoptione, probante *Justo Lipsio* Annotat. in *Taciti Annal.* Lib. XIII. & *Stemmat. Augusteo* ex affinitate, & adoptione. *Rubellius Blandus* autem noster ex uxore *Julia* procreavit filium *Rubellium Plautum* superius modo memoratum, qui matrimonio secum junxerat *Pollutiam* filiam *Lucii Veteris*, atque eodem gradu, ac *Nero*, attigit *Octavianum Augustum*, ut declarat *Tacitus Annal.* Lib. XIII. elucetque è *Stemmate Augusteo* citato *Justi Lipsii*. Sunt, qui hunc non *Plautum*, sed *Plancum* vocant, ut adducendo locum *Taciti*, asseveravit *Leander Alberti*, modo citatus, ubi egimus de Villa seu Palatio *Planci*, ubi ipsius errorem indicavimus, vocatur enim *Plancus* in vulgatis editionibus *Juvenalis* Sat. VIII.

His ego, quem monui, tecum est mihi sermo, Rubelli
Plance, tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses.

In quem locum *Juvenalis* reponere voluit *Plautum* pro *Planco*, atque ita scribi *Græce* dicit *Justus Lipsius* Annot. in *Annal. Tacit.* Lib. XIII. Tam nobilis claruit affinitate *Augusti* & *Neronis* eadem ætate Imperatoris, ut in proverbium abiret, quemadmodum conficitur e loco citato *Juvenalis*. Reperimus *Plautum* hunc, ex elogiis *Cornelii Taciti*, virum fuisse probissimum, Placitorum Majorum observantissimum, mente rigidum, domi sese tenentem pavore *Neronis*, vitâque talem, ut si *Nero* obiret, arbitrarentur, ad neminem, ac illum, posse recidere Imperium *Romanum*. Adauctusque rumor est inde, quod cibante *Nerone* prope lacum *Simbruinum* (nunc *di Subiaco*) in territorio *Tiburtino*, ictu fulminis mensa cum cibis percussa fuit; cæterum quod evenerat hoc in territorio *Tiburtino*, con-

A jecerunt *Plautum*, inde oriundum, ipsum in Imperio excepturum esse, ut nobis auctor est *Cornelius Tacitus*, his verbis: *Quasi jam depulso Nerone, quis diligeretur, inquirebant, & omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Julia Familia. Ipse placita majorum colebat, habitu severo, casta, & secreta Domo,* 102 *quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna, cujus Sublaqueum nomen est, ictæ dapes, mensaque disjecta erant, idque finibus Tiburtûm acciderat, unde paterna origo Plauto* B *fuit.* Hinc elucet *Simbruinum*, seu *Subiaco*, finibus olim *Tiburis* inclusum fuisse, ideoque nemo miretur, Abbatiam hanc tributariam hodie esse Civitatis *Tiburtinæ*, ut alio Capitulo superiori sectione diximus; nec hic inter Villas *Tiburtinas* recensuimus, quam in *Simbruino* habebat *Nero*, barbare vocatam nunc *gli Arcinacci*, cum *Tiburis*, prout nunc est, celebremus Villas. Excellentia virtutum, illa infelicissima tempestate, homini detrimento fuit, nam *Nero* maleficis favens, persequebatur bonos; sceleftâ sua vitâ sciebat odium omnium sibi conflavisse, C contra nostrum integritate sua, cunctorum amorem; & eo majorem, quod ab *Agrippina Neronis* Matre diligeretur; quare suspicionem de *Plauto* cepit, *Romaque* relegatum, in *Asiam* se recipere coëgit, ubi multæ ipsi fuere possessiones; idem exercuit in *Syllam*, quem remisit in *Galliam*, quos utrosque summe veritus est. Usa etiam crebro ferebatur *Agrippina* amore & osculo adolescentis cujusdam nomine *Auli Planci*, narrante *Suetonio Tranquillo* Vita *Neronis* Cap. XXXV. adeoque itidem metuens *Nero*, ne Mater adjumento esset ipsi ad invadendum Imperium, occidi illum curavit, dicens: *Eat nunc* D *Mater, & osculetur successorem meum*; idque vivente adhuc *Agrippina*, ut *Lipsius* Not. in *Annal.* Lib. XIV. antumat. Nec postea contentus, relegasse *Syllam* & *Rubellium Plautum*, statim interfici jussit *Syllam*, & mox etiam infortunatum integrumque *Rubellium Plautum* in *Asia*, adferrique caput paullo post mortem *Agrippinæ*, ut ibidem, censet *Justus Lipsius*; qui probat quosdam confudisse hos duos occisos, atque unum eundemque fecisse; verum ipse multis argumentis arguit esse diversos; locumque *Suetonii* esse corruptum, & vice *Auli. Planci* legendum *Aulum Plautum*, filium E fortasse ejus, qui de *Britannis* triumphum egit. *Nero* vero viso capite *Rubellii* effatus est, scribente *Cornelio Tacito Annal.* Lib. XIV. *Neronem* metu liberatum jam esse, nuptiasque *Poppeæ* ob timorem ejus dilatas, festinare posse, uxoremque *Octaviam* dimittendam esse. Quæ verba immane differunt ab illis, quæ narrat, protulisse *Neronem*, post necem adolescentis *Auli Plauti*. Paullo post confici jussit *Lucium Veterem*, socrum *Sextiam Pollutiamque*, invisas sibi, idem *Nero*, ne viventes, mortem *Rubellii* exprobrarent. Captus erat amore *Poppeæ Nero*, auctore *Tacito Annal*, Lib. XIII. proposueratque dimittere *Octaviam* uxorem, natam ex *Druso* tertiaque ejus F uxore *Messalina*, consobrina *Juliæ* Matris *Rubellii*, & ita matertera *Rubellii*, docente *Justo Lipsio Stemmat. August.* circiter finem; hinc ille timor de homine tanto, *Romæque* pergrato, & consanguinea *Octavia* civibus accepto. Uxorem, quod prolem non pareret, se repudiare dixit, quasi vero multa perdiderit *Roma*, si 103 *Nero* sine filio obiret, quæ, si ipse patri nunquam fuisset natus, magno satis emolumento fruita fuisset. Palatium horum *Rubelliorum* situm fuit medio clivo Montis, perperam vocati *Ripoli*,

pro

pro *Rubelliis*, in collibus Borealibus, Orientalibus & Occidentalibus, ubi habentur muri antiqui & fornices, qui quondam sustinentes Palatium locum illum fecere tanquam planitiem, qui descendit, prout reperiuntur rudera Palatii murorum fractorum inter vineas usque viam *della Quaregna* vocitatam, & inter vineas & oliveta, quæ ex adverso montis descendunt usque in viam, quæ pergit ad tractum *le Piagge di Cassano* dictum, inque intervallo indicato passim rudera prædicta, ut aquas locorum inferiorum Palatii omittam, inveniuntur.

VILLA PLAUTIORUM.

Legibus *Romanis* duodecim Tabularum cautum erat, ne quis in Urbe humo mandaretur, quare quivis sepulturam, tumulosque sibi suisque in agris & Villis elegit, id præsertim moris erat nobilibus. Familiæ *Plautiæ* Mausoleum erat intra fines *Tiburtinos*, prope pontem *Lucanum*, lævorsum fluvium *Anienem*, *Latium* versus, docente *Joanne Gobellino* Comment. Lib. V. probantibus etiam Inscriptionibus ipsis, recensitis ab *Aldo Manutio* Juniore *Orthographiæ* pag. 717. & 718. *Leandro Alberti* Descriptione *Italiæ* in Campo agroque *Romano* inter vicos pag. 154. & *Marco Antonio Nicodemo* Pentad. I. Lib. IV. Cap. VI. ut taceam vicina sepulcro monumenta. Mausoleum hoc figurâ est Sphærica, lapidibus *Tiburtinis* exstructum, aptissimâ altitudine & magnitudine, verum quodammodo destructum, & concrematum ignibus tempore belli ibidem injectis. *Tiburtini* enim ex hoc Monumento tuiti sunt pontem contra hostes; atque ita illi evenit, ut a Barbaris, quemadmodum *Romæ* Amphitheatrum Colosseum, ubique dolabris Lapicidarum perterebratum fuerit. Hujus Mausolei, præter allegatos, meminit *Joannes Bartholomæus Marlianus*, *Topograph*, Lib. VII. Cap. XVI. Inscriptiones quondam quinque fuere, quæ insculptæ erant tabulis marmoreis largissimis, locatæque in basibus lapidum *Tiburtinorum*, atque inter columnas sex ejusdem materiæ, quarum una media inter singula marmora, duæque erant laterales laboris nitidissimi; Hisce erant insculpti honores in hanc Familiam collati, & res egregie gestæ. Ex hisce marmoribus vero tria sunt destructa, temporum injuriâ, inertiaque *Tiburtinorum*, relictis duobus, nimirum medio cum literis majoribus *Romanis*, & altero sinistro; hoc minusculis literis inscribitur, illud majusculis. Inscriptio mediæ Tabulæ hæc est:

104 L. PLAVTIVS. M. F. A. N.
SILVANVS
COS. VII. VIR. EPVLON.
HVIC. SENATVS
TRIVMPHALIA
ORNAMENTA. DECREVIT
OB. RES. IN. ILLYRICO
BENE GESTAS
LARTIA. GN. F. VXOR
A. PLAVTIVS M. F
VIRGVLIANVS
VIXIT. ANN. LX.

Inscriptio alterius tabulæ marmoreæ à lævo latere minusculis literis, est talis:

TI. PLAVTIO. M. F. . . . .
SILVANO AELIANO. . . . .
PONTIF. SODALI AVG. . . . . . .
III. VIR. A. A. A. A. F. F. Q. TI. CAESARIS.

A LEGAT. LEG. V. IN. GERMANIA.
PR. VRB. LEGAT. ET COMITI CLAVDII
CAESARIS IN BRITANIA. CONSVLI
PRO COS. ASIAE. LEGAT. PRO-PRAET. MOESIAE.
IN. QVA. PLVRA. QVAM. CENTVM. MILL.
EX. NVMERO. TRANSDANV-VIANOR.
AD. PRAESTANDA. TRIBVTA. CVM CONIVGIB.
B AC LIBERIS. ET. PRINCIP. AVT REGIB. SVIS.
TRANSDVXIT. MOTVM. ORIEN-TEM. SARMATAR.
COMPRESSIT. QVAMVIS. PARTE. MAGNA. EXERCITVS.
AD. EXPEDITIONEM. IN. ARME-NIAM. MISISSET.
IGNOTOS. ANTE. AVT. INFENSOS. P. R. REGES. SIGNA
ROMANA. ADORATVROS. IN. RI-PAM. QVAM. TVEBATVR
PERDVXIT. REGIBVS. BASTARNA-RVM. ET
C ROXOLANORVM. FILIOS. DACO-RVM. FRATRVM.
CAPTOS. AVT. HOSTIBVS EREPTOS. REMISIT. AB
ALIQVIS. EORVM. OPSIDES. ACCE-PIT. PER. QVEM. PACEM
PROVINCIAE. ET. CONFIRMAVIT. ET PROTVLIT.
SCHITAR. QVOQVE. REGEM. A-CHERONENSI
D QVAE. EST. VLTRA. BORVSTENEN. OBSIDIONE. SVMMOTO
PRIMVS. EX. EA. PROVINCIA. MA-GNO. TRITICI. MODO.
ANNONAM. P. R. ADLEVAVIT. HVNC. LEGATVM
IN HISPANIAM. AD. PRAEFECTVR. VRB. REMISSVM.
SENATVS. IN. PRAEFECTVR. TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS. HONORAVIT. AV-CTORE. IMP.
CAESARE. AVGVSTO. VESPASIA-NO. VRBIS. EX 105
E ORATIONE. EIVS. Q. I. S. S.
MOESIAE. ITA. PRAEFVIT. VT. NON. DEBVERIT. IN
ME. DIFFERRI. HONOR. TRIVM-PHALIVM. EIVS.
ORNAMENTORVM. NISI. QVOD. LATIOR. EI
CONTIGIT. MORA. TITVLVS. PRAE-FECTO. VRBIS.
HVNC. IN. EADE. PRAEFECTVRA. VRBIS. IMP. CAESAR
F AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT.

Cujus ultimi marmoris literæ quatuor, Q. I. S. S. quæ sexta ante ultimam linea habentur, expositæ ab *Antonio Augustino* fuêre hoc pacto: QVAE INFRA SCRIPTA SVNT, de *Familiis Roman.* Familia *Plautia* pag. 398. ubi Inscriptionem hanc recenset.

Familia vero nostra *Romæ* partium erat Plebejarum, statuente *Fulvio Ursino* de *Famil. Rom.* Famil. *Plautia* pag. 200. utrum vero *Tibure* fuerit, ignoro, nec præterquam quod de Monumento dixi, quicquam ea de re novi, Palatium

tium vero ipsius jacet inter has ruinas ædificiorum & murorum, quorum rudera deteges iturus à Mausoleo in tractum vocatum *Paternò* haud procul ripâ fluvii, & in vineis ibidem propinquis.

VILLA PISONUM.

Familia *Romana* fuit *Calpurnia*, ortum repetere credita à *Calpo* filio *Numæ* Regis *Romanorum*, Plebeja, teste *Fulvio Ursino* de *Famil.* in Tabulis plurimis pag. 44. 45. & 47. & ab hac illa *Pisonum* est orta. Nec mirum videatur cuiquam, quod familia prognata ex filio Regis fuerit Plebeja, cum, ut sæpius antea scripsimus, multi nobilium, illustrique locô nati, ut Magistratus captarent, sese Plebi applicuerint, vocati inde *Plebeji*; verum, qui e plebe oriundi erant, non simpliciter vocabantur *Plebeji*, sed de *plebe*, teste *Paulo Manutio* de *Civit. Rom.* atque ideo strictim nominando plebejos, non intelligimus simpliciter e Plebe progenitos. Hi vero *Pisones* erant numerosi & plures, unde & *Horatius* opus suum *de Re Poëtica* inscribit *Pisonibus* plurali numerô, non singulari; Cæterum excelluerunt admodum temporibus *Horatii* & *Ciceronis*, nec unum solum gesserunt Magistratum, vel simplicem Dignitatem; deque illis penes Auctores horum temporum plura legi possunt.* Villas eorundem in finibus *Tiburtinis* Austrum versus, ab ipsis *Pisonum* plurali numerô vocatæ sunt, cum essent complures; ut rudera antiqua non admodum à sese invicem dissita satis superque indicant; quod si una modo fuisset, vastissimam dicerem, imo omnium maximum, si ab illa *Hadriani* discesseris, quæ intra fines *Tiburtinos*, ut diximus, exstitit. Non de illis ulterius quicquam addam, cum multi fuerint & variis temporibus floruerint. omnes enim enumerando tædium legenti crearem; ergo ad alia pergendum est.

106 VILLA CAJI CASSII PARRICIDÆ CÆSARIS.

Ultra illam nominatam *Pisonum*, media montana emensurus, ascendes in Villam *Caji Cassii* parricidæ *Julii Cæsaris*, qui eam *Tibure* habuit, *Cassianam* a se vocitatam. In hac Villa, ut & in illa *Marci Bruti*, quam paullo inferius exponam, sæpenumero credibile est congregatos fuisse in *Cæsarem* percussores ejus. Quo occiso *Cajus* adscivit nomen Imperatoris, non *Romæ*, velut Dominus, verum Dux exercitus *Romani*, nummosque percussit, descriptos à *Fulvio Ursino* de *Famil. Roman.* familia *Cassia*, pag. 53. 54. 55. & 56. Hic inter præcipuos conjurationis socios in *Julium Cæsarem* fuit, pessimeque, nece patratâ, se gessit, & præsertim dum se ipsum occidit, vel, dum, ut alii volunt, per servum se interfici curavit; hoc enim casu *Brutus* in desperationem incidit, à quo solo jam libertas *Romana* pendebat; nec quod incautus esset & pertinax, consilia ejus audiebat *Cassius*. Rudera Palatii seu Villæ magna restant, cum plurimis fundamentis basibusque fontium: & inter ruinas ejusdem erutæ fuerunt Statuæ, Columnæ, Zophori marmorei, aliique lapides varii à ministris Serenissimæ memoriæ *Ferdinandi Medices*, illo tempore Cardinalis, & post Magni *Hetruriæ* Ducis, & a felicis memoriæ *Francisco Bandino de Piccolhomini*, præstantissimo *Senarum* Archiepiscopo, atque æstivo tempore *Tiburis* habitatore. Qui vero res *Cassii* avet cognoscere, adeat *Appianum Alexandrinum* de *Bellis Civilib.* *Suetonium Tranquillum* Vitâ *Cæsaris*, *Paullum Orosium Histor.* Lib. VI. Cap. XVII. Et *Fulvium Ursinum* de *Famil. Rom.*

VILLA MARCI BRUTI JURISCONSULTI.

Prope Villam *Cassii* eodem dorso Montis Austrum versus videbis multa antiqua mœnia nobilis Villæ *Marci Bruti* Jurisperiti, propinqui *Bruti* istius, qui *Cæsarem* interfecit, ad sententiam *Antonii Augustini* de *Familiis Roman. Famil. Julia* fol. 360. circiter finem, verum in gradu cognationis non consentiunt scriptores; quatuor vero habet sibi invicem superstructa fundamenta ejus Palatium, aquagia, bases fontium, piscinas, & substructiones insanas. Mentionem Villæ *Marci Bruti* injecerunt *Cicero* pro *Cluentio* & Lib. II. *de Oratore*, ut & *Fulvius Cardolius Pass. Symphorosæ*.

VILLA QUINTI CÆCILII PII METELLI SCIPIONIS. 107

Pulcherrima præterea Villa *Tibure* fuit *Quinto Cæcilio Pio Metello Scipioni*, non ita procul ab illa, quam superius *Marii* fuisse diximus, in regione Civitatis, quæ primum mœnibus oppidi exclusa erat, postea Imperante *Frederico Primo* fuit inclusa, ut in Villa *Marii* scripsi; in ruderibus autem ipsius domus & Templa excitatæ fuere permulta. Incepit vero prope illam *Marii*, perrexitque Templum, modo *dell' Annuntiata* vocatum, versus, nec non ad Templum S. *Petri* & exivit in viam Prætoriam *Romanam*, usque domum *de' Gentili*, ubi in horto proximo invenerunt musiva opera cum figuris pavonum in pavimento musivi operis ex lapillis sectis; desiitque in hortum Serenissimæ Familiæ *d'Este*, in latere, ubi deprehenditur fons maximus *Ovatus* nominatus, & Statua *Albuneæ Sibyllæ Tiburtinæ* largissima. Loco, quo Fontis istius celebris fundamenta exstructa sunt, parva *Dianæ* statua inventa est, & paucis abhinc mensibus cum effoderent sub domo non ita procul à Fonte indicato, repererunt inter rudera antiqua Palatii hujus seu Villæ pulcherrimi Satyri parvum signum marmoris candidi; locus etiamnum a possessore pristino appellationem retinet, nominatus corrupte *Campitello*, pro *Campo Metelli*: quemadmodum multa *Romæ* loca appellationem antiquam, sed detortam retinent, auctore *Joanne Bartholomæo Marliano Topograph.* Lib. II. Cap. VII. initio, imo quotidie idem evenit Palatiis, Oppidis & Provinciis. Locus erat amœnus, atque ideo in scriptis Archivi *Tiburtini*, cernes ab priscis vocatum *Valle Gaudente*, id est *Vallis Amœnus*; insuper in distributione, seu divisione tractuum *Tiburtinorum*, invenitur regio *Sanctæ Crucis* comprehendere tria loca, nimirum *Sanctæ Crucis* locum, Collem, Vallemque; ad Sanctam Crucem pertinet planities, in qua est Templum, Collis Villam prædicti *Marii* occupat, Vallis vero est Villa nostra. Itaque confundunt nomen locumque Vallis incolæ, vocando *Collem*. Villæ hujus meminit *Cicero* V. *Philipp.* & Lib. II. de *Oratore*, ajens *Marcum Antonium* dies septendecim oratione invectum fuisse in *Ciceronem*; Ibidem insuper scribit *Marcus Antonius Nicodemus*, *Pentad.* I. Lib. IV. Cap. I. restitisse *Marcum Antonium*, ut copias cogeret a die decima septima post *Cæsarem* occisum; quod unde habeat, ignotum mihi est, autumo vero è diebus istis septendecim hausisse errorem, quibus *Antonius* in

in *Ciceronem* invectus est, de quibus modo locuti sumus; & his bellicis tempestatibus diverterat in Palatium *Bassi* clientis, ut dicere superius occupavimus. Desiderio *Tiburis* summo tenebantur *Scipiones*, atque, ipsis juvantibus, *Tiburtini* Senatusconsulto, de quo Cap. VIII. acturi
108 sumus, A. U. C. D. crimine absoluti fuere à Senatu; Caput cujusdam ex illorum Familia marmoreum nacti ibidem sunt fossores, cum Tabella ænea, cui insculptum erat indicatum Senatusconsultum, inter quædam rudera murorum antiquorum, in cancellorum modum factorum, cum eruerent cellam haud procul Templo *S. Laurentii*, in vicinia, *Formâ* vocata, ut Cap. VIII. explicabo. Multi fuere *Metelli*, verum Villam hanc possedit *Publius Cornelius Nasica*, filius *Scipionis Nasicæ*, qui adoptatus est a *Quinto Cæcilio Metello Pio*.

VILLA CRISPI SALLUSTII.

Superius, ubi egimus de prima Villa, sita loco nunc vocato *Cesarano*, secundum alios à *Julio Cæsare*, alios autem à *Cajo Cæsare Caligula*, ex sententia dein aliorum, à *Cæsoniis*; notavimus *Cæsarem* ipsum etiam *Tibure* Villam possedisse, quam vendiderit *Crispo Sallustio*; itaque *Sallustius* ille *Tibure* habuit Villam in loco citeriore Portæ *S. Crucis*, ab isto *Sallustio* (corrupto dein vocabulo) dictam *Lostoino*, ubi vestigia piscinarum visuntur in illis muris antiquis, qui sustentabant quædam podia eminentia muris è regione horti nominatorum Dominorum *d' Este*; perrexit insuper Villa hæc per vallem planam Occidentalem, usque collem inferiorem e valle exeuntem, ubi habentur superiores areæ lapidum magnorum in planitie adhuc superstitum, rudera ædificiorum amœnorum, superius circumdatorum muro validissimo, quin etiam pavimenta apparent lapillis sectis compacta, quæ evincunt Villam hanc seu Palatium hoc satis excellenter ornatum per hæc omnia & excultum fuisse, vocatur locus hodie *Grotte Saracina*. loca autem omnia cum Valle subjecta nominantur nunc *Lostoino*; respiciunt vero Septentrionem versus.

Pauper fuit *Sallustius*, egenusque Præturam *Africæ* suscepit, & inde rediit dives; atque reditu proventuque hujus Muneris emit à *Cæsare* Palatium, cujus gratia male audit apud *Ciceronem* Orat. contra *Sallust.* auctore *Joanne Bartholomæo Marliano Topograph.* Lib. V. Cap. XXIV. circa fin. quasi malis artibus illam comparaverit, sicut idem *Joan. Bartholom. Marlianus* Lib. II. Cap. IV. & Lib. IV. Cap. II. & IV. adnotat, *Romæ* hortos ejusdem *Sallustii* perperam *Lustricos*, pro *Sallustianis* vocatos esse. Alibi ipse *Marlianus* asseverat, similiter, situm eo loco, ubi nunc est Forum *Montarana* ad radices *Capitolii*, Templum *Junonis Matutæ*, nunc quidem Templum *S. Andreæ* in *Mentuccia* perperam dici, vice *Matutæ*. In Palatio autem seu Villa hac reperta fuere pavimenta plinthorum minorum & tenuiorum in areola, cum aquarum cisternis; habentur ibidem adhuc vestigia plurimorum præterea & validissimorum mœnium, extendentium se Boream versus, quorum multa passim exstant vestigia sub Cœnobio Fratrum *Observantium Franciscanorum*, Palatioque memoratorum Dominorum *Estensium*.

109 Sunt, qui putant Palatium illud (seu Villam, nunc dictam *Grotte Saracina*) aliud esse, ac allatum primum *Sallustii*, quod adeo extensus sit ille locus.

VILLA LOLLIORUM.

Diximus in Villa *Plautia* prohibitum fuisse in Urbe sepulturam Legibus *Romanis*, si exceperis, ut porro Capite sexto videbimus proximo, Vestales. *Lollii* itaque Monumentum in finibus *Tiburtinis* possidebant, ut Inscriptio hæc marmoris candidi docet, quæ habetur in Templo *S. Mariæ Majoris*, *Tiburtino*, Fratrum *Observantium Franciscanorum*, medio nimirum, è regione suggesti, in pavimento:

HIC LOCVS VTI MACERIA IN-
CLVSVS EST AD RELIGIONEM
SEPVLTVRAE LOLLIARVM
ATTICILLIAE FILIAE ET STA-
CTES
VXORIS AC.M.LOLLI AMARANTI

Itaque hîc Palatium seu Villam habuerunt, in Villis enim suis sepulcra sibi destinasse, dicere superius occupavimus in *Plautiorum* Villa. & quoniam & *Romanis*, extra limites patriæ obeuntibus, successores, posteri, vel alii Inscriptiones marmoreas ponebant, nomina, cognomina elogiaque fortitudinis mortui commemorantes; incommode quis Villam diceret ex Inscriptione tumuli concludi, nec sequi, quod quia hic humo fuerint mandati, ideo Villam habuerint; Repono tamen, Inscriptiones mortuis simpliciter solummodo factas, in Fronte gessisse DIIS MANIBUS vel DIS MANIBUS vel D. M. quæ idem significant, ut manifestum est è *Val. Probo* Lib. *Orthograph. Antiqu.* litera P. *Aldo*que *Manutio* Juniore, libro subjuncto *Orthographiæ*, liter. D.; mox nomen sepulti sequutum esse, atque ponentis, aliaque id genus; Verum Marmor nostrum expresse indicare locum sepulchro destinatum, atque adeo determinare tractum. Atque eo verosimilius hoc meum est Argumentum, quod Horatius *Tibur* sæpe venerit, *Lolliis*que fuerit amicus & familiaris, præsertim *Marco Lollio*.

Si vero *Marcus Lollius* in nostra Inscriptione memoratus, & ad quem *Horatius* Carmin. Lib. IV. Od. IX. & Epist. Lib. I. Epist. II. & XVIII. scripsit, idem sit cum illo, cujus meminit *Cajus Vellejus Paterculus* Fragmentorum Libris sane utique homo avarus, multisque vitiis fuit contaminatus; adhæc Legatus in *Germaniam* copias summo dedecore perdidit, quamvis *Varus* majori clade patriam debilitarit, illique majorem pavorem incusserit. Statuit *Fulvius Ursinus* de *Familiis Roman. Familiâ Lolliâ* pag. 147. *Lolliam* Gentem *Romæ* fuisse Plebejam, duosque ipsius diversos affert nummos. Tandem si *Tibure* habitârit, non inveni quicquam de eadem ulterius, quam sepulchrum sibi ibi destinasse, prout superius jam diximus. Ubi vero locanda sit Villa ista, nondum repertum est.

VILLA CAJI MÆCENATIS CILNII, VEL CILLINII ARETINI, ET HETRUSCI. 110

Superius Villas & Palatia Dictatorum, Regum, Consulum, atque quorundam Patriciorum & Jurisperitorum exposuimus, pergimus jam ad alios quosdam Nobiles hominesque magnos; & demum ad Poëtas aliosque honore publico non conspicuos: *Mæcenas* itaque fuit Nobilis Eques *Romanus*, Poëta, eorumque patronus & benefactor, ut porro probatum dabimus; habuitque *Tibure* Villam mœnibus portæque oppidi, quà *Romam* petes, propinquam. Splendidissimam olim fuisse, satis evincunt vastissimæ ruinæ murorum, locus hodie dicitur *Porta Obscura*;

ra; Hominis privati tam pulcherrimas hic conspicis Antiquitates, ut vel *Romæ* tales frustra quæsiveris. Villæ ipsius parcam dedit Descriptionem *Pyrrhus Ligorius* in sua *Descript. MSS.* quam dabimus primò nunc contractam, mox diffusam, prout *Pyrrhus* reliquit, circiter operis exitum Cap. XII. adjunctâ Descriptione sua Villæ *Hadriani*, & porrò enodabimus, quid, ut apud *Pyrrhum* nominatum, sic in libris editis scriptisque de celebri isto loco dici possit.

Verum antequam ad singulares illas res descendamus, virtutes ingeniumque *Mæcenatis* veniunt consideranda; atque principio, quod ipsum quidam nominarint *Cilnium*, ut ex *Onuphrio Panvinio* colligi posse affirmat *Dionysius Lambinus* in *Horatii Sermon.* Satyr. I. Epist. XIX. alii vero *Cillinium*, more *Aldi Manutii* Junioris *Ortograph.* in *Mæcenat.* pag. 493. Ortum, ut docent *Cajus Vellejus Paterculus* Fragment. Lib. II. pag. 52. & *Horatius* Carmin. Lib. I. Ode I. & Lib. III. Ode XXIX. repetebat *Mæcenas*, à Regibus *Hetruriæ*, Familiæ suæ ultimus, indicante Auctore *Syntagmatis Heroici*, Catalogo Regum *Hetruriæ*. Præterea fuit, tum prosapiæ regiæ, tum *Octaviano Augusto* plus quam alius quivis, si ab *Agrippa* discedas, gratissimus, auctore *Vellejo* loco citato; quod ipsi assentitur Historicorum turba; amplitudinem nec affectavit, nec gradus honorum, prout testati sunt *Vellejus* loc. cit. & *Horatius* Carmin. Lib. I. Ode II. & Lib. III. Od. XVI. quosvis literatos, doctos, & potissimum Poëtices, quam summopere colebat, studiosos dilexit; inter hos valde amavit *Virgilium* & *Horatium*, ut patet locis adduct. & Carmin. Lib. II. Ode XVII. & Lib. III. Ode VIII. ut & Epod. Ode I. III. & XXIV. qui indicat sese plurimis cumulatum ab ipso beneficiis fuisse, docente præsertim *Ascensio* Comment. in *Horat.* Carmin. Lib. I. Ode VII. initio, *Mæcenatem* dedisse ipsi *Tibure* amœnissimum locum, ubi *Horatius* studiis suis invigilaret, atque tranquillam duceret vitam; Locum vero, de quo in *Villa Horatii* agendum erit, *Pyrrhus Ligorius* in *MSS. Sylvam Musarum* vocat. Literatis de suo stipendia dedit, ita ut memoriam sibi sempiternam constituerit; & ab ipso omnes patroni & euergetæ Doctorum hominum nominentur *Mæcenates.* Obiit liberos legitimos non relinquens, unde jocose *Ju-*
111 *lius Cæsar Caporalis* Poëta *Perusinus* ingeniosissimus, & fortasse nec vane lusit, una cum ipso obiisse liberalitatem, nec alicubi hærede relicto; innuens parvam Principum hodiernorum in Literatos benevolentiam. *Plinius* Histor. Natural. Lib. VII. Cap. LI. narrat observanda de ipso tria, horum uno loco commemorat duo; quorum alterum est, quod continua febri affectus fuerit, nec unquam liberatus, alterum, quod triennium continuum non dormiverit; alibi, Histor. scilicet Nat. Lib. VIII. Cap. XLIV. tertium subjungit, quod esum carnium asellorum juniorum primus invenerit, atque ideo onagros pretiosos fuisse tum; verum ipso mortuo gustum hujus carnis displicuisse. Auctor *Cajus Vellejus* est loco cit. *Mæcenatem* quidem, ubi opus erat, summe vigilem fuisse, tamen successivis temporibus mollem, remissioremque ipsa fœminâ.

Infirmitas *Mæcenatis* à *Vellejo* indicata elucet e sua Villa, atque pulchro Theatro, quod indidem Comœdiis aliisque amœnis, otii gratia, rebus excitavit. Quare hac Villâ *Augustus*, teste *Fulvio Cardolo* Pass. pag. 95. relaxandi animi gratia a pondere negotiorum, admodum delectatus fuit. Sunt, qui *Augusto* Villam tribuerint, quod eandem sæpius inviseret; inter quos nomen profitetur *Pyrrhus Ligorius* Descriptione Villæ manu exaratâ. Sententiæ vero stabilitionem ex Inscriptione Marmorea petierunt, quæ affixa est cataractæ, quâ lumen accipit portæ ingressus, utpote fornicibus vastissimis ac longissimis muro substructis; Est vero talis:

C. RVSTICVS. C. F. ITER
L. OCTAVIVS. L. F. VITVLVS.
IIII. VIR. D. S. S.
VIAM INTEGENDAM
CVRAVERE.

E nomine hîc *Octavio*, exsculpere satagunt possessorem loci *Octavianum Augustum*, qui heic familiariter utebatur intimo suo *Mæcenate*; atque huic *Pyrrhi Ligorii* sententiæ & alius addictus fuit, qui res quasdam Palatii in MSS. descripsit; Nos vero Villæ descriptionem è *Pyrrho Ligorio* addemus, quæ ita sese habet: „Cubito „partique montanorum alteri, tractum *Romanum* versus imposita fuit Villa *Augusti*, quæ „cætera ante memorata splendore summo superabat. Quantum e ruderibus colligere licet, „ordines illi fuere bini columnarum, sibi invicem impositarum, *Dorici* operis & *Ionici*, „innixarum vastissimis pilis, quæ maximâ sunt „altitudine, ut Palatium loco æquali ponere „possent, ad distinguenda æqualiter conclavia. „Ab altera parte ipsius Palatii via *Valeria* per„rexit sub complanationes istas, ut indicant In„scriptiones, in cataractis ædificii inventæ; duæ „sunt Arcis hujus Porticus, illam ambientes, al„tera ubivis exterius circumit, ut inde procul 112
„advenientes cernerentur, atque arx propu„gnaretur; altera interius Atrium vel potius „aream. Inter ambas vero Porticus exstructa „erant habitacula & conclavia. Deinde in me„dio vergente ad aream, ambabus Porticibus cin„ctam, fuit habitaculum, in cujus introitu, „scalis superatis, repertæ sunt speluncæ e tar„taro testudineæ, ubi emanavit erupitque olim „aqua: A latere habitaculi par datur Piscina„rum, vel cataractarum, quibus emundabatur „Fons, atque immundities aquæ emittebatur. „Medium Structuræ, ut apparet, multis con„stitit conclavibus, unde ascenderunt ad se„cundam Porticum ordinis *Ionici.* Palatio ve„ro subjacet alia substructio, instar Templi, „octogona, statuis Deorum olim adornata, „erectis in ascensu Palatii; quo pervenere Oc„cidentem versus ascendendo scalas longe pul„cherrimas. Prima gradationes binas operis „communis habebat, altera unicam, verum ipsa „erat semirotunda & gradationes habebat maxi„mas, ut per ipsam pertingeretur ad Palatii „aream usque, ubi brassica nunc, aliaque hor„tos nostræ ætatis decentia olera, inveniuntur. Hæc sunt omnia, a *Ligorio* scripta de Palatio nostro, nec sigillatim enodat ulterius formam structuræ, neque loca indidem deprehensa.

Jaannes Gobellinus Comment. Lib. V. quædam de hoc Palatio scriptis tradidit, verum id *Mæcenati* non vindicat, ut nec aliis. Statuit quidem portam *Tiburtinam* fuisse, qua olim *Tibure Romam* iretur, mercesque in largissimas cellas inferiores congestas, & vectigal ibidem fuisse solutum; superiores autem ædificationes continuisse *conclavia* vel *diversoria* pulcherrima, destinata publicanis, sive mercatoribus, sive hominibus Illustribus, suaque ætate ædificium hoc pulchrum versum fuisse dolet in bubilia; hodie quidem vocatur *Porta Oscura*; seu *Porta Obscura.*

Quid autem Palatium continuerit, & cui usui stru-

structum fuerit, optime detexeris per lapidis *Tiburtini* tabulam, quæ inserta erat quondam cuidam cataractarum, unde via Palatio subjecta lucem recipiebat, verum excidens, in Templo *Sancti Sylvestri*, haud procul Palatio locata fuit, & usque præsens mansit spectabilis, nec non & disces ab *Aldo Manutio* Juniore *Ortograph.* pag. 703. voce *Scena*, ubi recensetur hoc modo:

C. LVTIVS. L. F. AVLIAN. Q. PLAVSVRIVS. C. F. VARVS.
L. VENTILIVS. C. F. BASSVS. Q. OCTAV. C. F. GRACCHIN.
IIII. VIR.
PORTICVS. P. CCLV. ET. EXSEDRAM. ET PRONAON.
ET PORTICV. PONE. SCAENAM. LONG. P. CXL.
S. C. F. C.

E qua Inscriptione colligitur, fuisse loca penetrabilia eundoque viæ usum præbentia, Scenam quoque ibi aliaque jucunda fuisse. Columnas quas *Ligorius* heic locat ordinis *Dorici* & *Ionici*, non autumo fuisse rotundas, nec continuas, verum medias impositas pilis arcuum, & arcûs invicem distinxisse; sunt autem lapidibus tetragonis constructæ, nec adeo magnæ, striatæ,
113 compositæ accuratissime rotunditate exactissima, ut & ipsæ sic pulchriores viderentur & judicarentur, quam si continui lapidis essent. A latere Boreali, & opposito Palatii *Quintilii Vari* ad fluvium *Anienem*, Palatium nostrum summe excelsum est, fultum Statuminibus maximis altissimisque calcis optimæ & lapidis, eoque ab *Aniene* derivabatur aqua. Ætas omnia consumens, quotidie Palatii partem devorat, tollendo pristinam eximiamque amœnitatem. Superiora ruderum donata sunt à Communitate, seu Senatu Populoque *Tiburtino*, Fratri cuidam Ordinis *Franciscanorum* Discalceatorum, ut habetur in Archivi *Tiburtini* libro in pergamena charta; nomen erat *Antonius Petrarcha*, qui moriens legavit Virginibus sacris *S. Claræ* Discalceatis. E parte inferiori eadem Communitas sibi eruit lapides, aliisque publicis commoditatibus.

VILLA CATULLI POETÆ.

Descripto Palatio seu Villa *Mæcenatis*, Poëtarum Patroni, oportet quædam addere de Villis Poëtarum, intra fines *Tiburtinos* inventis; itaque incipiemus ab illa *Catulli Poëtæ*, sic ab illo collocata, ut quidam *Sabinis* attribuerint, eo quod *Anio* à *Latio* separet *Sabinos*, sintque a latere *Anienis* dextro *Sabini*, à sinistro *Latium*; Villa autem *Catulli* ad dextram fluminis ripam fuit, nimirum in colle propinquo, ubi demum in ruderibus ejusdem ædificatum cernitur Cœnobium Monachorum *Montis Oliveti*, Abbatia, pars Monasterii, & Cœnobium Monachorum vocatorum *Sanctæ Mariæ Novæ Romanæ* in Foro *Romano*, modo dicto *Campo Vaccino*; nominant vero *Tiburtini Santo Angelo in Piavola*. Contra, qui Palatium finibus *Tiburtinis* vendicarent, non *Sabinis*, dixerunt; quamvis fluvius distinguat ambas Provincias, ipsum Oppidum tamen situm esse à latere ipsius lævo directè in ripa, & ideo cum Oppidis *Latii* contra *Romanos* societatem inivisse, ut porro inferius Cap. VIII. probabimus. Tamen Territorium plus quam milliaria sex in *Sabinis* conficit, quoniam olim sinu suo comprehendebat Sylvam montis, hodie vocati *Gennaro*, ubi habebantur Sylva, Fons, Dea, *Sibylla*que *Albunea*, ut inferius

A Cap. VI. dicemus. Etiamsi hodie dictum Territorium sit contractum, complectitur tamen locum Villæ *Catulli*, qui unicum modo sclopeti jactum à fluvio distat. *Catullus* gloriatur gaudetque vocare *Tiburtinam* (prout ad unum omnes, qui amarunt *Catullum*) vituperatque osores (qui 114
Sabinis attribuebant) Carmine hoc *Lyrico* ad fundum suum, Epigrammat. XLI. pag. 33.

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere. At quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
B *Sed seu Sabine, seu verius Tiburs,*
Fui libenter in tua Suburbana
Villa, malamque pectori expuli tussim.

Ostenditque se maxime ideo Villam amare, quod ibidem à mala tussi convaluerit, quâ dixit se affectum fuisse in Villa *Sextii*, legendo orationem quorundam rivalium *Munatii*.

Hac in Villâ Fons manavit aquæ limpidissimæ, hodie dictus *Sancti Angeli*, *di Santo Angelo*, quæ aqua, loco coctæ, ægrotis porrigitur; abundabat vero olim Fons, jam vero divertit aqua,
C putaturque in meatus terræ subiisse, eademque esse, quæ infra Villam propinquam fluvio occurrit, ubi ruderum ipsius Villæ vim spectabis; atque ibi annis præteritis à fodientibus ad vineæ plantationem, pavimenta detecta sunt e diversis marmoribus sectis in tesseras, hexagonos & octogonos diversarumque figurarum, amœnissima arte, contexta, loco, quem barbare dicimus *Truglia*; qui locus æstimatur pars Villæ *Catulli*, & perperam vocari *Truglia*, quasi *Tulla*, cum nomina detruncentur penes *Hetruscos*, quin etiam *Romæ* & *Tibure*; ita loco vocis *Francesco* dicitur *Cecco* vel *Checco*, pro *Bartholomeo*,
D *Meo*, *Benedetto*, *Betto*, *Vincenzo*, *Cencio*, & porro; sicut *Catullus* à posteris perperam nominatur *Tullus*, ita locus ab ipso *Tulla*, & mox ab agresti populo *Truglia*. Adhæc fertur *Catullus* sæpe in inferiori fluvii ripa carmina composuisse; nomen inter Poëtas lascivos professus est, ipse *Veronensis*, quare *Ovidius* mœret, se solum Poëtarum lascivorum fuisse plexum, inque *Pontum* relegatum.

VILLA HORATII POETÆ.

E *Horatius Flaccus*, Poëta *Lyricus*, *Venusinus*, indicat Carmin. Lib. I. Ode VII. Lib. IV. Ode II. & Epistol. Lib. I. Epist. VIII. ad *Celsum Albin.* se possedisse Villam *Tibure*; hæc est, quam antea de *Mæcenate* loquentes, ostendimus ipsi ab eodem donatam. Ipse *Horatius* etiam Villam quandam suam in *Sabinis* locat, Carmin. Lib. I. Ode XX. XXII. Lib. III. Ode I. Insuper ex *Horatio* Carmin. Lib. III. Ode IV. colligunt, ipsum aliam habuisse in *Prænestinis*. Villam *Horatii Prænestinam* monstrat *Blondus Flav. Italia Illustrata* III. reg. *Lat.* hodie *Campo di Roma*, circiter finem pag. 109. fuisse montanam, à pos-
F sessore vocatam *Sanctum Johannem* in *Campo Horatii*; adhæc *Leander Alberti* Descript. dict. in *Camp. Roman.* Capite de *Æquis* pag. 154. locat in montibus *Tusculo* citerioribus. *Sabinam* Villam ipse *Horatius* Epistol. Lib. I. Epist. X. ad *Aristium*, commemorat sitam fuisse in loco Delubri priscæ obscœnæque Deæ *Vacunæ*, prope fluvium *Himellam*, à *Sabinis* olim adoratæ, summoque habitæ cultu; ab aliis hæc vocabatur *Minerva*, auctore *Ascensio* Comment. in *Horat.* loc. citat. item *Victoria* aut *Bellona*; cui consentit *Leander Alberti* Descript. dict. in Ducat. *Spolet.* vel *Umbria.*

bria. Blondus Flavius Descript. *Italiæ* IV. reg. Ducat. *Spolet.* hodie vocato, olim *Umbria*, pag. 122. rejicit Villam *Horatii Sabinam* in Vallem, quam efficit fluvius *Farfarus*, veteribus *Allia*, & prope montem, quem *Horatius* assidue *Lucretilem* vocat. Quod nescio, quomodo cum *Ascensio* & *Leandro* consentiat, cum *Allia* alius fluvius sit, ac *Himella*: nam *Allia* hodie vocatur *Farfarus*, interfluitque inter *Montem Rotundum*, priscis vocatum *Heretum*, Castellumque *Aspra Stimigliano*, atque reliqua; *Himella* vero, nunc nominatus *Mella*, inter *Stimellianum* & *Collem Veterem* (*Colle Vecchio*) intermeat; adeoque de hac Villa sufficit dixisse, in *Sabinis* fuisse loco, qui a Dea *Vacuna* etiamnum nominatur *Vaccone*.

Deinde Villam *Horatii* ponerem intra fines *Tiburtinos* loco, ubi in præsenti ruderibus Villæ *Horatii* Templum & Monasterium *S. Antonii Paduani* Ordinis *Minorum Franciscanorum* extra *Tibur* non procul Villa *Catulli* superstructa fuerunt. Notum quidem est, quosdam manu reliquisse quædam exarata de Villa nostra, unde excerpta *Fulvius Cardolus* Pass. pag. 95. in lucem protraxit, locum nimirum hunc fuisse Villam *Manlii Vopisci* Poëtæ Comici; quod falsum autumo propter obstaculum non unum, Villæ *Vopisci* ipsius reservandum, nec loco nostro congruum. Præterea si Villam hanc possederat *Vopiscus*, quam, quæso, Fluvio propinquam *Horatio* assignabunt? qui expresse effatus est Carminum Lib. IV. Ode II. vers. 31. 32. 33. sese in Villa sua ad ripam fluvii Poësi multum oblectasse, carmina eligendo, instar apum, flores in amœnis campis deligentium. Flumen ad cujus ripam eundo cecinit *Horatius*, pergit ad situm Villæ hujus, nunc *Cœnobii* (quo per varias planities descensus patebat, quarum muri quibus insistebat, etiamnum perstant, atque descendentes veniebant ad summam planitiem propinquam ripæ fluminis) qui ascendit ad prospectum hujus planitiei, & mox ex alto decidit in latum fundum loci vocati *Ponte Lupo*, *Pontis Lupi*, qui circiter annos abhinc viginti fractus simul abstulit ædificia, quæ dicta planities portabat, effecitque, ut ripa inferius illo latere descenderet, inviaque fieret, & illo latere aspera, atque salebrosa. Et ab hac spatiosa planitie à latere montis adscensus patebat ad locum *Pontis Lupi*, sub quem subterfluxit fluvius, extendebaturque ad alteram ripam sinistram fluvii *Tibur* versus, ubi habebantur reliqua hujus Villæ loca, unde rudera adhuc restant, & muri, qui planam reddebant partem etiam in Oppidum vergentem, & ita ambas ripas inclusit Villa *Horatii*. in quam aquæ fluminis fluxerunt per
116 amplissima paragogia, quæ reperiuntur per planam viam, *Cœnobium* nominatum versus, disrupta & vastata. Nec adeo sententiæ adhæreo, ut persuaderi mihi non patiar, potuisse locum eundem, primum esse Villam *Horatii*, & postea *Manlii Vopisci*, cum *Horatius* æquævus fuerit *Augusto*, & *Manlius Vopiscus Domitiano* Imperatori, ideoque vixerit plurimos post annos. Circumstantiæ autem Villæ *Vopisci* subjiciendæ e *Statio*, non in hanc conveniunt. *Pyrrhus Ligorius* (cujus manu exarata dabimus inferius Cap. XII. recensita) in MSS scriptum reliquit, Villam *Horatii* sitam fuisse, ubi hodie domus *Sambuccorum* sunt vicinorumque cæterorum, sub quibus reperiuntur maxima & excellentia rudera murorum antiquorum, sicque Forum seu planitiem occupasse, atque ita alibi locat, locumque vocat *Sylvam Musarum*, ut in Villæ *Mæcenatis* Descriptione occupavimus dicere. Id quod mihi non persuadeo, tum quia ibidem non erat *Horatio* ripa fluvii apta ambulanti ad canendum, & adhuc locus Fori indicat fuisse sese arcam vel pomœrium Templi *Herculis*, ut ibidem ferias aliaque celebrarent; conjecturam satis fulciunt aquæ fluxus, qui sub Templo *S. Benedicti* inveniuntur; æqualiter enim dispositi sunt aquæductus rotundi laterum coctilium, qui resorbuerunt aquam pomœrii, eructâruntque in loca inferiora Occidentalia. *Horatius*, ut patet ex Carmin. Lib. I. Od. XXXIV. operam studiis dederat *Athenis*, secutus sectam *Epicureorum*, ut ipse profitetur sese *Epicuri de grege porcum*. Adhæc ex ipsomet concluditur Carm. Lib. II. Od. VII. ipsum juvenem, tempestate bellorum Civilium *Romanorum*, studia in bella duxisse, secutumque fuisse Tribunum militum partis *Bruti* & *Cassii* contra *Octavianum*; & tamen mediante *Mæcenate* in favorem rediit cum *Octaviano*, ipsi perquam gratissimus. In epulis enim præcipue *Octavianus*, Imperium adeptus, solitus fuit accumbere inter *Virgilium*, qui gracilis & macilentus, assidue propter morbum internum respirabat, & *Horatium*, qui quadratus, parvâ staturâ, vorax & bibax, oculis vino corruptis erat & lippis, unde *Augustus* dicere solitus fuit, sese inter lachrymas & suspiria sedere. In pangendo Poëmate *Lyrico* extra aleam æmulationis positus erat, atque inter *Latinos* summum meretur locum. Expleto anno LVII. obiit, vivensque TIBURE summe delectatus fuit.

VILLA MANLII VOPISCI POETÆ COMICI.

Si fidem *Papinio Statio* Poëtæ, Sylvar. Lib. I. in *Tiburtin. Manlii Vopisci*, dandam arbitramur, intra fines *Tiburtinos Manlius Vopiscus Tiburtinus*, ut Cap. X. exponemus, possedit Villam nobilissimam, à *Statio* ipso descriptam. 117
Ille vero refert, Villam habuisse conterminas ambas *Anienis* ripas, & utramque partem copulatam fuisse testudine, ita ut duæ Villæ repræsentarent unam. Tigna erant inaurata, portæque nigræ (nimirum secundum notam quandam manu exaratam, & à me visam in versum XXXV. *Statii*, *di Mischio Africano* (*mixti Afri*) additis Fontibus fere in singulis conclavibus; nec non ornata erat Villa Balneis, Statuisque antiquis æneis aureisque; Colossis etiam insolitatæ magnitudinis; pavimenta habebat Villa lapidum pretiosorum, cum figuris novisque modis artificii asarotici, quo primus claruit *Zenodorus* (secundum notam ejusmodi aliam in *Statium*,) nec scopis ea verrerunt, sed manibus purgarunt & spongiis. Villam exaltarunt ubique tristegæ, unaque media arbor portis fenestrisque inseruit ramos; Sylvas habuit lacubus & Fontibus adjectis, quæ cadenti imminebant flumini. Aqua *Martia*, quæ maxime refrigerans & saluberrima fuit omnium aliarum Orbis Terrarum, derivabatur *Romam*, inter alia pretiosissima Urbis munera, auctore *Plinio*, adducto à *Joanne Bartholomæo Marliano* Topograph. Lib. V. Cap. XVI. Hæc inquam aqua hausta è Fonte *Piconio* apud *Pelignos*, ubi *Sulmo* jacet, derivabatur per lacum *Fucinum Romam*, indeque ad Villam *Vopisci*, sub fluvium *Anienem*, aquæductibus & canalibus plumbeis. Præterea mediam divisit Villam *Anio* continuâ refrigeratione. Ad summum Villa ita celebris fuit, ut *Statius*, qui ipsi florenti æquævus, atque possessori *Vopisco* familiaris vixit, ipsamque optimo statu spectavit, ac descripsit, ita ad cœlum efferat, ut fidem plane accommodare difficile fit, quippe qui res tradidit, quæ fidem Lectoris excedere videbuntur. Nar-

Narrat *Fulvius Cardolius* Paff. pag. 95. Villam hanc fuisse in loco ruderum muralium, quibus Templum Cœnobiumque *S. Antonii Paduani*, superius in Villa *Horatiana* allegata, superstructa fuere. Consentit in hac re parvum quoddam MSS. *Opusculum*, quod putant confectum ab *Joanne Andrea Croce* Episcopo *Tiburtino*, memoriæ celebratæ, unde *Cardolium* excerpsisse sua putant. Quod vero Villa *Manlii* non locum illum obtinuerit, quem assignant supra memorati, sed in his antiquis muris, qui statim apparent exeunti porta nostrate *Cornuta*, jacentque ad cursum fluvii viam versus, pergentem in Villam *Horatii*, *Quintilii*que *Vari*; & quod rudera propinqua, quorum vestigia reperiuntur sub Templo *S. Georgii*, ubi antea erat Templum *Albuneæ Sibyllæ*, fuerint partes hujus Villæ, colligitur, principio è magnitudine substructionum, quæ Villam fecerunt, & deinde, quod hæc Villa fuerit propior Villâ illâ *Ho-*
118 *ratio* à nobis vindicatâ, immo propior aquagiis, quæ aquam *Martiam* conducebant in Villam *Vopisci*; hæc aquagia circiter XXV. abhinc annos, reperta fuere (erant vero plumbea) in vinea *Sugliardorum* loco *la Quaregna* vocato, unde fluvium subeuntes, aquam *Martiam* in hanc Vilam derivarunt; Porrò in ore vulgi est, loco hoc extitisse Bibliothecam Imperatoris *Domitiani*; nec tamen illa ad Imperatorem pertinuit, cum illa non uteretur; verum debuit esse *Manlii Vopisci*, necessarii ipsius, qui à *Statio* Procemio Lib. I. *Sylvarum* ad *Stellam* pag. 4. audit *Restaurator Studiorum*, talisque apud omnes cluebat. Et denique, quia ibi *Statius* affirmat, aquam *Martiam* inde incidisse a Fontibus in stagna fluvii *Anienis*, qui accurate heic subjacet, ut stagnum amœnum rupibus altis cinctum; quæ circumstantiæ & requisita non competunt Villæ nostræ *Horatianæ* antea expositæ. Recensitis ratiocinationibus auctoritas *Ligorii* nominati addi potest, qui asserit, directe è regione Templorum *Vestæ* & *Albuneæ* (quæ hodie faciunt Templum *S. Georgii*, proximamque rotundam ædem sacram) fuisse, nec alia est ex adverso his Templis, nisi Villa nostratis *Manlii*; e re vero est, *Ligorii* verba Descript. MSS. addere, quæ ita se habent: *Sic ab hac parte, ubi dantur Templa duo, Albuneæ puta, & Vestæ, extra mœnia oppidi antiqui, reperiuntur rudera quædam vastissimæ Villæ Manlii Vopisci, quam Papinius Statius locat ad aquas, quæ partim Latium versus fluunt, & partim in montes oppido, quod in Sabinis est, objectos.* atque heic dividebatur *Anio* inter *Sabinos* & *Latinos*, & per testudines subjacentes Templo memorato *Sanctæ Mariæ Pontis*, aliaque loca propinqua, pergebat hæc Villa, sicut adhuc apparent vestigia fornicationis, & mox rursus conjungebatur transitu, in morem Pontis interjecti, ut ita pateret communicatio Villis ambabus, cujus loci adhuc videntur ruinæ subjectæ atque propinquæ Templo *S. Georgii*.

Malui ego historico more, & judiciali, quam disputatorio disserere, atque competentem locum huic Villæ *Vopisci* attribuere, sed nequivi; quod multi harum rerum non admodum gnari multa referant, & sæpe repugnantia illis, quæ alius dixerit; non vero potui id facere, quin coactus sim respondere conjecturis ab ipsis collectis, quibus satagunt probare hanc non esse Villam *Vopisci*. Maximum invenisse se putant argumentum ex *Papinio Statio* in *Tiburtino Manlii Vopisci* vers. 20. 21. & 22. ubi asserit, *Anienem* petrosum superiorem inferioremque, prope Villam *Vopisci* vesaniam terminasse ac finivisse, & spumantia continuisse murmura, quod vereretur, ne dies tranquilli *Vopisci*, cum indulgeret *Musis*, inquietaret; tumultum vero summum excitat aqua ruens in hac Villa, quæ structa est super casum, antiquis vocatum Cataractam, ad gurgitem fluvii *Anienis*, qui non solum poësin Poëtarum, verum etiam strepitum glirium meliumque turbaret. Cui obstaculo duo 119
oppono; primum, *Statium* hoc per hyperbolen forte dixisse, ut indicaret debitum Poësi *Vopisci* honorem, scilicet & flumina, res vitâ carentes etiam naturam deposuisse, ne confunderent Poëtam, vel molestiam inferrent Poësi; cujusmodi apud Poëtas innumeros occurrere scimus orationis excessus. Deinde, negari non potest, duo brachia latissima *Anienis* super muros arcuatos *Romam* fluxisse, alterum vocatum, ad differentiam, *Anienem veterem*, alterum *Novum*, auctoribus *Blondo Flavio Româ Restaurata*, *Joanne Bartholomæo Marliano* Topograph. Lib . . *Fulvio Cardolio* Paff. pag. . . . *Andrea Fulvio* Antiquitatib. *Rom.* Alterumque rivum seu brachium (aquæductionibus necdum evanescentibus) in Villam Palatiumque *Hadriani* derivatum fuisse, monstrantibus etiam *Marliano Cardolio*que allegatis; Insuper inde videri rivum maximum divertentem in Palatia *Vari Quintilii*, *Horatii*, *Bassi*, & cætera hujus tractus, cujus adhuc apparent aquagia viâ in loca huc ducente. tandem clarissime cerni aquæductus, qui derivarunt aquas in Villas *Bruti*, *Cassii*, *Sallustii*, *Metelli*, *Mæcenatis*, & reliquorum; ita, ut *Aniene* emanarent quinque vel sex rivi aquarum, aliorsumque diverterentur, priusquam ad Villam *Vopisci* memoratam pertingerent; *Anio*que ipse factus sit ita minimus rivulus; ad summum omnes hæ Villæ exceptis *Hadrianali*, & aquagiis *Romanis*, sitæ fuerunt ante *Domitiani* Villam, memoratamque *Vopisci*, adeoque Poësi *Vopisci* obesse nequierunt murmura *Anienis*.

Quod maxime obstat, quo minus quidam sibi persuadeant, locum hunc, fuisse *Villam Vopisci*, est, quod sita sit in præcipitio petrarum excelsissimarum, quæ videntur assidue casum minari; nec verisimile est, in loco tam petroso & præcipiti, quem per horrorem incolæ nominant *Infernum*, voluisse *Vopiscum* adeo pretiosum, ut *Statius* descripsit, ædificium exstruere. Huic objecto satisfit, dicendo, aquam omnem *Anienis* non huc manasse; adhæc in ejusmodi locis struere moris esse *Tibure*, domusque firmiter contineri, prout apparet in Villæ hujus circumjectis locis, cum quidem aqua tanta non adsit, ut humiditate materiam solidam aqua exstantem, supra quam inibi excitata sunt ædificia, corrumpat; aqua enim heic fluens, parva erat, ut ante docuimus. Deinde Aquagia, quæ aquam *Anienis Romam*, & ad Palatia & Villas finium *Tiburtinorum* memorata, derivarunt, aquas effudisse deorsum Vallem versus, ubi Villa *Vopisci* erat, atque indidem habere casum summe præruptum, qui efficit vapores ex aqua, instar imbris tenuissimi, qui ab aqua sursum repercussus, fundamenta corrupit, atque sensim quandam Villæ partem dejecit; idem nostra tempestate homines 120
observasse, atque ita emollitas decidisse à præcipitio eodem molas olei & frumentarias, quæ erant superstructæ ruderibus Villæ hujus à *Fornaris*, *Brunellis*, *Sigismundis* aliisque Civibus. Addam unicam modo rem, ad vindicandum situm Villæ, quæ est, Templum *Albuneæ Sibyllæ* ad ejusmodi ripas exstructum fuisse circa casum fluvii memorati, e regione Villæ *Vopisci*, ut præoccupavimus probare superius; erecta ipsius imago ibidem in fluvium incidens, inventa fuit loco nominato, quem *Lactantius*, *Joan.* *Ant. del Re.*

Barthol. Marlianus Topograph. Lib. . Cap. . & *Fulvius Cardolus* Pass. pag. . . allegati Cap. VI. proximo, ubi Idololatricas superstitiones *Tiburtinorum* trademus, vocant *Gurgitem*, quomodo etiam *Statius* locum seu partem *Anienis*, ad quam Villa *Vopisci* jacebat, nominat *Gurgitem*; & adhucdum infra Templum *Vestæ*, inter rudera Villæ memoratæ, locus est supra cadentem Fluvium, cum hortulo superiori, qui locus, inquam, à *Vopisco* nomen traxit, atque vulgo dicitur *lo Pischione*, pro *Vopiscone*. Itaque conveniente nomine, convenit locus, ad Philosophorum Normam. Proinde mutationes rerum humanarum, quæ, quales, & quantæ sint, hinc elicimus, cum Villa tam excellens & Illustris, auctore *Statio*, ubi & sæpius *Domitianus* Imperator rusticabatur, relaxans animum cum necessario suo *Manlio Vopisco*, ita evanuerit, ut cum labore invenias vestigia; aurumque, ebora, ebena, lapides exotici & pretiosi, cæteræque divitiæ hujus Villæ à *Statio* allegatæ, pessime abolita sint, injuriâ temporis & edacitate Fluvii. Ne a vero autem abhorrere, quæ dixi, judicet Lector, subjiciam ipsa *Statii* verba ejusque Carmen, quod ita sese habet:

TIBURTINUM MANLII VOPISCI.

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci:
Si quis, & inserto geminos Aniene penates.
Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ.
Certantesque sibi Dominum defendere Villas:
Illum nec calido latravit Sirius astro:
Nec gravis aspexit Nemeës frondentis Alumnus.
Talis hyems tectis; frangunt sic improba Solem
Frigora: Pisæumque domus non æstuat annum.
*Ipsa manu tenera tectum scripsisse voluptas**
Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis:
Permulsitque comas: blandumque reliquit honorem
Sedibus, & volucres vetuit discedere natos.
O longum memoranda dies. Quæ mente reporto
Gaudia: quam lassos per tot miracula visus?
Ingenium quam mite solo? Quæ forma beatis
Arte manus concessa locis? Non largius usquam
Indulsit Natura sibi. Nemora alta citatis
121 *Incubuere vadis: Fallax responsat imago*
Frondibus; & longas eadem fugit umbra per undas.
Ipse Anien (miranda fides) infraque superque
Saxeus. Hic tumidam rabiem, spumosaque ponit
Murmura; ceu placiti veritus turbare VOPISCI
Pieriosque dies: & aventes carmina somnos.
Littus utrimque domus: nec te mitissimus amnis
Dividit. Alternas servant Prætoria ripas,
Non externa sibi fluviumve obstare queruntur.
Sestiacos nunc fama sinus: Pelagusque natatum
Jactet: & audaci junctos Delphinas Ephebo.
Hic æterna quies, nullis hic jura procellis.
Nusquam fervor aquis. Datur hic transmittere visus;
Et voces, & pene manus, sic Chalcida fluctus
Expellunt reflui: sic dissociata profundo
Brutia, Sicanium circumspicit ora Pelorum.
Quid primum, mediumve canam? quo fine quiescam?
Auratasne trabes? An Mauros undique postes?
An picturatâ lucentia marmora vena
Mirer? An emissas per cuncta cubilia lymphas?
Huc oculis: huc mente trahor: venerabile dicam
Lucorum senium? te, quæ vada fluminis infra
Cernis? An ad Sylvas, quæ respicis Aula tacentes?
Qua tibi tota quies, offensaque turbine nullo

A *Nox silet: & nigros imitantia murmura somnos?*
An quæ graminea suscepta crepidine fumant
Balnea: & impositum ripis algentibus ignem?
Quaque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine nymphas.
Vidi artes, veterumque manus: variisque metalla
Viva modis: labor est auri memorare figuras,
Aut Ebur, aut dignas digitis contingere gemmas,
Quicquid & argento primum: vel in ære Myronis
Lusit: & enormes manus est experta Colossos.
Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam, nec opinus, opes: Nam splendor ab alto
B *Defluus, & nitidum referentes aëra testæ*
Monstravere solum: varias ubi picta per artes
Gaudet humus: superantque novis Asarota figuris.
Expavere gradus. Quid nunc ingentia mirer?
Aut quid partitis distantia tecta trichoris?
Quid te? quæ mediis servata penatibus arbor
Tecta per, & postes liquidas emergis in auras, 122
Quo non sub Domino sævas passura bipennes?
Et nunc ignaro forsan vel lubrica Nais,
Vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos.
Quid referam alternas gemino super aggere mensas?
C *Albentesque lacus? altosque in Gurgite Fontes?*
Teque per obliquum penitus, quæ laberis amnem,
Martia? & audaci transcurris flumina plumbo?
An solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætnæos deducat semita portus?
Illis ipse antris Anienus, fonte relicto.
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus:
Huc, illuc fragili prosternit pectora musco:
Aut ingens in stagna cadit: vitreasque natatu
Plaudit aquas: illa recubat Tiburnus in umbra
Illic sulfureas cupit Albula mergere crines.
Hæc.† ... Ægeriæ nemoralem abjungere Phœben.
D *Et Dryadum viduare choris algentia possit*
Taygeta: & Sylvis arcessere Pana Lycæis
Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.
Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vosque
Qui nunquam vacui prodistis in æthera rami?
Cedant Telegoni: cedant Laurentia Turni
Jugera: Lucrinæque domus: littusque cruenti
Antiphatæ, cedant vitreæ juga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis: arcesque superbæ
Anxuris, & sede Phrygio quas mitis alumno
Debet anus, cedant quæ te jam solibus arctis
Avia nimbosa revocabunt littora bruma.
E *Scilicet hic illi meditantur pondera mores.*
Hic premitur fœcunda quies: virtusque serena
Fronte gravis: sanusque decor: luxuque carentes
Deliciæ: quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargettius horto.
Hæc per & Ægeas hyemes: Pliadumque nivosum
Sidus: & Oleniis dignum petiisse sub astris.
Si Maleæ credenda ratis: Siculosque per æstus
Sit via: cur oculis sordet vicina voluptas?
Hic tua Tiburtes Faunos chelys: & juvat ipsum
Alciden: dictumque lyra majore CATILLUM
Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris:
F *Sive chelyn tollis heroa ad robora: sive*
Liventem Satyram nigra rubigine turbes:
Seu tua non alia splendescat epistola cura: 123
Digne Midæ, Crœsique bonis, & Perside gaza.
Macte bonis animi. Cujus stagnantia rura
Debuit & flavis Hermus transcurrere ripis:
Et limo splendente Tagus. Sic docta frequentes
Otia. Sic omni detectus pectora nube
Finem Nestoreæ precor egrediare senectæ.

VIL-

* Hoc asterisco significare voluit deesse aliquid apud *Statium*, quod non ita, si cum aliis legas *visa* pro *ipsa*.

† Supplent alii ita:
Hæc Domus Ægeriæ.

VILLA MARTIALIS POETÆ.

Domitiano Imperatori æquævus fuit *Martialis*, gente *Hispanus*, ut & *Statio*, qui & *Romæ* habuit Hortum jucundissimum, loco vocato, *Pila Tiburtina*, in Valle *Montis Quirinalis*, ultra locum hodie nominatum, *in capo alle case*, *principium domuum*, inter Palatium, hortulumque Excellentissimi Ducis *Sforzæ*, Septentrionem versus, ut ipse his versiculis cecinit, Epigrammatum Lib. V. Epigram. XXV. in *Paullum*:

Sed Tiburtinæ sum proximus accola Pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

Insuper narrat *Joannes Bartholomæus Marlianus* Topograph. Lib. V. Cap. XXVI. voluisse etiam *Tibure* habere Villam, cujus ipse meminit dicens, *Mathonem* amicum nimis suam Villam frequentâsse; pertæsus vero *Martialis*, Poëticâ scilicet inconstantiâ, ipsi vendidit, unde eundem subsannat, indicans se fefellisse *Mathonem*, non suam vendendo possessionem, sed *Mathonis* ipsius, his versibus Epigrammat. Lib. IV. Epigramm. XXIX. ad *Mathonem*:

Hospes eras nostri semper, Matho, Tiburtini,
Hoc emis? imposui, rus tibi vendo tuum.

Locus Villæ hujus hominis, in finibus *Tiburtinis* adhucdum invenire non potui, at verosimile inter Villas, quæ incognitæ sunt in territorio nostro, & ad finem hujus Capitis meretur rejicii. Acutissimus Poëta fuit, at mordax, singularisque in hoc Poëmatis genere.

VILLA CENTRONII.

Centronius quidam, aliis *Lucius Centronius*, aliis *Cajus Centronius*, ut hoc ultimo nomine reperitur certus quidam, bello *Punico* secundo, apud *Titum Livium* Decade III. Lib. . . principio, possedit Aulam in finibus *Tiburtinis* splendidam, a *Juvenale* Satyra IV. commemoratam, qui indicat Templum *Herculis Tiburtinum*, atque *Fortunæ Prænestinum* antecelluisse *Græcis* aliisque longe petitis marmoribus, ipsumque aliam ejusmodi præterea exstruxisse *Præneste*, litoribusque *Cajetæ*, ita canens:

124 *Ædificator erat Centronius, & modo curvo*
Littore Cajetæ, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus alta parabat
Culmina Villarum, Græcis, longeque petitis
Marmoribus vincens Fortunæ, atque Herculis ædem.

Locus finium *Tiburtinorum*, ubi hæc Villa fuit, adhuc vocatur ab ipso *Centrone*, lævorsum eundo *Tibure Romam*, superato ponte *Lucano*, ad ripam fluvii *Anienis*, usque vicinitatem rivuli aquæ *Sulphureæ*, milliaris intervallo, atque undique ulterius, per locum, vocatum *il Varco*, ubi hodie est domus *Horatii Savelli*, quæ antea ad *Tibur* oppidum pertinuit. Villæ tam pretiosæ non alia habentur vestigia, præter nominatum *Varco*, nisi quod pauca quædam crebro eruuntur murorum antiquorum rudera, lapidibus, quos apponit aqua sulphurea memorata, tecta & incrustata; lapides hoc genus *Tibure* audiunt *Testina*.

VILLA HOSTIÆ AMATÆ PROPERTIO, NOMINE CINTHIÆ.

Propertius Hostiam adolescentulam perdite amavit, quam nomine *Cinthiæ* celebravit. Hæc *Tibure* Villam, turribus duabus in fastigio candidis ornatam possedit, quam *Propertius* ita indicat Lib. III. Eleg. XV.

Culmina, quæ geminos ostendunt culmina turres:
Et cadit in patulos Lympha Aniena lacus.

Quem situm Villa finibus *Tiburis* occupavit, non innotuit, verum quantum colligo è verbis *Propertii*, sitam fuisse in edito loco crederem, nec procul cadente *Aniene*. Mentionem Villæ *Marcus Antonius Nicodemus* Pentad. I. Lib. IV. Cap. III. facit.

VILLA FUSCI.

Colligitur ex *Martiale*, Epigram. Lib. VII. Epigr. XXIII. *Fusco* Villam in territorio *Tiburtino* fuisse, ubi *Sylva* nasceretur, in qua venatus est; *Diana* enim *Tiburtina* venationem innuit apud *Martialem*, cujus versiculi sunt:

Sic Tiburtinæ crescat tibi Sylva Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus.

Ignotus locus est territorii *Tiburtini*, qui Villam *Fusci* continebat, verum ad *Martialis* indicium, *Sylva* venationi apta locum montosum designat.

VILLA PATRONI. 125

Patronus libertus & familiaris *Lucii Ælii Commodi Antonini*, docentibus Inscriptionibus nonnullis & Nummis, secundum narrationem *Fulvii Cardolii* Pass. pag. 105. Villam in Territorio *Tiburtino* habuit; cujus fundamenta sunt muri antiqui, quibus superstructa est Domus *Crociorum*, extra portam vocatam (*di Prati*) *Pratorum*; in medio Monte *Sancti Angeli* Vallis *Arcensis* circumjacent undiquaque hæc rudera antiqua. *Cardolius* ibidem asseverat, *Patronum* hunc esse, de quo loquitur Lex *Patronus* §. Codicilli. Digest. *de Legat. tertio*; verum fallitur; secundum Interpretes & Doctorum sententiam constantem *Tiburis* possessor quibusdam dici ibi videtur, quod conveniens non est, cum *Tibur* oppidum liberum esset, Civesque donati libertate *Romana*, ergo ut servi & mancipia esse non poterant illi, sic nec *Tiburtini*; mancipium vero Civem *Romanum* facere, capitale erat.

VILLA LVCII CASSINII.

Lucius Cassinius Tiburtinus donatus fuit civitate *Romana*, filiusque ipsius inter Patritios *Romanos* allectus, monstrantibus *Cicerone* Oration. pro *Balbo*, & *Fulvio Ursino* de Fam. *Rom.* Famil. *Coponia*. Hos optime *Cassinios* vocat *Cicero*, quem imitatur *Fulvius Ursinus*; etsi *Cossinios* dicere avent cæteri, inter quos nomen est professus *Marcus Antonius Nicodemus* Pentad. I. Lib. III. Cap. VI. qui narrat tria milliaria procul *Tibure Romam* versus, prope rivum aquæ sulphureæ, vastata fuisse mœnia antiqua, ne essent Latronibus pro latebris, insidias viatori struentibus; unde civem quendam, permissu oppidi *Tiburis*, plurimos lapides *Tiburtinos* quadratos eruisse; ibique judicat Villam positam fuisse, & sepulcralem molem rotundam non procul inde *Tibur* versus, vocatam *il Truglio*, circa quam itidem effossæ fuere plurimæ areolæ lapidum *Tiburtinorum*, circiter biennium abhinc. Heic autem Villam constructam demonstrat Inscriptio lapidis *Tiburtini*, inter dejectos muros, inventi, hoc modo:

COSSINIÆ. Ɔ. L. CÆSIÆ.
POSSIDONIO
L. COSSINIO. Ɔ. L. DISCO
SEXTIÆ. F. L. EVGENEÆ.
IN. FR. P. XI. IN. AG. P. XV.

126 Si heic erat Villa & bustum, inde pauca restant ruderum hodie vestigia, quæ fortasse obruta sunt & incrustata lapide aquæ sulphureæ, ut de Villa *Centronii* superius exposuimus. Deinde alii Villam hanc locarunt ad pedem Montis *Peschiavatoro* vocati, duo milliaria procul *Tibure*; at in loco *Cozzano*, perperam pro *Cossiniano* dicto, multo plurima supersunt rudera Villæ excellentis, ut & in circuitu ejus loci; hoc autem colligitur e propinquitate *Cœlii*, cum quo litem habuit, ita ut quoque isto damnato inter Cives *Romanos* ascitus fuerit *Cassinius*. Loco allegato recenset sententiam *Plinii* Hist. Lib. XXIX. Cap. IV. *Nicodemus*, nimirum alterum horum *Cossiniorum* Patritium *Romanum* fuisse dilectum à *Nerone* Imperatore. Fusius ipsos Cap. X. explicabimus.

VILLA TITI COPONII.

Locis citatis *Ciceronis* & *Fulvii Ursini* fit mentio *Titi Coponii Primi*, & *Titi secundi*, *Cajique Coponiorum*, nepotum ejus, qui tempore *Ciceronis Romæ* vixerunt; quidam hujus Familiæ signavit argentum, cui impressit clavam *Herculis* cum pelle *Leonis*, incumbente superius, ut indicaret ortum *Tibure* se traxisse, sicut latius Capit. X. exponendum venit. Villam suam habuêre in tractu *Quaregna lunge* vocato, *Tibure* per milliare distante, cujus rudera videbis sub ædificio Villæ P. *Jesuitarum Tiburtinæ*, & passim indidem. Locum vero perperam *Covone*, pro *Copone*, pronuntiant, *p* in *v* vertentes, more *Hetruscorum* & *Longobardorum* seu *Insubrum*, qui loco *soperchio*, *coperchio*, *coperta*, *riperare*, *sopra*, *soprano*, suavissime efferunt *soverchio*, *coverchio*, *coverta*, *ricoverare*, *sovra*, *souvrano* & cætera. corruptius alii dicunt *Cavone*, putantes ita à via *cupa* (*Strada Cupa*) dictam esse. Porrò ex illis, quæ de hac Familia profert *Fulvius Ursinus*, dictam etiam videmus *Cauponiam*, quod illis favet, qui *Cavone* appellant, & ad hoc probandum recitat *Marcus Antonius Nicodemus Pentad.* I. Cap. VI. Inscriptionem lapidis *Tiburtini*, in Oppido *Tibure*, qui jacebat paullo ante ascensum plateæ *S. Valerii*, his verbis notatus:

CAVPONIVS L. F. GEMINVS.
CAVPONIA. L. F. GEMINA.

VILLA COCCEJORVM.

Marcus Antonius Nicodemus Pentad. I. Lib.
127 IV. Cap. III. affirmat, *Villam* intra fines *Tiburtinos* possedisse *Coccejos*, perperam vocatam *Carciano*, quod apud neminem alium inveni: Villa autem hæc erit illa spatiosa, quam produnt rudera tractus vocati *Carciano Lontano* in Colle *Possiano*, vel *Fustignano*, complectentem plura loca & magna cum fundamentis largissimis, atque inter medios sitis muros plurimos, & cum nido ambituque Fontis in summo Villæ; Nidus vero hodie vocatur *Grotte Papale*, à cognomine quorundam possessorum. Verosimile est propter commercium *Hadriani* cum *Trajano* in his locis, Villam *Hadriani* non procul abfuisse ab hac Villa, quodque id fecerit in memoriam benefactorum Familiæ *Coccejorum*. Alii dein putant, structorem Villæ fuisse *Lucium Cejonium*, ado-

A ptatum ab *Hadriano*, vocatumque *Ælium Verum*, Patrem *Marci Aurelii*.

VILLA SERENORVM.

Addit memoratus *Nicodemus*, *Serenos* possedisse Villam in Territorio *Tiburtino*; verum nec *Serenos*, neque locum Villæ ipsorum novi. Tantummodo subjungam, locum esse haud procul Ponte extra Oppidum, apud memoratum Mausoleum *Plautiorum*, qui appellatur *Sirena*, & in Oppido plateam reperiri tractus sive regionis *del Trejo*, vulgo dictam *Cocirino*, pro
B *Colle Sereno*.

VARIÆ VILLÆ TERRITORII TIBURTINI, *quarum murorum rudera supersunt, verum sine notitia possessorum priscorum*.

Passim invenies in finibus *Tiburtinis* vestigia Villarum non contemnendarum, quæ quidem sunt infrascriptæ.

Prima est Villa eximia in tractu vocato *Carciano da presso*, loco quem *Arcinelli* appella-
C mus, acclinis Monti & in Valle, cincta muris antiquis internis & externis, ubi area exaltata est pulcherrima tesseris maximis, fontiumque habentur vestigia, addito intervallo Austrum versus in modum theatri hemicyclii, ut alias substructiones omittam. De Villa variat rumor, nec tamen certus, multi multa de possessore dicunt; verum illa quidem pulcherrima exstitit.

Altera obvenit petenti *Tibur*, inter primam 128
modo dictam, illamque *Marci Bruti*, explicatam superius, ubi non contemnenda occurrunt rudera plurima cum muris locum olim complanantibus, atque conclavia Villæ inter *Oliveta*
D indicantibus.

Tertiam invenies haud procul Villa *Hadrianea* Occidentem versus, situ quem dicimus (*li Colli di Santo Stephano*) colles S. *Stephani*, à *Fulvio Cardolio* quidem *Zenobiæ* vindicatam; verum, ut ad ipsius *Zenobiæ* Villam indicavimus, fallitur.

Quarta alia est Villa, cujus habentur muri pro loco plano reddendo perquam eximii, ut alia loci vestigia taceam, hortosque ad fluvium *di Ponticelli*, ubi *Sambuccorum* horti florent, vergentes.

Quintæ Villæ vestigia inveniuntur non pro-
E cul via ad pagum *di Monticelli* ducente, dextrorsum loco vocato *Fonte Nova*, *Fonte Novo*, ut & in domo P. *Jesuitarum*, in loco *Vitriano* nominato.

A Sexta non erraveris, subsistens loco *Grotte Scalzacane* nominato, ubi vestigia fundamentorum, aliorumque invenies, quamvis ego puto esse partem Villæ *Cassinianæ*, a nobis antea celebratæ.

Septimæ Villæ locus dabitur in tractu *li Riali* vocato, de quo egimus in Villa *Syphacis* & *C. Turpilii*, distat autem hæc ab illâ *Turpilianâ*
F circiter dimidium milliaris, viâ ducente *Vicovarum* in fundis *Sigismundorum*, ubi & in viciniâ signa monstrantur.

Insuper passim intra fines *Tiburtinos* innumera dantur signa locorum priscorum, quæ quotidie deteguntur, effodientibus inter oliveta, vineas, Sylvas, agrosque, ita ut totum territorium terminatum statu hodierno inter Oppidum & Villas, videatur una Civitas, perpetuis instructa habitationibus, quater ipsam *Romam* superans antiquam. Verum si priscum territorium descripseris ad *Cornelium Tacitum*, ut antea in Vil-

Villâ *Rubelliorum* indicavimus, continuit etiam Villam *Neronis* ad *Subiacum*, & ita Villas à *Subiaco Tibur* usque sitas, complexumque est etiam Castellum *Sancti Gregorii*, infra quod jacet Villa *Hieronymiana* Excellentissimi Domini *Lotharii Conti*, Principis loci hujus, Ducisque *Poli*, quæ superstructa fuit ruderibus pulcherrimæ Villæ Antiquæ; alia ut taceam loca, quorum ruinæ in montibus planitieque Castelli hujus visuntur. Quinimo audeo effari, exceptâ Urbe *Româ* illâ celebratissimâ, non fuisse plu-

A res Villas in cunctis Civitatibus, excellentibus alias in *Italia*, & extra easdem, etiamsi simul adunentur conjunganturque, quam in finibus inventæ fuerint *Tiburtinis*. Nec mirum id; quoniam ante ipsas *Romæ* sese extendebat Territorium ejus portas, eratque liberum a jurisdictione *Romana*, imo liberrimum Oppidum suoque juri relictum prout explanatum uberius Cap. VIII. & IX. volente Deo, dabimus.

---

129 ANTONINI DEL RE,

Tiburtini, J. U. D.

BREVIS DEFENSIO pro FLUVIO ANIENE, vocato TEVERONE,

ad Illustrem Dominum

ANGELUM RASELLAM,

Præfectum Prætorio Illustriss. & Reverendiss. Domini Cardinalis

ALEXANDRI ESTENSIS.



Ibure commorans, summe Illustris Domine, proxime præterito Mense Novembri, Illustrissima & Excellentissima Domina, Domina *Eleonora d' Este*, Princeps *Venosæ*, proficiscens in Principatum, abitura interrogavit, quanta copia affluerent aquæ, & quam sanæ essent, quas Oppidum *Tibur* haberet. cui responsum a certo, quem rationis prægnantis ergo tacebo, datum est; heic abundare aquas cumulatissimas fluvii *Anienis*, quem *Romæ* hodie *Teverone* appellant, nec sine causa, docente *Andrea Baccio* Tractat. de *Tyberi* Lib. I. pag. 48. *circit. fin.* quoniam *Tyberi* illabuntur fluvii XLII. sed eorum omnium solum *Nar*, barbare *la Nera* vocitatum, navigari potest, si *Anienem* exceperis, auctoribus *Plinio* Hist. Nat. Lib. III. Cap. IV. *Blondo Flavio*, *Italia* Illustrata Reg. III. pag. 107. ad sententiam *Strabonis*, & insuper *Gabriele Barrio* de Ætern. Urb. pag. 433. Aquas vero memoratas potui esse ineptas; verum hîc nos habere tres Fontes, unde ægrotis porrigatur potio, cæterique in sanitate, fluvio destituente, retineantur; horum unum vocari *Sancti Angeli*, alterum *Rivellese*, tertium *Accorium*.

Responsione hac non modo Fluvius & Oppidum denigrantur & vituperantur, verum etiam stultitiæ incusantur fundatores *Siculi*, qui primi incolæ horum tractuum *Romæ* & *Tiburis* fuerunt, atque ut Metropolin ex suo etiam nomine *Siculetum* ibidem excitarunt, tradente *Dionysio Halicarnassensi* Lib. I. *Antiquitat. Romanar.* In-
130 de *Aborigines*, quiillos expulerunt: & mox *Sicani*, populi *Hispanici*, qui *Aborigines* ejecêre: & denique *Tiburnus*, *Catillus* Secundus, & *Corax* natus *Catillo* Primo, Præfectus Classis Regis *Euandri*, Regibusque *Argivis* editus, juxta Auctorem *Syntagmatis Heroici* in regno *Argivorum*; qui inde expulerunt *Sicanos*, appellaruntque *Tibur*, barbare nunc dictum *Tivoli*, annis CCCCXXXII. circiter ante U. C., teste *Solino* Cap. VIII. atque hic sedem posuerunt, ut elicitur è *Virgilio Æneid.* Lib. VII. Adeoque vituperantur etiam omnes habitatores, qui in-

B de usque ad præsens, intervallo annorum MMDCC. circiter, Oppidum incoluerunt. Evincuntur quoque ita ministri Gloriosæ Memoriæ *Hippolyti d' Este*, Cardinalis *Ferrariensis*, parum gnari, animatique male in Principem suum, quod in Hortum ipsius amœnissimum suppeditandis innumeris Fontibus, qui ibidem existunt, aquas maximam partem derivarint potui ineptas.

Sententia hæc apud vulgus nunc communiter obtinet, quam etiam quidam non infimæ sortis arripiunt, aliique fulciunt, nescio quo inducti lucro, variis argumentis sententiam
C suam depingentes, quæ speciem veritatis præ se quasi ferunt; & hoc temporum protractione & apud Principes aliosque harum rerum ignaros multum laudis detrahet fluvio, patriæ meæ, memoratoque Horto, cujus vetustates in initio hujus Opusculi in antecessum exposui, inter *Antiquitates Tiburtinas*. Quare proposui eradicare sententiam deviam, Defensionemque & causam publice dicere breviter aquarum hujus Fluvii, dedicatam tibi, summe Illustris optimeque in Hortum eundem animate, atque omnes ad unum docere, non obesse sanitati, sed
D prodesse.

Propositum multis videbitur insolens, & quamquam non videretur, isti tamen hominibus ut paradoxum exponent, præcipue inexpertis ad denigrandas istas aquas. Verum ita disquirere est animus, ut nemo præfractus possit objicere, me esse deceptum: quandoquidem ordine progressurus rationes sigillatim expendam, quas afferunt contra has aquas, quasque omnibus intimare student; cuivis vero harum statim responsa addam, ne molestiam Lectori quæsituro argumentum, cui satisfaciam, inferam. Secundo, commoda aquarum, quæ sanas reddunt,
E proferam. Tertio, docebo aquas has tribus Fontibus nominatis non debere postponi. Senex quidem sum, ut notum est, ideo oporteret me potius de vino, ætati meæ aptiori, quam de aqua scribere; verum sufficiet aquam tantum verbis defendendam suscipere; à bibenda hodie potius abstinebo, prælaturus vinum aquæ, seni homini

ni ineptæ. Quidam forte etiam ineptum æstimabunt, quod, qui Doctor sum Utriusque Juris, in alienam messem falcem mittam, tradendo res ad Philosophos Medicosque pertinentes:
131 Sed omnia hauriam vel ex usu clarissimo, omnibusque perspecto, qui aquas has bibunt, incoluntque Oppidum, vel ex auctoritate Medicorum ipsorumque Philosophorum, quos serie sua adducam ad stabiliendum meum sermonem, ut pro ipsorum institutum commodo, nec ad Jurisconsultorum pertinentem litem; si quis autem ipsorum doctrinam improbaverit, ipsos inquirat; ut pro se respondeant.

Itaque initio scias rationes, quibus sententiam fulciant ab ipsis editam, afferri plurimas.

Prima est petita ab auctoritate Scriptorum, qui aquas fluvii *Anienis* reprobant, ut noxias potuique ineptas; namque proluendis sordibus, aliisque id genus rebus adhibitas *Romæ* dicunt lymphas *Anienis* Novi Veterisque; sic *Galenus* habet, allegatus ab *Andrea Baccio* Tractat. Lib. I. fol. 46. pag. 1. circa fin. *Lucio Fauno* de Antiquit. *Rom.* Lib. III. Cap. XV. *Andrea Fulvio* de Antiq. *Rom.* Lib. III. Cap. XV. *Fulvio Cardolio* in Pass. *Symphoros.* & septem Filiorum, voce *Tibur* pag. 108. & *Joanne Bartholomæo Marliano* Topograph. *Romæ* Antiqu. Lib. VII. Cap. XVI.

Ad quam objectionem regero, *Galenum* non simpliciter aquas Fluvii *Anienis* damnasse, verum si lymphis *Martiis*, quæ *Romæ* hisce priscis temporibus, cum Imperium vigeret, summe æstimatæ fuere, componantur, adstipulante *Andrea Baccio* fol. 46. pag. 1. circiter fin. siquidem illam, quam *Galenus* vituperavit in quadam sententia *Hippocratis*, derivatam *Tibure*, aperte, comparando cum *Martia*, damnavit. Cæteros vero Scriptores refellam distinguendo loca & tempora: quoniam *Romæ* loquuntur, & de iis temporibus, quibus *Anio Romam* derivatus fuit inde milliaria LXIII. acceptus, & ultra *Tibur* multa milliaria per ambitum aquagiorum milliaria LVIII. tectorum, referentibus iisdem *Joann. Bartholomæo*, *Lucio Fauno*, *Andrea Fulvio*, & *Fulvio Cardolio* nominatis. Quare lymphæ *Anienis Romam* ductæ per tantum intervallum aquæductibus obtectis bonæ esse non potuerunt, utpote quæ radiis solaribus neque illustrarentur, nec illuminarentur, nec corrigerentur, nec insuper infringerentur sabulo, glareis, montium verticibus, & casibus, ut jam fit; quoniam aquæductus præcipites sunt, atque descendunt *Tibure* satis clare observati, & sine offensione solis, atque disrupti inter sabulum, saxa, cacumina montium, casusque, unde perit omnis cruditas, naturalisque durities. Adde, quod purificatio aquæ a decoctione Solari moderata fiat, docente *Laurentio Jouberto* Decade I. Paradox. V. pag. 120. 121. de *Nilo*, cujus aquæ meliorem acquirunt judicio *Aristotelis* ita naturam: *Aristoteles vero postquam Nilum fœcundissimum, & alendi facultate insignem esse prædicavit, moderatæ solis decoctioni illud acceptum refert*; adjungit decoctionem solis debere moderatam esse, quoniam excedens & nimia substantiam aquæ subtiliorem dispergit atque exhalat, observante insuper *Jouberto* Parad. V. pag. 121. initio: *Nam cum fluminis unda longe lateque pateat, à Solis calore multum afficitur; quia fit tenuioris substantiæ con-*
132 *tinua dissipatio: atque eo major, quo flumen placidius est.* Pergo, rarefactionem aquas corrigere, bonasque reddere, cruditatemque & duritiem frangere; de omnibus pronunciante eodem *Jouberto* l. d. Parad. V. pag. 121. *Utiles sunt omnes, quæ profluunt: Nam cursu percussuque extenuantur, atque proficiunt, ut loquitur Plinius*. alibi dicit *Joub.* alleg. Parad. V. pag. 123. circ. fin. aquas crudas motione meliores fieri concoquique, quæ alias a natura sua non abscedunt: *aliæ adhuc crudæ, & nihil à propria natura immutatæ agitatione redduntur meliores.* & alibi docet idem *Joubertus* dict. Parad. V. pag. 137. rudes aquas, frigidas, incoctas, crudasque sine fractione substantiæ, meliores fieri arte laboreque movendo atque continue agitando, frangendoque baculis: *Earum correctio*, (loquitur de aquis ejusmodi,) *fit attritione multa, vehementi, & crebra agitatione, quadam contusionis, aut comminutionis specie, ut dum fustibus aliquamdiu cæduntur.* Et de aquis fluvii *Anienis* solis, quod currentes inter sabulum, petras, cacumina montium & casus perdant propriam immaturitatem atque firmitatem, & meliores fiant. *Andreas Baccius* Tract. cit. Lib. I. fol. 33. pag. 1. dixit: parvos casus secundum altitudinem esse aquarum *Anienis*, quæ in plures ramos intra ripas *Tiburtinas*, quasi per gradus ascendunt, atque tenuiter disperguntur instar tenuissimi imbris assidui, usque quo *Tyberi* conjunguntur, tanta fractione tot præcipitorum ad maturitatem rediguntur, & diluuntur ab omni aquæ crudæ & duræ suspicione, quam ipsi forte adderet lacus *Fucinus*, unde profluunt; ut taceam multas aquas bonas, quas recipit, ut Fontis *Curtii*, Fontisque *Cærulei*, quæ in optimis scatebris progenitæ sunt, antequam *Romam* veniant. Et alibi idem *Andreas Baccius* Tract. cit. Lib. I. fol. 46. pag. 1. & 2. de aquis his *Anienis* locutus, statuit meliores reddi fractione, vimque optimam acquirere aperiendi urinales vias, renibusque opitulandi: „Siquidem, inquiens, illam, quam *Galenus* „vituperavit in quodam themate *Hippocratis*, de„rivatam *Tibure*, aperte comparando cum *Mar*„*tia* damnavit, nec sine aperta causa, quoniam „aquagium, quo *Anio Romam* deduceretur, „aquam recepit ultra *Tibur* viginti milliaria, „unde originem ortumque peteret; ut *Tibur* non „pertingeret, ad corrigendum sese, decidendo „ex plurimis verticibus montium, ut jam ope„ratur hic apertè, virtute magna (etsi magis turba„tur) aperiendi urinales vias renibusque opitulan„di. Siquidem longe melior fit aqua, assumen„do bonitatem medicam *Albulæ* conjungentis, „quare nullus plane dubito, quin *Tyberi* simul „ac cum affluentia sua afferat has excellentes vi„res„. Et paullo ante *Baccius* noster Tract. cod. fol. 45. pag. 2. & fol. 46. pag. 1. comparat aquas fluvii *Anienis* cum aquis Fontis memorati *Sancti Angeli*, quas quidam arbitrantur oriri ex aqua *Martia*: „*Martia*, ajens, omnium optima „erat; verum ignoro, an hodie cum *Aniene* „comparari possit, quoniam Fonticulus, quem „detexit Dominus *Archintus*, *Tibure* ad Abba- 133
„tiam *Sancti Angeli*, annis præteritis, etsi ha„bebat optimas virtutes, quod aquæ essent æsta„te frigidissimæ, tepidæ vero verno tempore, „nihilominus aperte cruditate erant affectæ, ut „reticeam in præsenti, fluxerint ne e *Martia*, „an non. Aqua hæc crudior est, & aliquantu„lum gravior, verum non minus utilis est *Anie*„*ne*, atque ideo soleo in ægrotorum usum co„quere, ut igne frangatur & hanc fluvii ali„quanto plus coquere, sicut etiam oportet mixtas „coquere, & e contrario subtiles debilesque, ut „*Tyberinas*, parum, aut nihil.„ Ecce regulam universalem recensitam à *Jouberto*, & sigillatim de fluvio *Aniene*, per auctoritatem theoriæ & praxeos *Andreæ Baccii*, Philosophorum & Medicorum eruditissimi, diuque *Tiburtini* Medici,

ci, & postea usque suum obitum *Romani*, quâ A
docuimus, priscos Scriptores vituperasse aquas *Anienis Romam* derivatas per tantum intervallum aquæductionibus conclusis, quod non Soli exponerentur, nec diffringerentur à sabulo, glareis, jugis montium & prolapsione, ut hodie *Tibure* fluit: Præterea multis locis *Franciæ* aquas crudas ægrotis porrigunt; quod vice coquendi apud illos sit agitatio, secundum *Joubertum* Tract. dict. Parad. V. pag, 138. sic loquentem: *Has vero noxas abolet ignis caliditas, quæ facit, ut dum aqua fervet, & agitatur, subiens aër in eam recipiatur, nec aliter permisceatur, quam si ab alto* B
decideret, aut alio modo turbaretur. nec aquas crudas, nec ullam, corrigit nimia coctio; verum ægrotis præbent illas, quæ minute diffractæ sunt rotis vel aliis artificiis molarum ferrearum aut aliis fabricis aqueis, ad instar tenuissimæ pluviæ, & quo minutiores contusæ sunt guttæ, eo aptiorem ægrotis judicant aquam. Quare hoc facillime *Tibure* effectum dari potest, *Anienisque* lymphæ erunt admodum consummatæ, cum in Oppido triginta & plures dentur molæ frumentariæ, totidemque oleariæ, officinæ sclopetorum, ferrariæ, papyri, pannorum, ita C
ut aquæ nostræ quatuor, imo sex talibus fabricis sensim contritæ, tenuissimæ instar pluviæ, sint, oportet, omni cruditate privatæ, aptissimæque languidis, etiam non coctæ igni, qui solet crudas aquas admodum densare, docentibus *And. Baccio* Tract. cit. fol. 46. pag. 1. lin. 1. & *Jouberto* Tract. memorat. Paradox. V. pag. 139. allegatis. adeoque aquæ Horti nominati Illustrissimi & summe Reverendi Domini Cardinalis *d'Este*, Domini communis, *Aniene* deductæ, atque dilapsæ ab alio Fonte in alium, concise, & præsertim Fontis *Draconum*, diffractæ in tenuissimam pluviam, erunt D
etiam multo saluberrimæ ægrotis, nec tantummodo sanis & validis; itidem illæ Fontis *Noctuæ* in planitie, quæ instar facetiarum in Castello *Sancti Angeli* consuetarum, tenuissimas dispersiones exaltant, mox delapsuras.

Ratio altera vituperii aquarum *Anienis* est, quod sæpe turbidæ fluant, ad quod probandum
134 allegant testimonium *Andreæ Baccii* Tract. allegat. fol. 46. pag. 2. initio; item quotidianum usum. hoc autem evenire dicit *Lucius Faunus* Antiqu. *Rom.* Lib. III. Cap. XV. propter hujus fluvii altas ripas, & solum, quod *Anio* penetrat, pingue & argillosum. E
Regero vero, quod sæpe plus minusve turbidæ sint aquæ, id profecto non arguere fluvium corruptionis, siquidem fluit per loca petrosa, sabulosa, aut arenosa, aut alia ejusmodi loca, ingenii non perversi; quod responsum in Fontibus etiam procedit, qui crystallo limpidiores sunt, & frigidi, ac quarundam vallium fundo emanant, ut antea expositum fuit, teste *Andrea Baccio* Tract. alleg. Lib. I. pag. 22. de ortu *Anienis*, e Fontibus nimirum *Curtio* & *Cœruleo*, qui e montibus excelsis defluunt; hoc vero ita indicat ibidem *Andreas Baccius*: „Aqua- F
„rum, quæ magis ad aquam simplicem accedunt, „à Medicis vocatæ limpidæ & sinceræ, multæ „inveniuntur in *Europa*; quarum mox à natura „sua vocantur aliæ crudæ, aliæ duræ, & aliæ „dulces. Cruda & dura, & simplicissimæ, quæ „dantur, nimirum, omni fere mixtura carentes, „decipiunt parum perspicaces, cum ipsas inspi„ciant limpidas, instar crystalli, atque frigidas, „instar glaciei, quare tarde calefiunt, tardeque „frigescunt, nec perfici possunt, ideoque à *Græcis* audiunt indomitæ, & consequenter naturæ „pessimæ. Verum si aqua fluit per loca petrosa,

„vel sabulosa vel arenosa, vel aliud solum non „malæ naturæ, & è radicibus monticulorum „quorundam emanet, dum procul abscedit di„rupta, separata, nec conjuncta cum indomita fri„gidaque illa simplicitate, minus prona est ad „nocendum. „Atque inferius Lib. I. fol. 24. pag. 1. „Atque quo magis alveus fluvii arenosus erit, „sabulosus, glareosus, aut alius bonæ mixturæ, „quæ nec nimia est, nec justo pravior, eo ma„gis aquæ bonitas augescit; & in universum „omnis mixtura tolerari potest, si alias modo „aqua aliis circumstantiis non mala sit, nec quam„quam plus minusve turbatur, corrumpitur, nec „mutat naturam, verum reposita ad pristinam redit „naturam. „Has circumstantias bonæ Aquæ reperire licebit in *Aniene*, quæ etsi oritur à Fontinus limpidissimis memoratis, non tamen emanat e Fontibus collis aut vallis Soli non expositis, verum in montibus sublimibus, illustratis, moderatoque Sole correctis, & cum oriantur, & dum fluunt. Præterea decidit nostra aqua *Tibur* versus assidue inter saburram, seu arenam solidam, quam etiam ædificiis adhibent nonnulli, atque assulas, locaque petrosa & juga montium conquassata. Et quamquam *Anio* pavit ripas soli argillosi, atque pluviis auctus sæpe turbatur, tamen ripæ mali ingenii non sunt, nec aquas conspurcant; sed ut cito squalescit, sic cito clarescit, reditque ad pristinum nitorem atque naturam. Nec solus fluviorum ripas terit, sed etiam *Rhodanus Galliæ*, quem *Franciscus Petrarcha* in Poëmate suo rapidi fluvii appellationem à rodendo sortitum scribit:

Rapido fiume, che d' Alpestra vena 135
Rodendo intorno, onde il tuo nome prendi,
Notte, e dì meco desioso scendi,
Ove amor me, te sol Natura mena.

Perturbatione nostrum *Anienem* imitantur nominatus *Rhodanus*, & in *Italia Tyberis*, qui *Romæ* semper squallet, monstrante *Andrea Baccio* Tract. alleg. Lib. I. fol. 48. pag. 1. & inspectione etiam oculari; adhoc in *Gallia Sequana*, quæ dividit Civitatem *Parisios*, itidem turbatur; hoc testimonium præbent oculati, qui nostratium ibi fuerunt, scriptisque *Joubertus* Tract. dict. Parad. V. pag. 143. circit. fin. *Ararisque* in *Germania*, prout ex *Virgilii* Ecloga I. patet versu 63.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Addo *Joan. Boccacium* Tractat. de Flumin. voce *Araris*, verum, juxta Commentatorem *Boccacii*, fluvius est *Galliæ*, qui itidem squallet, & de ipso tradit *Joubertus* Tract. memor. Parad. V. pag. 143. circa finem. & tamen hæc tria flumina, non ideo æstimantur morbida in tribus *Europæ* regionibus nominatis, nec corpora hominum offendunt, sed ad ripas ipsorum ædificata fuere oppida nobilissima. Ut occurrant huic quasi turbationi imperfectæ accolæ fluminum, quæ assidue turbida fluunt, reponunt aquas aliquot horas in vasis testaceis, donec siderit sedimentum, quod sordidam reddit aquam. Quibus vero extemplo opus est aqua, percolant per pannum densissimum, & ita statim limpidam faciunt, ut colligo ex *Jouberto* dict. loc. Parad. V. pag. 143. circit. fin. & 144. initio, ita de aquis ratiocinante: *Quæ sola crassitie vituperantur, ut quod lutosæ sint, limosæ, aut alia ratione turbulentæ, nulla mala qualitate, proditæ: omnium facillime pristinæ dignitati restituuntur. Quippe vitium id ex argillosa terra accidere solet, à qua nihil noxæ contrahunt aquæ præter crassitudinem. Non enim sapore ingrata est, sed substantia permixta displicet. Tales sunt fluviorum Tyberis, Sequanæ, Araris, quorum incolæ sinunt multas*

tas horas aquam quiescere in vasis fictilibus, ut
materia quæ turbidam facit, paulatim subsideat.
Qui ea statim egent, panno densissimo transcolant:
Sic enim fit, ut protinus limpidissimam parent.
Hisce addit statim *Joubertus*, *Galenum* Lib. VI.
Epi. com. X. Sect. IV. docuisse, *Alexandriæ* &
in *Ægypto* solitos transcolare per vasa Figulina
& perforata aquam squalidam, & defectu vaso-
rum, per pannum lineum. Jam non modo in
Ægypto, ubi *Nilus* pluviis auctus non turba-
tur, sed etiam bibendo aquam trium allegato-
rum fluminum & aliorum similium, qui assidue
squalidi fiunt, accolæ solent adhibere remedia
dicta faciendi limpidam, vel aliquot horas re-
ponere; qui vero non reponunt aquas fluvii
Tiburtini, turbidas aqua cœlesti ad usum nostrum
136 decidente, culpam ne rejiciant in aquam, sed in
seipsos, suamque segnitiem, cum nemo heic tam
pauper detur, quin ipsi sint ahena, vel vasa Samia,
quæ sint continendo aquas brevi turbidas, nec
assidue; ut reprehendi meretur, qui turbidum
vinum biberit, è torculari vel lacu desumtum,
nec sidere permissum. Præterea turbationes e-
jusmodi juvant infringendo cruditatem omnem,
& pondus; adeoque tales aquæ turbidæ, mox-
que ad limpiditatem redactæ, ac quasi diffractæ,
è rationibus allatis, erunt saniores.

Tertia ratio oponitur à quibusdam aquæ
Anienis coram vulgo, qui facile plausibilibus pro-
positis, causas non inspiciens, assentiri solet; ni-
mirum fluvium cursu suo non solum arenam
deradere, verum etiam aquas permiscere lapidi-
bus, murisque & lignis, disruptamque aquam
fluendo ferre materiam lapidosam, mox in sole
indurandam, instar petræ, quam vulgo tarta-
rum vocamus, hancque arreptam arenam vi-
deri in vasis, quibus reponitur aqua, ubi fæ-
ces sedimentaque relinquuntur arenosa in fundo,
imo etiam tartarea, quæ calculum glareosum
calculosque efficiunt in corpore humano, potæ.
Huic objectioni satisfacturus, repono, a-
quam *Anienis* fluendo *Tibur* arenam deferre,
ut antea docuimus, non suo vitio & detrimen-
to, sed perfectioni & emolumento; Et ab aqua
propter appositum tartarum, abhorrere oportere,
ne in humanis corporibus eundem efficiat: idem
esse, ac si diceres offam pultemque insalubrem,
quod spuma coquendo inde provenit; adhoc
oportere vinum aversari, quod fœces in fundo
ponat, tartarumque in cadis circumcirca lapi-
deum non minus quam *Anio*, & durum; fer-
rumque nec valere, igne exustum fæcibus ab-
stersis & inanissima quaque scoria, ut quotidie
apud *Fabros* ferrarios videre est, nec aurum de-
fæcatum & igne probatum æstimari, retrimen-
tis ablatis. Quis nescit, *Anienem* è Fontibus *Ti-
bur* fluendo jactatum inter glareas, arenas, juga
montium, & lapsus, relinquere in rivis alvei
cruditatem, duritiem & sordem, quas habuerat
à sole condensata, & quamquam non à Sole
ipso radiisque solaribus, ad minimum tamen in
aëre à Sole agitato? Quinimo tantum abest, ut
aqua *Anienis* debeat repudiari, vitarique propter
memoratos morbos, calculum arenosum, puta,
& durum, ut etiam necesse sit præferre, at-
que *Tibure* æstimare ipsam limpidissimam, o-
missis in cursu sedimentis & excrementis suis ut
alienis. Porro hæc non possunt in homine aquam
potante istos malos effectus producere; & ne in
hac re fidem mihi soli attribuas, verum quotidiano
usui & *Andrea Baccio* Tract. cit. Lib. I. circa
fin. pag. 46. 47. 48. „Quoniam Medici culpam
„efficientem vel concurrentem valetudinis, calculi
137 „glareosi & calculi duri, rejicere solent in diutur-
„nam perpetuamque bibitionem aquæ terrestris, ut

A „ut colorem quendam rationi dent, non lon-
„ge à morbo petitum: Nec ego in præsenti ju-
„bebo, ipsam adhibere eos, qui abstinere possunt,
„& multo minus obesos; Sed tamen dicam
„parvam vel nullam culpam habere; rationem
„vero esse, quod natura non utitur aqua in cor-
„pore humano, nisi ad detrudendum edulia in
„sese inepta ad permeandum à stomacho in ex-
„ta & omnia membra. Præsumpta hac positio-
„ne, aut judicabimus aquam propriâ vi hoc
„effectum dare, aut nostra natura. Ipsa suum
„officium optime exsequitur, ut materia tenuis,
„dispositaque ad penetrandum, & eo magis,
B „quo subtilioris naturæ est, & aëreæ: sed ut
„materia frigida, humida, gravisque, naturâ aliud
„facere non potest, ac in imum descendere,
„omnemque secum auferre mixturam terrenam,
„gravem & inutilem, quam continuit turbide
„bibita, cum aqua terrena à sese ipsa perrumpe-
„re nequeat. Verum qui dixerit, arenam non
„posse vi naturæ penetrare ad renes, fortasse
„non procul a veritate aberraret. Quoniam na-
„tura in nobis operatur modo digerendi, quod
„idem est, ac si diceremus separare assidue utile ab
„inutili, & quod sibi non est commodum, abjicere,
C „commodum vero & utile æqualiter inter omnes
„corporis partes dividere. In quo efficiendo,
„etsi natura non est ratiocinatione, ut nos,
„donata, tamen efficax per dispositionem attra-
„ctivam mirabilem, quæ assidua attractione,
„ubique quod sibi necessarium est, commodum
„& utile, admittit, conceditque quod superest po-
„testati naturæ expulsivæ. Adeo ut, si liquor ille
„sordidus sua vi non potest ad renes pertingere,
„etiam minus, obstante naturâ, videatur asseri
„posse, hanc non esse potissimum causam, nec
„propriam nec intrinsecam materiam calculi
„arenosi & calculi duri; verum multo potius hu-
D „mores viscosos, qui (Medicorum consensu)
„adunati plurimis cruditatibus, & deinde adu-
„stione hepatis in cinerem redacti in renibus
„tempore longinquo condensantur instar lapi-
„dum. Quod si tantus morbus contraheretur
„potu aquæ *Tyberinæ*, ut quidam existimare
„videntur, hæc esset epidemica lues *Romæ*,
„quod ibidem aquam illam hauriant fere omnes,
„nec uni soli adhæreret, verum omnibus; de-
„cisionem vero meam congruam veritati testa-
„buntur ingeniosissimi calculorum corporis hu-
„mani excisionis Doctores & Lithotomi, qui
„asseverant, paucissimos dari, calculo arenoso
E „affectos, vel calculo duro, in tam spatiosa Urbe, ni-
„mirum *Roma*. Et ab *Aniene* (hodie juste vo-
„cato *Teverone*) potant *Tiburtini*, fere assidue
„turbido, & hyeme maxime, nec adhibentes
„vulgo Fontes, nec cisternas, nec puteos, ne-
„que advectas aliunde aquas, cum heic aqua non
„diu subsistat integra, & tamen paucissimi dantur
„& raro audiuntur, qui calculo arenoso laborent,
„aut quibus calculus excisus sit. Quid plus?
„ne dicam innumeras aquas medicatas in *Eu-
„ropa*, quæ adhibentur calculo arenoso, maxi-
„mam partem turbatas esse; nonne *Galenus* ipse, 138
„usu peritus, celebrat commendatque aquam *Al-
F „bulæ* affectis calculo vesicæ? quod etiam ho-
„dieque multis testimoniis probari potest. Et
„quam terrestris & lapidea sit Aqua *Albulæ*,
„docet lapis *Tiburtinus*, qui modo è sedimento
„hujus aquæ concrescente calore Solis perpetuo
„nascitur.„ Adhæc ipsi experientia discimus,
qui proximi fluvio *Anieni* sunt accolæ & *Tibu-
ris* incolæ, atque assidue aquas potant, alienos
esse ab hac valetudine & integerrimos; & con-
trarie unicum hîc reperiri, quantum notum est,
qui morbo hoc conflictatur, nimirum calculo,
Pa-

Patrem Doctoris *Gasparis Fuccii*, hominem annos LXI. egressum, qui non insuevit potui aquæ fluvialis, verum aquæ pluviæ, e cisterna domi suæ, nec reperit medicamen aptius confringendo calculo & minuendo, quam potum aquæ, aliquantum acrioris, haustæ e Fonte non ita pridem detecto in domo sua intra fines *Tiburtinos* loco nominato *Varco*, ubi antea monstravimus Cap. V. de Villis, fuisse Palatium *Centronii*, & jam eruentes mancifcuntur marmora, quæ indicant exstructam fuisse indidem Villam *Claudiorum Liberalium*, Imperante *Septimio Severo*, ut patet ex duobus nummulis in Sepulcro quodam repertis; & quamvis in domo ejusdem assidue fuerint multi mares & fœminæ, tamen nemo ipsorum urgebatur calculo. Itaque colligimus tartarum, quem apponit *Anio*, indicare aquam defœcatam ab omni sorde propria & aliena esse, nec arenam corrumpere aquam, neque hæc in causa talium infirmitatum esse posse. Sunt, qui effugium quærunt dicentes, *Tiburtinos* non esse calculo affectos, propter vim olei, quod hic comeditur, id quod fidem non meretur, quum Pater nominati Doctoris *Fuccii* oleo affluens, urgeatur eo morbo, & innumeri pauperes, oleo carentes, minime.

Argumentum quartum contra aquam *Anienis* est, quod non diu integra conservetur, verum cito corrumpatur; in quem finem usum quotidianum allegant, ut & testimonium *Andreæ Baccii* loco proxime memorato, fol. 47. pag. 2. Sed regero, hoc non imperfectionem & aquæ corruptionem indicare, sed bonitatem & perfectionem ejusdem, quoniam aquæ putrefactio non monstrat neque clare indicat majorem minoremve ipsius perfectionem, ut aperte docet *Andreas Baccius* alleg. Tract. Lib. I. fol. 21. pag. 1. & 2. Ubi observare habes, putrefactio- „nem aquæ, ut apte ostendit *Ruffus*, non indi- „care palam bonam vel malam qualitatem, nisi „quatenus ex ipsius aquæ bona vel mala natura „oritur; quandoquidem ut putrefactio aquæ „cujusdam tenebrosæ & spissæ palam facit vitium „malæ proportionis partium ignearum in aëre „hærentium, sic in pluviis etiam optimis repen- „tina mutatio (quæ non assidue ideo fit) ar- „guit subtilitatem, & bonitatem, neque vitium; „& ratio in promptu est. quoniam tam subita „mutatio indicat partes aëreas copiose permix- „tas; hæ vero usui corporis humani sunt com- „modissimæ, initiumque, & ratio omnis alius „optimæ conditionis aquæ, nec unquam detri-
139 „mentum afferunt.„ Hoc etiam *Baccio* assentitur *Laurentius Joubertus* Tract. cit. Parad. V. pag. 113. qui aquâ pluviâ summe celebratâ, (quod communi omnium consensu cunctis aquis præferatur, si à *Galeno* Lib. IV. de Sanitat. tuenda Lib. I. Cap. . . . discesseris, ipsam omnino rejiciente, non sine *Jouberti* admiratione,) quæstionem proponit, quomodo hæc aqua cœlestis possit aliam quamvis superare, siquidem facillime putrescat? Respondit vero cum *Paulo Ægineta* Lib. I. Cap. L. ad quæsitum, dicendo: neminem debere insalubrem existimare aquam, quæ cito putrescit, siquidem pronitas & natura corruptionis subitæ magis virtuti, quam vitio adscribenda venit. Quare aqua, indicium aquæ incorruptæ habens, & facile putrescens, pro saluberrima haberi debet; verba vero *Jouberti* sunt: *Sed quomodo reliquis præstare valet, cum omnium facillime putrescat? Huic dubio sic respondet Ægineta: Nemo, inquit, citius putrescibilem aquam deterrimam esse judicet, cum alterationis, mutationisve proclivitas virtuti magis, quam vitio adscribenda sit. Quamobrem, quæ inculpatæ aquæ*

A *indiciis prædita facile putrescit, censenda est saluberrima.* Itaque indicium malum *Anienis* non est, quod aqua facile putrescat, præsentibus omnibus cæteris memoratis, aliisque aquæ inculpatæ requisitis.

Quinta ratio adducitur contra aquas fluvii *Anienis*, quod Arboribus multis ripa sit obtecta, ac ideo soli exposita non maneat aqua, nec ab ipso per consequens corrigatur, ut corrigi digerique docet *Joubertus* Tract. cit. Parad. V. pag. 131. initio: *Adde; quod dum sol nequit profundiorem aquam attingere, saltim circumfusum aërem sic afficit, ut ab eo nonnihil probitatis illa susci-*
B *piat*; locutus de aquis puteanis; atque inferius ostendit, radios solares simul perficere bonam aquam, locutus de aquis crudis; & quæ sint, dicit *Joubert*. Tract. cit. Paradox. V. pag. 137. nimirum illæ, quæ sole non fruuntur, nec Solem Orientalem versus fluunt, atque puteanæ, quæ Solem nunquam aspiciunt: *Tales esse videntur, quæ aversum Solem habent, non fluentes ad ortum: & quas Solis radii nunquam attingunt, puteaneæ.* Inferius etiam addit, aquis, quæ optima indicia habent, illustratæ satis a radiis Solaribus, tepiditateque terræ, quam trans-
C eunt, subactæ, nec quadam vitiosa qualitate affectæ, nec ventrem aggravantes, sanos salubriter uti posse; imperare vero ægrotis, ut coquant, non esse aliud, ac pejores facere; & sic crudas ægrotis commendat: *Cæterum*, inquiens, *quæ optimæ aquæ notas explet, & satis à radiis Solaribus, aut Sole, quod vertit, tepore est elaborata, quæ nec vitiosam ullam qualitatem habet, nec hypochondriis sentitur gravis, hanc, qua sani saluberrime utuntur, pro ægrotis coqui jubere, quid aliud (quæso) est, quam deteriorem efficere.* Et asserit *Joubertus* Tract. cit. Parad. V. pag. 120. & 121. *Aristotelem* celebratam irrigationem *Nili*
D summe fœcundantem multoque eximiam poten- 140
tiam nutriendi vindicare digestioni Solis moderatæ: *Aristoteles*, ajens, *vero, postquam Nilum fœcundissimum, & alendi facultate insignem esse prædicavit, moderatæ Solis decoctioni illud acceptum refert.* ut ad primam rationem repositum est. Ad quod respondeo, qui ita objiciunt, minus gnaros esse fluxuum *Anienis*, quoniam ripa tota Soli exposita est, si exceperis loca quædam sub *Ruviano*, *Anticolio* & *Marano*; alteraque opposita omnis, & præcipue à memoratis Castellis *Tibur* versus, ubi est arboribus consita, verum
E ita, ut radii solares ad aquas penetrare possint. At non sic ipsam detegimus, ut nocumento esse possit, siquidem ut radii Solares penetrando decoquunt aquas, aptasque reddunt, sic lædit nimia aquæ in Solem expositio, substantiam exhalando. Atque eo minus obesse possunt radii Solares, & substantiam dispergere fluvii *Anienis*, quod rapidus sit, ad sententiam *Dionysii Halicarnassensis*, quam inferius annotabimus & auctoritatem hanc *Horatii* Carm. Od. VII. *Et præceps Anio.* addo *Andream Baccium* Tract. dict. pag. 46. imo ipse præceps fluxus obest, quo minus substantiam aquæ calor exhalet, sentien-
F te *Jouberto* Tract. memor. Parad. V. pag. 120. Accedit, quod alveus fluvii angustus sit, qui itidem impedit, quo minus radii Solares aquæ substantiam evaporent. ad effatum *Jouberti* loc. citato.

Sextâ ratione contra aquam *Anienis* objicitur, Medicos quosdam reperisse ægrotos nonnullos liene magno duroque laborantes; quam culpam rejiciunt in aquam *Anienis*. Sed duobus modis objectioni satisfacio: primo, Medicos hos imbecillitatem in omnibus ægrotis non invenire; verum, qui multis humoribus corruptis onera-

ti fuere , aut ex gravi diuturnoqne morbo infirmi ; nec admodum ſtringit, quum ambæ cauſæ in corporibus humanis multas efficiant adverſas valetudines, adeoque non ſtatim culpa in aquam fluminis rejicienda ſit. Secundo, in rem uſumque meum converto argumentum *Andreæ Baccii* Tract. alleg. Lib. I. fol. 48. pag. 1. ante recenſitum; hic probaturus *Romæ* calculum arenoſum, & calculum durum non oriri e potu aquæ *Tyberinæ* ; dicit, ſi emanaret ex hauſtu aquæ *Tyberinæ*, valetudinem fore epidemicam , atque omnibus communem, cum aqua illa *Romæ* vulgo bibatur. Similiter dicam , ſi potio aquæ *Anienis* efficit imbecillitatem lienis magni durique, omnes ægrotos vexatos iri eodem morbo, cum omnes etiamnum ſani aquam potarunt; præterea eundem in ſanis effectum daret, qui vulgo bibunt; quod non experimur, ſed commode inde vivunt, & valent. Nec magni æſtimandum eſt, in oppido mille domuum & familiarum , ut *Tibure* , quod quinquies mille perſonas hominesque continet, dari quendam ſpleneticum & lienoſum.

141 Septimam rationem contra aquam fluvii *Anienis* movent; aquam generare vim piſcium, & Scriptores damnare aquam ſumme piſcoſam. Ad hoc ſtrictim reſpondeo, aquas ſitu lentas, lacuumque horridorum vituperandas eſſe , cum melius piſces alantur latice dulci, quam cœno, ut *Ariſtotelem* ſecutus docet *Andreas Baccius* Tract. memor. Lib. I. fol. 18. pag. 2. Nec argumentum bene riteque formatum eſt ; nimirum objiciendo *Anienem* vim piſcium & multitudinem generare , & Scriptores damnare aquas maxime piſculentas ; ergo aquam *Anienis* eſſe vituperandam. Quoniam Minor variat diſcrepatque à terminis Majoris, ſiquidem Major habet copiam piſcium, non aquas maxime piſculentas ; *Anio* vero ſuppeditat convenienter multitudinem piſcium eximiorum, altorumque in latice nobili , & ſuaviter dulci , nec cœnoſo , ut eſt quorundam lacuum , ſtagnorum & paludum, quæ ob multam pinguedinem cœnique copiam alunt ingentem vim piſcium perverſæ naturæ & ingenii.

Jam liberati reſponſione danda rationibus objectis aquæ *Anienis* , ſupereſt, ut inſpiciamus præſtantiam fluvii noſtri ſuper aliam aquam optimam quamque, atque ipſi Soli propter naturam, & commoda collata in ſanitatem humanam, non tam multam præſtantiam vindicemus, quam quæ encomia extra , & præter ſalubritatem ipſi dant Auctores, quos Cap. IV. de *Antiquitatibus Tiburtinis* allegavimus.

Primam qualitatem optimam aquæ attribuunt Scriptores, quod dulcis ſit; non dulcedine *Zacchari* , lactis aut mellis, verum diſcrimine ab aqua pura & ſimplici, eſt hæc quaſi jucunda ſuaviſque ſapore , docentibus nominatis *Jouberto* Tract. alleg. Parad. V. pag. 111. 112. & *Andrea Baccio* Tract. dict. pag. 22. circ. fin. Talis eſt aqua *Anienis*, ſi fidem arbitremur dandam *Dionyſio Halicarnaſſenſi* Lib. V. *Ad Anienem fluvium, qui ex urbe, quæ Tibur vocatur , præceps & cum impetu ab alto ſaxo labitur , & per Sabini, & per Romani agri planitiem fertur, utramque regionem diſterminans. Influit autem in flumen Tiberim aſpectu amœnus , & potu dulcis.* Quem imitatur *Leander Alberti* qui Deſcriptione *Italiæ*, in agro *Romano* inter pagum *Gabios* fol. 157, pag. 1. vocem *dulcis* , explicat gratum ſuavemque , locutus de fluvio noſtro : Cujus aqua jucundiſſima eſt viſu , nec minus grata ſuaviſque guſtu.

Secunda qualitas bona , quæ inſtar indicii aquæ optimæ eſt , eſt quod aqua *Anienis* nullam corruptionem poſſit contrahere a radiis Solaribus. Siquidem nimius Sol diſpergit exhalatque ſubtilem aquæ partem, quod in *Aniene* non procedit, quippe qui non omnimode Soli expoſitus eſt, ruitque inſuper præceps, ut monui reſponſo ad quintam rationem regeſto. Addo, quod, cum alveus *Anienis* anguſtus ſit & arctus, latusque ſolummodo duas tertias jactus lapidis, aquæ ipſius detrimentum nullum a Sole contrahere poſſint, nec pars ipſarum tenuior exhalari. 142 itidem eo, quod non procul ſcatebris primis diſtet, antequam *Tibur* divertatur, intervallum modo ſcilicet circiter milliarium quinque & viginti. Contrario radii Solares partem fluminis latiſſimi cujusque decurſusque longiſſimi tenuiſſimam abſorbent, docente *Jouberto* Tract. memorat. Parad. V. pag. 120. *Nam cum fluminis unda longe lateque pateat, à Solis calore multum afficitur.* Et paullo inferius idem aſſeverans addit: *Hinc enim conjectura aſſequimur , non eſſe magnam ejus latitudinem, ſed anguſtiorem alveum : cum ex aliquot tantum Fontibus flumen conſtituentibus aqua ſit, minime longum à ſuo exordio dimenſa ſpatium. Unde nec licuit Soli eam inſigniter afficere, ni quantum eſt ſatis ad cruditatis elaborationem.* & quamvis *Avicenna* Fen. 2. prim. doct. II. & XXVI. ſtatim allegatus a *Jouberto* ſtatuat, aquas fluvii eo ſalubriores, quo longiores à ſcaturigine prima profluunt. tamen intervallum memoratum circiter milliariorum quinque & viginti non magna proportio videbitur, quin Solem prohibeat exhalatione partium ſubtiliorum, nec proportio minima erit adjuvandi elaborationem cruditatis & corrigendi , ad quæ præſtanda *Avicenna* remotiſſimum fluxum ab flumine requirit.

Tertia qualitas bona aquæ *Anienis* eſt, quod ita tecta detectaque Soli ſit, atque ideo correcta, ut ad rationem quintam indicavimus , & antecedente proxime natura bona *Anienis.* Eſtque adeo expoſita , ut correctioni ſuæ a radiis Solaribus ſufficiat retectio.

Quartam qualitatem bonam fluvio *Anieni* addunt, quod aqua omnem cruditatem ſuam gravitatemque depoſuerit; id quod e plurimis cauſis colligitur. Prima cauſa eſt, quod aqua Soli pateat, ut ad quintam rationem reſponſum eſt, ſecundaque *Anienis* qualitate bona (expoſitum ; radiique Solares cruditatem aquæ tollant , docente *Jouberto* proximo ſuo ante memorato teſtimonio : *Unde nec licuit Soli eam inſigniter afficere, niſi quantum eſt ſatis ad cruditatis elaborationem.* ita nos de *Nilo*, ad primam rationem, ad *Ariſtotelis* ſententiam reſpondimus. Ratio vero eſt, quod ut ſæpe turbatur, & frangitur à ſaburra, & inter glareas, petras, juga montium caſuſque, ſic omnis abrumpatur cruditas & elaboretur, ut ad tres primas rationes antea regeſſimus. Et potiſſimum aqua minutiſſime, ſub ædificiis molium aliarumque, in Fontibus Horti confringitur; quod in fine repoſuimus ad memoratam primam rationem.

Quintum encomium *Anienis* noſtri dant aquæ ita diſruptæ conciſæque, aperiendo vias urinales, juvandoque calculum arenoſum, quod ad primæ rationis reſponſum teſtimonio *Andreæ Baccii* Tract. memor. fol. 46. pag. 2. initio ſtabilivimus.

Sextam laudem , quæ ſalubrem eximiamque 143 *Anienis* aquam indicat, monſtrant excellentes piſces, qui heic generantur, ut truttæ & ejusmodi ; ut diluendo ſeptimam rationem docuimus.

Ad ultimum conſiderandum nobis venit, quo tres

Fon-

Fontes fluvio *Anieni* antecellant; initium à Fonte *S. Angeli* facturis.

Quod Aqua Fontis *S. Angeli* cruda sit, palam facit *Andreas Baccius* Tract. memorat. pag. 45. 46. „Habet aqua quiddam cruditatis; „ & addit: „crudior hac & quoddammodo gravior, verum „non minus utilis est aqua *Anienis*. En igitur, hic Fons utilitate non superat fluvium, nec cruditas ipsius diffringitur à saburra, glareaque transmeantibus, vel longo fluxu, vel radiis Solaribus, ut antea expositum est hæc corrigere aquæ cruditatem, quod statim erumpens è terræ visceribus hæc non admittit. Insuper hyeme parum aut nihil a Sole illustratur Fons hicce, nec in orientem sed Occidentem fluit; quem magnum defectum esse scribit *Joubertus* Tract. allegat. Parad. V. pag. 119. *Nam cum Fontana vituperetur, quæ Solem adversum habet.* Inferius addit, locutus de aquis crudis: *Tales esse videntur, quæ adversum Solem habent, non ad Ortum fluentes.* Indicia aquæ bonæ affert: primum, limpitudinem; secundum, dulcedinem, nimirum suavitatem & jucunditatem; tertium, piscatum, ut usu experimur in piscina aquæ hujus paullo inferiori, quam Fons est; quartum, subitam corruptionem, quæ ut occupavimus, bonitatem prodit. Fontem hunc detexit Dominus meus *Archintus* circa annum MDL. testante *Andrea Baccio* Tract. memorat. fol. 45. pag. 2. circit. fin. qui librum de *Tyberi* edidit anno MDLV.

Fontem *Rivellese* derivatum curavit fel. mem. *Hippolytus d' Este*, Cardinalis *Ferrariensis*, anno MDLXI. tum temporis Oppidi Gubernator, circiter duo milliaria in Civitatem *Tibur*; unde tertia pars usui Palatii, dimidiique supremi horti adhibita est; cæteræ vero duæ trium, duobus Fontibus Oppidi, qui primi fuerunt Fontes *Tibure* erecti huc usque, antea enim non heic dabantur, narrante *Andrea Baccio* Tract. memor. fol. 48. pag. 1. circ fin. & 2. initio; verum solummodo omnes potarunt aquam fluvialem, quâ sine Fontana conservabantur integri. Post obitum hujus Cardinalis & bonæ memoriæ *Aloisii* ejusdem Familiæ, & in Legatione successoris, Palatium Hortumque *Tiburtinum* defecit Fons memoratus *Rivellensis* plurimos annos, tamen hac aquâ *Rivellensi* destituti itidem salubres viguerunt. Quibusdam abhinc mensibus nonnulli, nescio qua ratione inducti, non modo inceperunt aquam hujus Fontis commendare, verum etiam *Anienis* vituperare, quorum longe plurimi *Tibure* sententiam perornare conantur, quasi vero aqua fluminea cruda esset, atque imbecillitatem arenosi calculi calculosque gigneret assumpta, atque ideo oporteret iterum *Tibure*, a-
144 quam fontinalem restaurare. Id quod falsum esse evicimus rationibus antea in defensionem *Anienis* explicitis, unde satis superque videbitur aquam *Anienis* non efficere calculum nec nocere sanitati, sed esse commodam; nec opus esse tempore, quo oppidum multa millia Scutatorum debeat, restauratione aquæ *Rivellensis* Civitati, & tantum regionibus oppidi quibusdam profuturâ. Aqua vero Fontis salubritatem non uno indicio prodit; primum est, quod in colle medii montis Soli Orienti obversi oriatur, fluatque Orientem versus secus, quam exposuimus in illa *S. Angeli*, testimoniis postremis *Laurentii Jouberti* ante allegatis; secundum, quod montosa memorata a Sole oriente & occidente illustrantur; tertium est, quod limpida sit aqua; quartum quod dulcis, nempe jucunda sapore; quintum, quod piscosa aqua sit, ut ipsi revera experti sumus in Fonticulo domus Centurionis *Joan. Dominici Crucis*, quo permissu Cardinalis *Hippolyti* aqua

A derivata fuit, moxque die XVII. Septembris MDLXII. confirmata a Senatu Civitatis ipsi, hæredibusque & successoribus assidue, ut desumeretur prope Templum *S. Vincentii*, verum possessio aquæ ipsi non fuit concessa, tamen pisces heic aluit Centurio. Quæ vero aquæ opponi posse videbuntur, sunt: primum quod tecto aquagio includatur, statim è terra seu fundo emanans, nec radiis Solaribus, qui corrigerent, pateat. alterum; quod cisterna vel Castellum, ubi aqua exiliendo colligitur, parum aquæ habeat, nec plus, quam extensa fuit aquæductio, vivente Cardinale *Hippolyto*; nec non hodie cum
B pluviali conjungatur rupto alicubi Castello vel cisterna in loco sublimiori, atque inde hyeme plus fluat, quam recipit aquæductus, æstate autem minus; & mihi facile persuaderem, non habituros e scaturigine Fontis plus aquæ illâ, quam diverterat Cardinalis *Hippolytus*, & reliquam, quæ novam maximam aquæductionem impleret, futuram esse pluvialem, quæ priorem sit corruptura. De Fonte non addam ulterius quicquam rationis particularis ergo, nisi Palatium Hortumque memorata frui *Anienis* & *Rivellensi* aquâ utrâque. Paucis abhinc annis non
C minus quam Aqua *Martia* (quam *Romæ* notant *Lucius Faunus* Antiquit. Rom. Lib. IV. Cap. V. *Andreas Fulvius* Antiq. *Rom.* Lib. III. Cap. XII. & *Joan. Bartholomæus Marlianus* Topograph. memor Lib. V. Cap. XVI. ceu summam benedictionem) laudata celebrataque fuit Aqua *Accorii*, quæ e fundo vallis ad pedem montis prope ripam *Anienis* oritur. Laudis vero rationes sunt: quod aqua pura & simplex, omnique mixtione absoluta, & puritate atque simplicitate naturæ aquam quamque, non *Tiburis* solum & finium, verum etiam totius orbis terrarum antecederet; encomium autem hoc limpitudo puritasque aquæ
D in modum crystalli, frigusque æstatis tempore instar glaciei effecerat; quin per hanc excellentiam hujus aquæ æstimatores contrario sese convertentes vituperant Aquam *Anienis* ceu nullius usus, parumque utilem naturæ vegetabili, hanc vero aquam propius accedere ad limpidam & simplicem prædicant: Siquidem aqua, quæ limpidæ simplicique propior est, nihil prodest, paulloque ineptior est natura vegetabili, qua continentur homines, animalia terrestria, pisces, aves, herbæ & arbores. Nec figmentum meum est, sed sententia *Andreæ Baccii*, cujus hæc sunt verba Tract. citat. fol. 18. pag. 1. & seq. Lib. I. „Quia
E „nonnulli qui in studiis primatum tenent, paucas „illas circumstantias & qualitates à *Galeno*, ante „ipsum ab *Hippocrate*, *Rufo Ephesio*, & deinde *Oribasio*, aliisque plurimis, datas ad cognitionem distinctionemque aquæ generalem, sequuntur; sibique persuadent opus non esse exceptione Fontium singularium, ob usum rerum ab iis prætensum, qui parum caute tradiderunt, aquam minus „bonam esse, quantum a pura aqua & simplici abest. Quod non modo absurdum est, inconveniens „veritati, verum etiam noxium & perniciosum. „Siquidem, ut aqua mixta & illa, quam vocamus
F „medicam, potui inconveniens, quod alimentum „subministret; sic illa, quæ propius accedit puram „& simplicem (quæ forte non invenitur) non solum improbatur & rejicitur à Scriptoribus, verum etiam omni naturæ vegetabili parum utilis. „Equi & jumenta cætera, naturæ instinctu bibentia, aquâ non delectantur pura, laboreque calefacta, ita sæpissime doloribus corporis tussibusque „corripiuntur; cum e paludibus cœnoque potius „potent, unde pinguescunt. Asseverat *Aristoteles*, „aquas puras steriles facere bestias, vel partum fœmininum efficere; verum assuetas mixtis, vel sa-

„ poris cujusdam, sæpius mares gignere; & alibi pi- „ sces non aquâ purâ ali, sed humore dulci vel cœno. „ Ad hoc suadet *Theophrastus*, ut aquam hortis in- „ spergas pinguem, quasi utilissimam, atque pa- „ lustrem, inutilem judicans puram.„ Et paullo inferius memoratus *Andreas Baccius* Tract. allegat. Lib. I. fol. 19. pag. 1. addit: Aquam simplicem inutilem esse, verumque inde probari, naturam cum frustra faciat nihil, non elementum simplex dedisse, nisi forte minimum, nec permanens. Culpam vero, ob quam aqua pura & simplex inepta sit, atque naturæ vegetabili inutilis, paullo inferius in frigus ipsius rejicit *Andreas Baccius* Tract. alleg. Lib. 1. fol. 19. pag. 1. „ Aqua, in- „ quiens, simplicis naturæ summe frigida est, at- „ que (ut satis Medici norunt) humanæ naturæ „ officit frigus; quare Philosophica collectione, „ quod frigus non concurrat ad operantem natu- „ ram, infert *Galenum* sæpius expertum, frigi- „ dam hanc qualitatem inutilem esse cuivis natu- „ ralis potentiæ actui, nisi certo modo per accidens.

146 Atque subtus etiamnum subjicit *Andreas Baccius* Tract. alleg. Lib. I. fol. 22. pag. 1. aquam crudam duramque esse longe simplicissimam, quæ datur, atque ideo fallere parum limpitudinem & frigiditatem expertos: cruda duraque, inter simplicissimas minimeque permixtas, quæ dantur, computatur, nimirum, quæ, cum ab omni mixtura separata est, decipit parum assuetos, limpida claraque apparens, instar crystalli, verum instar glaciei frigida. Sed quam talis refrigeratio naturæ sanitatique officiat, & contraria sit, doceant *Petrus Cassianus* aliique, Scriptis de calido potu, qui damnatâ frigidâ, calidam potionem justissimis de causis & testimoniis commendant; si hic Fons tam limpidus, frigidus, simplex & purus est, ut à suis commendatori-

A bus extollitur, nullus dubito, quin proxime ad puram simplicemque aquam accedat, atque ita obsit naturæ vegetabili piscium, qui aquatica sunt animalia, alimentoque equorum, & cæterorum brutorum, herbarum & arborum, si hac aqua irrigas atque adaqueris; nec morbo colico eadem conduceret. De Fonte ulterius nec addam quicquam, nisi quod aqua ipsius adeo *Romæ* æstimata fuit, ut gregarius Civis *Romanus*, ceu in ore vulgi fuit, præsumeret ipsam vendere tanquam possessionem Reverendæ Cameræ Apostolicæ, viginti vel triginta millibus uncialium

B scutatorum; sed quod aqua tanto lucro redituique non esset, ut eo derivaretur, irritum factum est negotium. Et utinam effectum reddere potuisset, nam Civitas meaque Patria inde magnum lucrum fecisset, quod maximæ optimæque Fontis venæ pertinerent ad Senatum Populumque *Tiburtinum*. Atque hac in parte Medicis, Philosophis aliisque, qui ejusdem res perfectius meliusque quam ego norunt, & præcipue *Petro Cassiano* cæterisque, qui potum calidum exegêre, credo. Sunt, qui ferunt aquam non insipidam esse, sed mineralem, atque ut Medici loqui amant, medicatam. Id quod damnosum erit,

C cum ejusmodi aqua alere quidem nescia sit, auctore *Andrea Baccio* Tract. citat. Lib. I. pag. 18. circa fin. & 19. initio, dicente: „Siquidem „ mixta aqua, & quam nos medicatam vocamus, „ ad alendum, pota, incommoda est.„ Ad ultimum satis superque cuivis per memorata, modoque animadversa, apparebit, quam vera sit sententia in vulgus edita de aqua *Anienis*, & quantum opus sit *Tiburi* summis expensis, propter vitium scilicet flumineæ, derivatione *Rivellensis*.

Laus Deo, ejusque gloriosissimæ Virgini Matri *Mariæ*.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

INDEX

NOMINUM, ET RERUM NOTABILIORUM.



Ju-

F I N I S.





JOSEPHI MARIÆ SUARESII,

Episcopi Vasionensis,

PRÆNESTES ANTIQUÆ


LIBRI DUO.

Quibus non solum Conditores Urbis, Situs, Latifundia, Possessiones priscæ, Oppida, Vici, Ecclesiæ antiquæ & Reliquiæ Sanctorum; Verum etiam Viri Illustres, sanctitate ac virtutibus insignes, ortuque suo vel mora Prænesten nobilitantes recensentur.

EDITIO NOVISSIMA,

Figuris Æneis nitidior, Indiceque auctior.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO PERITISSIMO

VIRO

D. CLAUDIO GROS DE BOZE

REGIORUM ÆDIFICIORUM INSCRIPTIONIBUS

PRÆFECTO

ACADEMIÆ GALLICÆ SOCIO

AC

CIMELIARCHII REGII CUSTODI

DOCTRINA NON MINUS QUAM HUMANITATE

DOMI FORISQUE CELEBRATISSIMO

ATQUE

ANTIQUITATIS INDAGATORI SAGACISSIMO

HOSCE

DE NOVO TYPIS DATOS

JOSEPHI MARIÆ SUARESII

PRÆNESTES ANTIQUÆ

LIBROS DUOS

MULTORUM MERITORUM GRATIA

INSCRIBIT ET DEDICAT

PETRUS VANDER Aa.

*

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
PRÆFATIO.
CANDIDE LECTOR.

Quoniam Opus ipſum laudat artificem; ideo, nec Urbis *Prænestinæ*, nec Commentariorum, a Viro Reverendiſſimo, doctrinæ fama percelebri ac conſpicuo, *Joſepho Maria Suareſio*, de *Præneſte* è ruinis reſurgente congeſtorum, & *Romæ* typis *Angeli Bernabò*, hæredis *Manelfi Manelfii* MDCLV. excuſorum, à nobis autem iteratorum, elogium longo ſermone celebratum exſpectare nolito; ſed ea tantummodo, quæ in his repetendis a nobis ſunt præſtita breviter dicemus. Primo errores a typothetis in priori editione admiſſos, & ab auctore in calce libri notatos emendavimus. Mantiſſam deinde fere totam capite decimo octavo Libri ſecundi comprehenſam in loca ab Auctore ſignificata ingeſſimus, præter pauca, licet aptis inſeri potuiſſent locis, quæ adhuc Cap. 18. conficiunt, quod ab Auctore loca, quibus immiſceri debebant, indicata non erant, intacta reliquimus. Indicem quoque, quo hic liber plane carebat, ſufficientem collegimus, ſubjecimuſque. Porro numeros ad marginem offendes adjectos, qui Paginas Editionis *Romanæ* indicant, quod monere debuimus, ne cum aliis multis in margine occurrentibus, & vel annos, vel paginas librorum allegatorum demonſtrantibus, confunderes. Præterea nomina propria, aliaque notatu digna literis curſivis (uti dicunt) excudi curavimus. Nemo itaque non, noſtram Editionem *Romana* non ſolum multo eſſe nitidiorem, ſed etiam commodiorem, comparatione inſtituta, videbit. Cæterum induſtriæ noſtræ, Lector optime, fave, ac vale.

J. M. Suareſius. * 2 IL-

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

MAPHÆO BARBERINO

PRINCIPI PRÆNESTES, ERETI DUCI, ETC.

JOSEPHUS MARIA SUARESIUS

EPISCOPUS VASIONENSIS.

Felicitatem.



TI solet esse Dominis gratior, & acceptior, qui eorum è fundis excerpitur fructus, ita confido jucundiorem Excellentiæ Tuæ, fore lucubratiunculam istam meam, congestam super Præneste: *cui è ruinis resurgenti, & splendidius instauratæ (Princeps Optime) felicissimè, atque sapientissimè dominaris;* Romanis *verò ex legibus solo cedit, quidquid superstruitur. Cum igitur Excellentissimæ Familiæ vestræ, sim ipse devotus exasse, devinctusque tot nominibus: crevit enim etiam ingenium quamtulumcumque meum in sacro comitatu & obsequio magni Excellentiæ Tuæ, Patrui* Urbani *VIII. Pontificis Opt. Max. sanctissimæ, suavissimæque memoriæ, crescitque adhuc sub jussa Eminentissimi Cardinalis* Francisci Barberini, *patrui Vestri, Ecclesiæ, ac Christianæ Reipublicæ, reique Litterariæ bono nati, quidquid hoc est opellæ variis è scriptoribus erutum, atque collectum solo vestro superædicavi, totumque offero libens meritò Excellentiæ Tuæ, & sicuti loquuntur Jurisconsulti, repræsento. Insitivus est fructus, &* Barberino *nomini, jure optimo debitus. Temporum injuria, clades bellicæ, rerumque vices mutant, & evertunt omnia. Urbium, quæ floruerunt, & emicuerunt, cadavera in parietinis lapsantibus, in rudibus maceriis, & in dispersis ruderibus dispicimus, passimque calcamus, de compluribus, ecquis illis fuerit locus? exquiritur, neque, vel tenuissima supersunt vestigia; verum hi, quos Excellentiæ Vestræ nuncupo, libelli perstabunt æternum.* Præneste *quater excidium passa, nullum in hisce umquam experietur, si favens tua gratia ipsos benignè, ac perhumaniter excipias, si calculo suo comprobes, si denique paludamenti sui sinubus foveas.* Præneste, *inquam, in tanta sortium, quæ ipsi obtigere, varietate veteris Fortunæ à poëtis confictæ, atque ab Ethnicis cultæ tutelam invalidam, immò perniciosam cum agnoverit, virtutibus Excellentiæ Tuæ fausta, & prospera omnia se debere sentiet, atque grata profitebitur. In illis celebrandis excurrere animus erat, sed vetat, & coërcet exultantem cognita, probeque mihi perspecta excelsi animi tui modestia: quæ dotes eximias, quibus instructus, & cumulatus es, exprimere mavis rebus præclarè, fortiterque gestis, quam gaudeas illas justis licet encomiis prædicari. Vereor præterea ne laudes, si recensere velim, ingenii culpa, penuriaque deteram, neve adulationis specie plenam venerationem imminuam; Habebo sanè quod imputem favori, & gloriæ, meque felicitatis ad apicem censeam provectum, si nempe opusculum istud, cujus vestibulum memorabili*

Tuo

Tuo nomine illustrare audeo, æqui bonique consulueris. Etenim sic pignus, & monimentum mei erga Excellentiam Tuam propensissimi, addictissimique animi non ingratum Tibi ipsi fuisse intelligam, meque majorum, & graviorum operum molimini mox alacrius accingam.

EPIGRAMMA.

Visa inimica suis semper Fortuna colonis
Præneſten variis diruit excidiis;
Sanguine concretum lac Sortis ab Ubere sugens
Jupiter huic urbi sanguinolentus erat:
At nunc mitis erit, Fortunaque prospera, Tuscæ
Dant mel dulce Jovi, quæ dominantur, Apes.

PRÆNESTE

Sub auspiciis Illustriss. & Excellentiss. Principis

MAPHÆI BARBERINI

Ab Illustriss. & Reverendiss. Domino

D. EPISCOPO VASIONENSI

JOSEPHO MARIA SUARESIO

Scriptis illustrata.

EPIGRAMMA

INL. D. Urbani Cerri Patricii Romani.

ARDUA Sullani taceat miracula templi
Præneste, & sortes Sufficii veteres,
Non Pariis jactet pendentia vota Columnis
Non Primigeniæ serta tributa Deæ,
Nec fingat primos Divina ab origine muros,
Marmora nec victi sanguine tincta ducis
Prisca jacent, nova nunc Præneſten gloria tollit
MAPHÆI Imperium, scripta SUARESII.

Nel Libro dell' Illustriss. e Reverendiss.

MONSIG. SUARES

Composta sopra l'Antichità

DI

PALESTRINA.

SONETTO

Del Signor Urbano Cerro Romano.

SE PRENESTE vantò gl'alti Natali
Haver da i Numi, ò da gl' Argivi Heroi,
E s'a'Tempii di lei, fin dagl'Eoi
Tributarii porgean voti i mortali:

Non fiano alle sue glorie hor vanti eguali,
Mentre Heroe più sublime i pregi suoi
Con la Penna rinuova; onde fia poi
Che gli crescan al suol Palme immortali.

Fù PRENESTE Idolatra, hor più non spira,
Fumo d'incenso a' Mostri rei di Lerna,
Nè più mentiti Numi hoggi delira.

Frà tanti Fondator fia che discerna
Qual sia il vero natal, mentre rimira,
Che SUARES quà giù la fonda Eterna.



INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI PRÆNESTES ANTIQUÆ.

LIBRI SECUNDI.

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiss. P. M. Sac. Pal. Apost.

M. Anania Ep. Sut. & Nep. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisucchus, Sac. Palatii Mag. Ord. Præd.





JO



JOSEPHI MARIÆ SUARESII
Episcopi Vasionensis

PRENESTES ANTIQUÆ

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Regione in qua Præneste *posita.*

[Dionys. Halicar. l. 1. Antiq. Rom. Thucydid. lib. 6. Pausan. initio Arcadic. Justinian. Const. 25 de Præt. Lycaon. Dionys. Hal. lib. 1. & 2.]



UGUSTUM illud terrarum spatium, quod *Latium* posteà dictum fuit, indigenæ *Siculi* primi omnium, quorum memoria extat, incoluere. Hi ab *Italo* Rege *Itali* nuncupati sunt, sicut & terra *Italia*. Supervenerunt circa annum ab Orbe condito ter millesimum e *Peloponneso Pelasgi* ducem *Oenotrum Lycaonis* filium sequuti, qui dein *Arcades* nominati fuerunt: at hic quod culmina montium insedissent *Aborigenes* vocitati: & ab ipso duce *Oenotria* quoque regio dici cœpit. Accesserunt & alii *Pelasgi* post centum quadraginta plus minus annos ex *Hæmonia* seu *Thessalia*, per *Dodonen* &
2 *Padi* ostia profecti, & cum his *Evander*: qui conjunctis viribus expulere Siculos, atque oppida in hostico condidere. Reges his præfuisse memorantur *Janus*, *Saturnus*, *Picus*, *Faunus*, & *Latinus*: a quo (cum *Græci* ab *Hercule* in *Hispaniam* tendente dimissi, mox *Æneas*, atque *Trojani* sese illis admiscuerunt) *Latinorum* omnes usurpavere nomen, & universa regio exinde *Latium* appellatur. Atque hoc quidem *Latium* vetus ad *Circejum* usque montem a *Tiberi* flumine protendebatur. Ejusque fines ab Occasu, *Tiberis*: a Meridie, inferum mare: *Anio*, *Sabini*, & *Æqui* a Septemtrionibus: ab Ortu *Volsci*, & *Aurunci* concludebant. Nobilissima & princeps civitas *Alba* in eo extructa triginta Coloniarum parens. Veteri *Latio* mox novum accessit, adjunctis *Hernicis*, *Volscis*, *Æquis*, & *Auruncis*, *Latino* nomine ad *Lirim* usque prolato. Adeo vero crevit intestino damno, ut cum primum servitutem profiteri visa est hæc regio, tunc potissimum fuerit dominata; & a *Romanis* colonis suis domita, non tantum prima *Italiæ* provincia, sed etiam totius terrarum orbis virtute atque armis domiti princeps evasit, & adhuc divina providentia, quemadmodum *Prosper* nostras cecinit.

[Macrob. lib. 1. Sat. cap. 7.] [Liv. lib. 1.] [Plin. lib. 3. c. 6.]

—— Plusquam possederat armis
Relligione tenet.

A

CAP. II.

De Conditore Prænestes.

IN ea igitur regione *Præneste* situm est, oppidum ut antiquissimum sic & celeberrimum: cujus initia poeticis decora fabulis magis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis prodita 3
si commemorem, nullus, ut opinor, mihi vitio vertet; quando hæc venia datur antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et vero illi tempori, quod jure μυθικὸν, seu fabulosum *Varro* dixit, velut infantiæ orbis adeo fuit illusum, excogitatis arte summa commentis, ut Theologiam & Philosophiam, architectonicas rerumpublicarum scientias, non alia ratione Græci, & qui ab his accepere *Romani*, sicut *Ægyptii* olim sub Hieroglyphicis, quam sub fabularum involucro tradiderint: quibus ipsam quoque historiam, hoc est, veritatis lucem ita obfuscarunt, ut eam ex *Hippocrenes* lacunis haurire necesse sit. Conditorem *Prænestes Virgilius* quidem nobis hisce versibus indicat, auxiliares *Turni* recensens.

[Liv. lib. 1.] [Plutarch. in Theseo.] [Lib. 7. Æneid.]

B

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia Regem,
Inventumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus; hunc Legio late comitatur agrestis.
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascit,
Quos Amasene pater: non illis omnibus arma,
Nec clypei, currusque sonant; pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti, vestigia nuda sinistri
Instituere pedes, crudus tegit altera pero.

C

Quibus versibus poeta *Cæculi* ditionem, militem, habitum, atque arma describit pereleganter. *Pompejus* quoque *Festus* tradit a *Cæculo* conditum *Præneste*, unde putant *Cæcilios* ortos, quorum nobilis erat familia apud *Romanos*; quamvis alii appellatos eos dicant a *Cæcade Trojano Æneæ* comite. Legerant ambo *Prænestinos* libros, 4
qui sonabant a *Cæculo* ædificatum *Præneste*, sicut auctor est *Solinus*. Nam *Zenodotus* eodem *Solino* teste ab *Ulyssis* nepote *Præneste* conditum di-

[Sigon. de Antiq. nomin. Rom.] [Cap. 8. Polyhist.]

D

dictumque prodidit: quod & *Martianus Capella* A
Lib. 6. de Nupt. Philol. refert: licet alii velint *Cæculum* conditorem,
quem pignus asserunt fuisse flammarum, sive,
Grotius. ut Solinus ait, *quem juxta ignes fortuito* (sive *for-*
tuitos) *invenerunt, ut fama est Digitiorum* (sive *Di-*
Delrio in Her. cul. Oetæi. p. 374. *gitorum*) *sorores.* *Delrio* quidem Lares a *Præne-*
stinis Digitios dictos opinatur, quod Dactyli
Græcis dicerentur, quia vel viam quasi digito
viatoribus commonstrabant, vel eo protenso
Not. in Cap. lib. de Natur. Deor. lib. 3. sculpebantur. At *Grotius* Digitos putat esse
Δακτύλους Ἰδαίους, de quibus *Cicero* ait: *Tertius*
ex Idæis Dactylis: seu *Digitis*, ut in veteribus
libris scriptum observarunt eruditissimi Viri. *Ar-*
nobius eosdem existimat Lares, Curetas, Samo- B
thracios Indigetes, quosque *Græci* Idæos Dacty-
los nominant. Proponam locum, ut *Salmasius* e
bibliothecæ Regiæ exemplari legit: *In diversis*
Nigidius scriptis modo tectorum domuumque custo-
des, modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur
Jovis æribus aliquando vagitum, modo Digitos Sa-
mothracios, *quos quinque indicant Græci Idæos*
Dactylos nuncupari. tum in calce libri ejusdem.
Aut Curetas pro Laribus invocare, quos Digitos
Samothracios *pars vestrorum asseverat auctorum.*
Idem tamen *Salmasius* in *Solino* non *Digitiorum*,
sed *Icidiorum* sorores scribendum censet, cum
Plin. l. 36. c. ult. Lares οἰκιδίους & κατοικιδίους θεοὺς e glossis, & *Prisci-* C
ano; quin & Curetas, atque Corybantas e Col-
loquiis Græco-Latinis appellatos observarit. Et
Icidios hosce seu Lares, ita dici e comparatione
Servii Regis, quorum sorores juxta focos for-
tuitos invenerunt *Cæculum*, putat esse Divos fra-
tres, quorum *Servius* meminit. De Idæis agit
P. 44. Scholiastes Græcus Apollonii Rhodii in *lib.* 1.
Argonauticôn, & inquirit cur δάκτυλοι dicti sint;
P. 14. Erycius Puteanus in *lib. de Olympiadib.* censet
eo nomine appellatos, quia decem erant, quot
nempe sunt in manibus Digiti, è *Diodoro*, *So-*
phocle, ac *Strabone*. *Servius* tamen horum Di-
vorum sororem unicam *Cæculi* parentem non in- D
5 ventricem memorat: unde viri docti pace dixe-
rim nimis violentam, & putidam esse hanc emen-
dationem. Is erat illorum temporum mos, ut
viri Principes suæ nobilitatis originem, aut in
Deos, aut in Heroas Deorum nothos filios refer-
rent. *Appian.* ubi de *Antone Herculis* filio, de-
que *Antonia* gente apud *Fulvium Ursinum*. Ope-
ræ pretium est adscribere quæ *Servius* ipse in com-
Pag. 627. in lib. 7. Æneid. mentariis ad *Virgilium* profert. *Præneste Ponti-*
fices erant & Dii indigetes, sicut etiam Romæ. E-
rant etiam duo fratres, qui Divi appellabantur.
Horum soror dum ad focum sederet, desiliens scin-
tilla ejus uterum percussit, inde dicitur concepisse: E
postea enixa puerum juxta templum Jovis abjecit,
quem Virgines aquatum euntes juxta ignem inven-
tum sustulerunt, qui haud longe a fonte erat, unde
Vulcani dictus est filius. Cæculus autem ideo,
quia oculis minoribus fuit, quam rem frequenter ef-
ficit fumus. Hic postquam diu latrocinatus est,
collecta multitudine Prænestinam civitatem in mon-
tibus condidit: & cum ad ludos invitasset vicinos
populos, cœpit eos hortari ut secum habitarent, &
pro gloria jactare se filium esse Vulcani. Quod cum
illi non crederent, invocato Vulcano ut eum filium
comprobaret, omnis illius multitudinis cœtus est flam-
ma circumdatus: quo facto commoti omnes simul F
habitaverunt, & Vulcani filium esse crediderunt.
Ital. Antiq. l. 3. Mihi idem videtur quod *Cluverio*, fratres illos
Digitos appellatos: & apud *Solinum* legerim,
quem apud ignes fortuito invenerunt, ut fama est,
lib. 12. c. 77. Geneal. Deor. & Reusn. Ital. *Digitorum a sorore editum.* *Servio* consonat *Jo-*
annes Boccacius, nisi quod favillam casu in gre-
mium *Amatæ* forsan sororis *Dauni* Regis *Ardeæ*
vult evolasse, atque *Cæculum* dictum ob lippitu-
dinem oculorum; & fulmen a *Vulcano* missum,
quo exusti, & perempti fuerint illi obloquentes.

censet etiam illum proprio nomine *Prænestem*
nuncupatum. Sed *Prænesten* quem alii condito-
rem *Prænestis* autumant, auctore *Zenodoto Trœ-* lib. 2.
zenio (qui *Dionysio* teste *Umbricæ* gentis historiam
scripsit, quamquam *Suidas* alium referat *Zeno-*
dotum Ephesium natione *Alexandrinum*, qui *Ro-*
mæ vixerit) hunc inquam *Prænesten* seu *Præne-* 6
stum Ulyssis nepotem, *Latini*que filium vocant
Solinus, *Capella*, & *Stephanus*, seu potius ejus
Epitomastes *Hermolaus*: ita ut *Ulysses* e *Circe La-* V. Πραίνεστος.
tinum Regem *Laurentum*, ille *Prænesten* & *La-*
viniam ex *Amata* susceperit. Sunt qui *Latinum*
Fauni, & *Maricæ* filium fabulantur, uti *Diony-* lib. 1. An.
sius, & *Virgilius*: alii *Fauni* filia ex *Hercule* pro-
gnatum tradunt sicuti *Justinus Pompeji Trogi* bre- lib. 43.
viator. Parentes *Latino* Solem, atque *Circen* attri- lib. 1.
buit *Bartholinus*. Ut ut sit ab hoc *Præneste* oppi- Austriad. & ibi
dum extructum accepisse quoque nomen prædi- Spiegel.
cant. Tertia opinio est *Plutarchi*: qui postquam Parallel.
egit de *Hegesistrato Ephesio*, subdit, *Telegonum* cap. ult.
Ulyssis, & *Circes* filium ad perquirendum paren-
tem missum, urbem ut ibi conderet monitum
fuisse, ubi videret agricolas gestare coronas, at-
que choreas ducere: Is cum venisset in quem-
dam *Italiæ* locum intuens rusticos ilicis ramis
redimitos ædificavit urbem, ab eventu *Prene-*
stum nominans, quam *Romani* voce detorta *Præ-*
nestum vocant, idque tradit ex *Aristotelis Itali-*
corum tertio. Hinc *Richardus Bartholinus Præ-* l. 1. Austriad.
nestem vocat Fatidicam *Ææi* hospitis urbem: Id
est. *Telegoni*, quem *Propertius* etiam *Ææum* no-
minat. *Cluverius* demum, cum *Præneste Græ-* lib. 3. Ital. Antiq. pag. 953.
cam esse urbem antiquissimi auctores tradiderint,
aliique etiam *Telegonum*, alii *Prænestum Latini*
filium origini ejus admiscuerint, haud perinde
dubiis hinc argumentis colligit, hanc quoque
cum reliquis prisci *Latii* oppidis a primis *Lati-*
nis, sive *Pelasgis*, atque *Aboriginibus* duce *Evan-*
dro vel de novo conditam, vel pulsis inde primis
cultoribus *Siculis* occupatam fuisse. quorum hoc lib. 7.
haud obscure innuit *Virgilius*, qui quamvis in
Turni acie fingat *Prænestis* conditorem *Cæcu-*
lum, tamen *Evandrum* postea introducit filium lib. 8.
suum, quem in auxilium *Æneæ* mittebat sic ad-
fantem:

O mihi præteritos referat si Jupiter annos, 7
Qualis eram cum primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi, scutorumque incendi victor acervos,
Et Regem hac Herilum dextra sub Tartara misi,
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda,
Ter letho sternendus erat; cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis:
Non ego nunc dulci amplexu divellerer unquam
Nate tuo.

Herilus iste *Feroniæ* (quæ Nympha *Campaniæ*,
& Libertorum Dea erat) filius fuisse videtur vel
rex, vel dux quidam *Siculorum*, qui *Latinis* in-
gruentibus *Præneste* tuebatur. *Plautus Præneste* Captivi.
numerans inter Barbaricas urbes fulcit non parum Sc. 2.
conjecturam *Cluverii*. Tanta igitur hujus urbis act. 4.
antiquitas est, ut quæ annis amplius CIↃIↃ an-
te JESUM CHRISTUM natum condita sit. unde & lib. 1.
a *Livio* numeratur inter alios prisci *Latii* popu-
los. Prudenter equidem ac tempestive observat
Servius, licet multi de urbibus *Italicis*, atque In Suprafat. locum Virgilii.
totius orbis plenissime scripserint, apud omnes
tamen, si diligenter advertatur, de auctoribus
conditarum urbium dissensionem inveniri; adeo
ut ne Urbis quidem *Romæ* origo possit agnosci.
Si igitur tantæ civitatis certa ratio non apparet,
non mirum est si in aliarum opinione dubitatur:
unde nec historicos, neque commentatores va-
ria dicentes imperitiæ condemnare debemus.
Nam antiquitas ipsa creavit errorem, & pleri-
que fundant, plerique augent, & ad se transfe-
runt

runt nomina; quam rem etiam non parvum errorem afferre manifeſtum eſt. *Latinum* regem *Laurentum* conditorem *Præneſtis* canit *Facius* de *Ubertis*, ſeu potius Coloniæ ductorem, ut inferius patebit.

8

CAP. III.

De Nomine Præneſtes.

[lib. 7. & 8. Æn.] [lib. 17.] [Salmaſ. in Solin. pag. 63.] [Plutarc. Appian. Strabon. Dionyſ. Stephani Breviatori.] [lib. 4. de L. L.] [lib. 1. Bel. Civ. lib. 5]

QUod attinet ad *Præneſtes* nomen, olim *Præneſte altum*, & *Præneſte ſub ipſa*, *Virgilius* cecinit: utrobique *Servius*, qua neutrum, qua fœmininum eſſe adjungit. & ſic *Priſcianus*: dicebatur enim & hoc *Præneſte*, & hæc *Præneſtis*. *Præneſte ſub ipſa*. apud *Virgilium* figura Syntheſis videtur *Aldo* ſeniori, quæ diſcordat cum voce, cumque ſuo concordat ſignificatu: ita *Camerino* ſub ipſa ſcilicet civitate: ſic dicitur Lilium eſt albiſſimus florum. *Græcis* ὁ Πραίνεςος enuntiabatur, ſeu Πραινεςὸς *Suidæ*: at *Ptolemæo* τὸ Πραίνεςον. quin *Ergaſiſtus* paraſitus apud *Plautum* jurat *Hegioni* νὴ τὰν Πραινέςην, quamvis illud τὴν, ſeu τὰν ad πόλιν referat *Cluverius*. ab eo *Præneſtini* dicuntur oppidani, teſte Varrone. *Græcis* ςινοι: præſertim *Stephano*, ſeu *Hermolao*. quin & Πραινεςῖνοι *Appiano*, & Πραινεςηνοὶ ut in *Dionyſio* ſcribitur corrupte, ſicuti quidam volunt, exſcriptum poſterioris ævi vitio. Sed in has Grammaticorum tricas declinare non eſt animus. Inter famoſa oppida ad occidentalem Oceanum memorat *Aethicus*, qui *Theodoſii* M. ævo vixiſſe videtur, *Penetre*: ubi *Simlerus* notat ita ſuo in exemplari legi; cum alia manu adnotetur, *Peneſtre*, *Preneſte*. *Procopius* vocat paſſim Πενεςρίνην portam. Anno a CHRISTO nato DCCXLIII. Synodo primæ *Romanæ* ſub *Zacharia* Papa habitæ ſubſcripſit *Venantius*, Epiſcopus *Penetri*; qui apud Binium *Venantius*, ſeu *Valentius* Epiſcopus *Præneſtinus* dicitur: ſecundæ quoque Anno DCCXLV. coactæ interfuit

[In Gotthic.] [Caſſinen MS. Tom. 3. Concil.] [Action. 7.]

9 ſupraſcriptus Præſul *Præneſte*, ſeu *Peneſtræ*: ſeu S. Eccleſiæ *Præneſtinæ*. Et mendoſi ſunt codices Oecumenici concilii ſeptimi, ubi *Joannes* ἐπίσκοπος Πρενέςε pro Πραινέςε refertur an. DCCLXXXVII. ſicut & Synodi *Romanæ* ſub *Martino* PP. an. DCXLII. ubi Μαύρινος ἐπίσκοπος Πρενέςης recenſetur, pro Πρενέςε etiam, niſi forte Πρενέςη quoque dicta fuerit, & in *Plauto* πόλις non ſubintelligatur, & inde Πρενεςηνὸς recte producatur. Inter monumenta *Tiburtina* in diplomate *Benedicti* IV. vel VII. ut juſtius putavi, dato XII. Kal. Januar. anno Pontificatus primo, non ſeptimo. (recte namque incurrit in ſecundam Indictionem, & annum ſeptimum imperii *Ottonis Secundi*, a CHRISTO nato CMLXXV. hujus Pontificis annus natalis, ſeu primus) ſilex magna de *Peneſtrina*, & Sancta *Peneſtrinen.* Eccleſia nuncupantur. Omitto tabulas complures, quas ex *Archivis* promptas proferam conſcriptas decimo atque undecimo ſeculis. Sub calce quidem Seculi XIII. & toto XIV. *Peneſtrinus* Epiſcopus, & *Peneſtre* vulgo appellabatur in Bullis Pontificiis, & chartulis. hodie paſſim *Paleſtrina*, & *Peleſtrina* nominatur, quin & *Pileſtrina*. Eam quondam *Stephanen* dictam *Plinius* tradit, qui corrigendus magni nominis Grammatico videtur, legendumque: *Urbe quondam Polyſtephano dicta*. Sed *Strabo* Πραινεςὸν πολυςέφανον καλεῖσθαι πρότερον ſcribit, unde *Stephani* epitomaſtæ detegitur error, qui *Tiburi* adſcribit hoc nomen. certe *Strabo* ex illo urbem ἑλληνίδα, ſive Græcæ originis eſſe evincit. Πολυςέφανος autem munitam deſignabat urbem, quæ muris, ſeu murorum coronis cincta eſſet firmiſſimis. Ut *Dionyſio Afro* Κρότων ἐϋςέφανος: *Pindaro*, Ἴλιον μέλλοντες ἐπὶ ςέφανον τεῦξαι: *Anacreonti*. Νῦν δ' ἀπὸ

[Leand. Albert. Ital. Deſcript. lib. 3. c. 5.] [lib. 5.] [Phil. Ferrar. Topograph. Martyr.]

A μοι πόλεος ςέφανος ὄλωλεν. Forte ita dicta urbs *Præneſte* quaſi multis coronis digna, vel a copia coronarum: vel a ruſticis, quos ornatos coronis *Telegonus* reperit.

[Beroald. in c. 77. Suet. Aug. & in Eleg. 32. l. 2. Propert.] 10

CAP. IV.

De Præneſtes *Etymo.*

[lib. 7. Æneid.] [Merula. A. Schott. in Itiner.]

Etymon varium eſt. *Cato* dicit *quia is locus montibus præſtet*, *Præneſte* oppido nomen dedit, teſte *Servio*: quod & *Feſtus* refert hiſce verbis: *Præneſte dicta eſt*, *quia is locus*, *quo condita eſt*, *montibus præſtet*. *Servius* ἀπὸ τῶν πρίνων hoc

B eſt, ab ilicibus, quæ illic abundant, trahit. Alii denique ἀπὸ τοῦ πρηνές, ſcilicet quod præceps, & edito loco ſit ſita dictam *Præneſte* voluerunt: ſive ἀπὸ τοῦ πρηνέος, quia pronus, & declivis eſt locus. Sed hæ nominis origines Grammaticæ ſunt. magis autem Hiſtoricæ, quæ repetuntur a *Præneſte Latini* filio conditore, vel ἀπὸ τῶν πρίνων a ramis ilicum, quibus revincta erant capita ſaltantium agreſtium, in quos incidit *Telegonus*: unde πρίνιττον, ſeu πρινιςὸν deducit *Plutarchus*. Etymologiis quidem inveſtigandis inſudantes mihi ſemper præterita vaticinari viſi ſunt: utque contingit illis, qui ad ſcopum ſagittas dirigunt, interdum collineare atque attingere; ſic

C Etymologici nonnunquam etiam divinando verum aſſequuntur.

CAP. V.

De Situ Præneſtes.

Sed ut incerta eſt urbis nominiſque origo, ita certior ejus eſt ſitus, qui in *Latio* prima *Italiæ* provincia, mediterraneus, & propinquus *Æquis*, atque *Hernicis*, & intra montes, ſeu in montana regione, haud longe ab Urbe *Roma*; a qua diſtat in Ortum æſtivum XXI. mille 11 paſſibus, ſeu centum LXX. ſtadiis. Inter *Tibur*,

D a quo in Eurum XII. millibus paſſuum abeſt, ſive centum ſtadiis, & *Anagniam*: in conſpectu *Romæ* loco edito in montis meridionali latere. Olim equidem tum ſummo in jugo montis aſſurgebat, ubi hodieque arx incolitur, tum ad radices ipſius montis, qua cryptarum, & parietinarum veterum ſuperſunt plurima monumenta ſub Æde Fortunæ, quæ montis in clivo conſtructa gradatim opere ambitioſiſſimo viſebatur. Nunc vero illius Ædis in ruinis palatium attollitur inſtar theatri, e quo ſubjectum in agrum, & feraces in valles ad *Algidum* & *Tuſculanos* uſ-

[Ptolem. l. 3. c. 1. Geogr.] [Funger.] [Strabon.] [Ferrar. Topog. Martyr.]

E que colles, atque longius jucundiſſimus, & amæniſſimus patet proſpectus. Montem, in quo Civitas eſt *Præneſte*, a *Vibio Sequeſtro Aventinum* vocari putabit, qui auctoris illius recenti editioni a *Philippo Mauſſaco* adornatæ hærebit, uti *Paulus Merula*, qui quondam *Aventinum* nunc *Aretinum* dici e *Vibio* tradit, & *Ortelius*: quibus accederem niſi in vetuſto Codice, qui anno MCDXXXVIII. exaratus fuit, reperiſſem ſcriptum, *Apenninum Italiæ uſque Præneſte*. quamvis etiam in vetuſta editione *Romana* legatur, *Aventinum*, *in quo Civitas Præneſte*: & jam olim a *Joanne Boccatio*, ita lectum fuerit, non

F *Atentinum*, uti ſcribit *Ortelius*; niſi apud illum falſæ ſint operæ. Et *Franciſcus Schottus* in Itinerario olim *Aventinum* (ut *Sequeſter* ait), nunc (ut habent Lexica) *Aretinum* dictum aſſerit. Sed montem illum excelſum ſuper ipſum *Præneſte* arcis loco eminere, & retro a continuo montium tractu anguſto quodam tranſitu quaſi cervice divulſum teſtatur *Strabo*, cujus verba lubet appingere. Poſtquam enim ἐρυμνότερον id eſt,

[Part. 2. Coſmogr. l. 4. c. 5. c. 32.] [Theſaur. Geogr.] [Aventin.] [lib. de Montib.]

munitiorem *Tibure Præneſten* ſcripſit, adjicit: ἄκρον γὰρ ἔχει τῆς μὲν πόλεως ὕπερθεν ὄρος ὑψηλὸν, ὄπισθεν
12 δ' ἀπὸ τῆς συνεχούσης ὀρεινῆς αὐχένι διεζευγμένον. ὑπεραῖρον καὶ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀνάβασιν. πρὸς δὲ τῇ ἐρυμνότητι, καὶ διώρυξι κρυπταῖς διατέτρηται πανταχόθεν μεχρὶ τῶν πεδίων, ταῖς μὲν ὑδρείας χάριν, ταῖς δ' ἐξόδων λαθραίων. Hunc montem a *Strabone* deſcriptum non dubitat *Blondus* eum eſſe, in quo eſt munitiſſima arx, dicta *Rocca Cavarum*, *Blondum*que ſecutus *Leander Albertus* idem refert: ſed uterque fallitur. Cum *Strabo* prominens illius jugum in quo arx *Præneſtes* ſita eſt haud dubie intelligat. In ejus montis culmine antiquos habitaſſe colligitur ex verbis *Virgilii:*

Quique altum Præneſte colunt.

& ex nominis ipſius Etymologia. Adtexo *Paulinum Nolanum* ſanctitate, ac eruditione celebrem in verſibus.

Quos Præneſte altum, quos fertile paſcit Aquinum.

Liquet etiam ex *Juvenale*, qui de *Cetronio*, ſeu *Centronio*, ita canit *Sat.* XIV.

Ædificator erat Cetronius, & modo curvo
Littore Cajetæ, ſumma nunc Tiburis arce,
Nunc Præneſtinis in montibus alta locabat
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus vincens Fortunæ atque Herculis ædem?
Ut Spado vincebat Capitolia noſtra Poſides.

Erat hic *Poſides* libertus gratioſus *Claudii Cæſaris*. In *Bajano* Poſidianæ aquæ vocantur, nomine accepto a *Claudii* Cæſaris Liberto: Plinius id teſtatur *lib.* XXXI. *Natur. Hiſtor. c.* 2. de *Poſide* iſto haſta pura donato in Triumpho Britannico, *Suetonius*, & Seneca in *Ludo de Morte Claudii Cæſaris* agunt. [P. 440.]

Dum ſic ergo habitat Cetronius imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen menſura relictæ
Partis erat, totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.

Idem pauperem foris commodius, quam in Urbe habitare oſtendens, *Sat.* III. ubi *Britannicus* ex *Feſto*, *Virgilio*, & *Strabone* videndus. [Satyr. 3.]

Quis timet, aut timuit gelida Præneſte ruinam,
Aut poſitis numeroſa inter juga Volſiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut prona Tiburis arce?

Confirmatur etiam his *Symmachi* verbis: *Animum meum Campani littoris commemoratione ſolici-* [lib. 7. ep. 35. ad Decium.]
13 *tas, ſed nobis in Præneſtino rure degentibus non minus ſuppetit voluptatum, ſint licet plures hominum ſententiæ, quæ maritimis montana poſtponant. Ego tamen vitandis æſtibus magis judico nemoroſa quam cultu aperta congruere.* Sed longe antea *Pyrrhus*, ut auctor eſt *Florus*, *prope captam urbem a Præneſtina arce proſpexit*. Quin etiam teſte Sancto *Gregorio* Magno, *Præneſtinæ urbi mons præeminet, in quo Beati* Petri *Apoſtoli monaſterium ſitum eſt*, quod adiit ipſe Sanctus *Gregorius*. Unde cum ibi ædificia, villæ, arx, atque monaſterium eſſent, haud dubium quin frequentes incolæ jugum illud inhabitarint. *Farfenſes* tabulæ tradunt a *Benedicto* VIII. Pontifice *Romano Joannem* Marchionem in Turribus *Peneſtrini* (ita tunc loquebantur) montis obſeſſum, & mox mentitum fuiſſe de *Peneſtrino* monte nolentem reddere, ſicuti promiſerat, anno a CHRISTO nato circiter MXII. Et in Vita Beatæ *Margaritæ Columnenſis* legimus, eam manſiſſe in monte *Præneſtino* prope *Romam* in domo paterna velut in Monaſterio cum quibuſdam aliis, & ibidem obiiſſe ad annum a Virginis partu MCCLXXXVI. ſed cum ſedente *Bonifacio* VII. *Præneſte* tandem poſt gravem obſidionem pactis legibus dedita eſſet & diruta, & in valle reædificata, Civitas Papalis appellata fuit. Unde *Theodoricus Rainerius* Cardinalis Epiſcopus Civitatis Papalis nominatur, in annalibus *Ptolemæi Lucenſis*, & apud *Ciaconium*. [lib. 1. c. 18.] [lib. 3. c. 21. Dialog.] [Chron. Farfenſe in Hugon. Abb. c. 32.] [Append. Faſcicul. Temp. Mariani MS. Toſſinian. Wading.]

A mox autem extincto *Bonifacio Columnenſium* familia *Præneſte*, & ipſa *Præneſte* nomen recepit. Nam & *Sciarra Columnenſis* ſenex ibidem obiit: & *Jacobus* filius *Stephani* cum *Romæ* promulgaſſet *Joannis* XXII. adverſus *Ludovicum Bavarum* diploma, eo confugit: & *Calumnenſes* ibi obſedit *Nicolaus Laurentii Tribunus*. demum *Joannes Vitelleſcus Eugenii* IV. Legatus in *Columnenſes* exercitum ducens, *Præneſten* rurſus obſeſſam, præciſo aquæ ductu, qui unicus præbebat urbi potum, capit: & mox rebellionem meditantem funditus evertit, *Præneſtinis Romam* migrare juſſis anno MCCCCXXXV. Itaque ruinæ erant nobili- [Bullæ Bonif. VIII. Platin. Bzov. Blond. Jovius, Henninges. Villan. Ciacon. Vita Cola di Renzo.] 14

B tatis antiquæ, lacera hinc atque inde palatia jacebant, & templorum disjecta rudera, & murorum quadrati lapides vix credibilis magnitudinis, dum eo venit *Pius* II. auctore *Gobelino*, & agreſtes habitabant pauci, quos ſola ſoli retinebat ubertas. Nam *Stephanus Columnenſis* ſedente *Nicolao* V. muros inſtauraverat, habitatores reduxerat, & arcem in ſummo vertice montis ædificarat: iſque etiam hodie ſitus Urbis eſt, eademque facies. Portæ arcis adhuc inciſa legitur hæc inſcriptio: [Plat. Bzov. Blond. lib. 6. Comment. Pii II. p. 169.]

C MANIFICVS. DOMINVS
STEPHANVS. DE. COLVMNA
REÆDIFICAVIT
CIVITATEM. PENESTRE
CVM. MONTE. ET. ARCE
ANNO. MCDLXXXII.

Quamquam frequentior cultiorque creverit, & nunc ſub URBANO PONTIFICE, Principeque THADDÆO BARBERINO Urbis Præfecto (at hodie ſub *Alexandro* VII. Pontifice Maximo, & Principe *Maphæo Barberino* cum à tempore omnia humana rapiantur, & nos ex eo aliquid invicem rapere debemus, ut admonet *Vincentius Lirinenſis*. Itaque, ut meæ in urbe [P. 660.]

D moræ poſt longinquam, & diuturnam abſentiam (annorum ſcilicet XVIII plus minus) fructus aliquis ſupereſſet, non paſſus ſum intercidere, ac perire, quæ olim de *Præneſte* hic laborioſe coacervaram, & accumularam, quorumque portio bene magna jam emerſerat e prælo. Sed ea quamvis Μείουρα, imo hiulca, & interrupta, ſarcire aggreſſus impulſore, ac ἐργοδιώκτῃ Eminentiſſimo Mecænate *Franciſco* Cardinale *Barberino*, ſub incudem revocavi, mihique ſum viſus abſolvere. Nihil mirum igitur ſi duos hic Pontifices Maximos, duoſque Principes optimos enumerem. Anni etenim (uti docuit me [In commonitor.]

E *Sidonius Arvernorum* Epiſcopus) non tam de frugibus, quam de bonis Principibus ſunt æſtimandi) caput erigit, movet lacertos, & quaſi reddita juventute refloreſcit.

CAP. VI.

De agro Præneſtino.

Qua regnum *Latini* fuit, univerſus ager dictus *Latium* particulatim oppidis cognominatus, ut a *Præneſte Præneſtinus*, ab *Ari-*

F *cia Aricinus*, ſcribit *Varro*. Latiſſimus ille fuit olim, & ſub ditione *Præneſtinorum* octo fuiſſe oppida T. *Livius* teſtatur. & a *Romanis* agro mulctatos *Præneſtinos* quod *Pedanis* auxilium tuliſſent. neque tantum ob rebellionis crimen, ſed quod tædio *Romani* Imperii cum *Gallis* gente efferata arma quondam conſociaſſent, idem auctor eſt ad annum Urbis Conditæ CDXIV. Ceterum *Strabo* de *Præneſtinæ* Urbis ſitu ejuſque ad res novandas opportunitate ſic ſcribit: *Ut aliæ Urbes propter rerum copiam, & opulentiam, murorumque firmitatem, & ſitum munitum felices cen-* [lib. 4. L. L.] [35 Dec. 1. lib. 6. c. 29.] [lib. 8. c. 13.] [lib. 5. Geogr.]

ſen-



sentur; ita horum ergo Præneste *infelix evasit: ipsique fuerunt exitio, quæ aliis maximo solent esse usui, atque præsidio. Nam flagrante bellis civilibus & seditionibus Urbe* Roma, *factiosi homines, qui res novas moliebantur eo velut in arcem confugiebant. idcirco* Præneste *obsessa, expugnata, & vastata, agerque ademptus, culpa etiam in insontes translata.* Unde etiam bellorum civilium tempore *Syllæ* jussu veniisse sub hasta *Præneste* inter alia splendidissima *Italiæ* municipia docent *Florus*, & S. *Augustinus:* agrum etiam *Prænestinum* veteranis assignatum sub *Octavio Cæsare*, atque ideo *Fulviam Marci Antonii* uxorem cum *Lucio Antonio* belli sedem ibi cæpisse contra *Octavium*, colligitur ex Epitome *T. Livii*. *Cicero* certe clamat: *At videmus (ut longinqua mittamus) agrum Prænestinum a paucis possideri.* Et *Sextus Julius Frontinus* libello de Coloniis, *Præneste* inquit, *oppidum, ager ejus a Quinque viris pro parte in jugeribus assignatus est, ubi cultura est. Cæterum in absoluto est relictus circa montes, iter populo non debetur.* Florebat *Frontinus Trajani* ævo; ex quo *Siculus* agrimensor eadem repetit.

lib. 3. c. 21. De Civit. D. lib. 125. Orat. 2. de Lege Agraria.

16

CAP. VII.

Ut Asylum fuerit.

Fuit præterea Asylum *Præneste*, idque *Polybius* diserte probat, *Romanæ* Urbis politiam describens hisce verbis: ἔστι δ᾽ ἀσφάλεια τοῖς φεύγουσιν ἐν τῷ τῇ Νεαπολιτῶν, καὶ Πραινεστινῶν, ἔτι δὴ Τιβουρίνων πόλει, καὶ ταῖς ἄλλαις, πρὸς ἃς ἔχουσιν ὅρκια. *Securitas vero est profugientibus Neapoli, & Prænestæ, etiam Tiburi, & aliis in oppidis, ad quæ sacramenta habent.* *Romani*que cives exilii caussa solum vertere in eas uti liberas Civitates solebant: ejus rei exempla aliquot proferemus. *P. Furius Philus* Prætor citerioris *Hispaniæ* adductus ad recuperatores, & accusatus gravissimis de criminibus, cum dicenda de integro caussa esset, excusatus exilii caussa solum vertit, & exulatum *Præneste* abiit, uti *Matienus Tibur*. *P. Licinio Crasso*, & *C. Cassio Longino* Coss. *Tiberii* Cæsaris pater Prætura functus, cum exitu anni discordia inter Triumviros exorta esset, retentis ultra justum tempus insignibus, *Lucium Antonium* Triumviri fratrem ad *Perusiam* sequutus, deditione a cæteris facta solus permansit in partibus: at primo *Præneste*, inde *Neapolim* evasit, servisque ad pileum frustra vocatis in *Siciliam* profugit. Asyla quidem ista optimo consilio instituta tum ad replendas, & augendas colonis Urbes, tum ad conservandam hominum vitam. Erant apud *Hebræos* sex evasionis seu refugii ac receptus Urbes ex mandato divino: illuc qui percusserant hominem ignoranter sese recipientes salvi & incolumes erant, atque tuti. Lucum ingentem *Romulus* acer Asylum esse jussit. *Athenis* aram misericordiæ, & *Ephesi Dianæ* templum Asyla fuisse constat: ne quid dicam de *Poneropoli Philippi*. Sed cum Asyli jus ex templi celeberrimi veneratione haud dubie ortum sit, ad ejus descriptionem interim lectorem differimus.

lib. 6. hist. Rom. — Cardul. ad pas. SS. Getul. & Aman. — Liv. l. 43. — Sueton. c. 4. in Tiber. Numer. c. 35. Dion. Halic. Liv. Virgil. Juvenal. Serv. in Virgil. Act. Apost. c. 17. Theophil. in Instit.

17

CAPUT VIII.

De Arboribus.

Nunc ex ipsa civitate in agrum ejus lustrandum ac describendum tantisper concedemus. *Theophrastus* omnem *Latinorum* agrum hisce verbis depingit. ἡ δὲ Λατίνων ἔφυδρος πᾶσα. καὶ ἡ μὲν πεδινὴ ἔχει μυρρίνην, καὶ ὀξύην θαυμαστήν. Τηλικαῦτα γὰρ μήκη τέμνουσιν, ὥς εἶναι διὰ νεὼς τῶν Τυρρηνίδων ὑπὸ τὴν τρόπιν. ἡ δὲ ὀρεινὴ πεύκην, καὶ ἐλάτην, &c. *Latinorum autem ager universus aquis scatet: & planities quidem habet myrtum, atque sciscimam mirandam,* (ad fagi genus a nonnullis refertur, quæ ὀξύη a *Theophrasto* dicitur, a *Gaza* sciscima: *Plinius* Ostryam vocare videtur) *tantæ namque longitudinis eam secant, ut apta sit ad navem e Tyrrenicis pro carina. Montana vero regio piceam, & abietem,* &c. Hæc *Theophrasti* verba cum de cæteris agri *Latini* partibus intelligenda sint, tum vero *Prænestino* præcipue conveniunt. Ille enim & qua planitie protenditur, & qua montibus assurgit arbores plurimas, quales *Theophrastus* describit, & procerissimas etiam nunc producit: cujus rei fidem facit vel unica illa sylva quæ Civitatem proxime adjacet.

lib. 5. hist. plan. c. 9. — l. 13. hist. nat. cap. 21. Dodonæ l. 4. c. 11. Pempt. 6. hist. stirp.

CAP. IX. 18

De Aquis, & Veresi Fluvio.

Si quis autem ager, *Prænestinus* profecto irriguus est. Nam & Urbem ipsam plurimis cuniculis occultis perforatam fuisse usque ad planitiem & campos e *Strabone* retuli superius, & aquæductuum caussa cuniculos miro opere fabricatos in diversas agrorum partes fuisse: unde & C. *Marium* adolescentem *Præneste* obsessum per illos erumpere conatum foramine e terra emersisse *Vellejus* scribit. *Strabo* cum *Prænestinum* agrum descripsisset, subjungit eum *Veresi* fluvio irrigari. ῥεῖ δὲ διὰ τῆς χώρας οὐέρεσις ποταμός. Hinc ad *Verrestim* fluvium locat *Prænesten Merula*, quem *Verrestum* vocat *Leander*. *Veresim* amnem a *Gallicano* oppido in *Anienem* defluere putat *Cluverius*; & ostendisse se ait, pugnatum a *Latinis* cum *Romanis* haud procul radicibus *Vesuvii* montis, qua via ad *Veresim* ferebat, & victos *Latinos* cum *Decius* se devovisset *T. Livius* narrat: sed *Cluverium* aut memoria lapsum, aut promissi oblitum puto. Aquas *Prænestinas* memorat *Blondus Flavius*. sed variarum formarum, sic aquæductus appellant, & fontium indicem contexuit vir peramicus, & recentiora nomina apposuit.

lib. 2. hist. — lib. 5. Geogr. — l. 4. p. 52. Cosmog. — Descript. Latii. — l. 3. Ital. Ant. & l. 2. c. 10. — lib. 6. — Decad. 3.

CAP. X.

De Vinis & Latifundiis.

Prænestina Vina celebrat *Andreas Baccius*, Latifundia *Martialis*, in futorem canens.

Prænestina tenes decepti regna patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.

Excolebantur quippe vastissima, ut idem innuit, de hortis *Julii Martialis* agens; quorum tamen pauca jugera illis præfert: 19

Vos nunc omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneste domate.

Consulendus Athenæus *lib. 1. Dipnosoph. c. 15.* ubi Πραινεστῖνον καὶ Τιβουρτῖνον λιπαρώτερον Μαρσικοῦ τὸν οἶνον esse affirmat e *Galeno*. Vinum *Prænestes* celebrat quoque *Joannes* Geometra, ut inferius observavi, & oleum. Ibid. v. 22. post *quæras* de fundis *Cejano*, seu *Sejano*, Thermulæ, ac *Cilonis Prænestino* in territorio, R. P. *Philippinus in Antiqq. SS. Silvestri, & Martini* agit: *de Domo Cilonis Descript. Urb.* & ibi Pancirolus: *de L. Flavio Cilone splendidissimo Præfecto* Cujacius. Sed age nomina quoque fundorum agri *Prænestini*, quæ ex vetustatis naufragio supersunt, colligamus. In Vita S. *Sylvestri* Papæ,* quam ex Pontificali *Damasi* profert Binius *Tom. 1. Concil.* sic legimus: *Constituit B. Sylvester I. Papa in Urbe Roma titulum suum in regione tertia juxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ, titulum videlicet Sylvestri, ubi donavit Constantinus*

l. de Vin. — l. 9. epigr. 73. — l. 4. Epigr. 51. — lib. 2. c. 9. — l. 10. c. 26. Observat. jur.

A

nus Augustus fundum Cejanum in territorio Prænestino, præstantem solidos quinquaginta; Fundum Termulas (seu Thermulas) *in territorio Prænestino præstantem solidos triginta quinque, possessionem Cylonis* (forte *Cilonis* Præfecti Urbis, ad quem exstat, epistola *Severi*) *in Territorio Prænestino, præstantem solidos quinquaginta quinque*, &c. Hæc inquam *Binius* ex Pontificali, quæ in *Moguntina* editione *Anastasii* frustra quæras. *Sixtus III.* fecit, seu refecit Basilicam Sanctæ *Mariæ*, quæ ab antiquis *Liberii* cognominabatur, juxta macellum *Liviæ*, ubi & obtulit inter alia *possessionem Marmoratam in territorio Prænestino, præstantem solidos centum quinquaginta duos.* Factum hoc ad annum Christi ccccxxxii. Sic Ecclesia *Romana* primitias donorum e *Prænestino* agro excerpsit, & delibavit fructus primævæ pietatis. In *Prænestinorum* finibus jacebat *Cæsariana* possessio, *Symmacho* teste: possessionem *Celeris* in territorio *Asiliano*, quod sub diœcesi *Prænestina* regitur, *Sixtus* III. attribuerat Basilicæ *Liberianæ*. *Gaviniana*, seu *Gabiniana* prædia recensent Jurisconsulti, quæ *Zagarolæ* fuisse nonnunquam sum opinatus, ubi Venus *Gabinia* colebatur, uti liquet ex Inscriptione, quam e *Grutero* profero.

ff. de offic. P. V. de Cilonis domo Notit. Urb. & Pancirol.

Anast. Bibl. in in Sixto III.

lib. 10. epist. 4. ad D. Theodos.

A. August. de propr. nom. Pandect.

20

Inscript. p. 169.

VENERI. GABINIÆ. ET. ALBANÆ. SANCTÆ PRO. SALVTE. L. GENII. PRIMIGENII. ET SECVNDINO. FILIO L. IVNIVS. FELIX. PATR. CVPEDINIS II. AER. P. S. POS.

Sed *Zagarolam Gruterus* ipse atque *Ligorius Gabios* fuisse censent; *Cluverius Labicum*, immemor a se *Gallicanum* assertum *Labicum*: & mox convenire nullum æque locum *Pedi* descriptioni atque *Gallicanum* pronuntiatum: ego *Gabiniana* illa prædia esse putarim oppidum, quod *Gabinianum*, seu *Cavignano* hodieque appellatur: cujusque Domini erant Comites, & haud procul *Signio* situm est. In montibus *Prænestinis* sitam villam *Horatii*, ubi S. *Joannis* in campo *Horatii* nunc appellatur, refert *Blondus*. Fundum quoque *Cæsarianum* in INT. id est, in integro, formula vetus est, de qua Torrig. *part.* I. *Memor. Sancti Petri.* In via *Penestrina* miliario xxx. recenset Notitia fundorum juris tituli Sanctorum *Joannis* & *Pauli* marmoribus insculpta, cum diplomate *Gregorii Secundi* ut videtur, cui ad latus *Constantini* Servi Servorum nomen incisum. Fundum Luco in territorio *Prænestino* commemorat *Leo* Papa VII. anno Pont. II. Indictione x. Fundum ΩΛΕΡΑΝΟΝ, pro ΩΛΕΒΑΝΟΝ Notitia προαστείων, seu villarum & fundorum spectantium ad Monasterium S. *Erasmi Romæ*; quæ incisa marmori effossa nuper fuit in Vaticano: eandem insertam legi Regesto veteri *Sublacensi.* Sed Oleranum illud Olebanum esse *Joannis* X. & *Paschalis* II. literæ convincunt; quod hodie *Prænestina* etiam in diœcesi situm est. Eadem notitia Fundum ΛΟΝΓΙΑΝΟΝ ΜΙΚΡΟΝ, & ΜΕΓΑ adnumerat: quorum alterum ego Lunianum arbitror *Prænestinæ* diœceseos vicum. Fundum qui appellatur Semessanum in integro positum in territorio *Prænestino Joannes* Pontifex X. recenset, ut & Fundum *Donabelli* anno Pontificatus III. Christi cmxxv. Fundos Semisanum, & *Donabelli* in territoriis *Tiburtino*, & *Prænestino* locat *Otto* II. Imperator, anno V. Imperii. Atque his e fundis, villis, & possessionibus succreverunt, & ex oppidorum octo, quæ *Prænestinis* olim suberant, ruinis exsurrexere oppida & vici, qui nunc in diœcesi *Prænestina* numerantur: nempe *Cavarum*, *Genistani*, *Paliani*, *Surronis*, *Rojatis*, *Asilarum*, *Pontii*, *Olibani*, *Civitellæ*, *Pisciani*, *Sancti Viti*, *Capranicæ*, *Arcis Cavarum*, *Lugnani*, *Zagaroli*, *Gallicani.*

In Tabula Italiæ. Ital. Antiq. p. 947. 900. 954. 966.

Ital. Illustr.

21

CAP. XI.

De Floribus, Fructibus, & Nuculis.

NEque deerant horti: cum florum, atque Rosarum præcipue, quæ flores inter principatum obtinere videntur, feracissimum esset *Prænestinum* solum. Plinius *genera*, ait, *Rosarum nostri fecere celeberrima, Prænestinam, & Campanam; addidere alii Milesiam.* Erant vero adeo fragrantes, ut ex illis conficerentur unguenta optima: suprascriptus enim auctor ita de unguentis scribit: *Irinum Corinthi dici maxime placuit, postea Cyzici: simili modo Rhodinum Phaseli, quam gloriam abstulere Neapolis, Capua, Præneste.* In sativarum Rosarum numero quartam speciem *Gallia* profert, quæ *Rosæ Franchæ: Plinius Trachiniam*, aut *Prænestinam* dixit, teste *Dodonæo.* Martialis in *epig.* LX. Lib. IX. in corollam roseam canit:

lib. 20. c. 4.

B

lib. 13. c. 21.

Hist. stirp. l. 1. Pempt. 2.

Seu Prænestino te villica legit in horto.

Flore ardentius rubente, odore nullo probabilis rosa, uno gloriosa nomine, centifolia, quam *Plinius Campanam*, *Clusius Prænestinam* appellant, viridi, graciliori, improcero, nullisque ferè spinis metuendo frutice funditur, vulgari sativæ densis foliis leviter ex albo rubescenti, quam aut *Plinianam Alabandicam*, aut *Trachiniam* esse Scriptores sanè nobiles autumant: virgei rami breviores, graciliores, subvirides, minorum, grandiorumque spinarum promiscuè crebris, languido pallore lividis, intentisque mucronibus minaces, quæ variè diluta, floris foliosi rubore maculosa, *Prænestina* dicitur, asperitate pariter aculeata inhorrescit. Protulit & fructus celebres *Prænestinum* solum, præsertim nuces. *Cato* etenim adjicit Avellanas, ac galbas *Prænestinas*: quas maxime laudat, & conditas ollis in terra servari virides tradit apud *Plinium*: ubi adnotatur legi *calvas* in vetusto Glossario: *calva nux*, κάρυον βασιλικὸν. in eodem, Albanæ nuces *Prænestinæ*, calva nux, quæ fructum calvum fert, id est summo apice nudum, nec undique putamine corticis obductum. *Catonis* verba hæc sunt: *Sub Urbe hortum*, &c. *nuces calvas, Avellanas, Prænestinas, & Græcas. Hæc facito uti serantur*, &c. Nuces *Prænestinas* memorat Cato *lib. de Re. Rust. c.* 133. In Saturnaliis *Macrobii Servius* nucum varias species exponens. *Nux hæc* (scribit *Avellana, seu Prænestina, quæ eadem ex arbore est, quæ dicitur Corylos, de qua Virgilius dicit:* Corylum sere, *&:* Hic inter densas Corylos. *Est autem natio hominum juxta Prænestinum agrum, qui Carsitani vocantur ἀπὸ τῶν καρύων, cujus rei meminit Varro in Loghistorico, qui inscribitur Marius de Fortuna, inde scilicet Prænestinæ nuces.* Est & illud apud *Nævium* in *Ariolo*, quod ita refert *Josephus Scaliger* in *Castigationibus ad Festum.*

Pag. 83. l. 21. c. 4. e Joann. Bapt. Porta. Rarior. plantar. Histor. lib. 1. c. 6. Ferrarius in Flora p. 283. e Roberto Dodonæo, & suprac. Porta.

C

22

D

lib. 15. c. 22.

Turneb. c. 19. l. 25. & c. 17. l. 27.

Adv. c. 8. l. de re rust.

l. 3. c. 14.

E

——————— *heri*
Quis apud te? Prænestini, & Lanuvii hospites.
Suopte utrosque decuit acceptos cibo,
Alteris inanem bulbam madidantem dare,
Alteris nuces in proclivi profundere.

F

Cl. Salmasius in notis ad *Lampridium* pro bulba legit vulvam: sicuti *Isaacus Pontanus* in *Macrobio*, madidam, pro madidantem. Nuculas manifesto dictos confirmant isti versus: itaque jubet illis nuces in proclivi profundere, ut solebat pueris. Quin veteribus in saxis mentio est sparsionis nucum, quam quotannis facere ad tumulum testatoris damnas est heres ex eo testamento. De nucibus a novo marito spargi solitis inter solemnes nuptiarum ritus, exstat *Virgilianum* illud:

Spar-

Sparge marite nuces.

23 Adolescentes etiam cum seriis animum appellebant, relinquere nuces dicebantur, ut fuse in Ex Livio lib. 23. Annotat. Festi. Adagiis observavit *Erasmus*, *Nuculas Prænestinos appellabant antiqui* (uti refert Sextus Pompejus Festus) *quod inclusi a Pœnis Casilini famem nucibus sustentarunt*: id vero mox recensebimus. vel quod in eorum regione plurima nux minuta nascitur. *Paulus Diaconus* hæc ita expressit: *Nuculas Prænestinos* (alias *Prænestini*, alias *Prænestinas*) *appellabant*. l. 2. de Orat. Fragm. Lucilii. *Cicero* de dictis ex ambiguo loquens, ut illud *Africani*, ait quod est apud *Lucilium*. *Quid Decius Nuculam an confixum vis facere? inquit*; Idem Cicero *Philippica* VI. his verbis notat *Prænestinos* Nuncularum cognomine. *Jacent beneficia Nuculæ, friget patronus Antonius*. Lucium nempe designans: cujus supra meminimus, & de quo inferius agendum erit.

CAP. XII.

De Secessu.

Non ut in Asylum tantum *Præneste* commeabant frequentes *Romani* cives; verum etiam propter amænitatem, & saluberrimi aëris temperiem, secessus ergo æstate ut plurimum illuc l. 10. Epig. 28. seu 30. convolabant. *Martialis* de littoris Formiani deliciis agens, sic exclamat.

O temperatæ dulce Formiæ littus!
Nam cum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos, Algidosve secessus,
Præneste nec si Antiumve miratur.

l. 1. c. 11. 24 Et luculentum de *Prænestino* secessu *L. Flori* testimonium habemus. *Tibur nunc suburbanum, & æstivæ Præneste deliciæ nuncupatis in Capitolio votis petebantur.* Ita ille *Trajani* ævo, ut creditur. l. 1. ser. ep. 1. Antea tamen secesserat eo *Flaccus Horatius* poëtarum lepos, & Lyricæ delicium Camænæ, qui canit *Homerum* a se *Prænestæ* relectum in epistola ad *Lollium*:

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ Præneste relegi,
Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo ac Crantore dicit.

Forsitan æstus vitandi caussa, & ad opacum frigus captandum *Præneste* tunc *Flaccus* agebat. altior enim situs & nemorosus minus obnoxius Ode 4 l. 3. est caloribus. unde *Præneste* frigidum vocat idem *Horatius*:

Vester Camænæ vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Bajæ.

Satyr. 3. Sic *Prænesten* gelidam nominavit *Juvenalis* supra laudatus. Eo vero *Flaccus* ventitabat *Augustum*, seu Mecænatem Augusti comitem assiduum & fidum vel sectatus, vel imita- In Aug. c. 72. tus. Nam *Augustus*, teste *Suetonio*, *ex secessibus præcipue frequentavit maritimam, insulasque Campaniæ, aut proxima Urbi oppida Lanuvium, Præneste, Tibur: ubi etiam in porticibus Herculis templi persæpe jus dixit. & itinera lectica, & noctibus fere, eaque lenta, & minuta faciebat; ut Præneste, vel Tibur biduo procederet, ac si qua ma-* P. 114. *ri posset pervenire potius navigabat.* Regius in *Antiqq. Tiburtin. part. 2. c. 5.* refert, rus *Q. Horatii Flacci* Poetæ Lyricorum Principis *Prænestinum*, fuisse situm in montibus, qui Sancti *Joannis* in Campo Horatio nuncupantur, profertque testem *Blondum*: at *Leander* illud locat in montibus *Tusculo* proximis. Statius Papini-

A us *in lib.* 4. *Silvarum ad Marcellum* ita canit.

Annua jam densæ rarescunt mœnia Romæ, p. 116.
Hos Præneste sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut torrens, aut Tuscula protegit umbra.

A. quoque *Gellius Hadriani* ævo in recessu *Prænestino* vespertina ambulatione solus obambulans considerabat qualis, quantaque esset particularum quarumdam in oratione Latina varietas. sed uberius pandit quid illo in recessu ageret. *Quando ab arbitris* (adjicit) *negotiisque otium est*, 25 *& motandi corporis aut spatiamur, aut vectamur*, l. 11 c. 13 N. Att. *quærere nonnunquam apud memetipsum soleo res ejusmodi parvas quidem, minutasque, & hominibus* B *non bene eruditis aspernabiles, sed ad veterum scripta penitus noscenda, & ad scientiam linguæ Latinæ cumprimis necessarias.* Plinius Secundus ad l. 5. epist. Apollinarem scribens suum in Thuscis secessum villamque ibi suam graphice depingens addit: *Habes caussas cur ego Thuscos meos, Tusculanis, Tiburtinis, Prænestinisque meis præponam: nam super illa, quæ retuli, altius ibi otium, & pinguius, atque securius: nulla necessitas togæ, nullus accersitor e proximo. M. Antoninus* Philosophus Imperator, teste *Capitolino*, sub ipsis profectionis *Germanicæ* diebus in secessu *Prænestino* agens filium nomine *Verum Cæsarem* exsecto sub aure C rubere septennem amisit, quem non plus quinque diebus luxit; consolatusque etiam medicos, actibus publicis se reddidit. *Symmachus* sub *Theodosio* lib. 1. epist. 8. Augusto florens Patri scribit. *Interea loci de Prænestina successione siluisti, cujus fama mihi fecit indicium, quam vellem deliciis vestris improvisus obrepere: licet Campaniæ amæna præniteant, mihi tamen esset accommodatius agitare vobiscum, & spiraculis regionis illius æstivam flagrantiam temperare.* Idem quoque scribens Eutropio. *Haud olim tamen*, ait, *Urbem rure mutaveram*, lib. 3. epist. 50. *ut æstas mihi Prænestino Algido frangeretur, si interventus negotii familiaris recipit otium meum.* Idem quoque Decio hæc exarat loco jam prola- lib. 9. epist. 78. D to: *denique ruri cum parentibus otiabar, ut algore* Prænestini *diversorii flagrantiam torridæ æstatis excluderem, eoque loci repererunt litteræ tuæ: sed ubi omnes molestias, quas Pado auctore tolerasti, solicita lectione percensui, accusato vernula tuo flumine, cujus turbidos meatus, & infidam aquam expertus es, retuli conservationis tuæ gratiam Diis auctoribus, BONÆQUE FORTUNÆ.* Septimo fere postea sæculo *Damasus* II. 26 Chron. Cassinen. l. 2. c. 80. Pontifex *Romanus*; qui ortus e *Bavaria*, & prius *Popo Bagniarius* vocatus, *Brixiensis* Episcopus, atque *Aquilejensis* Patriarcha fuerat, cum E se animi recreandi caussa, & ad fugiendos *Romani* cœli fervores *Præneste* contulisset, anno a Christi natali MXLVIII. die VI. Idus Augusti fato functus est, uti *Leo Ostien. Sigonius, Panvinius*, & *Ciaconius*, atque Cardinalis *Baronius* ad dictum annum, ex eoque *Spondanus* attestantur. tum ad Sancti *Laurentii* extra Urbem sepul- Chr. ad an. 1047. tus fuit, *Hermanno Contracto* teste. Nihilosecius tamen *Paschalis* II. cum gravissime laborasset *Anagniæ*, simul atque sanatus fuit *Præneste* adiit, & Beato *Agapito*, quem unice Protectorem gens colit, dedicatam Basilicam consecravit ingenti cum jucunditate, sicut illum supplices F oraverant *Anagniæ Prænestini*; & qui antea in Platin. lecto alterius auxilio suspensus sedere vix poterat, ante altare per se erectus Missarum solemnia celebravit, & Nativitatis Domini vigilias, *Romani* Zenus MS. Cod. Vatic. 5942. Pandul. Pis. Cod. Vatic. Baron. an. 1117. ordinis Missas, & matutinum post Missam, & iterum Missam, & post processiones Octavas, & Epiphanias, &c. Audivit ibidem *Calojoannis* Imperatoris *Constantinopolitani*, qui patri *Alexio* demortuo successerat, Oratores, quos ibi receperat, & lætos expeditosque remisit, cum eis dixisset, ut suo nomine *Calojoannem* contra

tra *Saracenos* animarent: quæ ad annum CHRISTI nati MCXVII. gesta sunt, leguntur que hac de re incisæ marmori hæ Inscriptiones in Ecclesia Cathedrali.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo cxvj. xviij. Kal. Febr. Indic. x. dedicatum est Altare, & Crypta Sancti Agapiti Martyris per Dominum Cononem Prænestinum Episcopum. in quo videlicet Altari requiescunt corpora SS. Martt. Agapiti, Gordiani, & Abundii, & reconditæ sunt Reliquæ SS. Mart. Miliani, & Nimphæ.

27 RC. *Anno Dominicæ Incarnationis* MCXVII. *m. Decembrio sac. die xvj. Indict. xj. dedicata est superior Ecclesia, & Altare Sancti AG. Mart. a Domino Paschali II. Papa anno Pontificatus ejusdem xviij. in quo videlicet Altari reconditæ sunt Reliquæ Apostolorum, & Sanctorum Mart. Calixti, Martini Papæ, Agapiti, Valentini, Tiburtii, & Secundi & beatæ Agathæ Virginis, & Sancti Silvestri Confessoris. Interfuerunt huic dedicationi Maifredus Tiburtinus Episcopus, Berardus Marsicanus Episcopus, & Ecclesiæ Romanæ Cardinales Presbyteri Diaconi GG. AVRIFEX.*

Eugenium III. Pontificem Maximum anno MCLIII. mansisse in finitimis Urbi locis, *Tiburi*, *Præneste*, atque *Tusculi Ciaconius* auctor est. Tom. 1. vit. Pont. Et vero saluberrimus & purissimus ibi aër, ipsoque in monte præsertim ducitur.

CAP. XIII.

De Ludis.

Alliciebant & detinebant etiam eos, qui *Præneste* degerent, Ludi; quorum & *Cicero* meminit hisce verbis: *Habes, quæ, dum tu abes, loquuti sunt. Ludi interea Præneste, ibi Hirtius, & isti omnes, & quidem Ludi dies octo; quæ cœnæ? quæ deliciæ? Res interea fortasse transacta est. O miros homines! at Balbus ædificat, ἢ γὰρ αὐτῷ μέλει, verum si quæris hominem homini non recta, sed voluptaria querenti nonne βεβίωται; Tu interea dormis.* Sub *Theodorico* rege *Gothorum* ludi *Præneste* peracti videntur e *Cassiodoro* in formula Vicarii Urbis *Romæ*. (6. Var. p. 15.) illi enim edicitur: *Intra quadragesimum sanctissimæ Urbis jura custodis:* 28 *Præneste Ludos edis in vicem Consulis in honorem positus.* Ad Ludos certe pertinent istæ Inscriptiones, quarum prima extat in hortis, incisa basi hisce verbis:

Grut. p. 483.

D. VELIO
TROPHIMO
SEVIRO
AVGVSTALI
CVRATORI
MVNERIS. PVBLICI
DECRETO. DECVRIONVM
POSTVLANTE
POPVLO. FF.
S. PP. P.

a tergo.

CVRANTIBVS
. . . . TORINO
ATRILE. II. VIR.
VII. K.
TORIN . . . . . VIR.
APRILE.

Altera ita concepta est,

M. AVRELIO. AVGG. LIB.
AGILIO. SEPTEMTRIONI
PANTOMIMO. SVI. TEMPORIS PRIMO
HIERONICÆ. SOLI. IN. VRBE. CORONATO
DIAPANTON. AB. IMPP. DD. NN.
SEVERO. ET. ANTONINO. AVGG.
PARASITO. APOLLINIS

A ARCHIERI. SYNODI. IIIIII. VIR. AV. . . . .
HVIC. RESPVBLICA. PRÆNESTINA.
OB. INSIGNEM. AMOREM. EIVS. ERGA
CIVES. PATRIAMQ.
POSTVLATV. POPVLI. STATVAM. POSVIT.

Et forte ad Septentrionem *Prænestinum* pertinet Inscriptio quæ *Antipoli* in Provincia *Narbonensi* visitur:

SEPTEMTRIO. PVER
BIDVO. SALTAVIT. ET
PLACVIT.

Tertia sic legitur: 29

B A. MVNIO. A. F.
MIN. EVARISTO
S. P. L. E. Q. R. PAT. COL.
OMNIBVS. HONOR.
NITIDE. FVNCTO. OB
INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM
MVNERIS. BIDVI. POPVLO
POSTVLANTE. BIGAM
PLACVIT. EQVEST. STATVA
DECRETO. ORDINIS. EVM. DONARE
L. D. D. D.

Quarta est hujusmodi, quam *Gruterus* retulit.

CN. VOESIO.
C CN. FIL. APRO.
QVAESTORI. AEDILI. II VIRO
FLAMINI. DIVI. AVGVSTI. VI VIRO
AVGVSTALI. CVRATORI. ANNON
TRIENNIO. CONTINVO. CVRAT.
MVNERIS. PVBLICI. GLADIATORII. III.
QVOT. ISTE. TEMPORE HONORVM.
CVRARVMQ.
SVARVM. PIENTISSIMO. MVNIFICENTIÆ
STVDIO. VOLVPTATIBVS. ET VTILITATIBVS
POPVLI. PLVRIMA. CONTVLERIT.
D LVDVM. ETIAM
GLADIATORIVM. ET. SPOLIARIVM.
SOLO. FACTO
SVA. PECVNIA. EXTRVCTVM. PVBLICE. OBTVLERIT
CVIVS. MERITIS. POSTVLANTE.
POPVLO
STATVAM. PVBLICE. PONI. PLACVIT.
D. D.

Itaque non tantum hic saltabatur a Pantomimis, verum & Gladiatoria munera exhibebantur. unde per idem tempus, quo *Nero* Urbem incendit, tum adversus Christianos sæviit, hoc est, C. 30 LECANIO BASSO, ET M. LICINIO CRASSO COSS. (Tacit. l. 15.) *Gladiatores apud oppidum Prænestinum tentata eruptione præsidio militis, qui custos adesset, coerciti sunt. Jam Spartacum, & vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens, pavidusque.* Appingendum est hoc Epitaphium ad Ludos etiam spectans in arca lapidea oblonga palmos X. inventa *Præneste* in horto *Joannis Petri Aloisii* Anno salutis MDCXLVI. Mense Decembri, quod ipse manu mea exscripsi.

L. VRVINIO LL. PHILOMVSO
MAG. CONLIB. LIBERT.
F PVBLICAE SEPVLTVRAE, ET STATVAE
IN FORO LOCVS DATVS EST QVOD IN
TESTAMENTO SVO LAVATIONEM
POPVLO
GRATIS PER TRIENNIVM GLADIATORVMQ.
PARIA X. ET FORTVNAE PRIMIGENIAE CORONAM
AVREAM P. I. DARI IDEMQVE LVDOS EX

HS.

HS. CC. IↃↃ· IↃↃ PER DIES V. FIERI IVSSIT

l.22.c.5. PHILIPPVS L. MONVMENTVM DE SVO FECIT.

CAP. XIV.

De Fortunæ sortibus.

CEleberrima vero fuit imprimis *Præneste* FORTUNÆ sortibus, & templo, in quo edebantur oracula. Originem *Cicero* pandit eleganter sane, quo loco disputat contra sortes. Lubet igitur ejus verba hic inserere. *Videamus* (inquit) *clarissimarum sortium quæ tradatur inventio. Numerium Suffucium* (seu Suffetium) *Prænestinorum monumenta declarant honestum hominem, & nobilem somniis crebris, ad extremum etiam minacibus cum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis irridentibus suis civibus id agere cœpisse. Itaque perfracto saxo sortes erupisse in robore insculptas priscarum litterarum notis. Is est hodie locus septus religiose propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone in gremio FORTUNÆ sedens, mammam appetens, castissime colitur a matribus. Eodem tempore eo loco, ubi nunc FORTUNÆ sita ædes est, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras; eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam, eaque conditas sortes, quæ hodie FORTUNÆ monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi? quæ FORTUNÆ monitu, pueri manu miscentur, atque ducuntur. Quomodo autem istæ positæ in illo loco? quis robur illud cæcidit, dolavit, inscripsit? nihil est, inquiunt, quod Deus efficere non possit.* 31 *utinam sapientes Stoicos effecisset, ne omnia superstitiosa solicitudine, & miseria crederent. Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis explosit. fani pulchritudo, & vetustas Prænestinarum etiam nunc sortium retinet nomen, atque id in vulgus. Quis enim Magistratus, aut quis vir illustrior utitur sortibus? cæteris vero in locis sortes plane refrixerunt. Quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum: nusquam se fortunatiorem quam Prænestæ vidisse Fortunam. Ovidius Prænestinam* Deam vocat ideo Fortunam hisce versibus:

(l.2.de Divin.)

Sextus Junonis mensis fuit, aspice Tibur
Et Prænestinæ mœnia sacra Deæ.

(l.6.Fast.)

Propertius earundem meminit.

(l.2.Eleg. 32.)

Nam quid Prænestis dubias, O Cynthia, sortes,
Quid petis Alæi mœnia Telegoni?

Tiberius, Cæsar, uti *Suetonius* scribit, *vicina Urbi Oracula disjicere conatus est: sed majestate Prænestinarum sortium territus destitit; cum obsignatas, devectasque Romam non reperisset nisi relatas rursus ad templum.* Ubi *Beroaldus* multa notat, & *Strabonem* laudat, ex eoque affirmat habuisse *Præneste* Fortunæ templum, unde certa edebantur Oracula. apud eumdem *Suetonium Domitiano* Cæsari *Prænestina* Fortuna toto imperii spatio annum novum commendanti lætam, eamdemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione. *Alexandro* Augusto *Mammææ* filio sors in templo *Prænestino* talis extitit, cum illi *Heliogabalus* insidiaretur.

(c.63. Tib. — Et in c. 72. Suet. in Aug. & in Propert. II. c.15. Domit. — Lampr. in Alex.)

——————— *si qua fata aspera rumpas*
Tu Marcellus eris.

Suprascriptum versum *Propertii Beroaldus* sic explicat; quid petis *Prænestinum* secessum, vel *Tusculanum?* dubias sortes vocitari addens, ut elevando auctoritatem oraculi citius persuaderetur 32 *Cynthiæ* manendum in Urbe: vel quia omnia oracula sunt perplexa, adeo ut sors ipsa sæpe referenda sit ad sortes, uti facundissime scribit *Ci-*

A *cero.* certe non solum Bacchanalium sacrorum morem novum institutum, cum ad perniciosam vesaniam iretur, sublatum refert *Valerius Maximus*; sed & *Lutatium*, qui *Punicum* bellum confecit, a Senatu prohibitum esse sortes Fortunæ *Prænestinæ* audire sive adire. Auspiciis enim patriis non alienigenis Remp. administrari optime judicabant. *Silius* ita canit.

(l.1.c.3. — lib.8.)

Hinc Tibur Catille tuum, sacrisque dicatum
Fortunæ Præneste jugis.

Ædes autem pulcherrima fuit, seu Templum amplissimum, atque vetustissimum. alludit *Juvenalis* laudatis his verbis, de *Centronio* ædificante *Tiburi*, & *Prænestæ*, ac vincente, ut ipse ait,

(Sat. 14.)

B ——— *Fortunæ atque Herculis ædem.*

Quo loco videsis veterem scholiasten & *Britannicum* fuse hæc enarrantes. Fuit & multa religione inclytum, visebaturque uti miraculum. frequens enim erat eo concursus undique consulentium. Ibi sub imagine duarum sororum Fortunam cultam, sunt, qui opinentur, atque abs illis fusa oracula in sortibus a *Numerio* illic sitis. unde *Statius* in *Tiburtino Manlii Vopisci* exclamat:

(Al.ab Alex.l.1. Gen. Dier.c. 14.& ibi Tiraq.)

Quod ni templa darent alias Tyrinthia sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

(l.1.Sylv.)

Id est Bona malaque Fortuna. Ibi *Calderinus* memorat sortes *Antiatinas*, nam *Antii* quoque Fortunæ templum fuit, auctore *Tacito*, sed Equestris. *Horatius* hinc accinit:

(lib.3.)

C *O Diva gratum quæ regis Antium.*

(l.1.Ode 35.)

Et *Suetonius* in *Caligula* refert monuisse *Antiatinas* sortes ut a *Cassio* caveret. Erat, & *Tusculi* e *Suetonio* & *Ferentano* in oppido, atque in *Algido* e *Livio*; sed & Cæretum, *Faleriis* etiam e *Plutarcho*. asseritque illas geminas, atque simulacra earum moveri quoties dant responsa, vultque *Martialem* has intellexisse cum pangit:

(ubi Acr.& Porphyr. c.57. — In Galba c.18. — 33 l.1.Dec. 3.in Fab. — Epig.1. l.5.)

Seu tua veridicæ dicunt responsa sorores,
Plana suburbani qua cubat unda freti.

Quamvis ad *Prænestinas* retorqueat *Beroaldus*. Verum unam tantum *Antii* laudat *Horatius*, duas *Macrobius*. *Vidimus*, inquit, *apud Antium Fortunarum simulacra promoveri ad responsa danda.*

(l.1.c.23. Satur.)

D Gemina, refert *Ammianus*, Fortuna, uti poëtæ fingunt; quia sit aliis prospera, aliis infausta. Senatus uterum *Poppeæ* commendavit Diis, utque Fortunarum effigies aureæ in solio *Jovis Capitolini* collocarentur decrevit, teste *Tacito*. Fortunæ huic geminæ Templum in *Exquiliis* locatum. Falsus *Tacitus* nullum Equestris Fortunæ Templum *Romæ* fuisse censens, sicut erat *Antii*: eumque jure *Lipsius* arguit. Equestris enim Fortunæ ad theatrum lapideum *Vitruvius* meminit. quamvis alii *Tacitum* excusare conentur. Falsus *Raderus* ad Epigrammata *Martialis*, laudans *Strabonem lib.* IV. cum tantum *lib.* V. agat de *Antio*; nec ibi Fortunæ, sed Διοσκούρων Templum fuisse tradat. Sorores *Prænestinas* potius dictas sortes, quod ex eodem saxo persimiles eruperint simul, uti sorores eodem ventre prognatæ, sunt qui sentiant. sic sororiare dicuntur mammæ puellarum cum primum tumescunt, & fraterculare, *Festo* auctore e *Plauto* in Fribularia. sic in *Syria* quatuor urbes *Antiochia*, *Seleucia*, *Apamea*, & *Laodicea* ἐλέγοντο ἀλλήλων ἀδελφαὶ διὰ τὴν ὁμόνοιαν, propter concordiam; seu quia fuerunt Σελεύκου τοῦ Νικάτορος κτίσματα, ut *Strabo* testatur. *Statii* quidem versus id videntur innuere. Universim profecto Fortuna sortes regere credebatur; quia sortes erant, quæ manu moverentur, sive tesseræ ducerentur ex urna, & tabellæ, sive taleæ mitterentur in alveolum, sive jacerentur in fontem, modo id fortuito, & casu fieret. Sed nobis sermo est de sortibus, quas puer mittebat in urnam, movebat, & ducebat. Parum tamen bello Civili Fortunam suis *Præne-*

(lib.27. — lib.15. — lib.3. — l.3.c.2. Al.Don. Rom.l. 3.c.22. — E — F — lib.16. Geogr. — 34)

stinis favisse scribit *Lucanus* his versibus.

——— ——— *Vidit Fortuna colonos*
Prænestina suos uno simul ense recisos
Unius populum pereuntem tempore mortis.

In not. ad Martyrol. Rom. 16. Januar. Polydorum Virgilium adde *lib. de rer. Inventor.* & Mysingerum in *tit. Institut. de Legatis*, agere de sortibus *Prænestinis*. Tertullianus *lib. de pallio*: *Cum sortium* (ait) *variavit urna* not. 9. Robertellus *in Ciceronem* præclare *de sortibus*. *Rhinocolura Ægypti* Civitas dicta est a sortibus, quod illic *Noë* divisit sorte terram filiis suis, auctore Sancto Epiphanio *hæres. 66.* & Cardinale *Baronio*: at *Senecæ*, locus est in *Syria*, cujus incolarum nares præcidi *Persarum* Rex jussit. *De sortibus Lyciis* Virgil. & Alciatus. *de Dodonæis* T. Livius, & Didymus. de sortibus Aponi propè *Patavium*, ubi *Balnea* Aponensia ἀπόνȣ Claudianus *in Epigrammate*, Cassiodorus *in Variis*: de talis aureis ibi jactis a *Tiberio* Cæsare, & oraculo Geryonis, *Suetonius*, ubi *Casaubonus*: de aqua *Inus* apud *Pausaniam*: deque fonte Tænari, & περὶ μαντικȣ̃ ὕδατος, e *Sozomeno*, &c. de Castalio fonte *Antiochiæ*, qui obstructus ab *Hadriano*, & frustrà reclusus a *Juliano* desertore impio Christi, Ammianus *lib.* XXII. *Sozomenus*, *Socrates*, *Nicephorus*, Suidas *in Castalia*. præcipuè *S. Joannes Chrysostomus*. De sortibus, quæ emerserunt Commagenæ in *Pannonia Claudio* Cæsari secundo, & quæ in *Apennino*, sive *Aponino*, (sicut emendavit *Casaubonus*) vide *Trebellium*, & *Vopiscum*.

lib. 3. de ira c. 20. lib. 5. cap. 72. parerg. Juris. Dec. 1. l. 8. p. 497. in odyss. Homeri p. 117. P. 354. l. 2. Epist. 39. F. 51. In Tiberio c. 14. p. 163. P. 567. Ut putat Salmasius in Histor. Aug. 331. In Divo Claudio p. 221. in Firmo p. 243. & in Probo p. 256. l. 2. Elect. c. 12.

Ambigitur autem ex qua materia hæ fuerint sortes, quave forma effingerentur. si *Lipsium* audiamus, sortes tabellæ, aut taleolæ, aut surculi e ligno fuere non grandes, quibus litteræ ad divinandum insculptæ, sive notæ interdum quatuor, aut quinque verba. Eæ privatim habitæ, eæ publice. sed quæ in publico in primis Religiosæ censebantur, & cana quadam vetustate sacræ: itaque sancte ac religiose in templis ipsis habebantur in arca reconditæ, & nisi fallor, tæniis vittisque laneis seorsum involutæ; hac de caussa locis *Livii*, in quibus legimus, *Cære extenuatas sortes*, & *sortes sua sponte extenuatas*, ipse *Lipsius* legendum putat, *extæniatas*, nempe sponte evolutas, & exutas vittis; quasi Fortunæ ipsius manu sparsæ, atque jactæ fuissent. Eruditissimus *Hieronymus Aleander* junior in Observationibus Humanis, quæ manuscriptæ in Barberina Bibliotheca servantur, mavult retinere vocem, *extenuatas*, & *attenuatas*; legens apud Livium: *Cære sortes extenuatas*, & iterum; *Cære, ubi sortes extenuatæ erant, lectisternium imperatum.* & alibi: *Faleriis cœlum findi visum velut magno hiatu, quaque patuerit ingens lumen effulsisse, sortes sua sponte extenuatas, unamque excidisse ita scriptam*: MAVORS TELVM SVVM CONCVTIT: ex Plutarcho, apud quem hæc ita recensentur: ὃ δὲ ὑπὲρ Φαλερίȣς ȣ̓ρανȣ̃ ῥαγῆναι
35 δόξαντος ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γραμματεῖα, καὶ ταυτῶν ἑνὶ γεγραμμένον φανῆναι κατὰ λέξιν, Ἄρης τὰ ἑαυτȣ̃ ὅπλα σαλεύει. unde colligit ingeniose ac solerter, extenuatas sortes fuisse sive attenuatas, non cum evanescerent, ut *Gutherius* interpretatur, seu quod imminuerentur: puta cum forent crassitudinis quadrantalis, apparerent eductæ ex urna vel cista uncialis tantum: verum cum non extractæ ex urna vel cista sua sponte elaberentur, & dispergerentur: & proprium ejus rei verbum fuisse attenuari, vel extenuari: quemadmodum & in aliis sacris verba quædam adeo propria censebantur, ea ut mutari temere fas non esset. Sane proditum a nemine reperitur num surculi illi, ligneæve tabellæ, quæ ad captandas sortes ducebantur, in arcam denuo conjicerentur: quod si id non fieret, haud absurde tenuari sortes dice-

l. 1. Dec. 3. l. 2. Dec. 3. In Fabio. l. 4. de Vet. Jur. Pontific.

A bantur, quarum scilicet numerus in dies diminueretur, donec de integro aliis surculis a sacrorum ministris arca repleretur; si vero ductæ, elapsæve sortes statim reddebantur arcæ, attenuandi verbum ideo illa in re inductum videtur, quia lenia vocabula, & quæ mala omnia averruncarent, adhiberi in sacris solebant, κατ' εὐφημισμὸν, ut observat *Servius*. Hæc *Aleander*, qui addit: quod si quem hujusmodi exempla nihil movent, is saltem inficiari non poterit, complures fuisse in sacris appellationes, quarum ratio in obscuro videtur esse. atque ideo lectionem in tribus *Livii* locis, atque in *Julio Obsequente*
B constantem solicitare non audet. *Ennium* tamen a *Varrone* laudatum, & a *Turnebo* atque *Scaligero* interpolatum sic emendat.

In Elog. 8. lib. de Prodig. lib. 6. de L. L.

Quæ cava cæruleo septo cortina recepit.

Cava cortina dicta quod est inter terram & cœlum. ad similitudinem cortinæ *Apollinis*. *Lipsio Ludovicus Cerda*, & *Julius Cæsar Bulengerus* assentiuntur ligneasque faciunt sortes. quanquam *Bulengerus* adjungat tabellas, aut taleolas fuisse. Equidem eas sortes non tam surculos, aut taleolas, quam tabellas potius, & quasi assulas, ac breves regulas fuisse dixerim. Nam *Cicero* ait fuisse cæsas & dolatas; surculi autem simplices rami, aut
C ramusculi sunt detracti ab arbore, taleolæ vero frusta ligni præcisa, & ad serendum aspera. Quod si sortes his similes damus, dolatæ, aut exæquatæ non fuissent, & minus capaces litterarum. Sunt igitur potius tabellæ, ac regulæ breves, & ex materia primum lignea, ut idem tradit *Cicero*: sed postea ex alia solidiore fuisse quis dubitet? nam cum usus sortium propter superstitionem percrebuisset, multi etiam privatim eas domi asservabant, ut futura divinarent, & quid esset agendum ex suo ipsi oraculo discernerent. quare ut diuturniores essent, & corruptionis expertes, non modo e ligno, sed ex ære,
D aut alio metallo effictæ sunt. Γραμματεῖα *Plutarcho* sortes sunt, quo nomine non solum tabellæ ligneæ, in quibus scribere solebant, sed quidvis aliud scripturæ capax & litterarum significaturis cujusmodi sunt æra, quibus incisæ leges, plebiscita, Senatus consulta, & alia. Cæterum his in tabellis aliquid notatum erat, aut sculpta vel incisa verba, quæ fere nihil ex se significarent, sed ad mentem consulentis traducta, vel ad tempus locumve accommodata prætendere aliquid videbantur. Hujusmodi apud *T. Livium* sors loco prolato, quæ excidit circa initia Belli
E *Punici*: & illa in templo Fortunæ *Prænestinæ Alexandro Severo* e *Virgilio* dicta, & superius allata. Erant olim apud *Fulvium Ursinum* veteres duæ ex ære tabellæ, quæ nunc in ditissimis *Farnesianis* cimeliis asservantur, uti scribit *Aleander*, nescio an ad hujusmodi sortes, an ad alia oraculorum responsa pertinentes. in altera hæc 37
scripta sunt. LAETVS LVBENS PETITO QVOD DABITVR GAVDEBIS SEMPER. In altera hæc leguntur. NVNC ME ROGITAS NVNC CONSVLIS TEMPVS HABVIT IAM. Ad hasce sortes referenda sunt verba tabellis inferius exhibitis apposita: illæ vero nuperrime *Romæ* fuerunt inventæ æneæ.
F quas amicus, & doctus antiquarius *Claudius Menetrier* delineavit.

Ad. 6. Æneid. 36 l. 2. de Orat. & Sortib. c. 1.

Torrentius in *Suetonium* numisma profert, in quo 38
Sors inscripta insculptaque visitur; cujus en ectypon.





Puer

Puer sortes in urnas conjectas movebat, sed interdum *Fortunæ* voce responsa dabantur. Oraculum enim erat, ut *Strabo* testatur: Πραίνεστος δ' ἐστὶν ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον. *Præneste est ubi Fortunæ templum insigne oracula fundens.* De imagine Fortunæ, quæ Dea priscis habita, cultaque, & cæca depicta rotæque insidens cum clavo, *Alexander* ab *Alexandro*, *Andreas Alciatus*, *Vincentius Cartarius*, *Verderius*, *Ripa*, *Prudentius*, & in eum *Weitzius* e *Pausania* multa referunt. *Fortunæ* varias effigies, & diversa cognomia e statuis nummisque collecta mihi exhibuit indagator acerrimus antiquitatis *Claudius Menetrier*, quin e tegulis atque gemmis exprompta; quæ lubentissime hic exprimi curavi.

39 *Homerus Fortunam Oceani* filiam in hymno ad *Cererem* fecit, teste *Pausania:* quamvis hymnus, qui exstat in Δήμητραν, tres tantum contineat versus, in quibus nihil de *Fortuna* legitur: unde suspicor illum esse mutilatum, & μείουρον. legitur quidem hymnus inter illos, qui *Orpheo* adscribuntur, inscriptus *Fortunæ*. & Cebes in Πίνακι depingit illam cæcam, insanam, surdam, lapidi rotundo, atque volubili insistentem. *Bupalus* delubris ædificandis, & simulacris fingendis admodum solers, cum *Smyrnæis Fortunæ* signum omnium, quos ipsi ex antiquitatis monumentis cognoverimus primus exstruxisset, capiti polum imposuit, altera vero manu *Amalthææ* quod *Græci* appellant Cornu tenentem fecit. ad hunc ille modum *Fortunæ* munera declaravit, mandavit post hunc & alia de *Fortuna* versibus *Pindarus*, & eam *Pherepolin*, quod est ac si dixeris, Civitatum tutricem appellavit. Hæc *Pausanias*, qui alibi memorat se in *Ægiræ* ædicula conspicatum esse *Fortunæ* signum *Amalthææ* cornu præ se gerens, cui adsistit volucer *Cupido*. facileque sibi persuaderi a *Pindaro*, unam esse *Parcarum Fortunam*; eamque potestate sororibus antecellere. Certe *Pindarus Fortunam* invocat *Jovis* filiam. Cæterum *Fortunam* pingi cum cornu pomis, ficis, aut frugibus autumnalibus pleno tradit quoque *Arnobius*. In nummis clavus, seu gubernaculum *Fortunæ* manu tenetur; quia res humanas ipsam regere, atque moderari antiquorum vulgus opinabatur. alii pilam, alii cylindrum, rotam quidam supposuerunt. sunt qui medio in mari velificantem expresserint, ut ejus levitatem, & instabilitatem significarent. Eam *Romani* præcipue venerati sunt, ejusque auream statuam in cubiculis asservabant Imperatores. plurima illi templa totam per Urbem ex-

40 structa, cognomina varia imposita. At nos cum Sancto *Augustino Fortunam* nullam agnoscimus, sed rerum omnes eventus ad divinam providentiam revocamus, & referimus, cujus nutu omnia vere gubernantur. vetanturque superstitiones sortium in Concilio *Venetico*, quod an. CCCCLIII. in Armorica habitum, & in Synodo *Agathen.* & passim apud *Gratianum*. Si plura de sortibus requiras, adi *Picum juniorem* de prænotione sortium, ubi earum genera multa enarrat, & confutat; *Naudæum* virum omnigenæ lectionis, & eruditionis multimodæ, qui de *Prænestinis* sortibus disserit; *Jacobum Spiegelium* in hosce versus *Richardi Bartholini:*

—— —— Prænestinæque sorores
Fatidicam Ææi liquerunt hospitis urbem.

Petrus Crinitus *de honesta Disciplina*, *Hæ* (inquit) *sortes Romani populi Fata continebant tesseris quibusdam ligneis insculptæ*, unde *Livius* extenuatas sortes inter prodigia numerat, quoniam litteræ illæ fatales alicubi consumptæ videbantur. Consule præterea *Lilium Giraldum*, qui refert antiquum istud Epigramma, quod tum legebatur.

TV. QVAE. TARPEIO. COLERIS. VICINA. TONANTI
VOTORVM. VINDEX. SEMPER. FORTVNA. MEORVM
ACCIPE. QVAE. PIETAS. PONIT. TIBI. DONA. MERENTI
EFFIGIEM. NOSTRI. CONSERVATVRA. PARENTIS
CVIVS. NE. TACEAT. MEMORANDVM. LITTERA. NOMEN
CAESIVS. HIC. IDEMQVE. TITVS. PRIMVSQVE. VOCATVR
QVI. LARGE. CERERIS. MESSES. FRVCTVSQVE. RENATOS
DIGERIT. IN. PRETIVM. CVI. CONSTAT. FAMA. FIDESQVE
ET. QVI. DIVITIAS. VINCIT. PVDOR. IRE. PER. ALTOS
CONSVETVS. PORTVS. CVRA. STVDIOQVE. LABORIS
LITTORA. QVI. PRAESTANT. FESSIS. TVTISSIMA. NAVTIS
NOTVS. IN. VRBE. SACRA. NOTVS. QVOQVE. FINIBVS. ILLIS
QVOS. VMBER. SVLCARE. SOLET. QVOS. TVSCVS. ARATOR
QVINTIVS. HIC. ANNIS. VOTORVM. MORE. SVORVM
CENTENAS. ADICIT. NVMERO. CRESCENTE. CORONAS
FORTVNAE. SIMVLACRA. COLENS. ET. APOLLINIS. ARAS
ARCANVMQVE. IOVEM. QVORVM. CONSENTIT. IN. ILLO
MAIESTAS. LONGAE. PROMITTENS. TEMPORA. VITAE
ACCIPE. POSTERITAS. QVOD. POST. TVA. SAECVLA NARRES
TAVRINVS. CHARI. IVSSVS. PIETATE. PARENTIS
HOC. POSVIT. DONVM. QVOD. NEC. SENTENTIA. MORTIS
VINCERE. NEC. POTERIT. FATORVM. SVMMA. POTESTAS
SED. POPVLI. SALVO. SEMPER. RVMORE. MANEBIT

Exstat etiamnum incisum Basi hoc poëmatium 41
charactere perexiguo in palatio Principis *Prænestæ*; illudque retulere *Mazochius* in *Epigrammatis Urbis antiquæ*, *Boissardus Antiquitatum Romanarum parte* VI. Gruterus *in antiquis Inscriptionibus*, Leander Albertus in *Descriptione Italiæ*, Reusnerus in *Italia*, Schottus in *Itinerario Italico*. Legitur etiam inter Epigrammata vetera, videturque scriptum ævo *Valentiniani*, aut *Gratiani:* nec dum enim exoleverat *Fortunæ* cultus, ut e *Symmacho* liquet. Ad illum cultum pertinent & hæ Inscriptiones *Prænestæ* a me ex cippis & tabulis lapideis exscriptæ, vel ab aliis antea observatæ.

In Hortis.

FORTVNAE. PRIMIGENIAE
MARCIVS. TELESPHORVS
VOTVM. SOLVIT.

In Cæmeterio.

PIETATI
FORTVNAE. PRIMIGENIAE
VOTIS. SVSCEPTIS
SALVIS. AVGVSTIS
M. AVRELIO. ANTONINO. ET
L. AELIO. AVRELIO.
FORTVNATVS. VERNA
DISP. EORVM
AVRELIA. RESTITVTA. LIB.
L. D. D. D. D. L.

E *Grutero*. 42

I. DOMITIO
AGATHEMER.
PARIDI
LIB. AVGVST. VI.
CAESARIS
ARGENTAR.

Famosus ille Paris cujus Iuvenalis meminit.

J. M. Suaresius. B 2 CO-

COACTORI
L. DOMITIVS.
EPICTETVS.
ET. CVRTIA.
EVPHRANTIS
FORTVNAE
PRIMIGENIAE
D. D.
L. D. D. D.

Ex eodem.

FORTVNAE
IOVIS. PVERI.
PRIMIGENIAE
D. D.
EX. SORTE. COMPOS.
FACTVS
NOTHVS. RVFICANAE
L. F. PLOTILLAE.

E *Grutero.*

OPI. DIVINAE. ET. FORTVNAE
PRIMOGENIAE. SACR.
IMP. CAESAR. HELVII
PERTINACIS. AVGVSTI
V. D. D.
T. CAESIVS. T. F. HERODES.

43 In Vinea quadam sub mœnibus ad portam, qua *Romam* itur, *Pyrrhus Ligorius Neapolitanus* vidit, & exscripsit anno MDXLV.

E *Grutero.*

VENERI. ET
FORTVNAE. PRIMIGENIAE
SACR.
L. CALVIVS. L. F. FAL.
VARIVS
AR. ET. CVPIDINES. II.
D. D
L. D. D. D.

Ex eodem.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
L. RVFINVS
AEDIL. CVRVL.
V. S.

Item.

FORTVN.
PRIMIG.
L. ARLENO
ADLECTO

Item.

D. FORTVNAE. PRIMIGENIAE
C. VALERIO C. F. MEN.
DOLVTIO. MARTIANO
VI VIR. AVG. DEC.
OMNIBVS
HONORIBVS
CVRIIS. MVNERIBVS
FVNCTO
VESTRIA
SATVRNINA
PATRI
L. D. D. D.

44 In Basi in Episcopio è *Grutero.*

FORTVNAE. PRIMIG.
SIGNVM. AEQVI-
TATIS. NIGRINIA
AVXESIS. CVM.
FELICE. AVG. LIB. ET
SVIS. D. D. D. D..

Ibidem.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
TI. CLAVDIVS.
THERMODON. ET
METIA. M. F.
LOCHIAS. EIVS.
SIMVLACRA. DVO

A SPEI
COROLETICA. D. D.

Item.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
Q. LOLLI. APOLLOPHANES
PATER. ET. FILIVS. ET
ALIA. ARCHELAIS
VOTO. SVSCEPTO. L. S.

Mazochius p. 93. *Romæ* collocat in regione *Parionis* in S. *Agnete*, fortassis illuc advectum *Præneste.*

B Et

FORTVNAE. PRIMIGENIAE
SIGNVM. LIBERI. PATRIS
PANTHEI. CVM. SVIS. PAREGIS
ET. CVPIDINES II. CVM. SVIS. LVCNVCHIS
ET. LVCERNA. LARVM
M. POPILIVS. M. F. TROPHIMVS. CVM
POPILIA. CHRESTE. LIB. ET. ATILIO. FILIO.

In latere hujus Inscriptionis

DEDICATVM. IV. ID. AVG. 45
IMP. COMMODO. II.
ET. AVRELIO. VER.
II. COS.

C Et

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
VOTO. SVSCEPTO
VALERIA
TRYPHOSA
L. D. D. D. D.

E *Grutero* ante Urbem *Prænestæ* ad facellum, quod est prope Castellum aquarum. p. 130.

FORTVNAE. SANCTAE
ATINIA. TYRANNIS
SEMINARIA. A. PORTA
TRIVMPHALE
D TERENTIVS. FORTVNATVS
VIR. CLARISSIMVS
CVI. GRATIAS. MAXIMAS
SEMPER. EGI
CVM
TERENTIA. FAVSTINA
FILIA
DONVM. DEDIT.
L. D. D. D. D.

Hanc Inscriptionem retulerunt *Panvinius* in *Roma*, & ex illo *Bosius* in *Roma* subterranea.

Ex *Grutero* p. CIↃVI. in ara marmorea. 46

IOVI. O. M. ET
E FORTVNAE. PRIMIG.
V. S. A. L.
L. PRIMIGENIVS
CVM
FIL. TORQVATO
D. D.

Et in S. *Hieronymi.*

FORTVNAE. SANCTAE
ATINIA. TVDANINA.


Et in Basi ad Ecclesiam Cathedralem.

C. APPVLEIO. DIOCLI. AGITATORI
PRIMAE. FACTIONIS. RVSSATAE
NATIONE. HISPANO
F FORTVNAE. PRIMIGENIAE
D. D.
C. APPVLEIVS. NYMPHIDIANVS
ET. NYMPHIDIA. FILII.

Ex columella in Burgo *Gruterus* hanc refert p. 57.

L. ANTISTIVS
C. F. AEMIL. VETVS
AVGVR.
FORTVNAE. PRIMIG.
EX. VOTO. SVSCEPTO

Et




ICHNOGRAPHIA TEMPLI FORTUNÆ PRÆNESTÆ

SCIOGRAPHIA TEMPLI FORTUNÆ PRÆNESTÆ

A Arx Prænestina
B Villa Cetronii
C Villa Symmachi
D Fontes Aquæductus evariis venis corrivatis ad usum Templi et Civitatis
E Cortina sive Oraculum Fortunæ instar Theatri ubi simulacrum deæ Iovem Lactentem gestantis et arca cum Sortibus erant edebanturque Oracula ibi nunc Palatium Principis
F Sacella duo circa Cortinam
G Cavædium maius Interduas Basilicas sive ut aiunt vulgo cortile
H Duæ Basilicæ hinc Cornelia illinc Æmilia
I Serapium ubi colebatur Serapis
K Schola Faustiniana ab alio latere Ubi quæ Faustinæ Augustæ fuerant devotæ puellæ alebantur
L Cavædium minus vulgo Cortile inter Serapium et Scholam Faustinianam
M Piscinæ duæ sive Lavacra variis aquis collectis perexcisos Aquæductus ad ministeria Sacrificiorum et alios usus
N Cryptæ Substructiones et Exhedræ vulgo Grotte Circuito di muraglie o Nicchie
O Areæ XII seu Piani ut dici solet vulgo
P Gradationes seu Scalæ XII
Q Porticus sive Ambulacra
R Lithostrotum seu Pavimentum aliquot Arearum
S Musiuum quoareæ aliquot superiores et Cryptæ ac Exhedræ tam Cortinæ quam Sacellorum et Basilicarum erant exornatæ
T Pharus ubi faces accendebantur ut navibus prælucerent

ORTHOGRAPHIA TEMPLI FORTUNÆ PRÆNESTÆ



Et in Hortis.

FORTVNAE. PRIMIGENIAE.
IOVI. PVERO
EX. TESTAMENTO
TREBONIAE
SYMPHERVSAE
ANNIVS. HERMA
HERES
L. D. D. D.

47 Passimque in fragmentis lapidum FORTVNAE PRIMIGENIAE vota persoluta leguntur. *M. Claudio Marcello*, & *C. Sulpitio Gallo* Coss. sive anno Urbis conditæ DLXXXVII. Rex *Bithyniæ Romam* venit cum filio *Nicomede*, a Senatu petiit inter alia, ut votum sibi solvere *Romæ* in Capitolio decem majores hostias, & *Præneste* unam *Fortunæ* liceret; & vota pro victoria Populi *Romani* de *Perseo* Rege *Macedoniæ* esse. ut victimæ, aliaque quæ ad sacrificium pertinerent, seu *Romæ*, seu *Præneste* immolare vellet, Regi ex publico, sicut Magistratibus *Romanis* præ-
l. 45. c. 44. berentur decretum fuit; ut *T. Livius* tradit. *For-*
Ital. l. 2. c. 58. *tunæ* templum a *Sylla* positum vult *Nic. Reusnerus* sumptu maximo, in quo simulacrum ejus fidelissime inauratum fuisse *Plinius* scribit: a cujus operis præstantia inaurationes, sive bracteæ crassissimæ dictæ sunt. *Plinii* verba hæc sunt:
l. 33. Hist. Nat. c. 3. *Nec aliud* (auro) *laxius dilatatur, aut numerosius dividitur: utpote cujus unciæ in septuagenas, & quinquagenas, pluresque bracteas quaternum utroque digitorum spargantur. Crassissimæ ex his Prænestinæ vocantur: etiamnum retinentes nomen, Fortunæ inaurato ibi fidelissime simulacro.* hinc fortasse bracteata Felicitas dicta est. *De bracteis Prænestinis* agit Stevech. *in lib.* X. *Asin. Apuleji.*

CAP. XV.

De Fortunæ *Templo.*

Vetustius *Prænestinæ Fortunæ* Templum ipso *Sylla* fuisse certissimum est, & constat claris-
l. 36. c. 25. sime. *Lithostrota quidem cœptavere jam sub Sylla* (teste Plinio) *parvulis certe crustis, exstat hodieque* (ait) *quod in Fortunæ delubro Prænestæ fe-*
48 *cit.* Sed & hujus nostris temporibus pars aliqua spectanda, simulque admiranda remanet in crypta quadam, quæ ad inferiores cellas ædium Episcopi abscondita est. Illius fragmenta collegit, & delineari jussit Eminentiss. Card. FRANCISCVS BARBERINVS Antiquitatis vindex, non tantum de nostro ævo, verum etiam de superioribus sæculis optime meritus non uno nomine. typis subjicere libet ea expressa. Celebre fuisse hoc *Fortunæ* fanum Lithostroto, id est,
In Etymolog. opere composito e crustis parvulis artificiose tinctis in varios colores conspicuum *Fungerus* observat. *Fortunæ* statua, seu signum vestitum plicatili seu rugata veste multis sinubus, seu laciniis plexa e cinereo lapide, qui attritus manibus odorem emittit sulphuris, priscis sæculis medio fere in templo situm, oraculis nobile, maximeque concelebratum erat. inde sortes expetitæ, illic votivi confestim positi lapides, cujusmodi dispersos haud quidem paucos in *Prænestinis* viis, agrisque legimus, ubi & epigrammata concinna, & alia complura suspicienda antiquitatis vestigia jacent. Templum, seu templa potius stupendæ molis omne ferè hodiernæ Civitatis occupabant spatium. apposita namque monti devexis inferioribus partibus, ascensum compositis distinctum areis duodecim exhibebant; erectis ad eas peramplis ædibus, diversis scalarum ordinibus parietibus in unum beneque elatum prospectum cingentibus multiplici porticu, theatro columnis distincto, cavædio, arcubus spectandis,

A fontibus, lacusculis, viridariis. Excisus erat ipse mons, & pluribus quasi planis gradibus sectus in Templi conscensum: excavatus medio in monte aquæductus piscinas, seu potius lacus in ipso *Fortunæ* templo constituebat. cortina Templi eminebat in apice, ubi nunc Palatium Principis: in eoque summo excitabantur ignes accensis facibus, quæ navigantibus etiam in ipso 49
mari noctu religiose conspectæ prælucebant; ut invocandum ipsis *Fortunæ* numen admonerent. Aedificium istud insanum atque immane abs inferioribus sacellis assurgit quatuor quadratis molibus, aliarum quarumdam gradibus quasi adjectis
B ad summam usque in vertice positam obrotundæ in tholum erectionis. Hæc excellentissimus & eruditissimus ille *Cæsius* Sancti Angeli Princeps in Adversariis, quæ nobis fidus ipsius *Achates*, & doctus *Stellutius* perhumaniter præbuit. Idem mox addit: Amplissimi hujus ædificii breviuscula, & superficie tenus quædam delineatio nullo pacto à nobis satis eleganter describi potest, sicut nec vobis non spectanda ejus scenographica facies: siquidem & ipsi sæpiuscule vestigiis ejus institimus, rimatique sumus insignes illas reliquias, cum *Prænestæ* commoraremur nuptiarum caussa, uxorem *Artemisiam Columnam* Principis
C filiam ducentes, & ab Architecturæ haud imperito viro, & in similibus parietinis pervestigandis sagaci designationem multo tempore, magnaque cura elaboratam exquisivimus, quam hic appingere libuit. Superiorum Templi partium satis quidem plena testimonia in soceri palatio ipsi vidimus, exstantem adhuc cum scalis theatri speciem, plateæque situm, inferiorum sacellorum quatuor ruinas propè civitatis mænia, & reliqua apte congruere, quæ mediis in partibus, quamvis minus exstantia notantur: ex quibus cryptæ Lithostroto pavimento exornatæ locum in columnati Cavædii latere comperies. difficil-
D limum autem esse quæcumque quomodo fuerint adamussim recognoscere omnino censeas, si quæ sunt ipsa & prostant vix affatim comprehendere atque intelligere potueris. Extantis modo Lithostroti exemplum habeas, cujus occasione *Prænestinæ* ipsius *Fortunæ* habuisti. In eo multa quidem perspicienda sunt, quæ lapillorum in- 50
terrasis miraculis, crustulisque intercisis superstitiosa sedulitate, summoque otii dispendio conficta apparent. Loco in ipso nonnisi accensis facibus, superaffusaque ad perspicuitatem aqua, & sæpe iterata inspersione pervidere, depingereque licuit. Sunt hominum, animaliumque
E complures imagines; Elephas, Rhinoceros, nomina litteris quibusdam peculiaribus exscripta. sunt & in aquis navigia, quæ sigillatim summa cum diligentia depicta apud doctrina simul ac nobilitate præclarum Equitem *Cassianum* de *Puteo* Lynceum collegam nostrum spectare poteris. Inspectis subsiste navibus. si quid aliud *Fortunæ* Imperio subjacere (illis nempe qui *Fortunam* colebant) hæ maxime videri poterant. Navibus quippe quid magis immineat, quam *Fortuna*, vel Infortunium, non facile quis existimaverit. fluctuans, labilis, irrequieta *Fortuna* ipsis similis fluctibus medio in agmine residet fluctuum.
F *Sola* (Plinio auctore) *invocatur, vel ipsis convitiis colitur.* concludentem audias, lepida comparatione: *huic omnia accepta, huic omnia expensa ferri, & in tota ratione mortalium solam utramque paginam facere.* Illius temporis homines in artibus versati magis, vel, si mavis versuti, ut bene in patratis facinoribus invidiam, in male vero gestis reprehensionem effugerent, omnia in *Fortunam* referebant. ita *Romulus*, *Cæsar*, *Timoleon*; ita *Sylla*, qui *Prænestina* Templa vel plurima ex parte constituit. Utinam hæc prorsus

averruncata noſtris temporibus eſſet ſuperſtitio,
nec ſortes ac *Fortunæ* quandoque clariorum ver-
bis intermiſcerentur, quod ſæpicule contingere
ſolet. Deſtructa templa *Fortunæ Antii*, & *Præ-
neſtæ* ſunt. *Præneſtinum Romana* in magnitudine
nulli ſecundum ex ruinis ſpectaſſe haud diſplice-
51 at, Lithoſtroti gratia, ſi ab inanibus picturis ad
leviora *Fortunæ* divertimus; fructuſque inde uti-
nam ſit, ut ſincera pietate ſimulacra quæcun-
que, atque ſimulationes prætereamus, & *Fortu-
næ* imperia, quæ adhuc apud complures vigent,
cupiditatum apud noſmet ipſos moderatione,
prudentiumque actionum regula, exturbata de-
molitaque prorſus ſint; noſtraque nedum in men-
te, ſed nec in verbis reliqui *Fortunæ* tituli nulla-
tenus impoſterum remaneant. Hactenus Prin-
ceps *Cæſius*. cujus e pia, veraque Parænesi ocu-
los, & animum convertamus ad Ichnographiam,
& ad effigiem Templi, quas Eminentiſſimi Car-
dinalis FRANCISCI BARBERINI munifi-
centia typis expreſſas ſubjicimus, cum votivis
ſimulacris. Fortunæ Templum *Cæſareæ* fuit e-
verſum à Chriſtianis ſub *Juliano* Auguſto, ut
legitur in *Hiſtor. Tripertit. lib.* VI. *c.* 4. & *c.* 14.
unde conjicio Templa Fortunæ *Romæ*, *Præne-
ſtæ*que à Chriſtianis quoque diruta deſtructaque.

CAP. XVI.

De Serapide, *ejuſque Templo.*

Neque ſolum *Fortunæ* templum fuit *Præneſtæ*.
Nam in Annuntiatæ circum vas aquæ lu-
ſtralis legitur hæc inſcriptio:
Γ. ΒΑΛΕΡΙΟΣ. ΕΡΜΑΙΣΚΟΣ. ΕΠΟΙΗΣΕΝ. CΑΡΑΠΕΙΟΝ.
ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ. CΑΡΑΠΙΔΙ. ΚΑΙ. ΤΟΙΣ. ΣΥΝ-
ΝΑΟΙΣ. ΘΕΟΙΣ.
At alia ex parte:
DOMVS. C. VALERI. HERMAISCI. TEM-
PLVM. SARAPIS. SCHOLA. FAVSTINIANA.
FECIT. VALERIVS. HERMAISCVS. DEDIC.
IDIB. DEC. BARBARO. ET. REGVLO. COSS.
Quos Coſſ. *Barbatum*, & *Regulum* vocat, at-
que locat ad annum Urbis conditæ DCCCCX. e
Caſſiodoro, Faſtis Græcis, & *Cuſpiniani* libro *Pan-
vinius* in *Commentariis ad Faſtos*, qui præterea
nihil de his compertum habere ſe fatetur. Ne-
ſcio, an idem an aliquis ejus gentilis ſit, qui in
52 alio lapide apud *Gruterum* commemoratur. C.
VALERIVS. HERMIAS. ET. FLAVIA.
IVSTINA. Sed quod *Præneſtinam* inſcriptio-
nem attinet, perſimiles omnino recenſet etiam
Boiſſardus Romæ ſub arcu prope *Theatinos*. CΥΝ-
Par. v. ΘΡΟΝΟΙΣ. ΤΩΝ. ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ. ΘΕΩΝ. ΜΟΥΑΠΙΟΣ.
Ant. ΑΠΟΛΛΟΝΙΟΣ ΠΡΟΦΗΤΗΣ. Et in columella apud
Rom. *Marium Delphinum*. ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ. ΣΑΡΑ-
ΠΙΔΙ. Et in hortis *Julii* III. portentoſa videtur
effigies cum litteris ſupra: ΘΕΟΙ. ΑΔΕΛΦΟΙ. Et
infra, CΥΝΘΡΟΝΟΙΣ ΤΟΙC. ΕΝ. ΑΙΓΥΠΤΩ. ΘΕΟΙC.
ΙCΙΑC. ΑΡΧΙΕΡΕΥC ΑΝΕΘ. Ejus quia CΥΝΘΡΟΝΟΥΣ
Part. VI. Deos continet, delineationem operæ pretium
duxi proferre. Sed paſſim obvia eſt Inſcriptio
P. III. Bonæ Fortunæ. Jovi ſoli. Magno Serapidi
P. 38. & Græca refertur à Torrigio in *Cryptis Vaticanis*,
516. lib. 5. p. 85. *de Serapide* Pauſanias, de illo Jove, ac δᾳδοφο-
P. 174. ρίοις Statius Alexandrinus *in* Ἐρωτικοῖς *Clitophontis*.
lib. 4. Dii σύνθρονοι Iſidis ab eruditiſſimo Patre *Athana-
adv. ſio KirKero* recenſentur in Prodromo Coptico.
Gentes. P. 127. *Serapidem Ægyptium* memorat *Arnobius:* de *Se-
P. 32. rapide* Boiſſardus *lib. de Magia:* de illius delu-
P. 443. bro diruto *Eunapius*, in quo libri ſacri erant re-
P. 39. & 79. poſiti, S. Joannes Chryſoſtomus *orat.* I. *adv.
Judæos*. de Apide Sanctus Clemens Romanus
lib. 5. & *lib.* 6. *Apoſtolic. Conſtitut.* Ad ſcholam
Præneſtinam ſpectare videtur Inſcriptio, quæ iſt-
hic viſitur penes *Philippum* de *Torciolis*, avun-
culum ſolertiſſimi, & amiciſſimi *Agapiti Coloſſi*

A *Præneſtini*, qui per *Virtutis* templum ad *Hono-
ris* ædem graditur in Eminentiſſimi Cardinalis
FRANCISCI BARBERINI nunquam ſatis
laudati comitatu, & a *Grutero* relata fuit. P. 58.

. . . . . . S. PVBLICA. EX. D. D. IN. HON.
. . . . NIFICENTIÆ. INSTEI. T. F. PVP.
. . . . . . TR. PL. PR. COS. LEG. CONSVLARIS. PROV.
. . . . SIS. EIVS. AC. FRATRIS. FILIIQ. ET. VXORIS.
. . . TVM. TABVLIS. HOSPITALIBVS. TRANSFERRI.
. . . L. ANTE. CVRIAM. VEL. IN. PORTICIBVS. FORI.
I . . . CAVERAT. SCHOLAM. HANC. DICAVIT.

CΑΡΑΠΕΙΟΝ interpretatur lapis ipſe *Serapidis tem-
plum*. Serapium quidem *Alexandriæ* fuit ab *A-
lexandro Macedone* conſtructum, templum maxi-
B mum & ſplendidiſſimum, in eoque celeberrima
Ptolemæi Philadelphi regis *Ægypti* Bibliotheca
ſervabatur, *Ammiano* teſte. Sinopitam *Jovem*, lib. 22.
de quo Dionyſius Afer *in perigeſi*, & *Euſtathius*
ejus ſcholiaſtes agit, eum eſſe, quem *Plutarchus* 53
Plutonem, ſeu *Sarapidem* vocat, & cujus *Coloſ-* Theo-
ſus Ptolemæi Soteris juſſu e *Sinope Alexandriam* ph. ad Antho-
deportatus eſt, (nam & *Pluto* Ζεὺς dictus, & *Sa-* lyc. l. 1.
rapis fuit, auctore *Juliano Auguſto*) obſervavit Paneg.
etiam *Lud. Carrio:* ſive quaſi Saraphim, voce Solis.
ab Hebræo detorta; ſive quaſi Σορὸς Α῎πις, id eſt, l. 1. c. 1. Emend.
Apis ſepulcrum; ſive quaſi *Saræ* pronepos. Rex Varro,
Ægypti aliis, qui, dum viveret, dicebatur *Apis*, Suidas,
poſt mortem primo *Sorapis*, aut *Sarapis*, dein- Ruffin.
C de una littera, ut fit, immutata *Serapis*, ſeu l. 2. c. 23. Clem.
Soroapis. nam utrumque apud *Pauſaniam*, & a- Alex. l. 1.
lios legitur: licet illud ſæpius à *Latinis*, hoc à Strom.
Græcis uſurpetur. ſive ἀπὸ ȣ̃ σαίρειν, quod idem eſt Euſeb. l. 10.
ac mundum gubernare, atque ornare, ut olim Præp.
volebat *Phylarchus* apud *Plutarchum:* ſive à Σερει c. 3.
voce Ægyptiaca, quam *Plutarchus* ipſe putat S. Auguſt. l. 18.
ſignificare gaudium, & lætitiam: ſive potius ut Civ. Dei
conjicit certiſſime Pontacus ad *Chronicon Euſebii* c. 52.
ab *Apis*, & *Sor.:* quæ vox Hebræis bovem de- L. de Iſid. &
notat. Nemo enim neſcit *Ægyptios* aluiſſe in Oſir.
ſepto quodam bovem; quem, ut ſanctus *Augu-
D ſtinus* ſcribit, deliciis affluentibus venerabantur,
cultu, ſecundum *Macrobium*, attonitæ venera- l. 1. c. 15.
tionis: prout indicant *Herodotus*, *Diodorus*, *Ci-* Sat.
cero, *Strabo*, *Mela*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Pau-
ſanias*, *Ælianus*, *Solinus*, *Ruffinus*, *Suidas*. ſed Exodi
quis non veterum? Ad imitationem illius *Ægy-* 32.
ptiacæ ſuperſtitionis aut Idololatriæ priſci He-
bræi conflarunt vitulum aureum, uti docent l. 4. c. 10.
Sanctus *Clemens Romanus Conſtit. lib.* VI. *c.* 20. his div. In-
verbis: λαὸς μοσχοποίησε τ͂ παρ' Αἰγυπτίοις Α῎πιν. & ſtit.
poſt eum *Lactantius*. Eodem *Hieroboam* vitu- 3. Reg.
los, aut vitulas, uti ſeptuaginta Interpretes ver- 12. l. 8. c. 3.
tunt, refert *Joſephus*. Apim *Peloponneſi* prodi- Antiq.
E tum, & in *Ægypto Serapim* nuncupatum Arno- Jud. l. 1. c. 7.
bius *lib.* I. tradit. *Macrobius Sarapim* advenam Sat.
Deum *Ægyptiis* fatetur: unde fana ejus extra 54
pomœria fuere locata; ne ſacrificiorum, quibus
ille colebatur, cruore pollucrentur urbes, apud
quas patrii Dii precibus, & ſolo thure placaban-
tur. Sed cum Solem vult eſſe, vel ex ipſius o-
raculo, & tricipite forma, ſicut & Inſcriptio
probat, & innuit *Ælianus*. Serapium *Alexandriæ* l. 10. hiſt.
templum atriis columnatis ampliſſimis, & ſpi- Anim. c. 28.
rantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum
multitudine ita exornatum erat, ut poſt Capito-
lium, quo ſe venerabilis *Roma* in æternum at-
tollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cerne-
F ret. in quo Bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles,
& ſeptingenta voluminum millia, cum capta
fuit à *Cæſare Alexandria*, conflagrarunt; uti
ſcribit *Ammianus*. Videtur tamen poſtea vel re- lib. 22.
ſtaurata Bibliotheca, vel ſaltem pars incendio
ſubtracta. nam ſacra Biblia in *Græcum* ſermonem
verſa *Ptolemæi Philadelphi* regis juſſu libris undi- Hom.
que collectis, & accerſitis e *Judæa* viris, & in 34. ad
Serapidis templo *Alexandriæ* repoſita ſanctus *Jo-* Pop. Antio.
annes Chryſoſtomus affirmat, & ævo etiam ſuo li- adv. Jud. 1.
bro-

brorum propheticorum interpretationem illic servatam testatur. [l. 17. Geog.] *Serapii Alexandrini* meminit & *Strabo* aboliti cum aliis fanis: sed constat e *Suetonio* instauratam fuisse *Alexandriæ Serapidis* ædem, [c. 7. in Vesp.] seu τέμενος Σεραπεῖον, ut *Dio* vocat. [In Caracalla.] *Ægyptia* numina, quibus *Serapis* atque *Isis* est nomen, post *Pisonem*, & *Gabinium* Coss. sive anno V. C. DCXCVI. ut *Panvinius* putat, relata in Deorum numerum à *Romanis Arnobius* exclamat: qui [l. 2. adv. gent.] *Serapida Ægyptium* cum mysteriis omnibus atque *Iside* solutum in cinerem Capitolino incendio testatur. [lib. 6.] Atque hoc est quod *Isidis* ac *Serapidis* fana *Romæ* consumpta incendio sub *Tito Dio* narrat. sed *Domitianus Isium*, ac *Serapium* postea instaurata peregit, ut *Eutropius* refert. *Aristi-*
55 *des* oratione in *Serapim* quadraginta duo templa in *Ægypto* illum obtinere scribit. Unde & in [lib. 17.] urbe *Canopi* τὸ τοῦ Σεράπιδος ἱερὸν πολλῇ ἁγιστείᾳ τιμώμενον commemorat *Strabo*. quin & *Serapidis* maximum Templum fuit *Turgatæ*, quæ insula est *A-* [lib. 23.] *rabiæ*, teste *Ammiano*. *Constantinus* quidem *Magnus* Augustus cubitum, quo mensuratur *Nilus*, non amplius in templum *Serapidis* annis singulis, sed in Ecclesias portari sancivit. *Paulo Diacono* [l. 11. Hist. Misc. c. 16.] auctore. Deinde *Theodosii* jussu *Theophilus* Archiepiscopus curavit *Alexandriæ Serapium* subverti, seu purgari, atque in Ecclesiam *S. Joannis Baptistæ* converti, disjecta statua; uti produnt *Socrates*, *Theodoretus*, *Sozomenus*, *Ruffinus*, atque sancti Patres *Hieronymus*, & *Augustinus*, quos laudat Cardinalis *Baronius* ad Martyrologium XVII. Martii. *Romæ* ab *Alexandro* [Lampr. in Alex. Sev. ubi Casaub.] *Severo Isium* ac *Serapium*, quæ struxerat *Caracalla*, legimus decenter exornata signis, & Deliacis, seu vasis, quæ Deliaca imitarentur, & omnibus mysteriis additis, quibus *Serapis* colebatur. Ea vero in Regione IX. locat auctor descriptionis XIV. Regionum Urbis. quamvis aliæ essent in Regione III. & in V. *Serapidis* ædiculæ: quo loco fusissime agit de sacris *Ægyptiis* sæpius in Urbem inductis, & sæpius rejectis *Pan-* [P. 164.] *cirolus*. de *Mnevi*, deque *Api* bobus *Ammianus*, quorum alterum *Heliopoli*, alterum *Memphi* nu- [lib. 17.] tritum censet *Strabo*. Bos immolatur apud *Ju-* [l. 5. Hist.] *dæos*, quam *Ægyptii Apim* colunt, inquit *Tacitus*. In peragranda *Ægypto Augustus* paululum deflectere ad visendum *Apim* supersedit, teste [In Aug. c. 93.] *Suetonio*: λέγων θεὸν, ἀλλ' οὐκ βοῦς προσκυνεῖν εἰθίσθαι, ut *Dio* loquitur. Sed postea *Vespasianus* cum de firmitate Imperii capturus auspicium ædem *Serapidis* semotis omnibus solus intrasset, ac pro- [c. 7. in Vesp.] pitiato multum Deo se convertisset, verbenas, coronasque, seu panificia, ut illic assolet, Ba-
56 silides libertus obtulisse visus est, uti *Suetonius* recenset, addens debili crure, atque oculis orbato demonstratum a *Serapide* per quietem, fore ut valetudini restituerentur a *Vespasiano*. Sa- [Capitol. Anton.] cra *Serapidis* a vulgaritate *Pelusii* submovit *M. Antoninus* inhibitis flagitiis, quæ vulgo patrabantur; sive ut arbitror, non palam & in propatulo, sed clam & religiose illa peragi sanciendo. [Sueton. Tit. c. 5.] Titus *Alexandriam* petens in consecrando apud *Memphim* bove *Apide* diadema gestavit, de more id quidem, rituque priscæ religionis. *Apis* bos diversis genitalium notarum figuris expressus, maximeque omnium corniculantis Lunæ specie latere dextro insignis: qui cum post vivendi spatium præstitutum sacro fonte immersus e vita abierit, nec enim ultra eum trahere licet ætatem, quam secreta librorum præscribit aucto- [Plin. l. 8. c. 46. Hist. Nat.] ritas mysticorum, nec nisi semel in anno bos fœmina inventa cum notis certis effertur. alter cum publico luctu quæritur, & si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, defertur *Memphim* urbem præstantem, præsentiaque numinis *Æsculapii* claram: cumque initiante antistitum numero centum inductus in thalamum esse cœperit sacer, conjecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare; & adeuntes quosdam indiciis avertere videtur obliquis, ut offerentem cibum aliquando *Germanicum* Cæsarem, sicut lectum est, aversatus portenderat paulo post eventura, ut *Ammianus* tradit. [l. 22] Hinc antequam caperetur a *Cæsare Alexandria*, mugitus ingentes at miserabiles edidit *Apis*; ac vim lacrymarum profudit, si qua fides *Dioni*. *Eudoxo Gnidio* in *Ægypto* agenti, ac *Memphi Apim* consulenti [Epig. Gr. l. 1.] καλλιμέρως ταῦρος portendit celebritatem, sed & [Diog. Laert. l. 8.] brevitatem vitæ vestem ejus lingendo. *Hadrianus* profecto *Serapim* summum *Ægyptiorum* Deum luculenter ostendit in epistola ad *Servianum*: & *Se-* 57 *verus Augustus* jucundam sibi peregrinationem [Vopisc. Saturnin. & ibi Salmas.] *Ægypti* propter religionem Dei profitebatur: & *Caracalla* profectionis *Alexandrinæ caussam prætulerat*, τῷ θεῷ χρῆσθαι ὃν ἐκεῖνοι (*Alexandrini*) σέβουσιν ἐξαιρέτως, apud *Herodianum*: & *Serapidis* in [Spartian. in Sever. lib. 4.] æde diversatus ipsi ensem, quo fratrem interfecerat consecravit; qui mox incenso Templo & illæso solus flagravit, & absumptus est, ut testatur e *Dione Xiphlinus*. *Jovis* quidem fratrem [I. Moschus prat. 5. c. 72.] *Serapim Julianus* in Cæsaribus nuncupat; quem alii *Saturnum*, multi *Æsculapium* quod medeatur ægris corporibus, quidam *Osirim* antiquissi- [Tacit. l. 4. Hist.] mum illis gentibus numen, plerique *Jovem* ut [l. de Isid.] rerum omnium potentem; plurimi Ditem pa- [l. 4. Præp. Eu.] trem insignibus, quæ in ipso manifesta, vel per [Oneiro. l. 5. c. 26. & 94.] ambages conjectant. *Plutonem* ex *Archemacho*, & *Heraclide Pontico Plutarchus*, *Eusebius* ex *Por-* [l. 1. Protrep. & 1. Stromat.] *phyrio*, *Artemidorus*, & *Clemens Alexandrinus* asserunt. Ejus fani aream in Emporio locat *Vitruvius*, quod opum atque divitiarum præses haberetur, ut sentit *Brodæus*. sunt qui *Nilum* pu- [In l. 1. Epigr. Græc. V. Sarapis.] tent: nam modium, & cubitum gestat in capite, mensuram aquæ; in his *Suidas*, & *Cardinalis Baronius*, ex eoque doctissimus *Præsul Apamiensis Spondanus*. Non desunt qui *Josephum* [An. c. 380.] suspicentur. *Julianus* Cæsar hunc ex *Orpheo* ver- [Paneg. Solis.] sum adducit:

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς ἥλιος ἐστὶ Σάραπις.

addens *Cyprios* sacerdotes Soli communes cum *Jove* aras exstruere, atque *Apollinem* συνεδρεύοντα τῷ θεῷ τῷδε προσκαλέσαντας μάρτυρα. Idem *epistola* II. ad Alexandrinos sic scribit. ὑπάρχοντος τῆς ὑμῶν πόλεως θεοῦ τοῦ Βασιλέως Σαράπιδος ἅμα τῇ παρέδρῳ Κόρῃ καὶ τῇ Βασιλίδι τῆς Αἰγύπτου Ἴσιδι. id est, *Præside vero urbis existente vestræ Deo Rege Serapide cum Assidente Proserpina, & Regina Ægypti.* mox culpam illis remittit αἰδοῖ τοῦ μεγάλου θεοῦ Σαράπιδος. 58 Unde perspicue liquet, quinam fuerint σύνναοι, sive σύνθρονοι, σύνεδροι, aut πάρεδροι Serapidos Dii; [Apud Casaub. in Hist. Aug.] quive Consentes, sive Novensiles, ut *Marius Victorinus* exponit; quæ Synodus, aut quod Concilium Deorum in *Serapio*. *Proserpina* nempe [Apol. 2. Protrept.] atque *Isis*. σύνθρονος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν vocatur etiam in *Romana* inscriptione *Antinous*, ab *Hadriano* relatus inter Deos, ut *Justinus Martyr*, *Clemens* [l. 1. contra Symmach.] *Alexandrinus*, & alii recensent. atque adeo canit *Prudentius*:

Quid loquar Antinoum cælesti sede locatum?

Qui postea lepide ridet quod in Actiaco prælio,


Nil potuit Serapis Deus, & latrator Anubis.

Serapidis effigiem marmoream non ita pridem in Urbe effossam asservat Eminentissimus Card. ANTONIVS BARBERINVS, quam depictam exhibet *Alexander Donatus Senensis* in vete- [l. 1. c. 21.] ri *Roma*, ubi de templis *Isidis*, quæ in Urbe fuere, disserit. At *Sibylla Isidis* & *Serapidis* templa in *Ægypto* casura, & incendio peritura prædixerat: cujus versus intexuit Protreptico suo *Clemens Alexandrinus*. *Thebis* delubrum *Serapis Basalten* lapidem habebat *Memnonis* statuæ dicatum, quem quotidiano Solis ortu radiis contactum

tactum crepare dicunt, *Plinio* auctore; non *Osi-*
l. 36. c. 7 *ridis*, ut *Donatus* opinatur. *Apion* cognominatus *Plistonices* scriptum reliquit esse etiam in labyrintho *Ægypti* colosseum *Serapis* e smaragdo
l. 37. c. 5. novem cubitorum, penes ipsum *Plinium*. Sed *Apidis*, *Serapidis*, *Osiridis*, *Isidis*, *Annubis*, *Hori*, *Canopi*, *Marnæ*, & si quæ alia fuerunt in *Ægypto*, portentosa idola, Christo illuc adve-
cap. 19 niente diffluxere, juxta vaticinium *Esaiæ*, & collapsa sunt, cessaruntque oracula & præstigiæ,
Hist. Dæmonibus undique contremiscentibus: & in-
Trip. gredienter Domino *Ægyptum* commota sunt si-
l. 6. c. 42 mulacra a facie ejus, uti commemorant *Socra-*
l. 10. c. 31
lib. 7. Spec. *tes*, *Nicephorus Callisti*, *Vincentius Bellovacensis*,
hist. c. 94 *Petrus* de *Natalibus*, & alii: mox superstitionis
59 insanæ vice per *Ægyptum* effloruit vera Religio
In Vita pinguescentibus speciosis deserti præ Martyrum,
S. Aphrodisii. & Anachoretarum multitudine, quam observant *Rosweydus* in Vitas Patrum, & linguarum scientissimus *Athanasius Kircherus* nobis conjunctissimus in Prodromo Copto. adeo ut *Serapis* ipse Christianus factus sit, ut loquitur *S. Hieronymus*.
Ep. ad Lætam Verum ut ad inscriptionem *Prænestinam* redeamus, a qua nos *Serapis* velut in Labyrinthum deductos, atque errantes tamdiu abstraxit, hæc est ejus explicatio. *C. Valerius Hermaiscus* anno Urbis conditæ CMX. sive a CHRISTO nato CLIX. qui incidit in XX. Imperii *Antonini Pii*, ut putat Cardinalis *Baronius*, domum suam vertit in *Serapium*, seu *templum Serapidis*, & scholam Fau-
Capitol. in Pio. stinianam in honorem *Faustinæ* uxoris *Antonini Pii*; quam tertio Imperii anno amissam Senatus consecraverat delatis Circensibus, atque templo, & flaminicis, & statuis aureis, atque argenteis.
Capitol. ibid. Ipse quidem *Antoninus* puellas alimentarias in honorem *Faustinæ* Faustinianas constituerat, sicuti *M. Aurelius Antoninus* Philosophus novas puellas *Faustinianas* instituit postea in honorem alterius
Capitol. in M. Philos. *Faustinæ Pii* filiæ etiam uxoris suæ mortuæ. *Urbini* apud *D. Clementem Bartholum* hæc incisa marmori exscripsit, mihique communicavit antiquitatis peritissimus & eruditissimus *Fredericus Ubaldinus*

T. AELI. HAD. . . . . .
ANTONINI. . . . .
PII. PONT. M. . . . . . .
TRIB. POTE. . . . . . .
IMP. II. COS. IIII. P. P.
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE.
ALIMENTARI.

60 Cl. *Menetrier* numum hunc argenteum ostendit





Idem in lapide apud Pacificum *Romæ* indicavit sculptas puellas XIII. duabus a *Faustinis*, ut videtur, in podio stantibus spicas prima excipit, alio in lapide puellæ floreas coronas gestantes exprimuntur. *Trajanus* primus quinque mille pueris alimenta detulit, ut *Plinius* in Panegyrico prædicat. idemque beneficium S. P. Q. R. in arcu *Beneventano Trajano* Cæsari erecto ad posteritatis memoriam sculptum reliquit, ut V. Cl. *Lucas Holstenius* oculatus testis mihi retulit: qui inter prima orbis spectacula illud *Trajani* monumentum

A numerandum censet. *Hadrianus* deinde pueris ac puellis incrementum liberalitatis adjecit, uti l. 1. El.
Spartianus observat: docentque copiose *Lipsius*, c. 8. Ad l. pueri
Cujacius, & *Salmasius*. *Nervam* tamen compe- 204.
rio puellas, puerosque natos egestuosis parenti- D. de
bus sumptu publico per *Italiæ* oppida alendos cu- signif.
rasse apud *Victorem* relatum a *Bulengero*. & *Au-* verb.
relianum auxisse numerum puerorum ac puella- Ad Hist. Aug.
rum, quibus alimenta data, apud *Vopiscum* legi- l. 6. de
mus. Hos æmulati Christiani Imperatores Or- Imper.
phanotrophia, & Brephotrophia instituerunt, Rom. c. 13.
& Orphanotrophos privilegiis ornarunt. In hoc 61
autem *Serapio Prænestino* Bibliothecam fuisse non L. Or-
B inani conjectura ductus suspicor, cum simula- phanotr.
crum atque effigies quædam esset *Alexandrini*, C. de Episc. &
cui adjunctum erat Museum, & illa celeberrima Cler.
Bibliotheca, de qua *Lipsius* ex *A. Gellio*, *Seneca*, Synt. de
Tertulliano, & aliis. nam *Prænestæ* quoque scho- Biblioth.
la fuit Faustiniana, in qua non tantum alerentur cap. 2.
pueri, puellæque in honorem *Faustinæ*, sed etiam erudirentur. Nam & mulieres olim liberalibus artibus instituebantur. *Suetonius* in libro de Grammaticis ait, *Attici* filiam *M. Agrippæ* uxorem institutam fuisse a *Q. Cæcilio Epirota* Gram-
matico, *Attici* liberto, & *Julianus* Jurisconsul- L. qui filium 4. D.
tus mercedes a tutore præceptoribus datas ut pu- ubi pup.
C pilla liberalibus artibus imbueretur, jure com- educ.
putari censuit. deb.

CAP. XVII.

De Basilicis, & Solario.

Fuere quoque *Prænestæ* Basilicæ, ut liquet e l. 5. de
Varrone. *Meridies* (scribit ille) *ab eo quod* L. L.
medius dies. D. antiqui non R. in hoc loco dicebant ut Præneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in Basilica Æmilia, & Fulvia inumbravit. Solarium denotat hic locum Soli expositum, in
D quo horæ inspiciebantur, eratque in foro inumbratus, secundum quem homines animi caussa convenire solebant, uti *Turnebus* colligit e *Plau-*
ti versibus ab *A. Gellio* laudatis, e *Cicerone*, atque l. 18. Ad.
hoc e *Varronis* loco. Græci dixerunt ἡλιακὸν, vel c. 22.
ἡλιαστήριον, *Galli*que Græcissantes vocant *les Hales*, l. 2. Nat. Deor. &
ut *Harmenopulus* usurpat, & *Cyrillus* in *Lexico* Or. pro
exponit. Erat Basilica ædificium testudinatum Quintio.
altis columnis suffultum, qualia hodie templa fiunt, quæ inde Basilicæ appellantur. eam *Vir-*
gilius describit: 7. Æn.

Templum augustum ingens centum sublime columnis. 62

Latini Regiam nuncupant. *Romæ* in ea caussas
E exercere, Legatos audire, & negotia publica tractare solebant. circum etiam tabernas habebat,
in quibus vel argentea vasa, vel vestes, aliaque Vitruv.
venalia erant. Basilicam *Æmyliam Romæ* locat l. 5. c. 1.
Barbarus in commentariis ad *Vitruvium*, è *Plu-* In Vit.
tarcho, quæ Basilica *Pauli* dicitur, & in Regio- Cæs. Ap-
ne IV. ponitur in Urbis Descriptione, à *L. Pau-* pian. l. 2.
lo Æmylio post devictum *Perseum* dedicata. *Do-* de bell. Civ. l. p.
natus è *Cicerone* duas Basilicas *Paulo* tribuit, al- 469. Plin.
teram instauratam, extructam alteram; vultque l. 36. cap. 15.
Plinium alterius Basilicæ *Æmyliæ* meminisse, in Pan-
foro statuens Basilicam *Pauli* ex adverso *Juliæ*, cirol. in Reg. Urb.
à latere Domitianæi equi, è versu *Statii P. Vi-* p. 169. &
F *ctor* enumerat XIX. Basilicas in Urbe, *Panvi-* 190. lib.
nius XXII. Descriptio subjecta Notitiæ Imperii 4. opt. 16
X. Itaque à *Fulvio* aliquo, sive è *Pœtinis*, sive l. 35. l. 45
e *Flaccis*, qui *Prænestæ* fuit, sive à *Fulvia* uxo- cap. 5.
re *M. Antonii*, quæ *Prænesten* insederat, ut e- lib. de Roma
narravi superius; & ab aliquo etiam *Æmylio* Ba- c. 17. F.
silicas ædificatas *Prænestæ* conjicere licet, in il- 153. de
lisque *Varronem* vidisse litteras incisas solario, Vir. Il-
quod *Cornelius Sylla* inumbraverit postea musivo lust. Do-
adornans, nisi *Cornelius Sylla* Basilicas illas exerexerit instar aliarum, quæ *Romæ* essent, & nomen nat. p. 185. l. 1. c. 30.
Gen-

Gentium affinium, aut cognatarum, aut amicarum ipsis attribuerit. Sic assurgebant Capitolia, sic Theatra, & Circi, sic Monetæ in Coloniis, quæ Urbis effigies erant, & simulata magnis mœnia.

CAPUT XVIII.

De Foro, & Statuis.

De Ill. Grammat.

FOrum *Prænestæ* tribuit *Suetonius.* nam ut ipse narrat, *Verrius Flaccus* statuam habet *Prænestæ* in parte inferiore fori contra Hemicyclum, in quo Fastos a se ordinatos, & marmoreo parieti incisos publicarat. Hic Libertinus decessit sub *Tiberio* ætatis exactæ. refert ista *Josephus Scaliger*, & præfigit ejusdem *Verrii* fragmentis, legens, *Pro Vestæ*, & non *Prænestæ.* certe *Romæ* in parte inferiore Fori templum exstabat *Vestæ. Octavius Panthagatus*, & *Faernus* emendarant antea, prope ædem *Vestæ.* & docuit postea eventus: nam *Verrii* Fasti ibi reperti sunt in Urbe, sicuti *Panvinius* enarrat. Forum tamen *Prænestæ* fuisse *T. Livius* testatur, in eoque statuas collocatas. Quin *Prænestæ* in Kalendarii fragmento legebatur.

Proœm. Fast. l. 2. Dec. 3.

NON. N. CONCORDIAE
IN. ARCE. FERINAE. EX
S. C. QVOD. EO. DIE
IMPERATOR. CAESAR.
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIB. POTEST
XXI. CONSVL. XIII. A. SENATV
POPVLOQVE. ROMANO. PATER
PATRIAE. APPELLATVS.

63 Variis autem statuis ornatum fuit *Prænestinum* Forum: nec enim stetit ibi sola * *Manitii* Prætoris *Prænestini*, (scriba is ante fuerat,) qui reduxerat *Prænestinos* illos strenuos *Casilini* propugnatores *Præneste*, loricata, amicta toga, capite velato. stabant & tria signa cum titulo laminæ æneæ inscripto,

* Forte: *M. Anitii.*

MANITIVM. PRO. MILITIBVS. QVI. CASILINI
IN. PRAESIDIO. FVERINT. VOTVM. VOVISSE.

Idem titulus tribus signis in Æde *Fortunæ* positis fuit subjectus. stabat & statua *L. Æliani*, quæ refertur e basi marmorea apud *Gruterum.* P. 347.

L. AELIANO. L. F.
AN. PROVINCIALI
EQVO. P. ORNATO
LVPERCO. DESIG.
HVIC. ORDO. DECVRION
STATVAM. DECREVIT
L. AELIANVS. VERECVNDVS
H. V. S. R. L. D. D. D.

Forsitan hic *Ælianus*, a quo in agro denominatur Collis d'*Aliano*, fuit scriptor Polyhistoris, & aliorum operum: qui Ἀρχιερεὺς *Suidæ*, quia *Lupercus* designatus erat, & *Prænestinus.* Αἰλιανὸς, inquit Suidas, ἀπὸ Πραινεστοῦ τῆς Ἰταλίας Ἀρχιερεὺς, καὶ σοφιστὴς ὁ χρηματίσας Κλαυδίῳ, ὃς ἐπεκλήθη μελίγλωσσος ἢ μελίφθογγος, καὶ ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ αὐτῇ ἐπὶ τῶν μετὰ Ἀδριανὸν χρόνον. quæ *Vossius* repetit. *Romanum* licet se vocitet Ælianus *lib.* XII. *Polyhistoris sui*, ubi de clarorum virorum adjutoribus agit; idemque profiteatur *Philostratus*, γενικῶς nempe. *Ælianus*, inquam, qui Latinus Græce scripsit Polyhistora, de animalibus, & de instruendis aciebus, ubi præfatur ad *Hadrianum*, se *Nervæ* salutandi visendique caussa divertisse *Formii* apud 64 *Sextum Julium Frontinum* virum consularem, qui de aquæductibus, & strategematis libros composuit. Crediderim hunc L. *Ælianum* fuisse cognatum polyhistoris, qui *Claudii* prænomen habebat, ut *Suidas* affirmat. quia Civitate *Romana* donatus illud assumpserat, uti *Claudius Ptolemæus*

L. de Hist. Græc. In Vit. Soph.

A Geographus, & *Flavius Josephus* Historicus, quod observavit Gregoras *lib. VII Histor* Philostratus *in vitis sophistarum* refert *Ælianum* legisse librum, quem ipse conscripserat contra γύννιδα, id est è Suida μάλακον, qui *Romanum* Imperium luxuria sua paulo ante contaminarat. *Tristanus*, Numorum Historiæque peritissimus vir, hunc γύννιδα *Antoninum Elegabalum* esse censuit: P. 166. verum cum prius ab *Æliano* nuncupatum opus P. 364. τάξεων στρατηγικῶν ἑλληνικῶν *Trajano* asseruerit, & in edit. præfatione *Nervam Formiis* à se salutatum *Ælia*- Græcæ *nus* ipse testetur, neque plus annis LX. vixerit, Venet. & *Nerva* Christi anno LXXXXIX. *Elegabalus* 1538. in 8. B autem anno CCXIX. imperarint *Elegabalo* superstes esse neutiquam potuit *Ælianus*: sed nomine γύννιδος intelligendus est *Domitianus*, homo impurissimus, & libidini addictus, ut *Suetonius* affirmat, & *Tacitus*, qui expulerat *Italia* Philosophos, & hos inter *Dionem Prusiæum*, qui conqueritur in Orationibus & Apologia, uti *Marsilius* adnotat: unde *Ælianus* amicus *Dionis*, & Sophista impulsus fuit ad scribendum adversus *Domitianum*, constat eum floruisse sub *Trajano*, & superstitem *Hadriano*, quia peramicus fuit illi *Dioni*, Auditor *Nicostrati*, & *Pausaniæ*, administratorque *Herodis*, qui omnes sub *Trajano*, C *Hadriano*, & *Antonino* vixere, *Suidas* prodit eum vixisse ἐπὶ τῶν μετὰ Ἀδριανοῦ χρόνων exstant *Æliani* libri ποικίλης ἱστορίας: *de re militari*, *de Animalibus*, *de plantis*, *Epistolia Rustica*: ejus *instructio de re Navali* fertur exstare in Bibliotheca Regis *Francorum*, & Palatina, extat in Dactyliotheca Eminentissimi Cardinalis *Francisci Barberini* onyx, cui incisum, AELIANE VIVAS, forte amici, aut amicæ *Prænestini Æliani*, nec enim duxit uxorem, & in tanta synonymia *Ælianorum* haud facile est divinare. *Martialis*, ut omittam reliquos, Covinum currum extollit. *Facundi sibi munus Æliani.* Assurgebat ibidem *Anatellontis* statua, de qua extat decretum ita D conceptum apud *Gruterum*, quamvis e stylo mihi suspectum falsi: P. 389.

Tom. 2. p. 323. Tom. 1. P. 373. c. 22. in Domit. lib. 4. Histor. 3. Gellius c. 11. l. 15. noct. Attic. In Domit. 1. Sueton.

EXEMPLVM. DECRET. Q. F.
Q. IVNIO. SYLLANO. ET
L. SEPTIMIO. VALERIANO. COS.
POSTVLANTE. CLAVDIO. MARONE
VTI. LOCVS. AD. STATVAM. PONENDAM
OPTIMAE. MEMORIAE. VIRO. QVONDAM
FILIO. AELI. AVG. LIB. ANATELLONTIS
AMANTISSIMO. REIPVBLICAE. NOSTRAE
PLACVIT. ET. IN. HONOREM. ANATELLIONTIS
SEMPER. ET. VBIQ. DE. REPVB. OPTIME. MERITI
ET. IN. GRATIAM. CLAVDI. MARONIS
E LOCVM. AD. STATVAM. PONENDAM
AD. ELECTIONEM. IPSIVS. ARBITR. DARE.

Et *Flaviæ Rufinæ* apud eumdem. P. 374.

FLAVIAE. RVFINAE
M. BARBI. FASTI
CONSVLARIS
PATRONI. COLONIAE
PRAENESTINORVM
FILIAE. OPTIMAE
D. D.

Et *P. Martii*, cujus basis *Ostiæ* eruta epigraphem istam habet:

P. MARTIO. QVIR. PHILIPPO
F CVRATORI. VIAE. PRAENESTINAE
AEDILIO. CVRVLI. V. Q. AB. AERARIO
TRIBVNO. FABRVM. NAVALIVM
OSTIENS. QVIBVS. EX. S. C. COIRE. LICET.
PATRONO. OPTIMO
P. P.

At a latere dextro. 65

DEDICATA. III. IDVS. APRILIS
SCAPVLA. TERTVLLO. ET TINEIO
CLEMENTE. COSS. CVRAM. SIC.
AGENTE. VALERIO. GALAGAERO. LIB.

ET. C. VETTEIO. OPTATO. M. CLODIO.
MINERVALES
Q. Q. PER.

Visitur, & alia inscriptio Q. VETTIVS PVLCHER. *Vettiæ* gentis complura sunt monumenta. Numus argenteus. SABINVS S. C. AT. T. VETTIVS IVDEX. E *Vettia* gente prodiit *Juvencus* Poeta Christianus *Hispanus*, qui sub *Constantino* Principe primus omnium ausus Euangelii majestatem sub metri leges mittere. *Jureto* auctore.

Ursin. de Famil. Roman. p. 275.

Zagarolæ in Cippo legitur FLAVIAE SABINAE CAESENNI F. *Præneste* in Tortioli Sancti Vinea.

In regist. 27. Ivon. Carnot.

M. ANTENNIO
L. F. SEVERO
L. M. ANTENNI
SABINI TRIB.
COH. III. PR. ET.
FLAVIAE. T. F.
PROCILLAE
FILIO
T. FLAVIVS
GERMANVS
NEPOTI SVO.

In ædibus D. *Julii Vaccæ* Canonici *Prænestini.*

P. FLAVIVS P. L. HI.
FLAVIA P. L. V. T.
P. FLAVIVS P. L. P. V.

In æde Sancti *Joannis* ante portam Santi *Martini.*

IMP. CAE
ANTO
GERMANICO
DIVI COM.
DIVI ANTO
DIVI HADR
DIVI TRAIAN

In base propter Ecclesiam Cathedralem.

. . . . IN AE
. . . . RANNI
FILIAE OPTIMAE
MERITAE PRAENEST.
D.

CAP. XIX.

De Via Prænestina, *& de Porta Urbis.*

IN superiore Inscriptione viæ *Prænestinæ* Curator enuntiatur *P. Martius.* ea *Roma Prænesten* ducebat, eratque frequentibus sepulcris celebris. sepulcrum in ea *Q. Attæ* locat *Morestellus*, Sive *Q. Attii* Poetæ Comici, ut Bergerius locat in *lib. de Viis Imperii Romani.* Ecclesiam *S. Januarii*; *S. Gregorius* Magnus, ejusque Græcus interpres *Zacharias* Papa: Deliberatum fuerat corpus cujusdam Advocati, &c. apud *B. Januarium* Martyrem via *Prænestina* poni, apud *S. Gregorium* legitur. Villam *Gordianorum* Capitolinus hisce verbis: *Domus Gordianorum etiamnum extat, quam iste Gordianus pulcherrime exornavit, & Villa eorum via Prænestina ducentas columnas in tetrastylo habens* (alias *Peristylo*,) *quarum quinquaginta Carystiæ, seu marmore viridi, atque fluctibus concolori; quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades candido marmore, ac purpureis orbiculis interstincto, quinquaginta Numidicæ pari mensura, in qua Basilicæ centenariæ tres*, (a centum pedum mensura, ut apud Suetonium Porticus milliaria Casaubono. seu à centum columnis, ut putat *Bergerius*, ducentæ tamen disertè numerantur. *Cætera huic operi convenientia, & Thermæ, quales præter Urbem, ut nunc, nusquam in Orbe terrarum. Paron*, & *Caryston* in *Ægæo* mari Insulas laudant de marmorum generibus agens *Plinius Secundus*, *Eucherius*, *Isidorus*, & Notit. Insular. auctor meminerunt utriusque, de Columellis Ægyptiis, quas à *Carysto Etruscorum* oppido dictas contendit Cl. *Minos* sequutus *Cataneum. Carystos* marmoreis fluctibus concolora vocatur à Martiano Capella.

Pompæ Feral. l. 4. c. 8. p. 109. Dialog. l. 4. c. 26. l. 4. c. 27.

In Gordiano 3. ubi Casaub. & Salmas.


A

——— *Domus est mihi fulta Columnis*
Tænare sive tuis, sive Caryste tuis,

Tibullus canit. Itaque Parium marmor est albi coloris Numidicum eburni, Carystium viride sicut Laconicum, seu Tænarium, & Lacedæmonium, quod herbosum, si vero fuerit albo permistum, Tiberianum è Pyrrho Ligorio apud *Caracciolum*, & è *Regio.* Synnadicum marmor est purpureum maculosum, quod & Phrygium; est enim *Synnas* urbs *Phrygiæ*, decipitur *Bergerius*, qui cum *Syenite* in *Ægypto* confundit, ubi marmor erat πυῤῥοποίκιλον ex *Plinio*, & Phœniceum, & Æthiopicum. Claudinæ Columnæ, unde fuerint ignorat *Bergerius*, sed Porphyriten ex Ægypto candidis intervenientibus punctis Leucostícton vocatum marmor *Claudio* Cæsari advectum primum à *Triario Pollione* Procuratore *Plinius* tradit. additque neminem postea imitatum, nec admodum probatam novitatem: Onychinum lapidem à *Callisto Claudii* liberto adductum deinde refert; VI. Onychinas columnas volubiles concessas *Gregorio* III. Pontifici ab Exarcho *Eutychio*, ut juxta VI. alias collocarentur ante Presbyterium, seu circa Confessionem Beati *Petri* Ecclesiæ, *Anastasius* perhibet. In ea via anno ab Urbe condita CCXXXIII. Urbs erat Latini nominis *Albanorum* Colonia GABII, ad centesimum a *Roma* stadium. Sed deserta postmodum ea tantum parte habitabatur, quæ ad publicam viam obversa frequentabatur diversoriis, 66 uti scribit *Dionysius Halycarnasseus*, τὴν ὁδὸν Πραινεστον φέρουσαν vocans, uti *Zacharias* Πραινεστίνην ὁδόν. Hujus viæ caput & initium statuitur à *Suburra* ad arcum *Gallieni*, trophæa *Marii*, Basilicam *Caji* & *Lucii*: tum ea flectitur ad Portam Exquilinam, unde exit cum *Labicana* via, quæ ad dexteram porrigitur, at ad lævam *Prænestina.* alii volunt viam *Prænestinam* post arcum *Gallieni* ante *Marii* Trophæa incipere, & ad lævam dirigi, ac exire per Portam quæ nunc Sancti *Laurentii* nuncupatur, ut R. P. *Severanus* refert. Extra portam Exquilinam *Labicana* via est, & *Prænestina.* In *Prænestina* AQVA *Claudia* ab *Appio Claudio* in Urbem ducta sumit initium. In eadem via AQVA Virgo militibus olim demonstrata ex eo loco in Urbem deducitur, teste *Marliano.* Eam viam sic describit *Peutingeriana* Tabula. *Via Prænestina Gabios* XI. *Præneste* XI. at Itinerarium *Antonini* ita: *ab Urbe* m p. idest mille passus seu millia pass. XII. *Gabios*, m. p. XI. *Præneste*, tum *Beneventum* usque. Sed excurrentem me longius ad viam *Prænestinam* revocat Obeliscus inventus secus illam eo loci, ubi castra Prætoria ponit, & metatur *Ligorius*, e Circo in quo erectus erat, & in Barberinum palatium transvectus, litteris ignorabilibus, & notis Hieroglyphicis insculptis insignis: cujus eruditam explicationem scripsit antiquitatum reconditarum peritissimus *P. Athanasius Kircherus.* Sed & aliud Obelisci fragmentum *Præneste* visitur in hortis Principis. Cæterum plura habent de via *Prænestina Bosius Romæ subterr.* c. 31. l. 3. Pancirol. in *Notit. Imper.* Io. Severanus *de 7. Eccl.* Marlianus *l.* 1. *c.* 7. *Topographiæ Urbis*, quos vide. *Prænestina* Urbis Porta hinc nomen reperit, quæ *Esquilina*, & *Labicana* quoque dicta à 67 *Plinio*, a via quæ per eam exibat. *Procopius Penestrinam* seu *Prænestinam* ter appellat. Sed ab altera etiam via *Labicana* dicta fuit. nunc Major dicitur. a *Belisario* ibi locatam credit *Godlevæus*, quo

B C D E F

lib. 36. c. 7. & 8. & ep. 6. lib. 5. In lib. 3. Reg c. 6. p. 6. c. 11. in nott. ad Epist. Secundi, p. 92. De Nupt. Mercur. & Philolog. p. 50. In Vita Pauli V. in Antiq. Tiburt. lib. 2. Viar. Imper. Rom. p. 292. lib. 36. c. 8. lib. 2. c. 41. lib. 36. c. 7. lib. 14. Antiqq. lib. de VII. Urbis Eccles. Plin. lib. 7. Ant. Rom. Topogr. c. 16.







Ex Museo Ill.mi D. Abbatis Cassiani de Puteo

CQVR PETIS POSTEMPVS CONSILI
QVOD ROGAS NON EST TVVM

DE VERO FALSA NE FIANT
IVDICE FALSO

CONRIGI VIX TANDEM QVOD
CVRVM EST FACTVM REDE

IVBEO EI ET IS SI FECERIT
GAVDEBIT SEMPER

quo tempore Urbis muros a *Gotthis* disjectos restituit: Majoremque dictam ab ædificii, castelli nempe Aquæ Claudiæ magnificentia, cui supposita est πύλη καλουμένη πρενεστίνη *Romæ*, in qua *Bessus* custodias agebat. *Gotthi* certe Urbem obsederunt a Porta *Flaminia* ad *Prænestinam*, quæ ibi πρενεστίνα vocatur. *Ortelius* miscet eam cum *Æsquilina*, ut exarat. Loca deputata sylvestribus animalibus vivaria dicebantur, erantque in angulo Urbis in regione v. prope Portam *Prænestinam*, ut prodit *Procopius*, ex eoque Cardinalis *Baronius*. à Porta Exquilina incipit via Labicana, à qua, & *Prænestina*, hodie Major dicitur à magnitudine ædificii, sub quo sita est, Castelli nempe aquæ ductus *Claudiani*, incipit via *Prænestina* in Urbe haud procul a *Foro Romano*, unde in vicum Patricium tendebat, & recta, & ad portam Exquilinam, & ad lævam Labicanæ pergebat *Anagniam* usque, ubi Latinæ jungebatur, & hinc *Beneventum*, ex *Antonini* Itinerario, & Tabula *Peutingeri*, ut adnotat *Bergerius*.

Procop. l. 1. Goth. — In Thes. Geogr. — l. 1. Goth. — Ad Martyrol. 16 Joan. — l. 3. c. 24. p. 410.

CAP. XX.

De Signis, Sacrariis, & aliis locis publicis.

Quin & statuæ *Præneste* visebantur Trophimi, Agilii, Munii, & Anonymi, qui muneribus editis placuerant populo, uti superius ex Inscriptionibus claruit. Erat & ludus gladiatorius, atque spoliarium, unde Theatrum ibidem extitisse reor.

Erant & signa, ut liquet ex his inscriptionibus.

SECVRIT. AVG.
SACRVM
DECVRION. POPVLVSQ.

Item.

PACI. AVG.
SACRVM
DECVRION. POPVLVSQ.
COLONIÆ. PRÆNESTINÆ.

68 Erant & sacraria Penatum, & testantur id inscriptiones. Quarum prima.

PENATIBVS. SACRARIVM
. . . . ANVS. PONT. MIN. PATRON.
T. REIQ. PVBLICÆ. DO. . . . .

Secunda inscriptio in Episcopio in ara mormorea.

T. MANLIVS
(seu MASCLIVS)
QVINTVS
S A C R V M.

Quam *Trevius* in Miscellaneis refert, ut probet Quintum cognomen esse.

Quin & ædes, quod ex illa liquet:

C. SAVFEIVS. C. F.
M. SAVFEIVS. L. F.
PONTENVS
AID. EX. S. C.

Aliæ duæ apud *Torciolum* leguntur in quadam Columella quadrata.

C. M. AGVLNIVS C. F
SCATO MAXS
C. SAVFEIVS C. F
FLACCVS
PR
SACRAVERVNT.

In alia

C. SAVFEIVS
C. F.
FLACCVS
C. M. AGVLNIVS
SCATO MAXS
PR.
SACRAVERVNT.

Nisi potius Æediles isti fuerint.

Et Porticus. en testimonium ex alia.

. . . . LX. POM.
TRIB. MIL. II. AIL.
DIVI. AVG. NEROMIS.
PRAEFECTVS. TESTAM.
. . POMPEIA. MYMMI

A

. . . . . VMMA PORTICVM. MAR.
. . . . . . FRE. ALBARIO. ADIECTA
. . . . OVINO. PASSV.

CAP. XXI. 69

De Præneste Colonia, & Municipio.

Regnum fuisse olim *Prænesten* constat ex *Herilo* ejus Rege, quem *Evander* stravit, *Virgilio* teste versibus superius laudatis: qui *Feroniæ* filius erat. cap. 2. *Feronia* autem Nympha *Campaniæ*, Dea Libertorum, cujus in templo pileum raso capite accipiebant, e *Plauto* in Amphytrione. in hujus templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, cui versus iste incisus erat: *Benemeriti servi sedeant, surgent liberi.* *Varro* Libertatem Deam quasi *Fidoniam* dictam putat, uti *Servius* adnotat. Fuit postea colonia *Albana.* regnante quippe *Latino Silvio Alba* deductæ sunt coloniæ, *Præneste*, *Gabii*, *Tusculum*, *Cora*, *Pometia*, *Locri*, *Crustumium*, *Cameria*, *Bovillæ*, cæteraque oppida circumquaque, quemadmodum refert Auctor Originis *Romanæ* gentis e veteribus auctoribus collectæ; sive ille *Sextus Aurelius Victor* est, ut tradit *Andreas Schottus*, sive alius: earumque cives prisci *Latini* dicti sunt, teste *Livio*: qui a *Latino Silvio Ascanii* filio colonias aliquot deductas asserit. at *Latinum Silvium* fratrem *Ascanii*, & filium *Æneæ* posthumum e *Lavinia* filia *Latini*, *Albæ*que secundum Regem tradit *Dionysius Halycarnasseus Iulo* filio *Ascanii* prælatum. *Albæ Silvius* deinde regnat *Ascanii* filius, casu quodam in sylvis natus. is *Æneam Silvium* creat: is deinde *Latinum Silvium*, ab eo Coloniæ aliquot deductæ, prisci *Latini* appellati. *Latinum* regem *Laurentum* memorat *Bonifacius* ex *Ubertis Florentinus* vernaculis his versibus *Prænestes* conditorem, sive potius Coloniæ ductorem.

In 8. Æneid. — l. 1. Dec. — l. 1. Hist. — Liv. l. 1.

70

La Città de Prenestre fecie all'hora
E per Lavina hedeficoe Lavino,
E Re tre anni e sei mesi dimora.

l. 1. c. 13 Dita mundi.

Postea cum *Latio* universo *Præneste* quoque in *Romanorum* potestatem concessit. ab hisce *Q. Fabio Maximo* V. & *Q. Fulvio Flacco* III. Coss. xxx. Colonias deductas testatur *Livius*, quibus tamen *Prænesten* non accenset. unde Coloniam a *Romanis* eo tantum deductam post Bellum II. *Punicum* colligo. Non desunt qui Coloniam deductam a *Sylla* opinentur, uti Manutius *l. de Civitate Rom.* Antiqui certe lapides litterati, quos superius exhibui, & quos *Paulus Merula* profert, *Prænestinam* Coloniam nuncupant; sed incertum tempus deductionis ipsi Merulæ. Municipium postea fuit. nam *Prænestinos* refert Divus *Hadrianus* in Oratione quam de *Italicensibus* unde ipse ortus fuit, habuit in Senatu, maximopere a *Tiberio* Imperatore petiisse, orasseque ut ex Colonia in municipii statum redigerentur, idque illis *Tiberium* pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus sub ipso oppido ex capitali morbo revaluisset, *A. Gellio* teste. Atque hac de caussa in *Sexti Julii Frontini* libello de Coloniis, *Nervæ* Imp. tempore scripto, *Præneste* non Colonia, sed oppidum simpliciter appellatur. *Festus* autem, sive epitomator ejus *Paulus Diaconus*, hæc scribit: *Tertio municipium definitur id genus hominum, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut essent municipia sua cujusque Coloniæ, ut Tiburtes, Prænestinique*, &c. Ex his *Tibur*, & *Præneste*, quæ Civitates fœderatæ Latinæ erant, & *Arpinum* municipium suis legibus relictæ sunt, aliæ Coloniæ deductæ erant. Fuse autem de Municipibus *Prænestinis* agit *Alexander* ab *Alexandro.* probatque id insertum parieti Ecclesiæ Cathedralis *Prænestinæ* epigramma.

l. 17. c. 11 — In Cosm. — l. 16 c. 13 Noct. Attic. — Merula & Godl. in 8. l. Livii. — l. 4. Gen. dier. c. 10

B C D E F

J. M. Suaresius. C 2 GEN.

71

GEN.
MVNICIP.
C. TALONIVS. CYPARVS
PATER. ET
C. TALONIVS. CYPARVS
FILIVS
D. D.

l. 1. Bell. Civil. Regius pempt. 1. Tiburt. Hist. Primi qui *Romani* cives renuntiati fuerunt e *Latinis* populis, cum illi defeciſſent, ab *Appiano* dicuntur *Tiburtes* atque *Præneſtini:* Municipes tamen remanſere ſuæ Civitatis. Erant autem liberi, neque ſolum fœderati antea, cum exulibus *Romanis Præneſtæ* commorari liceret, ut antea obſervavimus e *Polybio*, & honoris cum Populo *Romano* participes: Dictatura nempe gaudebant. Idem l. 2. c. 6. pempt. 1. Et l. 3. c. 1. ex Livio l. 23. & 42. Oppida in *Italia* fuere, aut *Latii* fœdere obſtricta, uti *Tibur*, aut *Præneſte*, Sigonio teſte *lib. II. de antiquo jure Italiæ c.* 14. *Appianus Tiburtinos*, & *Præneſtinos*, quorum Civitates erant fœderatæ, Civitate donatos tradit apud eumdem *Sigonium*, qui *Præneſten* Coloniam a *Sulla* deductam memorat, forte iterum poſt internecionem civium, & ſtragem illam editam. lib. 3. c. 1. p. 100.

C A P. XXII.

De rebus geſtis a Præneſtinis *ad annum V.C.* CCCLXXIV.

SI lubeat urbem *Præneſtinam* introſpicere, atque res domi foriſque geſtas pernoſcere, politiam urbis inquirere decet. ſub Regulis, ſeu Toparchis primum adminiſtrata fuit. Ex his *Herilum* unum novimus, cui tres animæ fuere. de illo jam ſupra egimus. poſtea Colonia eo ex *Alba* deducta *Albanis* Regibus paruit. ſed *Albæ* regno *Romam* translato, everſaque *Alba* manſit in Latinorum fœdere ſeu Republica. l. 1. Antiqq. Rom. Apud *Dionyſium Halycarnaſſeum Tullus Fufetius Albanum* ſic alloquitur. Ἱκαναὶ γὰρ πεκμηελώσαι τὸ κράτος αὐτῆς πολλαὶ πόλεις ἐκ τοῦ Λατίνων οὖσαι γένους, καὶ τὴν κτίσιν ἀφ' ὑμῶν ἔχουσαι, αἳ τὴν ὑμετέραν ὑπελδοῦσαι πόλιν, ἡμῖν
72 προσκεχωρήκασι, καὶ ὑπὸ Ῥωμαίων ἄρχεσθαι μᾶλλον ἀξιοῦσιν ἢ ὑπὸ Ἀλβανῶν. Idem auctor ubi agit de *Alba* diruta ſcribit: Ἡ τὰς τριάκοντα Λατίνων ἀποικήσασα πόλεις, καὶ πάντα τὸν χρόνον ἡγησαμένη τοῦ ἔθνους ὑπὸ τῆς ἐσχάτης ἀποικήσεως καθαιρεθεῖσα. T. Liv. l. 1. dec. 1. c. 52. Certe omnes *Latini* abs *Alba* oriundi, & ab *Tullo* res omnis *Albana* cum colonis ſuis in *Romanum* ceſſit imperium. Anno xv. poſt *Albæ* excidium *Romani* bellum intulere *Latinis*, ſeu xxx. illis *Albanorum* coloniis, ac per quinquennium geſſere. Dionyſ. Hal. l. 3. pax mox inita, donec a *Tarquinio Priſco* præliis attriti *Latini Romanorum* in ſocietatem & amicitiam recepti fuerunt imperata facturi. l. 1. dec. 1. c. 38. Hinc *Romæ Tarquinius Priſcus* triumphavit de priſcis *Latinis*, teſte *Livio*. & in conventu *Ferentino Tarquinium Superbum* Urbis Regem gentis ἡγεμόνα, lib. 4. id eſt Ducem ſeu Principem *Latini* conſtituerunt: ſicut *Tarquinium* ejus avum, & *Tullum*. unde *Sextus* jactabat ſe *Lucretiæ: Imperabis mecum Romanis, Latinis, Etruſcis*, &c. l. 1. c. 52. Idemque *Livius* refert, *Tarquinium Superbum* edixiſſe ad *Lucum Ferentinæ* in conventu Latinorum, tamen fœdus renovaſſe. l. 2. c. 19. Anno ab Urbe condita CCLV. Dio l. 5. Coſſ. fuere *T. Æbutius*, & *P. Veturius*. his Conſulibus *Fidenæ* obſeſſæ, *Cruſtumeria* capta, *Præneſte* ab *Latinis* ad *Romanos* deſcivit. nec ultra *Latinum* bellum gliſcens jam per aliquot annos dilatum. verum anno ſequenti ab Urbe condita CCLVI. Dionyſ. Hal. poſt deditos *Lartio* Conſuli *Fidenates* Latini omnes apud *Ferentinum* conveniunt, initoque fœdere conſpirant in *Romanos*, eiſque bellum indicunt. In hoc fœdus nomina & jusjurandum dedere proceres *Aricini*, *Bovil-*

A *lani*, *Buletani*, *Corani*, *Cornetani*, *Gabini*, *Laurentini*, *Lanuvini*, *Lavinienſes*, *Labicani*, *Nomentani*, *Norbani*, *Præneſtini*, *Pedani*, *Querquetulani*, *Satricani*, *Scaptini*, *Setini*, *Tellini*, *Tiburtini*, *Tuſculani*, *Trebani*, *Veliterni*, ex his omnibus 73
populis delectu juniorum habito, tantum copiarum contractum iri, quantum *Octavio Manilio*, & *Sexto Tarquinio* ſatis videretur; & ut honeſtam belli cauſſam prætenderet, Legatos *Romam* miſerunt nobiliſſimos viros ex uno quoque populo. Dionyſ. l. 6. Tandem victi *Latini*, & Caſtores viſi *Romanis* favere ad lacum *Regillum:* & ab his renovatum fœdus cum Latinis anno V. C. CCLVIII. biennio Liv. l. 3. c. 8.
B poſt, V. C. CCLX. *L. Lucretio Tricipitino*, & *T. Veturio Gemino* Coſſ. *Veturius miſſus in Volſcos ad bellum ultro inferendum. Tricipitinus populationibus arcendis ſociorum agro oppoſitus non ultra quàm in Hernicos procedit. Veturius primo prælio hoſtes fundit, fugatque: Lucretium, dum in Hernicis ſedet, prædonum agmen feſellit ſupra montes Præneſtinos ductum, inde dimiſſum in campos vaſtavere agrum Præneſtinum, Gabinumque ex Gabino in Tuſculanos flexere colles. Urbi quoque Romæ ingens præbitus terror; magis magis in re ſubita, quàm quod ad arcendam vim parum virium. Q. Fabius præerat Urbi, is armata juventute, diſpoſitiſque*
C *præſidiis tuta omnia ac tranquilla fecit.* Neque poterant aſſueſcere *Romano* jugo *Latini*; Nam defecere anno V.C. CCCLXV. Pighius Faſt. Liv. l. 6. c. 2. Tribunis Conſulari poteſtate *A. Valerio Publicola* iterum, *L. Virginio*, *P. Cornelio*, *A. Manlio*, *L. Æmilio*, *L. Poſtumio*, qui poſt pugnam ad Lacum *Regillum* factam per annos propè centum, nunquam niſi ambigua fide, in amicitia Populi *Romani* fuerant. Anno V. C. CCCLXIX. defecere rurſus: Liv. l. 6. ſed anno V.C. CCCLXXI. de *Præneſtinorum* quoque defectione fama exorta primum, arguentibuſque eos *Tuſculanis*, & *Gabinis*, & *Labicanis*, Liv. l. 6. c. 25. quorum in fines incurſatum erat, ita placidè abs
D Senatu reſponſum eſt, ut minus credi de criminibus, quia nollent ea vera eſſe, appareret. In- 74
ſequenti anno *Sp.* & *L. Papirio* Tribunis Conſulari poteſtate ab V.C. CCCLXXII. ad *Velitras* adverſus majora pœnè auxilia *Præneſtinorum*, quàm ipſam colonorum multitudinem ſecundo prælio pugnatum eſt. ita ut propinquitas Vrbis hoſti & cauſſa maturioris fugæ, & unum ex fuga receptaculum eſſet. Liv. c. 22. Oppidi oppugnatione Tribuni militum Conſulari poteſtate, qui Legiones eò duxerunt *Sp.* & *L. Papirius*, collegis quatuor *Ser. Cornelio Maluginenſe* quartum, *Q. Servilio*, *C. Sulpitio*, *L. Æmilio* quartum Tribunis ad præ-
E ſidium Urbis, & ſi quis ex *Etruria* novi motus nuntiarentur (omnia enim inde ſuſpecta erant) relictis, abſtinuere; quia & anceps erat, nec in perniciem Coloniæ pugnandum cenſebant. Litteræ *Romam* ad Senatum cum victoriæ nuntiis acriores in *Præneſtinum*, quàm in *Veliternum* hoſtem miſſæ. Itaque ex S. Conſulto, populique juſſu bellum *Præneſtinis* indictum; qui conjuncti *Volſcis* anno inſequenti *Satricum* Coloniam Populi *Romani* pertinaciter à Colonis defenſam vi expugnarunt, fœdeque in captos exercuere victoriam. Eam rem ægrè paſſi *Romani M. Furium*, *Camillum ſextum* Tribunum militarem Rig. p. 237.
F cum *L. Furio*, & aliis creavere, anno V. C. CCCLXXIII. *Volſcum* bellum *M. Furio Camillo* decretum, & *L. Furius* adjutor datur, qui In Camillo. impatiens *Volſcos* ad *Satricum* adorſus, abs illis primùm fugatur; ſed *Camillo* juvante mox fundit, uti *Plutarchus* narrat. Anno V. C. CCCLXXIV. poſt victos Latinos à *Manlio* Conſule, cum *Decius* ſe devoviſſet, *Præneſtini*, ac *Volſci* cum ingenti exercitu devaſtarunt agros ſociorum Populi *Romani*, & *Lucium Furium*, eis opem dum ferret, repreſſerunt, verùm à *Ca-*

Camillo collatis mox signis vincuntur, & illorum magna strages fuit edita.

75 ## CAP. XXIII.

De rebus gestis Prænestinorum *ab anno V. C.* CCCLXXVI. *ad annum* CCCLXXXV.

INsequente anno V. C. CCCLXXVI. *Camillus* consilio, & virtute in *Volsco* bello, felicita- Liv. l. 6. c. 18. te in *Tusculana* expeditione, utrobique singulari adversus collegam *L. Furium Medullinum* patientia, & moderatione insignis magistratu abiit, creatis militaribus Tribunis in annum insequentem: in quo excitata seditio a Tribunis plebis, quia Censores abdicaverant magistratu, caussati sunt illi, fugere Senatum testes tabulas publicas census cujusque, quia nolint conspici summam æris alieni, & alia: obæratam plebem objectari aliis, atque aliis hostibus, bella quæri, *Latinis*, *Hernicis*, *Prænestinis* jam intentari arma, ut teratur plebs, consensuque plebis impediri cæptum quominùs ad *Prænestini* famam belli, sicuti censuerant Patres, scriberentur novæ legiones. Erat enim cura Patribus delectus, quippe jam à *Præ-* Liv. l. 6. c. 10. *neste* profectos hostes in agro *Sabino* consedisse nuntiabatur, neque aliud ad seditionem exstinguendam in Urbe, quàm propè illatum mœnibus ipsis bellum valuit. Nam cum esset *Prænestinis* nuntiatum nullum exercitum conscriptum c. 28. *Romæ*, nullum Ducem certum esse, patres, ac plebem in semetipsos versos, occasionem rati Duces eorum raptim agmine facto pervastatis protinus agris, ad portam Collinam signa intulere. Ingens in Urbe trepidatio fuit, conclamatum ad arma, concursumque in muros, atque portas est: tandemque ab seditione ad bellum

76 versi Dictatorem *T. Quintium Cincinnatum* creavere. Is Magistrum equitum *A. Sempronium Atratrinum* dixit. Quod ubi auditum est (tantus ejus magistratus terror erat) simul hostes à mœnibus recessere, & juniores *Romæ* ad edictum sine detractione convenere. Dum conscribitur *Romæ* exercitus, castra interim hostium haud procul *Allia* flumine posita. Inde agrum latè populantes fatalem se Urbi *Romanæ* locum cæpisse inter se jactabant, similem inde pavorem, ac fugam fore ac bello *Gallico* fuerit. Etenim si diem contactum religione, insignemque nomine ejus loci timeant *Romani*, quantò magis *Alliensi* die *Alliam* ipsam, monumentum tantæ cladis reformidaturos species profectò his ibi truces *Gallorum*, sonumque vocis in oculis, atque in auribus fore? Has inanium rerum inanes ipsas volventes cogitationes Fortunæ loci delegaverant spes suas. *Romani* contrà ubicumque esset *Latinus* hostis, satis scire eum esse quem ad *Regillum* lacum devictum centum annorum pace obnoxia tenuerint, locum insignem memoria cladis irritaturum se potiùs ad delendum memoriam dedecoris, quam ut timorem faciat ne qua terra sit nefasta victoriæ suæ; quin ipsi *Galli* si offerantur illo loco se pugnaturos ut *Romæ* pugnaverint in repetenda patria, ut postero die ad *Gabios* tunc cùm effecerunt ne quis hostis, qui mœnia *Romana* intrasset, secundæ, adversæquè Fortunæ nuntium domum perferret. His utrinque animis ad *Alliam* ventum est. Dictator *Romanus* postquam in conspectu hostes erant instructi, intentiquè. *Videsne*, *Tu* (inquit) *A. Sempronî loci Fortunæ illos fretos ad Alliam constituisse*, *nec illis Dii immortales certioris quidquam fiduciæ*, *majorisvè quod sit auxilii dederint. At tu fretus armis*, *animisquè concitatis equis invade mediam aciem: ego cum Legionibus in turbatos trepidantesquè in-*

77 *feram signa. Adeste Dii testes fœderis*, *& expetite pœnas debitas*, *simul vobis violatis*, *nobisque per vestrum numen deceptis.* Non equitem, non peditem sustinuere *Prænestini* primo impetu, ac clamore dissipati ordines sunt, deinde postquam nullo loco constabat acies, terga vertunt, consternatique, & præter castra etiam sua pavore prælati, non priùs se ab effuso cursu sistunt, quam in conspectu *Præneste* fuit. Ibi ex fuga dissipati locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt, ne si intra mœnia se recepissent, extemplò ureretur ager, depopulatisque omnibus obsidio Urbi inferretur. Sed postquam direptis ad *Alliam* castris victor *Romanus* aderat, id quoque munimentum relictum, & vix mœnia tuta rati oppido se *Præneste* includunt. Octo præterea oppida erant sub ditione *Prænestinorum*, ad ea circumlatum bellum, deincepsquè haud magno certamine capta. Anno V. C. CCCLXXIV. *Velitras* exercitus ductus, eæ quoque expugnatæ; tum ad caput belli *Præneste* ventum, id non vi, sed per deditionem receptum est. *T. Quintius* semel acie victor, binis castris hostium, novem oppidis vi captis, *Præneste* in deditionem accepta, *Romam* revertit; triumphansque signum *Præneste* devectum *Jovis* Imperatoris, qui ibi colebatur, in Capitolium tulit, dedicatum est inter cellam *Jovis*, & *Minervæ*, tabulaque sub eo fixa (monumentum rerum gestarum) his fermè incisa litteris fuit IVPPITER ATQVE Liv. DIVI OMNES HOC DEDERVNT. VT T. QVINTIVS. DICTATOR. OPPIDA. IX. CAPERET. DIE. XX. *Cincinnatus* verò tum Dictatura se abdicavit. Anno à *Nino* MCCCCLX. *Prænestinos* à *Romanis* victos ductu In Chronic. hujusce Quintii tradunt *Eusebius*, *Orosius*, *Eutropius*, *Sigonius*, *Panvinius*, *Albertus Pighius* Ibid. 78 e *Festo*: quidam septem oppida numerant, alii lib. 2. octo, ut *Joannes Columna* referens ad *Artaxerxis* Fast. tempora. L. *Florus* hæc scribit: *Hactenus pro* lib. 3. vol. 1. *libertate*, *mox de finibus eisdem Latinis assiduè*, *&* lib. 1. *sine intermissione pugnatum est. Sora*, *quis cre-* Mar. *dat? & Algidum terrori fuere: at Satricum atque* Histor. *Corniculum*, *Provinciæ. De Vejis*, *& Bovillis*, Co. Vat. *pudet*, *sed triumphavimus. Tibur nunc suburbanum*, *& æstivæ Præneste deliciæ*, *nuncupatis in* 4993. *Capitolio votis petebantur.*

CAP. XXIV.

De rebus gestis ab anno V. C. CCCLXXXV. *ad annum* DXL.

VErum extremo anno CCCLXXXV. tumultuatum quod *Prænestini* concitatis *Latinorum* populis rebellarunt. Tribunis *Quinto Crasso*, *Servilio Cornelio*, *Spurio Papyrio*, & *Fabio Albo* Procoss. sive anno ab Orbe condito, ut *Calvisius* putat, MMMDLXXXIX. ante Christum natum CCCLXV. & ab Urbe condita CCCLXXXVI. Tunc per *Italiam Romani* du- P. 489. cto adversus *Prænestinos* exercitu, illis devictis plurimos rebellantes trucidarunt, καὶ ἤδε τὴν ἰταλίαν, &c. Diodorus Siculus *lib.* XV. *Bibliothec.* Anno CCCXCV. urbis conditæ *Gallos Bojos Præneste* venisse, atque inde consedisse circa *Pedum* auditum est. Dictatorem dici *C. Sulpitium* placuit, qui eos fudit. Conjurant rursùs *Latini* ad *Lucum* cap. 25. *Ferentinæ* Coss. *L. Furio Camillo*, & *App. Clau-* lib. 8. c. 3. *dio Crasso*, in eos desciscentes, & æquo jure cum *Romanis* imperare cogitantes bellum decernitur. Pugnatum haud procul radicibus *Vesuvii* montis, Reg. qua via ad *Veserim*, (seu *Verrestim* fluvium, cu- Antiq. Tiburt. jus superius memini) ferebat, vincunturque La- lib. 2. tini *Decio* se devovente, deditionemque faciunt. c. 14. Coss. *T. Æmilio Mamerco*, & *Q. Publilio Philone*, sive anno V. C. CCCCXIV. *Æmilius* ad *Pe-* Liv. c. 8. *dum* exercitum duxit, *Pedanos* tuebatur *Tibur*s,

Prænestinus, *Veliternus*que populus. Bellum infectum omissum à Consule præ cupiditate triumphi. Anno insequente CCCCXV. cum Senatus 79 *Pedum* expugnandum, ac delendum censuisset, nonnisi à paucis populis *Pedani* adjuti sunt. *Tiburtes*, *Prænestini*que, quorum ager propior erat, *Pedum* pervenere. *L.* tamen *Furius Camillus* vi cœpit. tum *Latium* omne subegit: multi traducti in Urbem, *Tiburtes*, *Prænestini*que agro Reg. c. ult. 2. mulctati, uti superius observavi. Anno V. C. CCCCLXXIII. *Pyrrhus* Rex *Epiri* τὴν Καμπανίαν ἐξεπολιόρκησεν, ἧκε δὲ ἐπὶ τὴν Πραίνεστον τῆς πόλεως ὀκτωκαιδεκάτῳ σημείῳ ἀφεσθῶσαν. uti *Pæanius*, qui ævo *Theodosii* vixisse videtur, vertit *Eutropium*, quem lib. 2. In Hist. Miscell. refert *Paulus Diaconus* hisce verbis *P. Valerio Lævino*, *& T. Coruncano Coss. post nobilem Lævini Consulis cum Pyrrho Rege ad Heracleam fluvium* (non *Urim*, ut legitur in *Paulo Diacono*) *pugnam, quæ prima Romanorum cum transmarino hoste fuit.* Post id *Pyrrhus* conjunctis sibi *Samnitibus*, *Lucanis*, *Brutiis*que *Romam* perrexit: omnia ferro, inique vastavit. *Campaniam* depopulatus est, atque *Præneste* venit milliario ab Urbe XVIII. mox terrore exercitus, qui cum Coss. sequebatur, in *Campaniam* se recepit. *Victor* (scribit Florus) *primo prælio Pyrrhus totam trementem Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus: prope captam Urbem à Prænestina arce prospexit, & à vicesimo lapide*, (seu CCC. stadiis) *oculos trepidæ Civitatis fu-* lib. 13. *mo, ac pulvere implevit.* Epitomastes *Livii*, ut *Pyrrhus* ad Urbem processerit populabundus refert, ut per agrum *Fregellanum* usque *Penestrum* veniens ipsam *Romanam* Urbem contemplatus Cod. Vatic. 4963. fuerit *Joannes Columna* prodit. Videri possunt *Plutarchus* in *Parallelis*, *Orosius*, *Pausanias* in Atticis, *Zonaras*, & ipse *Cicero* in Offic. *Flaminio*, & *Servilio* Coss. *Q. Fabius Maximus* Dicta- Liv. l. 22. tor accepto à *Fulvio Flacco* Legato exercitu, per agrum *Sabinum*, *Tibur*, quo diem ad conveniendum edixerat novis militibus, venit, seu servili 80 agmine adjuncto, inde *Præneste* transversis tramitibus in viam *Latinam* est regressus, brevique prope *Arpos* pervenit oppidum *Apuliæ*, & ad *Hannibalis* castra contendit. *Hannibal* anno V. C. DXXXIII. seu DXXXIV. post victoriam ad *Thrasymenum* monitus ut in agrum *Casi-* Forsitan *aberrans.* *natem* duceret; *Punicum* * abhorrens ab *Latino* nomen, *Casilinum* pro *Casino* accipere ducem fecit, tum cognito errore, virgisque cæso duce ad reliquorum terrorem in crucem illum sustu- Liv. l. 22. c. 14. lit. *Fabius Casilinum* occupat modicis præsidiis, quæ Urbs *Vulturno* flumine dirempta *Falernum* cap. 15. à *Campano* agro dividit. Coss. *M. Attilio Regulo*, *Cn. Servilio Gemino*, seu anno V. C. DXXXIV. postea *L. Æmylius Paullus*, & *M. Terentius Varro* cum suffecti essent, cladem ad *Cannas* ab *Hannibale* acceperunt. *Marcellus Claudius Casili-* Liv. l. 23. c. 14. cap. 17. *ni* cum exercitu consistens *Nolæ* opem fert. *Hinc Annibal Acerris direptis, atque incensis, cum à Casilino dictatorem Romanum, Legionesque nuntii accipi nuntiassent, ne quis tam propinquis hostium castris Capuam quoque recurrat, exercitum Casilinum ducit. Casilinum eo tempore quingenti Prænestini habebant cum paucis Romanis, Latinique nominis, quos eodem audita Cannensis clades contulerat. Hi non confecto Præneste ad diem delectu serius profecti domo, cum Casilinum antè adversæ pugnæ famam venissent; & aliis aggregarent sese Romanis, sociisque profecti à Casilino cum satis magno agmine irent, avertit eos retrò Casilinum nuntius Cannensis pugnæ. Ibi cum dies aliquot suspecti Campanis, timentesquè cavendis, ac struendis invicem insidiis traduxissent, jamque de Capuæ defectione agi, accipiquè Hannibalem satis pro certo habuere, interfectis nocte oppidanis parem Urbis, quæ citra Vulturnum est (eo enim dividitur amni) occupavere,*

A *idque præsidium Casilino habebant Romani.* Unde 81 *Silius* arguitur mendacii à *Regio*, cum *Prænestinos* Pempt. Tiburt. l. 3. l. 8. de Bell. pun. in *Cannensi* prælio pro *Romanis* pugnantes inducit tam fusè. narrat quidem alibi ut *Hannibal Acerris* incensis, & *Nuceria* solo æquata,

Post Casilina sibi, multum obluctatus iniquis
Defendentum armis, ægrè reseraverat astu
Limina, & obsessis vitam pensaverat auro.

Sed Livium audiamus. *Additur & Perusina* d. l. c. 18. *cohors, homines CCCCLX. eodem nuntio, quo Prænestini paucos ante dies & Casilinum compulsi, & satis ferme armatorum ad tam exigua mœnia, &* B *flumine altera parte cincta tuenda erant. penuria frumenti nimium etiam ut videretur hominum efficiebat. Hannibal cum jam inde haud procul esset, Getulos cum Præfecto nomine Isalca præmittit: primo si fiat colloquii copia verbis benignis ad portas aperiendas, præsidiumque accipiendum perlicere jubet. Sin in pertinacia perstent, rem gerere, ac tentare, si qua parte invadere Urbem possit. Ubi ad mœnia accessere, quia silentium erat, solitudo visa, metuque concessum Barbarus oratus moliri portas, & seras, claustraque effringere parat. cum patefactis repente portis cohortes duæ ad idipsum instructæ intus ingenti cum tumultu erumpunt, stra-* C *gemque hostium faciunt. Ita primis repulsis Maharbal cum majore robore virorum missus nec ipse eruptionem cohortium sustinuit. Postremò Hannibal castris ante ipsa mœnia oppositis parvam Urbem, parvumque præsidium summa vi, atque omnibus copiis oppugnare parat. ac dum instat lacessitque, corona undique circumdatis mœnibus, aliquot milites, & promptissimum quemque è muro turribusque ictos amisit. semel ultro erumpentes agmine elephantorum opposito prope interclusit, trepidosque compulit in ur-* 82 *bem; satis multis, ut ex tanta paucitate, interfectis. plures cecidissent, ni nox prælio intervenisset. Postero die omnium animi ad oppugnandum accen-* D *duntur, utique posteaquam corona aurea muralis proposita est: atque ipse dux, castelli plano loco positi segnem oppugnationem Sagunti expugnatoribus exprobrabat: Cannarum, Thrasymenique, & Trebiæ singulos admonens universosque. Inde vineæ quoque cœptæ agi, cuniculique; nec ad varios conatus hostium aut vis ulla, aut ars deerat; socii Romani propugnacula adversus vineas statuere; transversis cuniculis hostium cuniculos excipere, & palam & clam cœptis obviam ire, donec pudor etiam Hannibalem ab incepto avertit, castrisque communitis ac præsidio modico imposito, ne omissa res videretur, in hyberna Capuam concessit:* ubi *Campanæ* illum E fregerunt deliciæ, ejusque exercitus luxu diffluens dissolutus ac enervatus est. uti fuse describit *T. Livius:* qui rursus memorat mitescente jam Liv. c. 19. hyeme ducto ex hybernis milite *Hannibalem* rediisse *Casilinum.* ubi quamquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continuata oppidanos præsidiumque ad ultimum inopiæ adduxerat. *Romanis* castris præerat *T. Sempronius*, Dictatore auspiciorum repetendorum caussa profecto *Romam.* *Marcellum* & ipsum cupientem ferre auxilium obsessis *Vulturnus* amnis inflatus aquis, & preces *Nolanorum*, atque *Acerranorum* tenebant *Campanos* timentium, si præsi- F dium *Romanum* abscessisset. *Gracchus* assidens tantum *Casilino*, quia edictum erat Dictatoris, ne quid absente eo rei gereret, nihil movebat: quamquam quæ facile omnem patientiam vincerent, nuntiabantur à *Casilino.* Nam & præcipitasse se quosdam non tolerantes famem constabat, & stare inermes in muris nuda corpora ad missilium telorum ictus præbentes. Ea ægre 83 patiens *Gracchus*, cum neque pugnam conserere Dictatoris injussu auderet, pugnandum tamen esse, si palam frumentum importare vellet, vide-

deret; neque clam importandi spes esset, farre ex agris undique convecto cum complura dolia complesset, nuntium ad magistratum *Casilinum* misit, ut exciperent dolia, quæ amnis deferret. Insequente nocte intentis omnibus in flumen ac spem à *Romano* nuntio factam, dolia medio missa amni defluxerunt, æqualiter inter omnes frumentum divisum, id postera quoque die, ac tertio factum est, nocte & mittebantur, & perveniebant, & custodias hostium fallebant. Imbribus deinde continuis citatior solito amnis transverso vortice dolia impulit ad ripam, quam hostes servabant. ibi hærentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur, nuntiatumque *Hannibali* est, & deinde intentiore cura cautum ne quid falleret Vulturno ad urbem missum. Nuces inde fusæ ab *Romanis* cum medio amni ad *Casilinum* defluerent, cratibus excipiebantur. postremo ad id ventum inopiæ est, ut lora, detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur, nec muribus, aliove animali abstinerent; & omne herbarum, radicumque genus aggeribus infimi muri eruerent. & cum hostes obarassent quidquid herbidi terreni extra murum erat, raporum semen injecerunt, ut *Hannibal*, Eone usque dum ea nascantur ad *Casilinum* sessurus sum? exclamaret. & qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemptione liberorum capitum, septunces auri in singulos pretium convenit. Fide accepta sese tradiderunt, donec omne aurum persolutum est in vinculis habiti. tum remissi *Cumas* cum fide. id verius est, quam ab equite in abeuntes immisso interfectos. *Prænestini* maxima pars fuere. ex quingentis septuaginta, qui in præsidio fuerunt, minus dimidium ferrum famesque absumpsit, cæteri incolumes cum Prætore suo *Manitio* (scriba is antea fuerat) redierunt. Statua ejus indicio fuit *Prænestæ* in foro, cujus superius memini, & tituli, ac trium signorum *Casilinum* oppidum redditum *Campanis* est, firmatum septingentorum militum de exercitu *Hannibalis* præsidio: ne ubi *Pœnus* inde abscessisset, *Romani* oppugnarent. *Prænestinis* militibus Senatus *Romanus* duplex stipendium, & quinquennis militiæ vacationem decrevit. civitate cum donarentur, non mutaverunt. *Perusinorum* casus obscurior fama est, quia nec ipsorum monumento ullo est illustratus, nec Decreto *Romanorum*. De obsessis in *Casilino* ab *Hannibale Prænestinis*, seu *Penestrinis*, *Frontinus*. *Valerius Maximus*, & CCC. eos numerat cum *Verderio*. ab his coactum *Hannibalem* ut obsidionem solveret vult *Joannes Columna*. à *Pœnis* obsessam *Prænesten Reusnerus* hallucinatur, eoque tempore fide fuisse singulari erga *Romanum* Populum. Vide *Boccacium*.

[Margin: Valent 63. coronatos. — 84 — l. 2. c. 14. & 15. & l. 4. c. 5. l. 7. exempl. c. 6. l. 5. var. Lect. c. 12. Cod. Vatican. 4963. f. 88. l. 2. Ital. c. 58. de vit. Illustr.]

CAP. XXV.

De Prodigiis Prænestæ *visis*, *de Magistratibus.*

ANNO Urbis Conditæ DXL. COSS. *Q. Fabio Verrucolo*, & *M. Claudio Marcello*, hasta Martis *Prænestæ* sua sponte mota, uti refert *T. Livius*, & *Julius Obsequens* inter prodigia recenset: subditque anno V. C. DLXXXVIII. *M. Marcello*, *P. Sulpitio* Coss. in *Prænestino* cruenti exciderunt imbres A. DCXVII. *M. Æmilio*, *C. Hostilio Mancino* Coss. *Prænestæ* fax ardens in cælo visa. A. DCXXXVII. *L. Aurelio*, *L. Cæcilio* Coss. lacte pluit. & anno DCLXI. *C. Valerio*, *M. Herennio* Coss. lana volitavit. Verum hæc futilis superstitionis observatio jure in historiis reprehenditur. sed ne quid penitus antiquitatis omittam, casus istos inserui. Captivos *Pœnos Prænestæ* collocatos ob operum indictorum labores excitasse tumultum *Regius* asserit. *L. Postumio Albino*, & *M. Popilio Lænate* Coss. Senatui placuit *Postumium* Consulem ad agrum publicum e privato terminandum in *Campaniam* ire, & alia. Hic iratus *Prænestinis*, quod cum eo privatus sacrificii in templo *Fortunæ* faciundi caussa profectus esset, nihil in se honorifice neque publice, neque privatim factum à *Prænestinis* esset, priusquam ab *Roma* proficisceretur, Litteras *Præneste* misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet ubi diverteretur, jumentaque, cum exiret inde, præsto essent. Ante hunc Consulem nemo unquam sociis ulla in re oneri, aut sumptui fuit. Ideo magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis: privata hospitia habebant, ea benigne, comiterque colebant: domusque eorum *Romæ* hospitibus patebant, apud quos ipsis diverti mos esset. Legati, qui repente aliqua mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciundum erat, imperabant. aliam impensam socii in magistratus *Romanos* non faciebant. Injuria Consulis etiam si justa, non tamen in Magistratu exercenda & silentium nimis aut modestum aut timidum *Prænestinorum* jus velut probato exemplo magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum. *Hæc Livius.* Magistratus autem *Prænestinus*; Prætor erat, uti *Manitius* de quo superius. De alio narrat idem *Livius* haud injucundum acroama. *Prænestinus Prætor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem*; *quem cum inambulans ante tabernaculum L. Papirius Cursor comis idem*, *& jocorum studiosus Dictator vocari jussisset*, *Lictorem expedire securim jussit*, *ad quam vocem exanimi stante Prænestino*, *Agedum Lictor*, *excide radicem hanc*, inquit, *incommodam ambulantibus*, *perfusumque ultimi supplicii metu mulcta dicta dimisit.* Referunt illud *Sextus Aurelius Victor*, & *Valerius*, atque *Ammianus*, & *Gallonius* de Cruciatibus Martyrum ex illismet. Erant & Decuriones *Prænestini*, uti probant Inscriptiones allatæ, & quæ exstant in margine marmoreæ mensæ Episcopii à *Grutero* prolatæ litteræ, DECVRIONES POPVLVSQ. Ordo Decurionum passim, Quæstores, Ædiles, II. VIRI, FLAMINES, VI. VIRI Augustales, Curatores annonæ, & Viæ *Prænestinæ*, Luperci, Archieres, Curatores muneris publici. unde Decuriones, populusque coloniæ *Prænestinæ* statuas decorabant, seu Respublica *Prænestinorum* postulatu populi. In columna prope Palatium Principis legitur.

Q. EX S. C. POPVL..... VI..... RESTITVIT ERAT...............

[Margin: l. 24. c. 10. c. 34. de Prodig. — 85 — c. 71. 85. & 96. — Pempt. ad. Tiburtin. p. 29. Anno V. C. DLXXX. — l. 42. c. 1. 86 — lib. 9. c. 16. — c. 31. de Vir. Illu. ubi Sch. l. 2. c. 2. Exempl. l. 30.]

CAP. XXVI.

De Moribus, *& Idiomate.*

QVOAD Populi mores, *Nonius* in voce Opino pro Opinor adducit hunc versum e Bacchidibus Plauti: *Prænestinum opino esse*, *ita erat gloriosus.* Verum nullibi Plautinarum comœdiarum comparet hic versus. *Horatius* agens de lite *Rupilii* & *Persii* coram *Bruto*: 87 Satyr. 7. l. 1. Serm.

Tum Prænestinus salso, multumque fluenti
Expressa arbusto reperit convitia.

Hic *Rupilius Prænestinus* Comes *Bruti* prætoris *Asiæ* Regi *Perseo* invisus.

Plautus certe in Captiveis inducit *Ergastulum* parasitum jurantem νὴ τὰν Πραινέστην Barbaricam urbem, id est, *Italicam Taubmanno*: uti Soram, Signium, Frusinonem, Alatrium, &c. nam *Hegio* senex respondet: *Quid tu Barbaricas urbes juras?* ille inquit; *quia enim item asperæ sunt*, *ut tuum victum autumas esse.* Idem in Truculento [Margin: Act. 4. Scen. 2.]

hæc

Act. 3. Scen. 2. hæc affingit Stratilaci servo: *Ut Prænestinis Conia est Ciconia.* irridet *Prænestinos* ut parum Latinos, qui Latina vocabula decurtabant per Apocopen, Cosmograph. sic *Spania* pro *Hispania*, *Syria* pro *Assyria*, uti discimus ex *Capella*, & Glossario; Striculus Histriculus *Tertulliano*. *Attius* apud *Festum*: *Tammodo inquit Prænestinus pro tantummodo. At nunc Romæ passim.* Quintiliano *Verba aut Latina, aut* l. 1. c. 5. Inst. *peregrina sunt. peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa venerunt. taceo de Thuscis, & Sabinis, & Prænestinis quoque. Nam ita eorum sermone utentem Vectium Lucillus insectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem: licet omnia Italica pro Romanis habeam.* Plautus *Prænestinos* in Truculento suo ludit quod Coniam dicerent pro Ciconia, rabonem pro arrabone: ar videlicet, ut ille jocorum pater argutatur, lucrifacientes. p. 286. c. 15. Videsis Glossarium prisco Gallicum *Joannis Isaacii.* Apostolus ad *Romanos Spaniam* pro *Hispania* ponit.

88

CAP. XXVII.

De Collegiis & Epitaphiis.

ERANT & Collegia Fabrum, aliaque corpora, ut inscriptionibus claret. hanc intexit *Gruterus*, pag. 410.

DIS. MANIBVS
L. FLAVI
APOLLINARIS
PRAEF. FABR
T. FLAVIVS
PRISCVS
PATER. FILIO
PIISSIMO
FECIT

Ista in *S. Petri Prænestæ* visitur.

VENANDI. STVDIOSO
TI. CLAVDIO. NICOSTRATO
IIIIII VIR. AVG. QVINQ. PERPETVO
COLLEG. FABR. PRAENESTINOR
ANNIA. PROCILLA. CONIVX. ET
CLAVDII. NICEPHORIANVS
PROCVLVS, ET. ANNEIANVS
FIL

Ad alia corpora aut familias pertinere arbitror istas, in quibus nuda tantum exstant nomina: ut hæc in Ecclesia cathedrali.

C. MESSIENVS. TROPHIMVS.
C. MESSIENVS. ROMANVS
C....... S EM. FILIVS.
C. MESSIENVS. C. L. LICINVS.
MESSIENA. ROMANA.

Item.

89 L. SALVIVS. ANTIGONVS
CORNIFICIA. L. L. SELENIVM
L. CORNIFICIVS. APTVS
OPPIA. Ɔ. L. VRBANA
BILLIENA. Ɔ. L. TERTIA
COSENTANVS. HILARVS
CORNIFICIA. DAPHNE
V. S. A. HILARVS

Item

PLOTINA. L. L. COMPSE
PLOTINVS L. L. IACCVS
PLOTINA. L. L. RVFA
PLOTINVS. V. LALAVGV

Epitaphia hæc *Prænestæ* leguntur.

I. DIS. MANIBVS
C. TERENTI. ANENCLETI
TERENTIA. GENESIS
TATA. FECIT

A II. Item.

CAESARII.
COS.

III. In Palatio Principis.

D. M.
AVRELIVS VITTALIO. HANC
MEMORIAM. CVM SOLARIO
ET. CVVICVLO. A. SOLO. FECIT
SIBI. ET AELIAE SOFIADI. CONIVGI
SVAE. ET. FILIIS. SVIS. ET. AVRELIO
MERCVRIO. FRATRI. SVO. CVM
FILIIS. SVIS. ET AVRELIO. BERNE
B CVM. SVIS. FILIIS. VLPIO. SECVNDINO
COGNATO. MEO. CVM
FILIIS. SVIS. MEIS. FRATRI
BVS. ET. LIBERTIS. PATER
NIS. ET. LIBERTABVSQVE
SET. ET. MEIS. POSTERISQVE 90
OMNIVM. AEORVM. ET. QVI
BVS. ME. VIVO. LOCA. DONA
VI. IVRE. ITVM. AMVITVM
VNIVERSOS. ABERE. . . . . . ET
HOC. PETO. AECAS. SYNCRA
C TIVS. A. BOBIS. VNIBERSIS
SODALIBVS. VT. SENE. BILE
REFRIGERETIS. SYNCRATIO
RVM-

In tabula marmorea summi templi è *Grutero* refertur ista, quæ nunc quoque in pavimento Cathedralis legitur.

IV. D. M
T. POPILIO MI. LIB
EPITYNCHA
IIIIII. VIR. AVG
* BANAVSVS. LIB. ET. HER
SIBI. LIB. LIBERTABVS. POST
D EOR. OSSA. HIC. BENE. QVIESC

* Alii BAKLATVS Alii BANATVS.

V. C. SEPTIMIO
C. F. PVB
SEVERO
PATRONO. MVN
S. SENTIDIVS. T. F
PAL. IVLIANVS
AMICO. OPTIMO

seu TIBI. forte F.

91

VI. extra *Præneste* via publica Sublaci *Grut.* p. 549.

DIIS. MANIBVS
L. IVNIVS. L. F PALA
E TINA. OGVLNIVS
MIL. LEG. II. PARTH
MIL. ANN. XIIX
VIX. ANN. XXXXVI
H. F. C

VII. Ex eodem pag. 735 in agro *Prænestino*,

P. PEDANIVS. S. P. F
SATVRNINVS
PATRI

VIII. Subtus *Præneste* in sacello, quod est in via, qua *Albam* itur.

CAIO. VALERIO. L. F
QVIR. FLORINO
F PRAEF. COH. II. THRAC
SYRIACAE
TRIB. MIL. LEG. VII
CLAVD. PIAE. FID
PATRI. OPT
B. M
PROCVLVS

IX. Inter *Præneste* & *Zagarolum* e *Grutero* pag. 912.

DIS. MANIBVS. S.
T. FLAVIVS. T. F. PONT
SABINVS

X. In

X. In vinea *Joan. Baptistæ* ColorsI.
M. ABENNA. M. L. PRINCEPS
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT. SIBI.
ET
M. ABENNAE. SABINAEO-PATRI
ABENNIAE. M. L. FLORAE. MATRI
M. ABENNAE. M. L. FAVSTO. LIBER
L. ABENNAE, M. L. HEIMO. LIBER.

92 XI. In alia vinea.
L. POPILLI. SEX. MEI.

XII. In agro *Prænestino* sub ipsa urbe via publica in cippo, e *Grutero* pag. 986.
SEX. NAEVIVS
SEX. L. PHILEMO
NAEVLA. SEX. L.
TVSCVLA
IN. F. P. X V
IN. AG. P. XIX.

XIII. Corocollo translatum in Carpenses hortos, refert *Gruterus.* nunc est in Palatio Principis.
MANILIAE. LVCILLAE. C. F.
MATRI. PIISSIMAE. ET. INCOMPARABILI
CAESONIVS. LVCILLVS
V. C.
FILIVS
VIX. ANN. LXVI. M
VII. D. VIII. HOR
VIIII
H. S. E

XIV. In stylobate sub altare *S. Petri* legitur, & istud.
P. AEL. P. F. PAL
TIRONI
SALIO. ARCIS
ALBANAE. QVEM. IMP. CAES.
ANTONINVS
AVG. PIVS
GERM. SARM. BRIT
AGENTEM. AETATIS
ANNVM. XIIII.
93 MILITIA. PRIMA
PRAEFECTVRAE
EQVIT. BRAVCO
NVM. EXORNARI
DIGNATVS. EST
DEC.. DEC
BLANDVS. PATER
PRO. AMORE. CIVI
TATIS. SVMMAM. ET
SVMPTVM. OMNEM
. . . .

In ædibus Petri Fantonii V. CL.
SEX MAESIO SEX F. ROM. CELSO. PRAEF. FABR. III. > LEG. IIII. MACED. QVAED. II. VIR. FLAMIN. DIVI. AVG. SORTILEGO FORTVNAE PRIMIGENIAE
SEX. MAESIVS ECHIO LIB. FECIT SIBI ET SEX MAESIO CELERI FILIO SVO ET MAGIAE PINOE CONIVGI ET. SEX. MAESIO POTHO. CONLIBERTO POSTERISQVE SVIS.

Habebat & suos Fortuna sortileges.

Romæ verò extra Portam Flaminiam in vinea, seù Prætorio Principis *Justiniani*, puer excisus est è lapide decumbens, dextra uvæ acinum porrigit gallo gallinaceo, lævaque tenet racemum, ibi & Tripus sculpta est: subtus legitur in marmore.
D. M.
ET. MM. M. VLPI. HELIADI
FECERVNT. M. VLPIVS
PRAENESTINVS
AELIA. HELIAS. FILIO
DVLCISSIMO
V. AN. I. M. II. D. XXIV

A In Ecclesia Sancti *Petri Prænestæ* lapidi est incisum.
RVF
LEG
LEG
DEIOTAR.


Inscriptiones *Prænestinas* passim laudat *Manutius:* sed post hanc messem Inscriptionum, quam collegi *Prænestæ* iterum allegatus Eminentissimi Mæcenatis *Francisci Barberini* Cardinalis mandato cum *Angelo Paracciano*, qui & amicitiæ nexu, & liberalium artium conjunctione mihi devinctissimus, de omnibus bene merendo sibi B omnium amorem conciliat, stipulas illectas à me relictas sublegi posse non dubito: imo eruenda Epitaphia plurima Eminentissimi Cardinalis suprascripti auspiciis auguror. Ut enim illi cura maxima est ne quid lateat profuturum sic ipsi tellus ipsa effuso sinu, quascunque occuluerat opes expandit ultro. (In orthogr.)

C A P. XXVIII.

De Viris Illustribus Prænestinis.

C HIc vides Tribunos, Aediles, & alios Magistratus, Sacerdotes, atque milites egregios *Præneste* ortos. In vetusto Codice Vaticano (Cod. 3868.) *Terentii* e membrana, *Phormionis* calci adscripta 94 hæc sunt: *Acta Ludis Romanis* L. POSTVMIO. ALBINO. L. CORNELIO MERVLA. *Ædilibus Curulibus*, *egere L. Ambibius Turpio*, *L. Attilius Prænestinus*, *modos fecit Flaccus Claudii Tibiis imparibus*, *tota Græca Apollodori Epidicazomenos. facta* IIII. *G. Fannio. M. Valerio Coss.* Initio Adelphorum: *egere L. Atilius Prænestinus.* Initio Heautontimorumeni. *L. Attilius Prænestinus modos fecit acta* III. *M. Junio T. Sempronio Coss.* Initio Eunuchi *L. Attilius Prænestinus* D *egere. M. Valerio. C. Fannio Coss. Terentius* etiam agit de *Lucio Statilio Prænestino* actore, quem eximium, atque præstantem fuisse suspicor. Ludos primum *Romæ* anno V. C. CCCCLX. editos *M. Atilio Regulo* Prætore *T. Livius* observat. superius ludos *Prænestæ* celebratos adnotavimus. At Theatrum *Prænestæ* fuisse, in quo exhiberentur, conjicio, & infrà patebit. Sed in ludis *Agilium Pantomimum* sui temporis primum jam commemoravimus, & *Trophimum Evaristum*, & *Voesium* Curatores; in sortibus *Numerium*, & illi adjungimus Anonymum, cujus urna marmorea Recollectorum *Prænestæ* visitur, E cui Tripus insculpta cum Delphino. in *Serapio* ædificando *C. Valerium*; in bellis *Cæculum*; & *Herilum*; *Castilini* præsidiarios, & *Manitium* Prætorem, in litteris *Ælianum*, quos cives habuit, quibusque merito gloriatur.

(Religio mihi est mutare quamvis erronea, adeo veneror antiquitatem.)



C A P. XXIX. 95

De C. Mario C. F., obsidione, & excidio a Sylla.

FORTVNAE quidem templo clara fuit *Præneste*, sed infortunio atque clade *Mariana* nobilissima. Sanctus *Augustinus* illius meminit (l. 2. de Civit. Dei c. 28.) F hisce verbis, quæ supra innuimus. *In cæde, atque proscriptione Syllana subhastatæ sunt etiam tamquam villæ quædam nobiles Civitates, una verò, velut unus reus duci juberetur, sic tota jussa est trucidari.* Florus exprimit contrahens more suo. *Syllæ jussu municipia Italiæ splendidissima sub hasta venierunt Spoletum, Præneste.* tum subjungit quatuor mille cives Prænestinos in via publica cæsos. (l. 3. c. 21.) Seneca exclamat. *Ingratus Sylla, qui patriam durioribus remediis quam pericula erant, sanavit. qui cum à Prænestina arce usque ad Collinam* (lib. 5. de Benefic. c. 16.)

portam per ſanguinem humanum inceſſiſſet, alia edidit in Urbe prælia, alias cædes. legiones duas, quod crudele eſt, poſt victoriam in angulum congeſtas contrucidavit, & proſcriptionem commentus eſt. Aurelius Victor ad annum V.C. DCLXI. *C. Marius* (inquit) *filius Præneſte refugit, ubi per Lucretium Ofellam obſeſſus tentata per cuniculum fuga, cum omnia ſepta intelligeret, jugulandum ſe Pontio Teleſino præbuit. C. Mario Præneſtæ interfecto Cornelius Sylla ſe Felicem edicto appellavit.* Sed qui attingat ad titulum Felicitatis nedum repertum eſt, & qui felix cenſeri jure debuerit. Namque *Cornelius Sylla* dictus potius eſt quam fuerit Felix. ſolum certè beatum *Cortina Aglaum* judicavit,

De Vir. Illuſt. c. 68.

c. 75.

96 qui in anguſto *Arcadiæ* angulo pauperis ſoli dominus, nunquam egreſſus paterni ceſpitis terminos invenitur. *Appianus*, & *Plutarchus* hæc fuſè narrant. Et ille quidem de *Marianis* agens poſt amiſſam *Setiam* ad Sacriportum. Κοπτόμενοι γὰρ ἐς Πραινεστὸν ἔφευγον ἅπαντες ἑπομένου τοῦ Σύλλα σὺν δρόμῳ. καὶ οἱ Πραινέσιοι τοὺς μὲν πρώτους αὐτῶν εἰσεδέξαντο, Σύλλα δὲ ἐπικειμένου τὰς πύλας ἀπέκλεισαν, καὶ Μάριον καλωδίοις ἀνιμήσαντο, &c. utque *Marium* intra *Præneſte* obſederit *Sylla* vallo, atque foſſa e longinquo oppidum ingens, præpoſito huic operi *Lucretio Ofella*: & ut fame laborantem *Marium* eximeret obſidione *Præneſtina Carbo* collega miſerit *Marcium* cum octo Legionibus, dequè *Lamponio Teleſino*, & *Gutta*, & *Damaſippo*, & *Præneſtinorum* circum mœnia latis capitibus, unde ſe dediderunt. Μαρίου καταδύντος ἐς τάφρους ὑπονόμους, καὶ μετὰ βραχὺ καὶ ἀνελόντος ἑαυτὸν, deque cæde Præneſtinorum: ut Sylla Κατηκόντισεν ἅπαντας, καὶ τὴν πόλιν διήρπαζε πολυχρήματον ἐν τοῖς μάλιστα τότε οὖσαν. ibidem fuſiſſime, utque indulſerit aliquibus χρησίμοις, deque dicto Syllæ ad caput Marii ἐρέτην δεῖ πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίους ἐπιχείρειν quod diſticho carmine ita vinxi,

Solin. c. 7. ubi Joa. Camers.

l. 1. Bell. Civ.

Ante Mari remum Romæ tractaſſe decebat
Quam clavum ignava vel tetigiſſe manu.

Plutarchus de *Marii* filio, qui primum Martis, tum Veneris filius appellatus eſt: utque εἰς Πραινεστὸν κατακλεισθεὶς ὑπὸ Σύλλα, καὶ πολλὰ φιλοψυχήσας μάτην ὡς ἦν ἄφυκτα τῆς πόλεως ἁλισκομένης αὐτὸς αὑτὸν ἀπέκτεινεν. rurſus ut *Marius* iſte victus *Præneſte* fuga delatus, cum portas jam clauſas offendiſſet, demiſſo è muro funiculo alligarit ſe, atque ita eo receptus ſit, utque *Samnis Teleſinus* properarit cum *Lamponio Lucano* ad eripiendum obſidione *Marium*. Σύλλας δὲ εἰς Πραινεστὸν ἐλθὼν ani-

97 madvertit primum cognita cauſſa in ſingulos. deinde quaſi non vacaret, cunctos unum in locum contractos confici juſſit, ad XII. millium numerum: uni hoſpiti conceſſit incolumitatem, qui ſanè quam generoſè *Syllæ* dixit, nunquam ſe patriæ ſuæ homicidæ gratias acturum, unâque cum illis trucidatus fuit. Hoc facinus idem *Plutarchus* alibi reponit. Ὁ δὲ Σύλλα, inquiens, ξένος ὁποίᾳ μὲν ἀρετῇ πρὸς οὐχ ὅμοιον χρησάμενος, διὰ γενῶς ἐτελεύτησεν. Ἐπεὶ γὰρ ἑλὼν Πραινεστὸν, ὁ Σύλλας ἔμελε τοὺς ἄλλους ἅπαντας ἀποσφάττειν, ἕνα δὲ ἐκείνων ἠφίει διὰ τὴν ξενίαν, εἰπὼν, ὡς οὐ βούλεται σωτηρίας χάριν εἰδέναι τῷ φονεῖ τῆς πατρίδος, ἀνέμιξεν ἑαυτὸν καὶ συγκατεκόπη τοῖς πολίταις. *At Syllæ hoſpes ſimili virtute apud diſſimilem uſus virum, nobili letho extremum vitæ diem confecit. Cum enim Præneſte capta ſtatuiſſet oppidanos omnes Sylla interficere; at ſoli iſti ob hoſpitii uſum parcere, tantum fatus, nolle ſe patriæ ſuæ interfectori ſalutis ſuæ gratiam agere, permiſcuit ſe popularibus, atque una cum illis peremptus eſt.* Servi quoque fides emicuit. Conſulem enim *C. Marium*, *Præneſtinæ* obſidionis mirabilem exitum ſortitum cuniculi latebra fruſtrà evadere conatum, levique vulnere à *Theleſino*, cum quo commori deſtinaverat, perſtrictum ſervus ſuus, ut *Syllanæ* crudelitatis expertem faceret, gladio

l. de Rep.

A trajectum interemit; cum magna præmia propoſita videret, ſi eum victoribus tradidiſſet. cujus dexteræ tam opportunum miniſterium nihil eorum pietati cedit, à quibus ſalus dominorum protecta eſt: quia eo tempore *Mario* non vita, ſed mors in beneficio repoſita erat, ut *Valerius Maximus* auctor eſt: cui conſentit Epitomaſtes l. 6. c. 2. *T. Livii: Sylla C. Marium* exercitu ejus fuſo deletoque ad Sacriportum, in oppido *Præneſte* obſedit, tum erumpere tentantem repulit, omneſque *Præneſtinos* inermes concidi juſſit. *C. autem Marius Præneſte obſeſſus à Lucretio Ofella* 98 *Syllanarum partium viro, cum per cuniculum caB ptaret evadere, ſeptus ab exercitu mortem ſibi conſcivit in ipſo cuniculo, cum ſentiret ſe evadere minime poſſe, cum Pontio Theleſino fugæ comite ſtricto utrinque gladio concurrit, quem cum occidiſſet ſaucius impetravit à ſervo, ut ſe occideret.* Succinit & Diod. Siculus: Ὁ δὲ Μάριος μάχῃ τῇ πρὸς Σύλλαν γενναίως ἀγωνισάμενος νόμως ἡττηθεὶς κατέφυγεν εἰς Πραινεστὸν ἅμα μυρίοις πεντακισχιλίοις. συγκλεισθεὶς δὲ ἐν αὐτῇ, καὶ χρόνον οὐκ ὀλίγον πολιορκηθεὶς ἠναγκάσθη, πάντων αὐτὸν ἐγκαταλιπόντων, καὶ μηδεμίαν σωτηρίας ὁδὸν καθορῶν τὴν ἑνὸς οἰκέτου τῶν πιστῶν χεῖρα εἰς λύσιν τῶν δεινῶν παρακαλεῖ. καὶ ὅ γε πεισθεὶς, ἤ μία πληγῇ τοῦ βίου C τὸν δεσπότην ἀπαλλάξας ἑαυτὸν ἐπικατέσφαξε. Joannes Columna ita proſequitur: *Sylla Marium alterum* (ſcilicet Marii filium) *Præneſte perſequutus obſedit: qui longa obſidione maceratus deſperans ne in Syllæ poteſtatem veniret, cum Theleſino Duce Samnitum mutua morte concurrit. dumque violenter ipſe in currentem currens manus attingeret, circà vulnus ſuum manum percutientis hebetavit.* Itaque cadente *Theleſino* & ipſe leviter vulneratus cervicem ſervo præbuit. *Sylla* autem poſt *Marii* necem civitate capta omnes *Marianæ* partis principes, qui ad ipſam confugerant, hoc eſt, Legatos, Quæſtores, Præfectos, Tribunoſque juſſit occidi. Eadem ferè prodit *Oroſius*: quamvis ipſum *Ma-* D *rium* ſibi manus intuliſſe violentas *Plutarchus*, & *Appianus* ſupraſcripti velint. Adde his *Vellejum*, *Eutropium*, *Boccatium*, licet filium cum patre confundat, *Panvinium*, *Sigonium* ad annum V.C. DCLXXI. *Strabo Marium* juniorem periiſſe in uno è cuniculis *Præneſtes* memorat. *Præneſte* oppidum opibus affluens maximis hoſtiliter direptum à *Sylla*: cujus cives, quod *Marium* filium obnixè tutati eſſent, quodquè adverſus *Syllanos* fortiter pugnaſſent, fuere crudeliter, etiamſi 99 Urbem ſuam, arma, & ſeipſos dediderint, enecati; mulieribus tantum liberè, quo vellent abire, permiſſum. earum plurimæ *Tibur*, quod E calamitatum minus acceperat, ut ad ſacram arcem, cum filiis confugerunt, teſte *Regio*. Vide *Paræum*, & *Clavellum*. *Lucanus* cladem iſtam deplorat & verſu:

In Eclog. l. 37.

Mar. Hiſtor. Cod. Vat. 4963. & p. 157.

l. 5. c. 22. Chr.

l. 2. l. 5. l. 6. de Caſib. Vir. Illuſtr. In Feſta. 5.

l. 3. Pempt. 1. Medull. Hiſt. l. 2. Arpin. Ant.

Vidit Fortuna colonos
Præneſtina ſuos uno ſimul enſe reciſos.

Vt ſuperius *Plinius* narrat *Romæ* quidem non fuiſſe aurum, niſi exiguum longo tempore. certe cum à *Gallis* capta Urbe pax emeretur, non plus quam mille pondo effici potuere. Ergo ut maxime duo tantum millia pondo cum capta eſt *Roma*, anno CCCLXIV. fuere: cum jam capitum liberorum CLV. millia, quingenti LXXX. In eaF dem poſt annos CCCVII. quod ex Capitolinæ ædis incendio, cæteriſque delubris omnibus *Marius* filius *Præneſte* detulit tredecim millia pondo, quæ ſub eo titulo in triumpho tranſtulit *Sylla*, & argenti VII. millia. Idem ex reliqua omni victoria pridie tranſtulerat auri pondo XV. millia, argenti pondo centum & XV. millia. Frequentior autem uſus, non antè *Cn. Flavium Annii* filium deprehenditur. Hic namque publicatis diebus Faſtis, quos populus â paucis Principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus

l. 3. c. 1. natur. Hiſt.

adeptus est, alioquin libertino patre genitus, & ipse *Appii* cæci scriba, cujus hortatu exceperat eosdem consultando assidue sagaci ingenio, promulgaveratque, ut Ædilis Annalis crearetur cum Q. *Anicio Prænestino*, qui paucis ante annis hostis fuisset, præteritis *C. Petilio*, & *Domitio*, quorum patres Consules fuerant.

100 C A P. X X X.

De Catilina *&* Fulvia, *cum Anacephalæosi.*

Postea conjurans in patriam *Catilina* oppidum *Præneste*, ab Urbe non multum distans, ipsa natura, ac loco satis munitum constituit propter plurimas belli opportunitates Kal. Novemb. uno impetu invadere, sed *M. T. Cicero* Cons. hoc animo prospiciens, illam Coloniam armatis hominibus compleverat. Quamobrem *Catilina* id facinus frustra suscepit, ut *Constantius Felicius Durantinus* refert. Sed præstat ipsum Consulem *Ciceronem* audire. *Quid cum te Præneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse consideres; sensistine illam Coloniam meo jussu, meis præsidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam?* Silet quidem hanc rem *Sallustius* iniquior *Ciceroni*, gloriosum ejus facinus supprimendo. Cum vero *Florus* municipium vocet, quo tempore sub hoste periit à *Sylla* capta *Præneste*, *Cicero Catilinæ* conspirantis ævo Coloniam, pedibus eo in sententiam *Manutii*, & à *Sylla* Coloniam deductam arbitror; cum præsertim cives omnes confici mandasset, æquum erat, ut cives illi novos assignaret. illex seditionum, atque bellorum fuisse tunc videtur *Præneste*; nam rursus bello civili convalescente uxor *Antonii*
101 *Fulvia* belli sedem *Præneste* ceperat, auctore Vellejo. *Fulvia*, (inquit) *uxor M. Antonii, & socrus Octavii Cæsaris, qui tamen ejus cum filia divortium fecit, Præneste occupata, & ad suam*

In Conjurat. Catil. Cod. Vatic. m. 5.

A *societatem pertracta, Senatores & Equites à se stantes habebat, cum illis inibat consilia, & edicta proponebat identidem contrà Octavium cum Lucio Antonio conjurans.* quod mirandum non est, cum & gladio se accinxerit, & tesseram militibus dederit, uti legitur apud *Dionem.* tandem aufugit ad virum. *L. Antonius* Consul *M. Antonii* frater uxore *Marci Fulvia* consulente, bellum intulit Cæsari receptis in suas partes populis, quorum agri veteranis assignati erant, sed dimisit eam *M. Antonius*, ut in Epitome *T. Livii* comperio. *Lucius Antonius* secessit *Præneste*, dicens se timere Cæsarem pro magistratu munitum satellitibus, ut prodit *Appianus*. Locus judicio definitus est *Gabii* (Urbs *Romam* inter & *Præneste* media) illi rursum *Præneste* advolant, *Lucius* tantum Cæsari respondit. *Fulvia* demum fugit cum suis liberis *Puteolos* post incensam *Perusiam*. Erat illi bucca altera inflatior *Plinio* memorante. Plura superius ubi de agro, & Nuculis.

l. 48. — l. 115. & 127. — l. 5. Bel. Civ.

Neque vero repetam quæ sub *Augusto*, *Nerone*, *Domitiano*, *Hadriano*, *Aurelio*, imo & *Valentiniano* jam recensui ad historiam profanam spectantia. Regionem indicavi, conditorem, nomen, etymon protuli: situm, agrum, Asylum descripsi: arbores, aquas, fluvium, vina, latifundia, flores, rosas, fructus, nuces demonstravi. secessum, ludos, *Fortunæ* sortes exhibui: *Fortunæ* templum, *Serapidis*, Basilicas, Solarium, Forum, Statuas, viam, portam Urbis, signa & sacraria instauravi. Coloniæ, municipii jura restitui: magistratus mores, idioma, collegia, res gestas, viros illustres enarravi. ex 102
omnigenis scriptoribus quidquid pertinere visum est, concinnans, & consuens. Ad sacra lubet animum, stilumque convertere, utque veræ fidei sidera in istius Urbis horizonte refulserint & coruscaverint, investigare & litterarum monumentis consignare.

FINIS LIBRI PRIMI.

103 # JOSEPHI MARIÆ SUARESII
Episcopi Vasionensis

PRÆNESTES
ANTIQUÆ
LIBER SECUNDUS.

C A P. I.

Roma *Sancti* Petri, *& Pontificum Maximorum Sedes electa divinitus.*

Regnum *Romanum*, quod in Rempublicam conversum, ad Monarchiam denuo redactum fuit, per octo fere sæcula Deus Optimus Maximus præparavit, & adauctum victoriis, opibusque ditatum variis ditionibus adjunctis propagavit; imo Regna quamplurima uno confœderavit, atque contesseravit Imperio,
104 ut cito pervios haberet populos fidei Christianæ persuasio; & lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, se ab ipso capite per totum Mundi corpus effunderet, quemadmodum docuit Sanctissimus Papa *Leo.* credimus Providentia Dei latitudinem *Romani* Imperii præparatam, ut nationes vocandæ ad unitatem

E corporis Christi prius jure unius consociarentur Imperii, sicuti scribit amanuensis Sancti *Leonis Prosper* Episcopus *Regensis.* Hinc *Thomas* Doctor Angelicus Divinum *Augustinum* sequutus observavit prophetiam ab *Esaia* scribi cœptam, quo tempore condita fuit Urbs *Roma*, ab *Esaia* inquam, qui μεγαλοφωνότατος, & potius *Evangelista*, quam propheta videtur, quia sub florentissimo *Romæ* Imperio *Christus* Dominus secundum oracula prophetica in orbem terrarum veram doctrinam invecturus erat. Decuit, siquidem simul incipere scripturam, & Imperium, cui scriberetur. *Israëlitica*, nempe gens scriptura non indigebat, sed *Romana*, quæ à *Christo* adjuvanda, & beanda erat. Quamobrem F scriptura prophetica, & *Roma* simul exortæ sunt.

Ser. 1. de Natal. Apost. — l. 18. de Civ. Dei c. 27. — 2. 2. q. 174. art. 6. & ibi Cajetanus.

Nec enim ob eximias tantum virtutes, & Heroica facinora civium, Deus *Romam* cæteris excelle-

cellere, atque dominari Urbibus voluit; verum etiam quia sedem illam adornabat Vicario suo, quem mundo imperaturum constituerat, juxta vaticinium editum à Rege Psalte, dum sacro afflatus spiritu cecinit: *Parata sedes tua ex tunc*, utque ita reliquæ gentes assuetæ *Romanum* venerari nomen, quod fatale terris regendis asseruit Poeta *Tibullus*, *Romanam* quoque Religionem libentiùs amplecterentur, colerent propensius, & retinerent firmius. Ea verò fuit semper *Romani* nominis magnitudo, & veneratio, ut illud Urbes, & Provinciæ omnes regnatrices sibi ambitiosè, ac ultro adscriberent, & usurparent. Sic *Roma* nova *Constantinopolis*, & *Thracia Romania*, sic *Aquileja Roma* altera, sic *Arelate Roma Gallula*, & *Augustodunum Roma Celtica*, (ut

105 alias omittam) vocabantur. Idquè contigit etiam, posteaquam *Roma* capta, direpta, & excisa fuit à Barbaris. Etenim quæ victrix terrarum, & domina fuerat, cujus jugo populi omnes colla submiserant, & spolia, prædaque fuerant, populorum omnium spolium, ac præda tandem extitit. Mox Deo suaviter omnia disponente illi, qui potissimum ipsam variis attritam cladibus vastarant, atque diruerant, quasi pœniteret eos operis tam admirandi labefactati, & destructi, summa illud ope reparare aggressi priscorum *Romanorum* memoriam litteris mandando, resquè abs illis præclare, fortiterque gestas cum domi, tum foris, atque immania ædificia passim excitata eleganter delineando, & ad amussim describendo, *Romam* solidius, & felicius instaurarunt. Quia præterea Religionis fuit domicilium *Roma*, & pietatis armamentarium, ubi semper asservatum fuit diligentissime fidei *Christianæ* depositum, ubi tot Sanctorum virorum sanguine proprio effuso pro Christi nomine purpuratorum gloriosa pignora quiescunt, & signis admirabilibus clara coluntur, maximus toto ex orbe concursus factus est certatim ad illam illustrandam magis, ac magis, & ad sacra Principum Apostolorum invisenda limina variarum gentium Imperatores, & Reges undequaque confluere cœperunt, impletumque fuit luce clarius effatum *Esaiæ*: *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi*, teste *Francisco Petrarcha* ante annos CCC. Scite Sanctus *Thomas Aquinas* laudat sermonem *Ephesini* Concilii, seu, quam *Theodotus* Episcopus *Ancyræ* habuit, homiliam in Natali Salvatoris nostri Jesu, quæque lecta fuit in *Ephesina* Synodo, in qua dicitur. Si Christus patriam sibi civitatem delegisset maximam *Romam*, potentia civium

106 demutasse orbem terrarum, & ad Christi cultum traduxisse putaretur; si filius fuisset Imperatoris, potestati humanæ ea res adscribi posset. Sed ut Divinitas cognosceretur orbem transformasse terrarum, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriam. Eligit autem Deus infirma mundi, vt confundat fortia (ut testatur Apostolus,) & ideo ut suam potestatem magis ostenderet in ipsa *Roma*, quæ caput mundi erat, etiam caput Ecclesiæ suæ statuit in signum perfectæ victoriæ secundum illud *Esaiæ*: *Civitatem sublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis, scilicet Christi, & gressus egenorum*, id est, *Apostolorum Petri, & Pauli, quorum trophæa ibi statuit, ut exinde fides in universum mundum derivaretur.*

Ad hanc igitur Imperii arcem vindex noster *Jesus Christus* designavit *Petrum*, quem appellare possumus Regem sacrorum. Et certe *Romæ* Regibus expulsis Regium nomen translatum ad Pontificem e patribus electum portendebat Regnum Urbis, & Orbis ad Pontifices Maximos

[Margin: S. August. C. Petr. in Conc. ad 3. stat. — Psal. 92. — eleg. 5. lib. 2. — cap. 61. — l. 2. ep. Senil. — part. 3. q. 35. art. 7. p. 3. Concil. p. 597. & 621. — 1. ad Cor. 2. — cap. 26. — Pomp. Læt. de sacerd.]

A sacrorum præsides transferendum; *Petrum* (inquam) cui præmium confessionis, & amoris detulerat cum cæli clavibus Ecclesiæ universæ clavum, & Apostolorum principatum. paruit Christo, & accinxit se *Petrus* itineri, & quia præfecerat Hierosolymitanæ Ecclesiæ *Jacobum*, præfecit *Antiochenæ*, in qua septennio subsederat, *Euhodum*, diùque peregrinatus feliciter, & salutariter circumiit *Siciliam*, mox oram *Campaniæ* legens *Neapolim* appulit, ibique tinxit sacro Baptismate *Candidam*, & *Asprenem*; ac Fanum *Apollinis* in Ecclesiam vertit, hodieque ibi Monasterium amplissimum extat, & Sancti

B *Petri* ad aram nuncupatur, quia in ara inibi erecta sacrum incruentum Sanctus *Petrus* obtulerat. Illique anno Christi MCCCXXXVI. præcrat Abbas Ordinis Sancti *Augustini*. Inde vi ventorum delatus ad portum *Liburnum Pisas* 107 conscendit, illicque ordinato *Petrino* Episcopo sacris etiam operatus est exstructo altari ad *Arni* ripam, quod cum Ecclesia, quæ adhuc visitur, & Sancti *Petri* ad gradus dicitur, *Clemens Petri* successor solemni deinde ritu consecravit. Gradus autem vocabantur pontes ad Littora, vel ad fluminum ripas constructi, unde naves commodiori conscenderentur ingressu, & ad quos

C appellerent. ut explicat *Surita* in Itinerarium, ubi *Antoninus* meminit gradus Massylitanorum, à quo per fluvium *Rhodanum Arelatum*, usque numerat passuum millia XXX. At *Ammianus Rhodanum Gallico* mari per patulum sinum ad gradus concorporari scribit XVIII. ab *Arelate* lapide, ac etiamnum ostia *Rhodani* appellantur ab accolis *Gras* auctore *Merula*. Hinc ad *Gradus* vocitatur insula sita in sinu *Hadriatici* maris prope ostium *Natisonis*, ad quam *Paulus Aquilejensis* Patriarcha metuens *Longobardorum* barbariem confugit thesauris Ecclesiæ deportatis, & in qua deinde scissus in duos à *Romanis* Patriarcha-

D tus constitutus fuit, cum in vetere quoque *Aquileja* retineretur à *Longobardis*, qui postea *Lupum* Ducem *Forojuliensem* sequuti deprædati sunt ipsam Insulam equestri exercitu per stratam, quæ antiquitus per mare facta fuerat (sic loquitur *Paulus Diaconus*,) & suprascriptos thesauros abstulerunt. Sanctus quidem *Chrysogonus* Martyr Christi securi percussus est ad aquas *Gradatas Diocletiano* Augusto *Aquilejæ* commorante. Sed ut è semita regrediamur in viam, & ad Sanctum *Petrum* redeamus. metam ille demum 108 peregrinationis *Romam* pervenit, & ingressus est die xv. Kal. Februar., seu XVIII. Januarii,

E in quam incidit feria VI. dum *Claudius* Cæsar imperaret, jamque annos duos, menses III. exegisset sive anno XLIV. à Christi Natali (sunt qui XLV. putent.)

Quæ autem Urbs erat ἐπιτομὴ τῆς δεισιδαιμονίας, (ut quidam è Christianis scriptoribus illam appellarat, & *Tertullianus* adnotarat conventus in ea Dœmonum consedisse, curiamque Deorum vocarat Capitolium, id est Idolorum) esse cœpit ἐπιτομὴ τῆς εὐσεβείας, καὶ ὀρθοδοξίας, & quæ sedes Imperii eadem sedes Ecclesiæ divino nutu evasit, inque septem illis collibus, in quibus septem vitia grassata fuerant, oriri cœpit Chri-

F stianæ Religionis, & septem Sacramentorum jubar, atque auctoritas Ecclesiastica præfulsit. *Nata quippe Urbs ad imperandum, ut omnibus pæne dominabatur gentibus, ita omnium gentium serviebat erroribus. Hic ergo Petrus mendacis philosophiæ contrivit, & dissolvit opiniones, hic perduellium Dœmonum vanissimos cultus confutavit, hic nefandam sacrilegiorum impietatem destruxit, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid usquam fuerat vesanis præstigiis institutum:* ut ubi caput erat falsitatis, caput quiesceret

[Margin: Euseb. lib. 2. Eccl. hist. c. 1. — Thom. Costa p. 3. l. 2. hist. Neap. p. 119. — Padronanza di S. Francesc. di Paula Neapol. p. 3. — Miræus de cap. vindes. p. 36. — Bened. 12. Bull. — Ciac. tom. 1. vit. pontif. Card. Bar. ad 7. c. 44. in annal. — De Spina tr. de strigib. — vivian. De jur. patr. — Gentil. Epis. Aretin. in or. pro Florent. ad Alex. 6. — Const. Cajet. in vit. Gel. 2. p. 115. — In itin. Antonin. comm. p. 650. — lib. 15. hist. p. 35. p. 2. — Cosmogr. l. 3. q. 5. p. 3. — Paul. Diac. de gest. Langob. p. 1138. 1160. & 1172. — Ado in Martyrol. 6. Kal. Dec. — Fr. Balduin. in ll. Romuli p. 13. — Crisp. in l. 1. XII. tab. — lib. de spect. 1. Const. 96. dict. apud Gratian. — S. Leo Papa. 55. ll.]

ret ſanctitatis, & ubi gentilium Principes habitabant, illic Eccleſiarum Principes morarentur, uti Sanctus *Maximus Taurinenſis* Epiſcopus eloquutus eſt. Exclamare profectò *Romæ* jure licebat, quod impudenter gloriabatur impuritas, ipſam Urbem tam præſentibus plenam eſſe numinibus, ut facilius poſſet quis Deum, quàm hominem invenire; erat ibi proh pudor! ſilva ſimulacrorum, & copioſiſſimus populus ſtatuarum, teſte *Caſſiodoro*, & Idola Deorum, ſive ſtatuæ ſeptuaginta tres mille numerabantur, harum verò fragmentis, qui à *Beliſario* in *Hadriani* ſepulcro collocati milites Urbem tuebantur, valide, ſtrenueque vibratis, & conjectis *Gotthos* repulerunt, uti narrat *Procopius*, ita fractæ, atque comminutæ, ac abjectæ *Romanis* utiliores fuere, quam integræ, erectæ, atque cultæ, nihil enim tunc profuerant, juxta fabulam *Æſopicam*; quin potius ſtatim atque conciſa, disjectaque ſunt inania illa falſorum numinum ſimulacra, Sanctus *Petrus* veri Dei certus, ac ſupremus Vicarius à *Romanis* jam agnitus, & invocatus tutelam Urbis ſuſcepit, & ſeſe murorum debiliorem partem defenſurum ad τύλιδα πυγιάνην, uſque pollicitus fidem datam luculenter exſolvit, & præſtitit, ut ipſe *Procopius* eſt auctor; Videant ergo, & maturius expendant *Græci*, ac *Eoi* populi, qui à *Romana* ſeſe tam leviter, & pertinaciter averterunt Eccleſia, illam quaſi Occiduam deſpicientes, cum tamen Chriſtus moribundus ad eam ſe verterit, & inclinato capite ſpiritum emittens direxerit innuens ipſam à ſe conſtitui *Petro*, ejuſque ſucceſſoribus, qui vices ſuas gererent: *Manſuram in ſæcula ſedem.* E qua ſacrorum jura peterent quicumque Chriſtiano cenſentur nomine, & cum qua totus Orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordaret. Videant (inquam) & ad Sancti *Petri* niveas caulas, atque ad piæ, benignæque matris ſinum convertantur.

Hom. 5. de SS. Apoſt. Petro, & Paulo. Petron. Arbit. p. 12. 109 Tertull. l. 1. c. 12. adv. nat. ibiq. Gothofred. e Plin. p. 122. Majol. to. 2. canicul. dier. lib. 1. de bell. Gotth. p. 200. fab. 128. Molan. c. 4. hiſt. facimag. e Sedulio, Beda, Jo. Damaſceno, Heſſelio Montano. Optat. l. 2. p. 48.

110

CAP. II.

A Sanctis Petro, *&* Paulo *Evangelium Chriſti* Præneſtæ *diſſeminatum, & Epiſcopum conſtitutum fuiſſe comprobatur.*

Cum igitur Princeps, & Coryphæus Apoſtolorum *Petrus* Chriſtianam fidem in Urbe Orbis Principe docuiſſet populorum turmas erudiens in Vaticano, & veridicus *Simon* Magicis fallacis *Simonis* artibus diſcuſſis non jam in mari *Tiberiadis* piſces captans retibus, ſed expiſcans homines hamo Verbi Divini, & illiciens eſca veritatis in *Tiberi* quamplurimos ſacro Baptiſmate abluiſſet, & in domo *Pudentis* ad *Thermas Novati*, ſive in Vico Patricio ad radicem collis *Viminalis*, & in *Tranſtiberina* regione, ubi ſynagoga *Judæorum* erat; cumque firmiſſima fundamenta jeciſſet Eccleſiæ reliquarum magiſtræ quæ mox tantam excreverunt in molem, noluit intra Urbis mœnia continere præconium Evangelii, ſed in vicina excurrens oppida, viroſque pietate inſignes ad loginqua delegans, illud longe, lateque propagavit, & quaſi pomœrium protulit, dum Epiſcopos per diverſa loca LIII. ordinavit, ſeu potius Epiſcopales ſedes LIII. fundavit, & erexit, Antiſtites ibi conſtituens, vel mittens. In *Sicilia* quidem Inſula, quæ quia modico freto abs *Italia* dividitur, inter continentes Provincias, quæ nempe *Italiæ* ſunt conjunctæ, ab *Ulpiano* cenſetur, & pars *Italiæ* exiſtimatur, *Tauromenii Pancratium*, ſive *Maximum*, *Syracuſis Marcianum*, *Catanæ Beryllum* vel ordinavit, vel deſtinavit. in *Narbonenſi* Provincia, quæ continens etiam dicitur *Italiæ*, *Zachariam Viennæ*, (licet *Paulo* Apoſtolo tribuat *Joannes à Boſco*) *Trophimum Arelatæ*, *Aphrodiſium Biterris*; & ne commemorem quos in *Gallias*, & *Germanias*, quoſque in *Hiſpanias* direxit ad Evangelium diſſeminandum, & quos univerſum per Orbem terrarum inſtituit, in *Italia Barnabam* præfecit *Mediolani*, *Hermagoram Aquilejæ*, poſteaquam *Marcum* legaſſet *Alexandriam*, *Ravennæ Apollinarem*, *Neapoli Aſprenem*, ſive *Aſprenatem*, cujus ſuperius memini, *Capuæ Priſcum*, *Lucæ Pandinum*, *Veronæ Eupropium*, *Patavio Proſdocimum*, *Ticino Syrum*, inque regionibus ſuburbanis *Terracinæ Epaphroditum*, *Æquicolis* populis *Marcum* alium ab Evangeliſta ſupraſcripto, *Nepæ Ptolemæum*, & *Feſulis Romulum*, alioſque alibi, quos percenſere nimis longum eſſet.

Arnob. l. 2. adv. Gent. Lactant. l. 4. inſtit. c. 20. Clem. l. 6. Conſt. Apoſ. c. 8. Greg. Turon. p. 1. hiſt. c. 25. Tertull. l. 4. de Baptiſ. Optat. l. 1. Acta S. Martial. in Cod. Later. Boſius Rom. Subter. p. 26. 111 Martyrol. Rom. & ibi Card. Baron. 19. Januar. & 2. Junii.

Conjicere vero licet haud incertis argumentis Sanctum *Petrum Præneſten* quoque adiiſſe, ut ubi *Fortuna* tam ſuperſtitioſe colebatur, Divinam providentiam aſſereret, & religioſe promulgaret. Nam quæ perſtat adhuc in ſummo *Præneſtini* montis jugo Eccleſia Deo dicata eſt in honorem Beati *Petri* Apoſtoli, ſicut & Monaſterium ſitum in monte, qui *Præneſtinæ* Urbi præeminet, ubi viros Dei memorat habitaſſe Sanctus *Gregorius M.* ad annum à *Chriſto* nato DC. qui ab his audivit mira olim patrata, quæ, ſicut & ipſe retulit, mox ſubjiciam. Adhuc ea in Eccleſia imago Sancti *Petri*, ſeu ſtatua colitur inſtar illius, quæ in Baſilica Vaticana ex ære perſtat, ſive illam *Leo M.* e *Jovis* Capitolini æneo ſimulacro conflatam poſuit ob *repreſſum Attilam* anno Salutis CCCCLIII. Et vero *Symmachum* Primum tutatus *Ennodius* exclamat (*de veteri Tonante nova meritò vaſcula præparantur*) ſive *Honorius* Primus Papa, qui tegulas æneas è templo *Romuli* ſuſtulit, & his Baſilicam ſupraſcriptam contexit anno à Virginis partu DCXXVI. ſive *Gregorius Secundus*, ad quem cum *Leo Iſauricus* Imperator ſcripſiſſet: *Romam mittam, & imaginem Sancti Petri confringam*, reſpondit: *ſi quempiam ad evertendam imaginem Sancti Petri miſeris, vide, proteſtamur Tibi, innocentes ſumus à ſanguine, quem fuſuri ſunt, verùm in cervices Tuas, & in caput Tuum iſta recident*, exſtat epiſtola *Gregorii Secundi* Græce, ac Latine in Tomis Conciliorum, quæ Romæ ſunt edita. & videtur exarata ad annum DCCXXVI. *Præneſtinæ* quippe imagini, ſive ſtatuæ, quæ Sanctum *Petrum* refert, protenſo pedi capita ſubmittentes, & quaſi ſuccolantes incolæ, advenæque Senatus Apoſtolici Principem eodem, quo *Romæ*, ritu venerantur. De more ſupponendi capita ſtatuæ æneæ Sancti *Petri* adi Torrigium *in Crypt. Vatican.* Suadet hunc Beati *Petri* adventum *Præneſtæ* pietas Excellentiſſimæ Gentis *Columnenſis*, quæ aſſiduum Heroum ſeminarium fuit, & è qua Chriſtianæ Reipublicæ propugnatores innumerabiles prodierunt; illi etenim cum ipſorum in ditione foret *Præneſte*, Sancti *Petri* judicio eam ſortiebantur (ſi qua fides eſt adſcribenda *Ludovico Monaldeſco Urbevetano* auctori Annalium ab anno Θεογονίας MCCCXXVII. conſcriptorum, quem confictum quam vereor, ſed aliquid veri permiſtum commento nullus dubito, dum Stephani Columnenſis meminit, *cui nihil mirum* (ſcribit) *ſi Præneſte obtigerit, quia cui Sanctus Petrus benedixerit, obvenire ſolebat ſorti ejus obnoxia*, ad annum ſalutis MCCCXXXII. Traductæ ſcilicet fuerant ſortes impiæ in benedictionem piam per ſaluberrimam metamorphoſim, & felicem commutationem. Uſitatæ quidem illæ apud *Græcos*, & *Romanos* legitime in hereditate dividunda, quam ideo illi κληρονομίαν nuncuparunt,

Martinel. de vic. patric. Card. Baron. ad an. 44. annal. Eccleſ. e Symeon. Metaphr. Conſt. Cajet. in præfat. ad Gel. 2. Ciac. vit. Pont. l. act. §. continentes d. de verb. ſignif. Martyr. Rom. 3. Apr. Card. Baron. ad 8. 44. & 46. in annal. ecc. Ciac. in S. Petr. l. Inſulæ D. de Judic. Antiq. m. ſ. Viennen. & Martyr. 112 Antiq. Vien. ep. Epiſ. Arelat. ad S. Leonem pp. Card. Baron. in Martyrol. Galeſin, & Maurol. ad 4. Jun. Niceph. l. 2. eccl. hiſt. c. 35. Ferrar. in Topogr. ss. mart. Synaxarium, & Menolog. m. ſ. Coriol. in Breviar. Concil. Card. Baron. in notis ad Martyrol. lib. 3. Dialog. c. 23. Torrig. Cryp. Vatican. In Apol. pro Synodo. 113 Anaſt. Bibl. ex eoque Torrig. in m. ſ. Torrig. Cryp. Vatic. Severan. de 7. Eccl.

runt, & in dubiis casibus, imo & temere in magistratibus dandis, inque ducendis uxoribus usurpatæ; quin ipsi Hebræi res commisere sortibus, cum aliquid, si ex hominum arbitratu fieret, offensioni futurum credebatur esse, vel invidiæ, sive cum sic esset res incerta ut humano consilio, & solertia explorari non posset, juxta illud Proverbium. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Ita casus *Achan* super anathemate, ac *Jonathæ* super melle deprehensi sunt, de sorte jacta pro *Jonatha*, qui favum mellis degustarat, fuse Sanctus *Joannes Chrysostomus* in Homiliis. Deus etiam infidelium hominum sortes à se regi docuit in *Jona*; & *Aman*, certe suborta procella circa *Jonam* ἔβαλον κλήρυς miserunt sortes nautæ, ut recenset etiam *S. Joannes* suprascriptus de sorte ad jactandum in mare aliquem è vectis, quoties incubuisset tempestas, videndus *Eustathius*. Festum *Hesther*, seu *Mardochæi* dicitur apud Hebræos *Festum* sortium *Sigonio* teste. *Romani* observabant in conviviis etiam omina, & sortes, ut prodit *Lampridius*. Sortes vero dicuntur proprie, quæ non consilio, aut ratione produnt ea, quæ sunt ambigua, sed casu tantum, atque fortuito, seu potius Dei nutu, fiuntque vel conjectu, ut cum quis talos jacit, vel eductu, cum ex urna, vel sinu extrahuntur nomina, vel nota jam, & consti-
114 tuta Symbola; & hoc modo Apostolos comperi, dum Sanctum *Matthiam* cooptarunt in Apostolicum Collegium, Divinam voluntatem consuluisse eorum exemplo forsitan, qui sortes miserant ad familias, & vices sacerdotum dividendas; sed cum postea Divinus spiritus in Apostolos illapsus esset, inter ipsos, fidelesque cæteros sortium usum desiisse, ac exolevisse observant *Beda*, & Sanctus *Thomas*, quamvis non desint qui sortes improprie, ac metaphorice ibi accipiant pro modis, quibus obscura hominibus à Deo significantur, & declarantur, sive per instinctum internum, mentemque ab ipso immissam, & lucem, qua illuminati ad notitiam perveniunt, sive per signum visibile, quo quid fieri velit Deus ostendat, & opinantur hujusmodi sortem, seu signum visibile cecidisse super *Matthiam*, ut Apostolus eligeretur.

Ab *Ecclesia* quidem licet Cleri nomen, & Clericorum retineatur & probetur, quia Clerus, & Clerici sunt sors Domini, in eamque vocati, versanturque in ejus funiculis, & Dominus illorum sors est, & pars hereditatis, tamen sortium usus merito fuit rejectus, & improbatus, & sortilegi condemnati fuerunt, uti superiori libro adnotavi, cum de *Prænestinis* sortibus dissererem, de quibus copiosius agunt *Franciscus Polletus*, *Petrus Crinitus*, & *Polydorus Vergilius*, qui distinguit illas in Humanas, & Divinas; atque pereruditus *Sirmondus*,

Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos.

Decantatur à *Virgilio*, ubi *Servius* hæc addit, sorte ductus est, ut solet fieri, cum deest certus. de Clericis agunt *Alciatus* & *Cujacius*.

Milites, qui Christum Dominum crucifixere, vestes seu pallium quatuor in partes dissecuisse, ac invicem divisisse abs Evangelistis discimus, super
115 tunica vero, quæ ἄῤῥαφος erat, & inconsutilis, sortes misisse sive micando digitis, sive alio genere sortis, arguere jure licet falsi narrationem, quæ Prochori nomine circumfertur, cum in ea legatur, missas abs Apostolis sortes ad Provincias, & regionis Orbis terrarum sortiendas; Spiritus enim veritatis illos illustrabat, & dirigebat tam certe ut non egerent incertarum sortium subsidio. Scio quidem in Evangeliorum & Psalterii Codicibus apertis, ut quidque primo se subjiceret oculis pro sorte, atque oraculi loco diu habitum apud

l. 1. C. quand. & quib. 4. p. l. sed cum ambo D. de jud. l. generalit. §. quis ergo D. de fidejuss. libert. l. si quæ sunt D. de famil. ercisc. Plaut. in Casina. Balduin. in §. opt. instit. de legat. Prov. c. 16. Jos. c. 7. lib. 1. Reg. c. 14. Jon. c. 1. Hest. c. 3. Homil. 1. de pœnit. in amorib. Ismen. lib. 11. cum not. Gaulmini. l. 3. de Rep. Hebr. c. 17. Hist. Aug. ubi Casaub. & Salmas. c. 1. Actor. ubi Sanctius. lib. 1. paralip. c. 24. 2. 2. q. 95. ar. 8. l. 5. c. 7. Hist. Fori Rom. l. 22. c. 3. de honest. disc. l. 3. de pro. in Sidon. 2 Æneid. l. 5. parerg. jur. c. 22. ad c. cler. dist. 21. ac c. 1. de vit. & hon. cler. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19. ubi Nonnus. Salmas. in Vo-

A aliquos Christianos Rabbinorum æmulatores, atque Græcorum, qui selectos versus Homericos, vel Virgilianos in pyctaciis descriptos conjiciebant in situlas, ut his eductis sorte successus explorarentur, vel exarabant in tabula, ut talorum arbitrante alea Divinatio perageretur; aut acceptum temere *Homeri*, sive *Virgilii* poema reserabant, & è versu, in quem primum incurrebant, omen captabant eventus, quem requisierant. Verum à piis omnibus Στιχομαντεῖαι illæ fuerunt semper explosæ, & videntur à Beato *Petro* in benedictionem certam conversæ hæ sortes incertæ. Sic fana Idolorum non destructa, sed
B in Ecclesias redacta cum sparsione aquæ benedictæ, fixo Crucis venerabili signo, & erectis altaribus, illatisque Reliquiis sanctorum, sic in convivia caritativa, & Agapas sacrificia sanguinolenta etiam apud *Anglos* demutata è Sancti *Gregorii M.* instituto in epistola, quam ad *Mellitum* Abbatem scripsit, direxitque, ut *Augustino* Episcopo porrigeretur. Sic ἑρμαίων, sive acervorum *Mercurii*, & statuarum *Hecates*, atque *Dianæ* Triviæ, ac Vibiliæ vice in Viis, & Triviis insignia salutis humanæ signa nimirum Sacrosanctæ Crucis, & Beatissimæ semper Virginis Deiparæ veræ ὁδηγητρίας substituta surrexerunt,
C sic litui Augurales baculi à summo leviter inflexi versi sunt in virgas Pontificias; Jubileus annus successit Ludis sæcularibus, omnium Sanctorum commemoratio *Pantheo*, ac *Panhagiis*, & fidelium defunctorum Feralibus sacris, atque Silicerniis. Sic Sanctorum canonizationes Divorum consecrationibus, & Apotheosibus, aliaque id genus; non possum tacitus præterire Ludos, & Ferias Kal. Sextilibus, sive Augusti ob Actiacam Victoriam celebrari solitas in Festum diem Vinculorum Sancti *Petri* transiisse. Cardinalis tamen *Baronius* omnes errare affirmat, qui putant eas Kalendas Augusto consecratas; quæ
D enim Equestrina certamina Kalendis Augusti, qui dies est Natalis *Claudii* Imperatoris, exhiberentur, instituta sunt, quod ea die consecrata sit ædes *Marti*, uti *Rosinus* etiam contendit. Juvat & adscribere Bibendi Regna, & Imperia, Saturnaliaque, & Συμποσιαρχίας quæ sortibus convivalibus ducebantur, & in solemnitatem Epiphaniæ traductæ sunt pia cura Pontificum præsertim Romanorum, qui sensim populos à profanis ritibus depulerunt, & averterunt indulgentes, ut ab Ethnicis aliqua mutuarentur, velut abs *Ægyptiis Israelitæ* aurea vasa, & instar Apum, quæ amaris è floribus expressos delibant
E succos, & ex his mella dulcissima fingunt; imo quemadmodum peritissimi Medici, qui venenatis è serpentibus Theriacum excerpserunt præsentissimum adversus venena ipsa Antidotum. Elucet vero illa pietas Principum *Columnensium* insuper in *Petri* nomine toties repetito per nobilissima capita stirpis tam memorabilis, a *Petro* illo, qui sub *Paschale Secundo Pontifice* abs Historicis prædicatur. *Romanis* arcibus à Sancto *Petro* trophæum Crucis illatum fuisse diserte testatur eloquentissimus Antistitum *Leo*, at *Prænestinam* arcem à *Floro* dictam jam observavi. Quin & Sanctum *Paulum* in sacra ista expeditione mihi nefas vi-
F detur à Sancto *Petro* disjungere, asservabatur etenim *Prenestina* in Ecclesia ingentis pretii, fideique monimentum Crux ænea (si non prisca illa, saltem priscæ vicaria) quam Sanctum *Paulum* prædicando seu concionando totum per Orbem gestasse fama erat, & inde translata *Cornetum*, ibi

pisc. in Tertull. de pallio. Bulenger. in Casaul. diatr. de vest. Pontif. c. 29. Lanoue l. 1. c. 43. Antig. deper. Bulenger. de sortib. l. 2. c. 1. apud hist. sacram. Laur. de la Barra p. 1. hist. S. Joann. S. Aug. l. 4. c. 3. conf. 116 Greg. Turon. p. 4. tuem. 16. & l. 3. fo. 49. Greg. l. 8. tenent 4. Metaphrast. de S. Cypr. & de S. Theodora Alexandr. Casaubon. in Hadrian. Spartian. p. 6. in Lamprid. Sever. in Claud. poll. Nicol. ad Bulgar. Cedren. in Heracl. Socrat. in histor. eccl. Raynulphi l. 7. c. 6. polyc. Zavar. & Egnat. in Macrin. & Diog. 117 Fulgos. l. 1. memorab. Majolto. 2. dier. canicul. ep. 7. l. 9. Regist. S. Greg. de sortibus in libris consule vitam S. Antonini, Agrippinen. Polydor. de Inoesu. er. Severan. l. de 7. eccl. Jac. de Voragin. c. 105. lege aureæ. Ciac. n. 400. Sixt. 3. vit. Pont. l. 4. antiq. Roman. c. 12. Salmas. in Heliogabal. Lamprid. Sigebert. in chron. ad 8. c. 438. de Kal. Aug. & Fl. Blond. in Roma instaurat. Serm. 55.

ibi etiamnum visitur. At è Sancti *Pauli* duobus dentibus unus Beneficio Eminentissimi Cardinalis *Francisci Barberini Præneste* restitutus rursus emicat argenteo in ferculo, quod auro superfusum, & Dynastarum *Columnensium* gentilitiis insignibus jam diu exornatum est. Superesse *Corneti* de ossibus Sancti *Petri* Apostoli *Præneste* delatis liquet ex Indice Reliquiarum. Apostolica (scribit auctor Hierarchiæ subcœlestis nondum editæ typis) sedes dicitur quandoque *Romana* Ecclesia quia tam ipse *Petrus*, quam Coapostolus ejus *Paulus Romanum* populum, & adjacentem fide, non tamen primo (ut hic ad *Corinthios* perscripsit) sed principaliter doctrina, & moribus instruxerunt, ibi *Salmasius* adjacentem populum explicuit Græce τὰ περίπολιν χωρία, τὰς ὑπὸ πόλιν χώρας, τὰς περὶ πόλιν ἐπαρχίας, *Anastasius* Bibliothecarius vocitavit adjacentia loca, Suburbicarias etiam regiones *Salmasius* laudatus exponit Suburbana populi *Romani*, & subjacentia Castra rursus *Anastasius*. Has autem intra regiones, & castra quin *Præneste* comprehendatur quis inficias ire potest? cum XX. tantum ab Urbe dissita sit lapide, *Tibur*que suburbanum, & æstivas *Prænestæ* delicias *Florus* denominet.

1. ad Cor. c. 1. ubi glos. ord. Nicol. de Lyra in ep. ad Roman. Salmas. Euch.

l. 1. c. 21.

118 Hierarchiæ Ecclesiasticæ forma, & series à propagatione Fidei Christianæ orta est, nec enim Ecclesiasticæ, atque civiles dignitates usquequaque sibi consonant, neque Politico semper conforme reperitur sacrum regimen, uti *Sirmondus*, & *Aleander* Junior adnotaverunt, unde non tam jura Regnorum quam sedium attenderunt patres. Fluxit autem primarie à Sancto *Petro* tamquam à fonte sacra omnis jurisdictio. Hinc tres tantum initio exstitere Patriarchicæ sedes, *Romana* nempe, cui *Petrus* postremum insedit, & quam suo cruore in *Europa* consecravit; *Antiochena*, in qua primum ille sedit in *Asia*; & *Alexandrina* in *Africa*, cui *Marcum* filiolum, seu filium suum lustricum, fidumque interpretem præposuit, imo in qua *Petrus* ipse per *Marcum* sedit. Certe *Innocentius* Primus à Beato *Petro*, aut abs ejus successoribus in *Italia*, *Galliis*, *Hispaniis*, *Africa*, *Sicilia*, *Insulis*que interjacentibus Ecclesias omnes institutas tradit, & *Optatus Milevitanus* vocat Cathedram *Carthaginiensem*, Cathedram *Petri*, quia *Petrus* eam genuit, ut loquitur *Tertullianus*, & Sedem Apostolorum Principis in tribus locis unius esse Sanctus *Gregorius* edixit. Hæc omnia qui sedulo dispiciet, ac examinabit, Beatum *Petrum* venisse *Prænesten*, & fascino Idololatriæ obcœcatos cives illuminasse ac à veneratione *Fortunæ* cœcæ abduxisse, cultumque Dei viventis, atque videntis, cujus nutu justissimo librantur, & temperantur res omnes, persuasisse, atque ipsis præfecisse sacrorum Præsulem, seu Episcopum facile dijudicabit. Ejus tamen nomen intercidit, intercidere quoque nomina successorum ad *Secundum* usque, qui Concilio *Romano* interfuit anno à Virginis partu CCCXIII., & *Melchiadi*,

119 seu *Miltiadi* Papæ assedit, sive id evenerit Tyrannorum immani sævitia, qui bacchati sunt in sacra etiam monumenta, & codices ipsos sacratos, instrumentaque Legis Divinæ flammis abolere tentarunt; sive modestia primævorum fidelium, qui nomina sua in libro vitæ, atque in cœlis scribi, quam mundo innotescere maluerunt; sciebant enim mortem suam hic litteris etiam esse, nam uti accinit ille. Mors etiam saxis, nominibusque venit.

Papa propemp. lib. de suburbic. in præf. S. Anacl. ep. 3. to. 1. Conc. Conc. Flor. to. 2. col. lat. 2. Morin. in exercit. eccl. in ep. ad Decent. Episc. Eugubinum. lib. 1. ubi not. Episc. Aurel. Albaspinei. l. 7. c. 201. Regest.

Optat. Milevit. l. 1.

Prudent. in Hymno ss. Hæmitor. &c.

CAP. III.

De Sancto Agapito *Martyre* Prænestæ.

Latent præterea quæcumque à Christianis pie, fortiterque *Prænestæ* gesta fuisse verisimile est, ex quo *S. Petrus* ibi pedem fixit, usque ad celeberrimum certamen, quod pro Christi fide generosissimus puer *Agapitus* intrepide subiit Consulibus *Antiochiano*, & *Orfito*, sive anno Urbis conditæ MXXIII. à Christo nato CCLXXII. *Aureliano* Augusto Imperante sub *Antiocho* Præside, seu *Flavio* ipso *Antiochiano* Præfecto Urbis (Nam sæpe Præfecti Urbis Præsides appellantur in Martyrologiis, eorumque ditio ad centesimum ab Urbe lapidem protendebatur, unde sacris in Historiis leguntur ipsorum sententia condemnati Martyres *Interamnæ*, & alibi) cum exarsisset adversus Christi cultores persequutio nona (ut putat Sanctus *Augustinus*) aut octava (secundum Sanctum *Leonem*) edicto *Aureliani*, qui eo anno x. Kal. Martias electus fuerat *Augustus*, & ferocior timeri malebat quam amari. *Agapitus* puer quindennis (quamvis illi per errorem *Volaterranus* XIV. tantum annos tribuat, alii vero XII.) fervens amore Christi, cui se obtulerat holocaustum, & ex asse devoverat paternis abdicans se fortunis, indoluit auspicia novi principatus tam impia sævitia contaminari, & operæ pretium ratus, si se murum pro Dei domo animose opponeret, si flammas diri furoris sanguine suo restingueret, aut saltem, Tyranni rabiem satiaret, utque fidei, constantiæque suæ specimen præbens alios fideles exemplo suo confirmaret obtestatus per coronam, sive (ut interpretor) per auctoritatem, ac dignitatem sacerdotalem *Porphyrium* hominem Dei, à quo fuerat in fide, atque doctrina *Christi* eruditus. (*Ultro*, inquit, *nos offeramus*,) & Imperatorem adire, deducereque à cruento, & iniquo cœpto decrevit Sancti Spiritus instinctu peculiari afflatus, nam alioqui disciplina prohibet ne quis se offerat, & Catholici parati quidem semper ad vitam pro fide profundendam, latebris tamen aut fuga se à persequentium crudelitate subducebant: justa ratione vel ex Evangelii præcepto, nisi Spiritus Sancti Oeconomia impellerentur ad aliud. Fusius agit *Mendoza* in concilium Illiberitanum, de his, qui se offerunt. Miratur audaciam pueri sponte se sistentis, utque revocaretur Edictum adversus Christianos promulgatum suadentis *Aurelianus* Augustus, & vesanum, verbosumque compellat. Sed *Agapitus* se non esse vesanum refert, quippe qui suam omnem spem in Christo Domino collocavit, interrogantique *Aureliano* de Natalibus, & ætate, se Christianum respondit, genere nobilissimo prognatum, & annum XV. iniisse, ac in foro jus edidicisse, sive more illius ævi, quo cruda adhuc studia in Forum propellebantur, sive quod præcox ingenium *Agapiti* jam efflorescerent, cum alia vix gemmare cœpissent; certe *Nerva* filius XVII. anno, aut paulo majore ætate fertur publice de jure responsitasse. Addit *Agapitus* se à parentibus in Ecclesiam deductum, ibique veritatem edoctum colere Deum verum, ipsique soli servire, à quo creatus sit. Increpat illum *Aurelianus* his verbis: *Agapite, obaudire Te oportet, accede ergo, & sacrifica Magno Deo Jovi invictissimo*, (quem in gremio *Fortunæ* lactentem coli superstitiose solitum *Prænestæ* jam prodidi) tum nisi paruerit atroces pœnas, & necem illi comminatur, neque se nobilitatis, aut ætatis rationem ullam habiturum; perstat Athleta validus, neque se gradu dimoveri patitur, Christum sibi faventem, atque propitium confidens, jussusque teneri, & cædi

Panvin. in Fast. Card. Bellarmin. in Chronolog. Panvin. & Contelor. in lib. præf. urb. lib. 18. c. 32. de Civ. Dei. 120. ser. 2. de pentecoste. Vopisc. in Aurelian. Martyrol. Rom. Card. Baron. Ado. Beda, Usuard. Molan. Galesin. Maurolyc. Roswe. Topogr. vet. Petr. de Natal. lib. 7. Catalogi ss. Ferrar. innova. fl. Topograph. in Anthropolog. Bulenger. c. 8. de vest. pont. Sirmond & Savar. in ep. Sidonii 3. l. 6. & 8. l. 7. Lacerda. cap. 137. Advers. sacr. c. 6. Martyrol. Rom 20. Augusti S. Matth. c. 10. 121 Orig. c. 32. in Joann. Clem. Alex. l. 4. stromat. Tertull. lib. de fuga. Coriolan. in Breviar. Chronol. Petron. p. 3. Satyr. Theon. Sophist. l. 1. D. de postul. Ado, & Sur.

cædi non puerili verbere, vel habena, sive ferula, sed nervis crudis; irrisit tormentum *Agapitus*, *nec enim cædor*, ait, *sed refrigeror, quomodo se pueri manibus in area cædunt, sic ego deludior à ministris Tuis.* Indignatus *Aurelianus* Præfecto Urbis *Agapitum* tradidit, nisi Diis sacrificaret, interficiendum. Erat ille *Flavius Antiochianus*, qui superiori anno, & iterum anno V. C. M. XXV. Præfectura Urbis, quæ Imperium sine Purpura dicebatur, functus est, Consulatus etiam fascibus tum ornatus eminebat. Obstupuit tamen ad pueri patientiam, & Præfectorios milites nempe, atque apparitores officii sui alloquens exclamavit: *O Jupiter! O Mercuri, quibus nos vacamus? ut Agapitus XV. annorum dicat, non sentio quod milites Tui me cruciant, detrudite illum in carcerem, illius congressu omnes prohibete, quatri-*
122 *duo integro nullus illi cibus inferatur ut fame pereat. Attalius*, sive *Anastasius Cornicularius* Christianæ fidei desertor, & perduellis intereà pollicitus est Præfecto se persuasurum puero ut sacrificaret. Juravit Præfectus per *Jovem*, perque Genium sive salutem invictissimi Principis, (quod solemne, ac gravissimum erat jusjurandum) id si præstaret fore ut ad Præfecturam etiam eveheretur. *Cornicularium* autem vocatum comperio illum, qui aderat majoribus Judicibus, dum jura reddituri publice sedebant, & cornibus secretarii proxime adstabat, cuique damnatorum cura committebatur, inerat etiam ille quæstionibus, reosque solebat alloqui, cum torquerentur, & in officio Præfecturæ Urbanæ numerabatur. Pertentat igitur *Attalius* blandis sermonibus demulcere *Agapitum* jacentem in carcere, sed elata usque in cœlum mente. *Recede* (inquiebat) *Agapite à stultitia Tua, lita Diis, &, ut quid vis in tormentis mori? & perdere florem gratissimæ juventutis tuæ? Ego autem sicut & Tu Christianus eram, verum defeci, & immolavi Diis, ac modo sum Minister, & Dominus, sive Dominicus.* Respuit sacrilegas voces *Agapitus*, & horrescens perfidiam scelerati transfugæ. *Vides me puerum* (dixit,) *in hac tenera nihilominus ætate non insanio. Tu vero desipis (infelix) qui jam adultus surda, mutaque Idola humanis manibus efficta pronus adoras, & Dæmonas malos derelicto vero, ac bono Numine, atque mortalium liberatore Christo.* Instabat *Attalius* frustrà, cum Præfectus opinatus (ut homines quod volunt facile credunt) *Agapitum* forsitan *Attalii* alloquiis convulsum, ac permotum flecti posse, traducique facilius, jussit illum è carcere protractum exhiberi, dumque deduceretur, emissa est vox præconis: *A-*
123 *gapitum Deos blasphemantem novis, exquisitisque suppliciis, & pœnis cruciandum esse*, ut magis, magisque perterreretur. Et ex more, quo illis, qui cædebantur, vel necabantur per præconem superdici solebat. προπέτως μὴ ὄμνυε; ἐσυκοφαντήσας; fumo punitur qui fumum vendidit; imposturam fecit, & passus est; Legatum Populi *Romani* homo plebejus temere amplecti noli! *Agnem* sacrilegam Virginem Diis blasphemiam inferentem scortum Lupanaribus datam. Deos blasphemare nolite. Pare Præsidi, & Diis sacrifica præpotentibus; Deos, Deasque blasphemare noli. ut stetit ante Præfectum pro Tribunali sedentem *Agapitus*, rogatur ab eo, satisne cogitaverit, anne constituerit ipsius amicus esse, cumque profanam Idolomaniam constanter aversaretur, imponi ardentes prunas ejus capiti mandavit Præfectus, quibus ille veluti corona, seu Diademate gloriose redimitus dixit. *Gloria Tibi Deus, qui me fecisti probari*, cœpitque psallere, *propter Innocentiam Tuam suscepisti me, & confirmasti me in conspectu Tuo in æternum.* Jussit insuper Præfectus *Agapitum* flagellis cædi,

Tacit. lib. 5. Annal. Ulpian. l. 1. & l. excipiuntur D. ad s. C. Silanianum. Casaub. in Hist. Aug.

Bulenger. c. 14. lib. 2. de Imp. Rom. l. 13. D. de jurejur. l. 2. C. de reb. cred. l. 2. C. ad 5. Jul. Majest. l. si quis major C. de transact. Suet. in Caligul. Tertull. c. 28. Apolog. Casaub. in Claud. Sueton. Alciat. c. 2. l. 4. dispunct. Erasmi adag. 77. chil. 4. l. qui per salutem D. de jurejur. Cujac. c. 7. l. 8. observ. tac. l. 2. §. 1. instit. de fidei-commiss. hæred. Firmic. l. 1. *Mathes.* Lacerda advers. sacr. c. 186. nu. 1. Bos. in pass. S. Cæciliæ. Card. Baron. in Martyrol. 21. Aug. Notit. Imp. Occid. Juret. in ep. 56. Symmac. lib. 10. l. 13. D. de jurejur. Cu-

A at ille contempsit pœnas uti leves, & refrigerari se iterum affirmavit, cum tortores ternis quaternionibus eum flagellis diverberantes (sive duodecim ita dispositi ut quaterni simul invicem inter sibi succederent) palam edicerent: *Noli Præsidi facere injuriam, noli Deos blasphemare.* Nec satis, fumum tetrum excitari Præfectus ingeniosus in tormentis præcipit, & *Agapitum* nudum capite deorsum verso suspendi; dictum, factum, itaque suspenso *Agapito* Præfectus insultans obloquitur: *Sapientia Tua, & vanitas tua in fumo laborant*, omnes abeunt procul, nemini licet eum alloqui, nulli datur ad eum accessus; exacto quatriduo *Attalius*, sive *Anasta-* 124
B *sius Cornicularius* exploraturus an adhuc viveret, ipsum adit, & solutum ab Angelo reperit, atque deambulantem in veste candida, qui canebat: *non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini, transivi per ignem, & aquam, & eduxisti me Domine in refrigerium.* Admirabundus *Anastasius* renuntiat id Præfecto, cui etiam percunctanti quid opus facto, Magnum *Agapitum*, Magnum *Agapiti* Deum à se agnosci, seque lubentissime capitalem sententiam subiturum ne Sanctus, & justus puer excruciaretur affirmat. Triumphante præ gaudio, Numinique agente gratias *Agapito*, Præfectus eo gravius excanduit, & vestibus scissis ita vociferatur! *O Dii*
C *immortales cur vires vestras non exseritis, & ostenditis adversus sacrilegum, & blasphemum? nec ulciscimini, quas vobis intulit injurias Agapitus*, (qui respondit) *Cur sic irasceris? O Præfecte, Diisque tuis convicia facis? An ignoras simulacris uti silicibus sternendas esse vias, atque munienda compita quo lutum evitetur, & illa sic à prætereuntibus, atque à teipso conterenda*, cum Præfectus hoc responsum vix caperet, ab *Agapito* requirit, unde illi tam matura sapientia suppeteret in ætate tam acerba. At *Agapitus* regerit. *Dominus, qui novit omnium corda, scit quomodo credam in eum corde puro, illi ego assiduas habeo gratias, & ipse de altis divitiis, deque abyssis sapien-*
D *tiæ suæ rivulum etiam in me derivare, scintillulasque interdum diffundere dignatur.* Præfectus sciscitatur; quis iste sit Dominus, auditque Deum esse admirabilem, virtute invictum, cui serviunt Angeli, famulantur Archangeli, qui cœlum, terramque condidit e nihilo, mare, ac omnia, quæ in his sunt, cui cœlestes Genii, fidelesque mortales jugi concentu psallant. Haud tulit id
Præfectus caligans ad Solis adeo fulgentis obtutum, jubet *Aagapitum* spoliari rursus, inque nudam alvum diffundi præfervidam, & bullientem aquam, atque accini Epiphonema: *Noli quasi puer multum verbosus esse, nec injurias* 125
E *inferre Præfecto.* Verum *Agapitus* ad milites. *Quid est (inquit) calidamne aquam emisistis in corpus meum? putabam vos inspersisse frigidam, quia Dominus meus, propter quæ patior ista omnia, refrigerium mihi præstitit.* Hinc ad Præfectum conversus. *Vel sic (ait) crede quia tormenta nihil me afficiunt.* Furit ad ista Præfectus, & imperat confringi maxillas ejus, & dixit. *Nescis ante quem stas, & indisciplinate loqueris*; Excipit Agapitus, *jam erubesco faciem tuam sacrilegam intueri*; *Jure* (subdit Præfectus,) *ita loqueris, quia vitam tuam adhuc protraxi, complicentur atque accumulentur*
F (addit Agapitus) *in me tormenta, quæcumque Busirides, & Phalarides, quæcumque Lanii, atque Carnifices excogitarunt, cliens sum patroni potentissimi, confligo illius ductu, sub ejus præsidio cum homine vesano, & victoriam reporto.* Irrisit Præfectus, *& si credam* (subjicit) *an videbo Dominum istum Tuum?* Ad hæc Agapitus. *Diabolus olim tentare ausus est Dominum nostrum Jesum Christum, sed repulsam tulit, cum responso. Vade retro*

jac. El. l. fustibus C. ex quib. caus. infam. irrogetur. Lamprid. in Ale. Spartian. in Sever. S. Ambros. in ser. 90. Acta S. Laur. & S. Ananiæ apud Sur. Bosius in S. Cæciliæ pass. Erasm. Chil. 1. cent. 3. adag. 41. Cujac. c. 3. l. 13. obs. jur. Nicet. Choniat. hist. Joseph. Arrian. Plato. Petron. Suid. Zonar. 11. philin. Sanctius in c. 12. Act. Ap. gloss. ordin. Lyran. Lacerda c. 32. n. 2. Advers. sac.

retro Sathana, non tentabis Dominum Deum Tuum, Tu quoque Dei famulum non tentabis, ne dum vis tentare, à Diabolo ipse tenteris. Vix eloquutus erat *Agapitus*, cum præceps è Tribunalis solio concidit Præfectus, & collisus, atque à Ministris ægre collectus, in lectoque repositus hos in clamores erupit. *Currite, ardeo, subvenite mihi, nihil enim sunt Dii nostri, quos immerito veneramur, sed Dominus Agapiti magnus est, & æternus, nunc autem justas luo pœnas, quia Dei puerum iniquissime divexavi*, & spiritum cum vo-
126 cibus istis ultimum emisit. Unde vel biennio toto detentum in carcere, tortumque *Agapitum*, vel anno v. c. MXXV. *Antiochiano* iterum Præfecto comprehensum tantummodo, passumque fuisse consequitur, nisi alius sit iste Præfectus Urbis *Antiochianus*, qui anno v. c. MXXV. nominatur, ab illo, qui anno MXXIII. Præfectus etiam erat, falsusque sit *Onuphrius*, qui eundem arbitratur; de *Antiochiano*, ejusque Balneo in Urbe *Pancirolus* differit. (In Comment. ad 14. Regio. Urb.) Interea referunt ea, quæ contigerant, attoniti milites *Aureliano* Augusto, qui nihilo mitior tot perfunctum pœnis subjici Leonibus mandat *Agapitum*; deducitur intra *Prænestinum* oppidum innocens, & Sanctus puer, ubi paratum erat Amphitheatrum, in quo ludi & munera gladiatoria edebantur, ut visum est superius, (lib. 1. cap. 13.) ac spectante populo feris leonibus è cavea emissis subjicitur. Erat hoc gravissimum supplicii genus, nam parricidis, noxiis, & vilissimis mancipiis irrogabatur. Christiani certe quantumvis innoxii, nobiles, atque pii solebant ad bestias dari, atque leonibus objici jam inde à Sancto *Ignatio* Episcopo *Antiocheno*, unde Populus *Romanus* acclamabat, *Christianos ad Leonem.* (Gallon. de Cruciat. Martyr. Bulenger. lib. de venat. Circi. c. 33. S. Ignatius in. ep. ad Rom. Tertull. c. 39 Apologet.) Mansuescunt subito leones, sanctique pueri pedes innocenter lambunt mirante populo, ac vociferante. *Non est alius Dominus, nisi quem Agapitus profitetur*, & apposite succlamante Agapito. *Credite in Christum, ut salvæ fiant animæ vestræ, quia quæ mundus hic magni facit, caduca sunt & peritura. beati eritis, perpetuaque fruemini felicitate, si credideritis in Dominum vivum*; abducitur ex Amphitheatro raptus *Agapitus* Ministrorum Diaboli (quos *Fortunæ* sacrificulos opinor) furore, atque productus extra oppidum, ubi sunt duæ columnæ, genu posito percutitur gladio, emeritamque animam
127 laurea Martyrii decoratam direxit in Cœlum die xv. Kalendas Septembres. Qui vero fideles *Præneste* habitabant noctu sancti Pueri corpus more Christiano elatum ad primum ab oppido Lapidem in recenti Sarcophago tumularunt, gloriantes, quod illum sibi dignum Martyra Deus elegisset, ut *Præneste* benediceretur, ejusque sanguine consecraretur, elutis impuræ superstitionis, quæ tum ibi vigebat, sordibus, sortibus nempe *Fortunæ*; & Idololatræ complures ad veram Fidem ejus exemplo, precibusque transierunt. (S. Antonin. to. 1. chron. §. 3. t. 8. c. 9.) Hactenus ex Actis Sancti *Agapiti*, quæ *Monbritius* retulit, & *Surius* ex *Adone* contracta, sicut & auctor *Romani* Martyrologii, *Usuardus*, *Beda*, *Petrus Episcopus Equilinus*, *Molanus*, *Rosweydus*, *Ferrarius*, *Maurolycus*, *Galesinius*, & alii. (to. 1. vit. ss. ad. 18. die Augusti. Catalog. ss. p. 7. c. 70. in not. ad 20. Aug. Martyr. Rom.) Acta illa fuisse admodum depravata Cardinalis *Baronius* indicat; mutila etiam ne sint vereor, cum in ipsis non comperiam Martyrium *Porphyrii*, quod descriptum in illis *Baronius* suprascriptus asserit. idcirco ea expolivi, quoad potui, & interpolavi, nec enim ferendum erat, ut Monasterium pro Ecclesia, Præses pro Præfecto, *Antiochus* Rex pro *Aureliano* Imperatore, aliaque id genus intexerentur. Agonem autem istum *Prænestæ* peractum fuisse summo scriptorum consensu proditur, & *Regino Prumiensis* Abbas testatur, (lib. 1. chron. to. 1. Germ. histor.) licet perperam appingat

A annum à Virginis partu CCXXVI. sicuti *Philippus Bergomas* CCXXVIII. (in supplem. chron.) *Aurelianum* Imperatorem tunc *Prænestæ* fuisse diversatum, ut *Fortunam* coleret, eique vota persolveret, ac hostias immolaret censeo. Reducem quidem *Fortunam* summopere venerabatur; arguit id Numus ejusdem *Aureliani*, cui *Fortuna* insidens rotæ insculpta cum lemmate (*Fortuna Redux*) quod cognomen 128 haud illi primus tribuit *Domitianus*, etsi templum exstruxerit, aram enim τύχῃ ἐπαναγώγῳ statui passus erat *Augustus Dione* teste, & *Claudianus* canit. (Martial. l. 8. lib. 54. Lips. in Tac. lib. 1. Annal. Rosin. l. 2. c. 27. antiq. Roman. Panegyr. de 6. Consul. Honorii. Sext. Aurel. Victor. epit.)

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
B *Ob reditum vovere Ducum, &c.*

Aurelianus autem juxta *Metaurum* flumen, Fanumque *Fortunæ* victoriam insignem retulit, & *Gordianus* Augustus *Fortunæ* Reducis effigiem suis etiam in Numis usurpavit. Utut sit Sancti *Agapiti* memoriam, & Lipsana fideles populares summo prosequuti sunt honore, ac venerabundi asservarunt.

CAP. IV.

De Sancti Agapiti *Basilicis* Prænestæ.

C Incertum mihi est, neque plane liquet quo tempore Deo fuerit excitata, & ædificata in honorem Sancti *Agapiti* Ecclesia, seu Basilica *Prænestæ*, pervetustam opinor fuisse, cum anno Salutis publicæ DCCCXVI. *Leo* Tertius Pontifex Max. in Basilica Beati *Agapiti* Martyris in Civitate *Prænestina* fecerit vestem de stauraci cum periclisi de fundato, & in media Cruce de Chrysoclavo, & prædictus venerabilis Pontifex sarta tecta Basilicæ Beati *Agapiti* Martyris, quæ ponitur in Urbe *Prænestina*, necnon & sarta tecta alterius Basilicæ juxta eamdem Basilicam, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, in melius (Anast. Bibliothec. in Leone. III. Card. Baron. ad n. 816. in.)
D restauravit. Hinc geminam Basilicam fuisse constat, utramque vero consecratam docuit nos Inscriptio prolata superiori libro, altare, scilicet, 129 atque cryptam à *Conone Prænestino* Episcopo, anno à Natali Christi MCXVI. at Ecclesiam altiorem, atque altare Beati *Agapiti* Martyris à *Paschale Secundo* Pontifice Maximo anno Epoches Christianæ MCXVII. *Oddo Columnensis* (ut reor *Cencii Camerarii* subnixus auctoritate) seu *Carsidonii* frater circa annos Æræ Christianæ MCLI. & MCLII. sive pater *Jacobi*, qui S. R. E. Cardinalis, dictusque videtur Infans in Homagio Comitis *Ildebrandini* sub *Innocentio Tertio*, (Annal. Eccl. to. 9. Alem. differt. de lateran. pariet. lib. 1. c. 12. lib. de censib.)
E floruitque sedente *Gregorio Nono*, anno Christi nati MCCXXXII. molas, sacrosque agros aulæ, seu Basilicæ Sancti *Agapiti* contulit, uti colligitur ex Epitaphio, quod incisum legitur in vestibulo suprascriptæ Basilicæ cum hisce siglis.

A P ω *
M. A. Q. AD FAB Sancti Martyris Agapiti.

id est (ut auguror) Monumentum * aquarum quæsitarum ad fabricam Sancti Martyris *Agapiti.* (* Seu Molendina, vel molæ aquarum ad Fabricam.)

Virginis Egregiæ nato præbente Mariæ
Hic Dux Hesperiæ Lux latet Italiæ;
F *Fama namque Paris, fuit Hector & undique claris,*
Armis emicuit, moribus enituit.
Oddo suos fortes (sicut Leo) terruit hostes,
Ductor militiæ magnanimus propriæ;
Iste molas, sacros huic aulæ contulit agros.
Pro quo nunc Sanctus flagitet Agapitus.
Pœnis indemnis, maneat cui vita perennis,
Detur & alma quies, & sine nube dies. 130

Ex his dotem, instaurationem, consecrationem, vestem, & antiquitatem hujus Ecclesiæ discere facile est, & vestis quidem illa de stau- (Bulenger. de vest. Pont. c. 51. & 52. & c. 48.)

Salmaſ. in hiſt. Aug. in Vopiſc. in pollion. Torrig. Cryp. Vatic.

raci, ſeu ſtauracina fuit plumatum *Babylonicum* acu pictum auro, & ſerico pampinatum, corymbiatum, filicatum, vel quadrapolum à forma pallii quadrata, ſive à quatuor tabulis, ſeu quatuor angulis textis auro, aut argento, bombycino, ſerico, byſſino, quod è variis locis *Anaſtaſii* collatis patet, vel octopolum. Illam vero veſtem ambibat circum limbus, ſic enim periclifis hic accipitur, ſeu circumtextura in orbem de fundato, ſive auro texto acu picto, illique mediæ effigies Crucis è clavis aureis contextæ aſſuta erat, & hi clavi aurei voce Græco-Latina Chryſoclavi nuncupabantur, in Donatione *Tiburtina* anno Chriſti CDLXXI. pallium holoſericum agnaphum auroclavum, & vela auroclava memorantur, & clavatura varia. ingentis fuiſſe pretii veſtem illam non dubitarim cum perſimiles à Pontificibus *Romanis* miſſas ad Imperatores *Anaſtaſius* paſſim tradat, & ab Imperatore *Conſtantinopolitano Michaële* miſſum ad *Beatum Petrum* inter alios dona velum de ſtauraci unum cum Cruce de Chryſoclavo jam è Cardinali *Baronio* adnotaverim.

Diatrib. de. veſt. litterat.

131

CAP. V.

De Reliquiis Sancti Agapiti, *& aliorum Sanctorum* Præneſtæ.

Sacris oſſibus Sancti *Agapiti* delatum honorem in ipſis Eccleſiæ incunabulis neminem latere poteſt, illius etenim caput *Præneſte* aſportatum fuit, miſſumque *Theodoſio* Imperatori *Biſuntium*, ſeu *Veſontionem* (ea in *Gallia* Metropolis eſt *Sequanorum*, quos *Burgundos* nunc vocant) agente *Galla Placidia Valentiniani* Auguſti Tertii matre, Sanctuſque *Celidonius* Archiepiſcopus *Biſuntinus* XV. in medio choro ſuperioris Eccleſiæ Sancti *Stephani* (Cœmeterium Archiepiſcoporum dicitur) erecto ibi altari, & grandibus advolutis ſaxis Lipſana, ſeu pignora veneranda recondidit, diù poſt inventum caput Sancti *Agapiti* ab *Hugone* Primo Archiepiſcopo die XX. Aprilis, qua & colitur ibidem, atque à Sancto *Leone* Papa intra majus Altare Sancti *Agapiti* nomine inſigne fuit repoſitum. *Waltherus* profecto ſeu *Galtherus* XLVII. Archiepiſcopus ope Sancti *Agapiti* mirabiliter curatus legitur. In *Lætienſi* Cœnobio ad *Helpiam* fluvium non procul ab *Avenna* oppido *Hannoniæ*, veneratio Reliquiarum Sancti *Agapiti* Martyris anno ætatis XV. *Præneſtæ* pro fidei conſtantia juſſu *Aureliani* Imperatoris diris cruciatibus necati die XVIII. Auguſti celebratur. in ſacrario *Agrippinenſis* Eccleſiæ, ſeu in Cemeliarchio Summi Templi Coloniæ colitur brachium Sancti *Agapiti* Martyris *Præneſtini*. eadem die ut R. P. *Odo* la *Mothe Benedictini* Ordinis lumen, virque multiplicis eruditionis, quem acerba mors rapiens præclaros conatus interrupit, per literas mihi affirmavit. *Joannem* tamen de *Vitellenſibus Cornetanum* Patriarcham *Alexandrinum* everſa *Præneſte* caput Sancti *Agapiti* tranſtuliſſe in patriam, donaſſeque ibi ſodalitio, ſeu Conventui Patrum *Franciſcanorum*, aſſeritur in Eipgraphe ſigni argentei, ſeu thecæ. An. MCDXXXV. *ipſe Julius Secundus Pont. Max. caput illud excuſo ad vivam effigiem argento recluſit, & veniam largitus eſt anno* MDIII. extant apud eoſdem *Franciſcanos* in arcula argentata Sancti *Agapiti* varia oſſa. in Eccleſia *Corneti* Cathedrale Sanctæ *Magaritæ* dicata theſaurus eſt opulentiſſimus Reliquiarum, quas veluti fercula Triumphi ſui una cum tintinnabulis majoribus, ſive Campanis è devicta *Præneſte* devexerat *Joannes* ille *Vitellenſis*. Theſauri hujus indicem exſcriptum è *Cornetana Magarita*

Chifflet. Veſontion. ſacr. par. 2. nu. 15. die 18. Aug.

e lib. lect. ecc. s. Joann. & s. Steph. Chifflet. in Valthero. nu. 47. plurib.

132

And. de Sauſſay. in Mart. Gall. edit. Pariſ. 1637. á Rob. Steph.

A (ita vocatur Codex perantiquus, in quo chartæ omnes ad *Corneti* publicam rem ſpectantes relatæ calamo exaratæ ſunt) quamquam ille index mixobarbaro ſtylo concinnatus ſit, ſubjicere viſum eſt.

In nomine Domini amen. Anno à Nativitate ejuſdem MCCCCXLVI. *Indictione* IX. *tempore Sanctiſſimi in Chriſto patris, & Domini Eugenii divina providentia Papæ Quarti, die vero* XXII. *Auguſti. hoc eſt Inventarium omnium, & ſingularum Reliquiarum exiſtentium in Eccleſia Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Margaretæ.*

B *In primis in quadam caſſetta, ſeu capſella, ſive arcula cum duabus clavibus, quæ venerunt ex Civitate Peleſtrina tempore Domini Joannis de Vitellenſibus de Corneto Cardinalis Florentini, & tunc temporis Apoſtolicæ Sedis Legati. Unum pedeſtallum argenteum cum gangia* (*id eſt*) *maxilla Sancti Apoſtoli Philippi ſupra deauratum. Item unum pedeſtallum argenteum ſuper deauratum cum digito Beati Stephani Protomartyris*, (ſed error hic irrepſit nam in titulo legitur.) λειψανοτ μεγαλομαρτ. γεωργὶȣ, *ſeu Reliquia Sancti Georgii Martyris. Item unum pedeſtallum argenteum ſupra deauratum cum duobus dentibus Beati Pauli Apoſtoli, item quoddam cryſtallum, ſeu vaſculum è cryſtallo cum* C *pulvere corporis Beati Joannis Baptiſtæ. Item quædam Crux, in qua eſt de ligno veræ Crucis; Item quoddam vas porfideum, ſeu è marmore porphyretico, argento exornatum, ſupra deauratum, in quo ſunt de Reliquiis Beati Bartholomæi Apoſtoli, item quædam tabulata poſita in quadam vexina, ſeu vettina*, quaſi vegetina, *imperat argenti ſubito vegetem fabricari*, canit ille, ſeu urceolo, quem βυτίνην vocabant olim *Tarentini*, ut obſervat ex Heſychio Salmaſius, *in quo ſunt de Reliquiis, ſcilicet de oſſibus Sanctæ Magaritæ Virginis, Sanctæ Luciæ Virginis, Sanctæ Barbaræ Virginis, & Sancti Martini Epiſcopi, & Confeſſoris, & de* D *Lacte Sanctiſſimæ Virg. Mariæ, & de oſſibus Sancti Laurentii, Sancti Petri Apoſtoli, lac autem Beatiſſimæ Deiparæ cryſtallino guttulo incluſum eſt, de Reliquiis etiam S. Andreæ Apoſtoli, & S. Thomæ Apoſtoli, de oleo S. Nicolai Epiſcopi, & S. Georgii Mart. & S. Blaſii Martyris. Item quoddam Cryſtallum cum ligno Crucis, item aliud, in quo eſt de Velo Beatiſſ. Dei Genitricis Virg. Item in quodam vaſe vitreo, ſive Cryſtallino eſt de brachio S. Andreæ Apoſtoli. Item quædam B. Pauli Apoſtoli Crux, quam portavit prædicando Fidem Catholicam per univerſum orbem ex ære Litoneo, ſive orichalco fictitio*, ſed ſuppoſitam fuiſſe ſuſpicor 134
E veræ vice. *Item quoddam vas vitreum, in quo eſt de pera Jacob, de Sepulchro S. Marthæ, & de Reliquiis S. Joannis Chryſoſtomi. Item in quodam panno ſerico eſt de arſura B. Laurentii Martyr. Item in quodam boſulo avoley; ſive pyxide eburnea eſt de Lacte Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Item in quodam coſino è corio ſunt de Reliquiis B. Guarini Epiſcopi, & Confeſſoris, S. Stephani Papæ, & Mart. &* XL. *Martyrum, SS. Primi, & Feliciani, & Artemiæ Mart. Item quoddam vas vitreum, in quo ſunt quædam velamenta SS. & oſſibus SS. quorum nomina non reperiuntur.*

F Hactenus Index ille, ne vero quis protervior forſitan exquirat; qui fieri poſſit, ut Sancti *Agapiti* Caput & *Biſuntii* apud *Sequanos*, & *Corneti* apud *Ethruſcos* exſtet, atque colatur, nec enim biceps erat; præterea Corpus Sancti *Agapiti Romæ* in præcipuo Sanctæ *Mariæ* de Conſolatione altari quieſcere affirmat *Regius*. quod hæreticis obgannientibus reſpondit eruditiſſimus, & Religioſiſſimus Cardinalis *Bellarminus*, & ejuſdem Societatis, multiplicisque doctrinæ *Ferrandus* apponam; ſynonymia multos fuiſſe deceptos, ad hæc variis in locis non integra Corpora, ſeu

133

Domnizo ſcilicet. de vita Mathild. li. 1. inde doga veget. Barthol. Cujac. Salmaſ. & Turn. in not. ad hiſt. Aug.

pempt. ad Tiburt. l. 2. de Imag. & Reliq. c. 4. & 5. Baſil. in orat. ad 40. mart. Theod. l. 8. de mart.

seu Capita Sanctorum inveniri, sed partes eorumdem Corporum, atque Capitum divisas, atque distributas, & à parte totum denominari. sic ossa Sancti *Marci* Evangelistæ in Augia majore, seu divite (Monasterium est Benedictinorum celebre, ac opulentum *Richenaw* vulgo dictum in insula lacus *Veneti*, seu *Constantiensis* in *Suevia Germaniæ* Provincia, cujus Abbas fuit *Hatto Basileensis* Episcopus, qui auctor Operum, quæ in Vaticano Codice 1145. continentur, certe *Basileensi* Episcopatui adhuc annexum est, in eoque sepultus jacet *Henricus Forojuliensium* Dux, qui opes ingentes attribuit) ubi legitur Sequentia Sancti Evangelii secundum illum, intento ad Sancti Marci loculum digito, exstare dicuntur, cum tamen *Venetiis*, ubi fuerunt *Alexandrina* ex Urbe primaria *Ægypti* translata, in Ecclesia Cathedrale colantur. Sic Sancti *Dionysii Areopagitæ* Lipsana Cœnobitæ cognomines haud procul *Lutetia Parisiorum* penes se asservari gloriantur, *Ratisponenses* nihilominus in *Bavaria* Corpus Sancti *Dionysii* ab Imperatore *Arnulpho* eo translatum anno 896. venerantur, & diploma proferunt *Leonis* Noni Pontificis Max. anno 1052. datum, seu *Stephani* Decimi anno 1053. (quod commentitium esse *Rigordus* docet) quo in templo Sancti *Haimerani*, seu *Emerani Reginoburgi* in *Bavaria* suprascripti *Dionysii* corpus requiescere testatur; Caput certe Sancti *Dionysii Areopagitæ* in Cœnobio prope *Lutetiam*, Caput Sancti *Dionysii Corinthii* in Ecclesia *Parisiensi* sancitum est existere. Neve referam controversias *Viennensium* cum *Arelatensibus* de Lipsanis Sancti *Antonii* Abbatis *Ægyptii*; *Casinensium* cum *Floriacensibus* de Corpore Sancti *Benedicti* Monachorum *Hesperiorum* Patriarchæ, *Vizeliacensium* cum San. *Maximianis* de Sanctæ *Mariæ Magdalenæ* Reliquiis, quas sunt qui vindicent injustissime primum *Ephesiis*, tum *Constantinopolitanis*, ut in Dissertatione probavi, *Beneventanorum* cum *Romanis* de Sancti *Bartholomæi* Apostoli ossibus. Nonne Caput Sancti *Joannis Baptistæ Romæ* in Sancti *Silvestri* Monasterio delatum è *Constantinopoli*; *Angeliaci* in *Galliis Alexandria* translatum, *Augustæ Prætoriæ* in finibus *Subalpinorum*, *Lugduni*, *Ambiani*que anno 1206. à *Walone* depositum esse dicitur, cum pars Cranii missa ab Imperatore *Copronymo* ad *Pipinum* Regem *Francorum Angeliaci*, *Romæ* in Sancti *Silvestri* pars altera Cranii, *Augustæ Prætoriæ* mentum, seu maxilla, ejus pars *Lugduni*, alia itidem *Sesti* in *Calabria*, facies verò excepto mento superiori usque ad partem frontis *Ambiani* asserventur. Eodemque modò Sancti *Agapiti* Capitis, seu Reliquiarum pars *Corneti*, pars alia Capitis *Bisuntii*, altera Reliquiarum in *Lætiensi* Cœnobio, altera *Romæ* in Sanctæ *Mariæ* Consolatricis exstare jure definietur. *Joannes* de *Vitellensibus Cornetum* invexerat (diruta *Præneste*) pretiosa ista Cimelia, sed instaurata *Præneste* Præstantissimus Heros, & Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, & Episcopus *Prænestinus Marcus Antonius Columna* Cranii partem revexit, at Eminentissimus pietatis, & doctrinæ vindex *Franciscus* S. R. E. Cardinalis *Barberinus* Vicecancellarius (cum *Prænestinus* Principatus in Excellentissimi Principis *Thaddæi* fratris sui ditionem transiisset anno MDCXXXIII.) λείψανον μεγαλομάρτυρος Γεωργίου, Reliquiam magni Martyris *Georgii*, fragmenta duo maxillæ Sancti *Philippi* Apostoli, dentem Sancti *Pauli* Apostoli cum ferculis argenteis deauratis, & insculptis insignibus *Columnensium* Principum, præterea fragmenta sex Reliquiarum Sancti *Uberti* Confessoris, Sanctæ *Barbaræ* Virginis, & Martyris, Sancti *Martini* Episcopi, Sanctæ *Agathæ* Virginis, & Martyris, atque Sanctorum *Cosmæ*, & *Damiani*, tibiam Sancti *Agapiti* cum duobus fragmentis, quatuor fragmenta Sancti *Gordiani* Martyris, tibiam Sancti *Abundii* cum duobus fragmentis, quà ex Ecclesia Cathedrale, quà è Cœnobio Sancti *Francisci* recepta ex consensu Illustrissimi Domini *Cecchinelli* Episcopi, & Capitanei, atque Consulis, & Populi *Cornetani*, me sedulam etiam navante operam, jussit *Prænesten* reportari, quibus vicissim sacras alias Reliquias cum pegmatis, & ferculis argenteis arte summa elaboratis, & pretiosioribus dono dedit. in Sanctæ Crucis in *Hierusalem Romæ* in concha lapidea ex Indice refert *Severanus* servari corpus Sancti *Cæsarii*, item Sancti *Anastasii* Martyris, quod creditur illius, qui Martyrio Sancti *Agapiti Prænestini* interfuit, & Cornicularius dicitur, unde consequitur eum ob Christi fidem Martyrio affectum, quod haud dubiè in Actis Sancti *Agapiti* exstabat, & nunc desideratur.

Joan. Chrys. in l. quod Christus sit Deus. in disquis. Reliq. Ferrar. in Topogr. ss. in Augia, & Constantia. 135 Fauchet. in Carolo M. B. Rhenan. lib. 3. rer. Germ. Seb. Munster. in Cosmogr. Mart. Rom. 31. Janu. ubi Card. Baron. De gest. Philip. Aug. an. S. Hier. Ziegl. c. 24. Illustr. vir. Germ. Mar. Hi. sp. to. 2. et. 9. c. 85. & 93. Henric. Pant. in Prosopog. Card. Baron. Annal. eccl. an. 1052. Aventin. in Annal. Bojorum l. 4. Raphael. Cultos. Antver. 136 in effigie. SS. Lucius plac. cur. l. 1. tit. 2. Crattius l. 4. c. 35. Metr. Ciac. vit. Pont. vet. edit. Chron. Cassinen. l. 2. c. 24. Bibl. Floriac. Cæs. nostrad. p. 2. hist. Pro. f. 109. Card. Baron. die 29 Aug. in Martyrol. Walsingham in Hypodig. Neustr. Barrius in Calabr. 137 De 7. Eccl.

CAP. VI.

De Nomine, ac laudibus Sancti Agapiti.

Agapiti nomen *Græcis* idem quod Latinis dilectus significat; *Agapetum* enuntiandum plerique censent, sicut & paracletum, sed non est novum, & inusitatum, ut η Græcum per i Latinum reddatur ob soni similitudinem, uti videre est in vocibus hujuscemodi Θεοδώρητος, παράκλητος, & stilus, ἀπὸ τῆς στήλης deducitur, imo, & Heraclitus, qui Græcis Ἡράκλειτος, & Iconomus, qui οἰκόνομος, & Heptaticus, qui ἑπτάτευχος, sic ει, οι, & ευ dihpthongi Græcæ resolvuntur in i Latinum, paraclitus quidem, & *Agapitus* secundum accentum Græcum, non autem secundum quantitatem à Latinis pronuntiantur. Eo nomine complures insigniti sunt. Elucet post *Prænestinum* Sanctus *Agapitus* S. R. E. Diaconus, & socius Sancti *Sixti* Papæ Secundi in Martyrio sub *Valeriano* Augusto, cujus in honorem *Felix* Tertius Papa Deo Basilicam extra muros Urbis via Tiburtina juxta Sancti *Laurentii* ædificavit, quam *Hadrianus Primus*, dein *Leo* tertius instaurarunt, quique sepultus in Cœmeterio Prætextati dicitur, hujus fuisse crediderim ossa, quæ anno 1491., dum renovaretur Ecclesia Sanctæ *Mariæ* in Via Lata, reperta sunt in concha porphyretica, in qua recondita fuerant à *Leone* Nono Papa anno 1049. erantque involuta panno, & laminæ plumbeæ illis impositæ inscriptum legebatur: *Istud est corpus Sancti Agabiti*, (sic *Agapitum* efferebat sequior ætas) repositæ verò fuerunt in eadem concha; hujus quoque Reliquiæ in *Anianensi* Monasterio coluntur, ut R. P. *Odo* la *Mothe* jam laudatus mihi per litteras significavit. Tabulæ quoque Ecclesiasticæ meminerunt Sancti *Agapiti Ravennatis* Episcopi, & Confessoris, qui adfuit *Romano* Concilio, quod Sanctus *Julius* Papa Primus habuit anno CCCXXXVII. à Christo Nato; meminerunt & *Agapiti* Synadæ in *Phrygia* Episcopi, qui sub *Maximino* Augusto montes transtulit, mortuos ad vitam revocavit, & alia mirabilia facinora patravit: Sanctus *Agapitus* Papa *Romanus* in has quoque relatus est, qui *Vas Catholicum*, *Evangelii tuba*, *præco justitiæ sacra altaris*, *sedisque velamina*, (Melania junior mundo renuntians πάντα αὐτῆς τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο, omnia sua serica superhumeralia tegumenta, seu amicula donavit altaribus, fecit & hoc Olympias, &

Philelf. l. 13. ep. f. 168. Paschal. l. 5. Disqu. Gall. c. 19. Pontac. in Chron. Eus. Alciat. l. 9. c. 3. parerg. jur. 138 Polyd. Verg. de inven. rer. Sidon. in Anthem. paneg. ubi Savaro. Ivo Carnot. ep. 83. ubi Juret. Novell. Justinian. interpret. Laur. Valla in c. 14. Joan. Guilliaud. Bello. joc. in ep. s. Joan. Aubert. in institut. linguæ Græcæ. Anast. Bibl. in Felice 3. Hadr. 1. Leone 3. Sever. de 7. Eccl. Romæ Subterr. & l. 3. c. 17. Martyrol. Rom. 6. Aug. ubi Car. Bar. Diar. m. 24. Martii e Suida.

f. Infessuræ. Mart. Rom. 16. Martii, ubi Card. Baron. &

& Fl. Valila *ad ornatum Ecclesiæ, & celebritatem mysterii sacrosancti impendit in palliis, & pro aræ ora vela*, quæ relata sunt in charta Donationis anno à Christo Nato 471. subscriptæ, & à me prolatæ, sed & *Bulengerus* de linteaminibus Ecclesiarum plurima congerit, cathedræ verò velatæ adhibebantur Episcopis, eratque sedile fortuito linteo contectum, ut & sub ictu passionis Sanctus *Cyprianus* Episcopatus honore frueretur) *velamina inquam sacrilegis Anthemii fabulis infecta*, immo Anthimi, *delevisse* dicitur, in Regesto Sancti *Gregorii* M. *suis Catholicis precibus suprascriptus Agapitus*, id est expurgasse. *Anthimus* autem è *Trapezuntis* Episcopatu translatus ad *Constantinopolitanum* Patriarchatum, quia Monophysitarum hæresim sectabatur, ab eodem *Agapito Constantinopolim* profecto, ex illo Patriarchico solio dejectus fuit, atque depositus anno 536. quam depositionem sanxit *Justinianus* Augustus edita postea Constitutione, quam ex *Isidori* libris recognitam *Contius* latine publicavit, at *Haloander* Græce, ubi Ἀνθέμιος, & Ἄνθιμος nominatur. Hunc *Agapetum* esse Diaconum sanctissimæ Ecclesiæ Matris Dei, cujus ad Imperatorem *Justinianum* exstat ἔκθησις, quique postea evectus fuerit ad Pontificatum *Romanam*, sensit *Alciatus*, sed addubitat, & judicandum relinquit Card. *Baronius*, ubi fuse res ab eo pie, sancteque gestas prosequitur. illius etiam meminere *Joannes Moschus*, *Cassiodorus*, & *Procopius* diffusissime. Fuit & alter hujus nominis Papa *Romanus*, qui junior, sive Secundus *Agapitus* vocitatus anno 946. sedere cœpit, & Ecclesiam providentissime administravit. Nullum finem facerem si *Agapitos* omnes enumerare vellem. *Agapetæ* occurrerent virgines, & sorores adoptivæ, quando undique pulsæ sunt, & a Clericorum consortio, quos decolorabant avul-
140 sæ, atque à S. *Joanne Chrysost.* sublatæ *Constantinopoli* anno à C. N. 398. *Agapæ* nos invitarent, sed peculiarem de his conscripsi Dissertationem. Redeundum ad *Agapitum Prænestinum*, quia de dilecto nunquam satis, de illo præsertim, qui dilectus Deo, & hominibus, cujus nomen non solum in prænomen adscivere sibi *Columnenses* Proceres, & hos inter celeberrimus S. R. E. Cardinalis, & Eminentiss. *Agapitus*, qui dum nefando schismate laceraretur Ecclesia, *Urbanum Sextum Romanum* Pontificem sequutus summa fide, atque pietate præfulsit; verùm & passim *Prænestini* cives, qui patronum ipsum adoptaverunt, & per felicem experientiam agnoscunt; apud quos Orationes binæ in laudem Sancti *Agapiti* à *Pomponio Brunello* dictæ fuerunt *Romæ*, quæ typis excusæ circumferuntur. Sed & *Novarienses* in *Insubribus* portam Urbis suæ nomine Sancti *Agapiti* munierunt. Quam verò R. P. *Marinarius* Carmelita mihi peramicus perscripsit, Oratiunculam hic lubentissimè subderem, nisi sperarem me ab eloquentissimo, atque modestissimo Theologo tandem impetraturum, quod jamdudum efflagito, nimirum ut eam cum permultis aliis ipse publico bono in lucem emittat, illi verò titulus est præfixus. *Agapitus Prænestinus David Palæstinus.*

Pallad. l. 8. de vit. patr. c. 19. — 139 — Card. Baron. in Ann. eccl. an. 408 — l. 1. de vestib. pont. c. 55. — S. August. not. ad c. 49. l. 7. — Niceph. Callist. hist. — Pontius. Diac. in vit. S. Cypriani. — c. Agap. dist. 1. de consecr. — Niceph. l. 17. hist. eccl. c. 7. 8. 9. ubi male Agathon pro Vigilio. — Ciacon. — Novell. 42. — Orat. ad Francisc. I. Regem Franc. — 10. 2. oper. in calce ad an. 527. in Annal. ec & ex his Spondan. in Epitome. — Vit. patr. l. 10 c. 149. prat. Florit. — Card. Baron. — Ciac. — Card. Baron. eo an. n. 19. Roma Subt. c. 5. — Hieron lib. 4 c. 34. in 4. an. Christi 1594.

141

CAP. VII.

De Prænestinis *Episcopis*.

Narrat Optatus Milevitanus, *Constantino Tertium, & Licinio Tertium Coss. Nonarum Octobrium die feria sexta convenisse tres Gallos Episcopos, & Italos* XVI. *ad Urbem Romam in domum Faustæ in Laterano ut dijudicarent caussam Cæciliani*, quem, aliosque ejus collegas, & ordinatores non confessos, imo absentes, & incognita caussa

A Episcopi ferme LXX. (nam libra testium exigitur in Episcopi condemnatione, seu LXX. vel LXXII. testes requiruntur (quot aureos nempe pendet auri libra in Occidente, unde librale Judicium dicitur) Judiciumque *Marcellini* Papæ LXXII. comparentibus testibus ab ipsomet *Marcellino* peractum fuisse legitur totidem Judices, vel Episcopi desiderabantur in exauguratione, nam *Chronopius* ex Antistite fuit damnatus in Judicio LXX. Episcoporum) temere damnarant Secundo *Tigisitano*, qui tunc *agebat* in *Numidia* primatum, tenente principatum, quasi traditores, per sententias eorum, quibus præsentibus, & confessis ignoverat in anteriori Concilio; Rogarant quippe *Donati* asseclæ *Constantinum* Augustum ut de *Gallia* Judices ipsis dari pietas ejus præciperet, quia potissimum ab hoc facinore, scilicet à traditione sacrorum librorum in persequutione, cujus facinoris abs ipsis insimulabatur *Cæcilianus*, sive à schismate, quod *Donatus* inchoarat, Majorino contra *Cæcilianum* ordinato, immunis erat 142 *Gallia*, unde corruit penitus Rev. P. *Morini* alioquin doctissimi conjectura circa Baptismum Constantini I. *Cumque consedissent anno à Christi Natali* CCCXIII. *Miltiades, seu Melchiades Episcopus Urbis Romæ, & Rheticus Eduensis, seu Augustodunensis, & Maternus Agrippinensis, sive Coloniensis, & Marinus Arelatensis Episcopi Gallicani, assederunt & alii Antistites Florianus à Cæsena, Felix à Florentia Thuscorum, sive Tuscorum, Secundus à Præneste, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Urbino, &c.* absolutum, & in Episcopatu confirmatum *Cæcilianum*, *Donatum* autem damnatum, improbatumque in eo *Romano* Concilio constat, quamvis appellarint Donatistæ *Constantinum*, qui ob appellationem indignatus est, rem tamen omnem permisit Concilio, quod *Arelatæ* Præsidentibus Legatis *Silvestri Romani* Pontificis anno à Virginis partu CCCXIV. coactum sententiam *Romani* Concilii collaudavit, & in quo non *Siculi* dumtaxat, & *Galli*, verum etiam *Itali*, *Hispani*, & *Africani* aderant Episcopi. Itaque plenarium illud Concilium jure â Sancto *Augustino* nuncupatum fuit. Hos autem inter tacitus haud prætermittam *Damasum*, seu *Dammam*, sive *Dafnum* Episcopum, & *Victorem* Exorcistam de Civitate *Vasionis*, seu *Vasionense* Provinciæ *Viennensis*, à quo seriem antecessorum meorum (*Damaso* nimirum) ad me usque adhuc omnium peripsema concinnatam proferre in lucem gestiebam. sed commodum Rev. P. *Columbi* Societatis Jesu hanc mihi palmam præripuit, & eorum Nomenclatorem agere non est dedignatus; lubenter igitur illi lampada tradidi, nam ut acri pollet judicio, & eloquentia præstat, Spartam illam haud dubie ornabit. Caussati autem 143 fuerant Donatistæ se à *Romano* Præsule suspecto, neque cum eo Episcoporum numero, quem præscripserat *Constantinus*, rejectos, ut ex epistolis *Constantini* apud *Nicephorum* etiam *Xanthopulum* liquet, è quibus etiam *Calvini* sacrilegi hæresiarchæ, & versatilis *Balduini* fraus arguitur, qui *Arelatensem*, & *Syracusium* Episcopos *Romano* prælatos à *Constantino* ineptissime contendunt in isto judicio; caussa etenim retractata quidem in *Arelatensi* Concilio fuit, sed præsidentibus Legatis Pontificis Ecclesiæ *Romanæ*, *in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*; & tantum assistentibus Episcopis *Arelatense*, ac *Syracusio* ad promulgandam potius, quam approbandam *Romani* Pontificis sententiam; nec enim sententia *Romani* Pontificis approbatione illorum egebat, imo Patres Concilii *Arelatensis* per epistolam à *Silvestro* Papa ratum Concilium ipsum *Arelatense* haberi supplices postulant, & id patet ex Epistolis Sancti *Augustini*. Post centum dein, &

l. quotieicumque C. de suscept. & arcar. l. 19 C. Theodos. quor. appell. non recip. Cujac. c. 9. 17 observat. jur. Capitul. Caroli M. — l. 11. des Grandeurs de l'Eglise. — Albaspin. in observ. ad optat. Rosweyd. 4. de fid. hæret. serv. Sirmond. to. 1. Conc. Gall. — ep. 162. & 166.

Codex Rom. Eccl. Concil. Bin. & quatuor annos supra quinquaginta plus minus, *Januarius Prænestinus* Episcopus in Concilio quoque *Romano* sub *Hilaro* Papa sedit, ejusque Decretis subscripsit. *Basilisco*, & *Herminerico* Coss. vv. cc. sive anno Θεογονίας cccclxv. seu cccclxvi. Anno certe cccc. lxxxvii. Synodo *Romanæ* sub *Felice* Papa Tertio, cum *Fl. Boetius* Consul esset, interfuit *Romulus Prænestinus* Episcopus, qui Synodo insuper *Romanæ* sub *Symmacho* Papa Primo coactæ, *Avieno* Juniore Consule, sive anno Salutis dii. quæ Palmaris dicta fuit, subscripsit, & alteri Synodo *Romanæ* sub eodem Papa collectæ anno subsequenti diii. At anno dlvi. *Maurum* Episcopum *Prænestinum* fuisse didici è *Pelagii* Papæ diplomate, quod eruditione illustrissimus omnigena *Lucas Holstenius* Bibliothecæ Vaticanæ Custos mihi exhibuit è Collectione Canonum *Deusdedit* S.R.E. Cardinalis depromtum, en illud. (Codex Rom. Eccl.; 144; lib. 3. c. 103)

Pelagius Mauro Episcopo Prænestino. Inter cætera. Didicimus de patrimonio Hildivade ante quidem de prima, & secunda, & tertia Indictionibus Ampliato quondam Presbytero, & Stephano Diacono vices Pontificis in Urbe Roma agentibus quod exegisti, fide media persolvisse; de quarta verò Indictione secundum ordinationem filii nostri viri Religiosi Narsæ S. Palatii (Patritio Anugnostico, ut ex aliis litteris Pelagii constat) *filiis nostris Dulcitio, Felici, & Joanni Presbyteris, quod exactum fuerat, intulisse. Supervenientibus verò nobis, & per Dei gratiam ordinatis intulisti de eadem quarta Indictione*, & infra, *ideoque supplicante dilectione Tua. ex omnibus suprascriptis* iv. *Indictionibus fraternitatem Tuam hac securitate credidimus muniendam, ut nulla caritati Tuæ imposterum à quolibet calumnia moveatur.* (lib. 2. Regest. indict. 10. ep. 38.) Postea comperio apud Sanctum *Gregorium* Magnum Papam anno dxciii. Privilegio, quod ab eo indultum fuit Monasterio Sancti *Medardi* in *Gallia*, subscripsisse *Sergium* Episcopum Ecclesiæ *Prænestinæ*. carpit quidem *Blondellus* in suo Pseudo-Isidoro subscriptiones hujus privilegii, sed inepte, dum Civitatis vel similem vocem deesse *Prænestinæ* Ecclesiæ monet, appingens *Prænesten* Urbem esse *Latii* Suburbicariam, Albæque Coloniam, *Proculum Prænestinæ* Ecclesiæ habenas moderatum anno dxcv. docens è Concilii *Romani* subscriptione, & an iste *Proculus Sergio* successerit, judicandum peritis relinquens. Successit enim & subscripsit *Proculus* Episcopus Civitatis *Prænestinæ* Decretis *Romanæ* Synodi, quæ à *Gregorio* Magno coram Sanctissimo *Petri* Corpore *Romæ* habita anno xiii. Imperii *Mauritii* Augusti, quem putat à Christo nato dxcvi. *Onuphrius Panvinus*, at *Coriolanus* dxcv. die v. Julii Indictione xiii. quæque inserta, & repetita est in Epistolis ipsius Sancti *Gregorii*, qui de istius *Proculi* fortassis absentia, seu negligentia, deque *Emolitana* Ecclesia ejus in territorio vendicata conqueritur in epistolis ad *Savinum* Subdiaconum Regionarium. (145; ep. 88. l. 4. & in ep. calce.; ep. 29. & 30. lib. 11. Reg. indict. 6.)

CAP. VIII.

De Sancta Herundine, *deque miraculis in Monasterio Sancti* Petri Prænestæ *patratis.*

Tribus illis Sæculis iv. v. & vi. quam uberes fructus protulerit Christiana Religio *Prænestæ*, vel hinc arguitur, quod in ejus territorio fundi, possessionesque variæ à *Constantino* Augusto, tum à *Sixto Tertio* Pontifice Maximo, quà titulo Sancti *Silvestri*, quà Basilicæ Liberianæ fuerint adsignatæ, ut superius memoravi. *Constantinus* præterea inter alia obtulit Sancto Fonti in Lateranensi Basilica donum *Massæ Festi* Præpositi Sacri Cubiculi in territorio *Prænestino* præstantis solidos trecentos anno Christi ortus cccxxiv. ut ex *Anastasio* tradit Cardinalis *Baronius*. (in Annal. eccles.) Erat & patrimonium S.R.E. uti liquet ex Epistola *Pelagii*: sed & Christianæ Fidei progressus colligitur, quod *Herundo* magnis virtutibus pollens supra *Prænestinos* montes Eremiticam vitam duxisse fertur, (146) cujus discipula *Redemta* in sanctimoniali habitu constituta annus juxta Beatæ *Mariæ* semper Virginis Ecclesiam in Urbe manebat, anno scilicet reparatæ Salutis dlxx. magistraque fuit *Romulæ*, quam mirabili luce cœlitus illustratam è vita discessisse Sanctus *Gregorius* Magnus enarrat. (Dialog. l. 4. c. 15. & Homil. 40. in Evangel.) Harum Trium Virginum ossa in Sancti *Laurentii Tiburi* recondita olim tribus in altaribus, nunc tribus in arculis coluntur, ut coram vidi, & hæc Inscriptio docet, quam suis cum nævis, & cum squama sæculi Latinam linguam corumpentis intexo exscriptam *Tiburi*, ubi legitur.

✠ *Attendite lumen cuncti, qui cernitis hanc Fulbi domum, quam sarcire curavit Egreg. P. Magister militum, cultor Ecclesiarum, & largitor pauperum eo magis sævum tempus transierat, quod hujus vetusta fabrica casu ruitura multis esse videbatur; nunc ea facit Vigil P. cum hac natos suos* (agnato.) *pro redimendis facinoribus suis, seu & pro anima* (suo.) *conjugis suæ Agathæ sacaciter* (sagaciter.) *ampliavit à solo usque ad summum, & picturis bariis* (variis) *decoravit. Itaque obnixe quæso. O Christe, & Genitrix Virgo, simulque Beate Paule vas electionis, sociique Tui Romula, Redemta, Erundoque quarum Corpora recondere in tribus sacris altaribus studuit, ut suscipere dignemini hoc exiguum munus, quod ad utilitatem Templi exhibuit, id est Patenam, Calicem, Cortinas, Candelabra, Thuribulum, Canthara ex argento, Canistrum ex ære, Vestes, Certinas,* (forte coronas.) *Codices, Imagines, tribus cum Signaculis ad resonandum laudem Dei, quæ super camera istius templi statuere feci. Casas vero fundum Valvianum, simulque Vineam in Laureto, & Silva, & in Barvatiana Petia de terra, & Clausuram, Pergulasque unam, & in prata pratum. Si quis de his donis,* (147) *quæ ego offerre curavi, aliquid subtrahere præsumpserit, sive Episcopus, sive magna, parvaque persona heredes meos in sua teneat potestate. nunc autem qui aliquod temerari eorum præstiterit, sit illi alienum Regnum Dei, & à trecentorum decem* viii. *Patrum*, sententia seu Decreto, *anathematis vinculo subjaceat, & cum Juda traditore Domini partem omnem habeat. Felices, qui hic ingressuri estis, pro me (quæso) orate, & gaudere temporibus multis donet Dominus ut hic celere mente deprecari eum valeatis. M . . . Amen Factum temporibus Domini Gregorii Quarti Papæ Roma per Indictionem.* iii. sive, ut putavit *Marinus Farina* anno Christi dcccxxx. Certe nisi Christiani fuissent *Prænestini*, illorum in territorio constituti fundi, possessiones, & patrimonia, qui potuissent ab Imperatoribus, & Pontificibus utiliter adtribui Ecclesiis? Etenim si Coloni, utque tunc vocitabant, *Massarii*, & *Censiti*, Pagani sive Idololatræ exstitissent, nec ex fide rura excoluissent, neque pensiones vel census Clericis persolvissent, imo detrectassent illorum dominium. Lubet hic paulo nitidiora Sancti *Gregorii* Magni verba è Dialogis ejus appingere. *Prænestinæ Urbi mons præeminet, in quo Beati Petri Apostoli Monasterium situm est virorum Dei, quorum relatione adhuc in Monasterio positus* (inquit eximius Doctor) *audisse me contigit magnum hoc, quod narro miraculum, quod ejusdem Monasterii Monachi nosse se testabantur. In eo namque Monasterio fuit pater vitæ venerabilis, qui quondam Monachum nutriens usque ad reverendos provexit mores, eumque cum in timore Domini videret excrevisse in eodem sibi Monasterio tunc Presbyterum fecit ordinari, cui post ordinationem suam, quia*

148 *non longe abesset ejus exitus per revelationem indicatus est. A prædicto autem patre Monasterii petiit, quatenus ei concederet ut sibi sepulcrum pararet, cui ille respondit, ante Te quidem ego moriturus sum, sed tamen vade, & sicut vis prepara sepulcrum Tuum; recessit igitur, & præparavit, cum non post multos dies senex pater febre præventus ad extrema pervenit, atque assistenti Presbytero jussit dicens, in Tuo sepulcro pone me, cumque ille diceret. scis quia ego modo Te sequuturus sum, utrosque capere non potest. Abbas protinus respondit dicens. Ita fac, ut dixi, quia sepulcrum Tuum ambos nos capit. defunctus itaque est, atque in sepulcro eodem, quod sibi Presbyter paraverat, positus, mox quoque, & Presbyterum corporis languor sequutus est, quo languore crescente citius Presbyter vitam finivit, cumque ad sepulcrum, quod sibi ipsi paraverat, corpus illius fuisset à fratribus deportatum aperto eodem sepulcro viderunt omnes, qui aderant, locum non esse, ubi poni potuisset, quia corpus patris Monasterii, quod illic antea positum fuerat, omne illud sepulcrum tenebat, cumque fratres, qui Presbyteri corpus detulerant, factam sibi sepeliendi difficultatem viderent, unus eorum exclamavit dicens! O pater ubi est quod dixisti, quia sepulcrum istud ambos vos caperet, ad cujus vocem subitò cunctis videntibus Abbatis corpus, quod illic ante positum fuerat, & supinum jacebat, sese vertit in latus, & vacantem sepulcri locum ad sepeliendum Presbyteri corpus præbuit, & quia utrosque locus ille caperet, sicut vivus promiserat, mortuus implevit.* Hactenus Sanctus *Gregorius*, qui hoc apud *Prænestinam* Urbem in Beati *Petri* Monasterio gestum repetit, in eoque se diversatum initio narrationis satis innuit, unde patet illi Monasterio Abbatem præfuisse vitæ venerabilis, ac Monachos in eo habitasse,
149 è quibus ille, qui ad reverendos mores provectus fuerat, Presbyter ordinatus sit. Regulam sive institutum Sancti *Benedicti* professos eos crediderim, quando illud tunc præcipue vigebat in *Italia*, numerum Presbyterorum succrevisse, illisque præfectum Archipresbyterum docet Inscriptio ante decennium in Ecclesia ipsa Beati *Petri* reperta incisa lapidi, qui tumulis impositus, & obversus jacebat, illam, ut exscripsi, repræsento.

A K C P B R G G.
P B R R I C C A R D V S.
P B R B O N9 H O.
P B R A M D R I C9.
P B R N Y C O L A V S.
B E N. D I A C A L B T9. D.

Presbyteris additi sunt, & Diaconi: characteres videntur esse posterioris ævi, & ad nonum, seu decimum sæculum eos facile referrem.

150

C A P. I X.

De Prænestinis *Episcopis ab anno Christi DCXLII. usque ad* annum *M.*

In Synodo *Romana*, quæ habita est sub *Martino* Papa Primo adversus *Monothelitas* anno Imperii *Constantini* πωγωνάτȣ IX. Indictione VIII. die III. Non. Octobris, sive anno Publicæ Salutis DCXLII. resederunt *Majurinus* Episcopus *Prænestes*, qui & *Majorianus* dicitur, *Deodatus Spoleti*, *Deodatus Amerinus*, *Bonus Ficoclensis*, *Martinus Centumcellensis*, & alii, qui Græce nominantur in Vaticano Codice MDCLV. quem exscriptum Eminentissimi Cardinalis *Francisci Barberini* liberalitate, Latioque donatum cum *Martini* Papæ sanctitate celeberrimi vita evulgare fuit animus. Synodo quoque *Romanæ* sub *Agathone* Papa Primo ad explodendum penitus suprascriptorum hæreticorum errorem collectæ anno Christiano DCLXXX. subscripsit *Stephanus* ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας Πραινεστίνης (ut loquuntur Acta Oecumenici Concilii VI. *Constantinopoli* habiti) minimus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ *Prænestinæ*. Sic opposuit se murum pro domo Domini, & contra Monothelitas è *Præneste* alter hic emicuit pugil orthodoxæ veritatis assertor. *Leonis* Tertii Augusti anno VI. Christi DCCI. subscriptione sua Synodum *Romanam* sub *Gregorio* Secundo Papa celebratam adversus illicita conjugia confirmavit *Sergius Prænestinus* Episcopus. Paulo post *Venantius*, seu *Valentius* 151
Penetri, seu *Prænestæ*, seu *Penestræ*, & Sanctæ Ecclesiæ *Prænestinæ* Episcopus (uti variant Codices) Synodo *Romanæ* sub *Zacharia* Papa Primo interfuit, atque subscripsit anno à Christo Nato DCCXLIII., & Synodo præterea II. sub eodem Papa congregatæ anno DCCXLV. Diplomati verò, seu Epistolæ *Pauli* Papæ Primi datæ anno XVI. *Constantini Copronymi*, qui incidit in annum Christi DCCLVII. subscripsit *Gregorius* humilis Episcopus Ecclesiæ *Prænestinæ*, à quo (ut opinor) alius est *Georgius*, qui *Gregorius* fortasse trajectis literis per errorem, sive per ἀντιστοιχεῖον (*uti jus vis*, ῥῖνες nares, μορφή forma, *Crispus Priscus*) ab *Anastasio* Bibliothecario interdum appellatur, & à *Mariano Scoto* ad annum DCCLXVII. atque *Prænestinus* Episcopus; seu *Prænestæ* narratur metu compulsus post *Pauli* I. Papæ obitum *Constantinum* fratrem *Totonis* Ducis *Nepesinæ* Civitatis per vim intrusum in Apostolicam Sedem Clericum, Subdiaconum, atque Diaconum, & Pontificem denique consecrasse. Apponam verba S. Antonini, *Paulo Papa I. defuncto, Toto, seu Dodo quidam Dux Nepesinæ Civitatis, qui magnas divitias sibi conservaverat, & multos tam è nobilibus, quam è populo in Civitate Romana fautores habebat, congregata è Civitate Nepesina, tum ex aliis Civitatibus Thusciæ vicinis, militum, & peditum multitudine, in Urbem venit, ubi à populo, quibusdam sibi adhærentibus suggestione Diabolica Constantinum fratrem suum adhuc Laicum in Papam eligi curavit, quem cum armis, & tumultu in Ecclesiam Lateranensem milites introduxerunt, & accersito Gregorio, sive Georgio Prænestino Episcopo, illum compulerunt ut dictum Constantinum in Clericum tonsuraret, qui cum* 152
se ab illis arctari vidisset, se ad pedes nefandissimi illius Constantini prostravit, adjurans illum per omnia Divina Mysteria, ut à tam impia præsumptione cessaret, ne per eum tam inaudita temeritas in Ecclesia Dei inciperet pullulare, sed cum circumstantes armati illi nisi hoc faceret minarentur, facta oratione illum Clericum ordinavit, & sequenti die Diaconus ordinatus ab eodem postea Dominica sequente cum multitudine armatorum ad Ecclesiam Beati Petri properans ab eodem Gregorio, seu Georgio Prænestino Episcopo præsentibus Albanense, & Portuense Episcopis, Episcopus est ordinatus, atque consecratus, & per annum unum Apostolicam Sedem tenuit, Presbyteros VIII., *Diaconos* IV., *& Episcopos* VIII. *per diversa loca constituit.* Anastasii quoque verba subjiciam ad annum Christi DCCLXIIX. *Antedictus verò Georgius Episcopus Prænestinus, qui eum Diaconum, & Pontificem consecravit, non post multos dies valida, & pessima ægritudine præoccupatus immobilis factus est, & postmodum Missarum solemnia nequaquam celebravit, ejus enim dextra manus aruit, atque contracta est, quam etiam nec ad os suum afferre valuit, sicque tremens, & languens vitam finivit,* quæ refert Cardinalis *Baronius* in Annalibus Ecclesiasticis. *Stephanus* Episcopus *Prænestinus*, seu *Præ-*

To.2 Concil Binii.

Action. 4.

Binius, & Codex canonum. Binius to.3. Conc. e m. s. Casinen. Suid. Cujac. in obser. jur. l.3. chronic.

in Steph. III. seu IV. edit. Mogunt.

ad illos annos.

Prænestinæ Ecclesiæ anno Christi DCCLXXI. memoratur in monimentis exaratis calamo Cœnobii de *Aniana Magalonensis* Diœcesis, quæ mihi suspectissima sunt, ex quo illorum exemplum integrum vidi. Successit *Andreas* Episcopus *Prænestinus*, qui sub *Stephano* IV., seu V. vixit, & dein ab *Hadriano* Primo Papa missus fuit anno DCCLXXIII. una cum *Eustathio*, seu *Eustratio Albanense*, ac *Theodosio*, seu *Theoderico Tiburtino*
153 Episcopis Interamnam ad Regem *Longobardorum Desiderium*, ut ingressu *Romanæ* Regionis illi gravissimis pœnis propositis interdiceret. Episcopum *Prænesten* Codex Vaticanus MDCCLXII. m. s. scribit, filium *Spentonis* asserit *Zazzera* e *M. Curtii Carmelitani* libro de rebus *Interamnatium*, sed fides sit penes auctorem. Forte hæc *Iteramne* fluminea, seu *Interamne Palæstina*, seu *Plestina Picini*, seu *Picenensis*, aut *Teramne*, quin & *Interamnia Ptolemæo*, & *Interamnium*, vulgo *Teramo* in *Piceno* Suburbicario, cujus Episcopus subscripsit Concilio *Romano* Tertio, sub *Hilaro*, nunc in *Aprutio*; alia est *Interamna* in *Umbria*, cujus Episcopus *Felix* subscripsit Concilio *Romano* Tertio sub *Symmacho*, de hac *Plinius* agit, inter amnis *Naris* cornua sita in planitie vulgo *Terni*. alia *Interamna* ad Lirim. Neque in Provincialibus tantum Synodis operam strenuam Ecclesiæ Catholicæ navarunt Episcopi *Prænestini*, sed etiam in Oecumenico Concilio VII. anno Christi DCCLXXXVII. subscriptum comperio *Joannem* Episcopum πραινέτου, pro Πραινέστου, uti jam monui, quod *Nicææ* adversus Iconomachos convocatum, & habitum fuit, cuique præsederunt *Hadriani* Papæ Primi Legati, assederunt vero Episcopi CCCL. & interfuit ipse *Constantinus* Imperator cum *Irene* Augusta; imo videtur potius hic *Joannes* Urbis *Præneti* in *Bithynia* Episcopus, cujus meminit *Palladius*, in ea Thermæ celebres erant, de quibus auctor Epigrammatum canit; certe V. Synodo Oecumenicæ *Constantinopolitanæ* subscripsit *Sisinnius* misericordia Dei Sanctæ Ecclesiæ *Præneti* Civitatis Episcopus. vide *Nicolaum Studitam* apud P. Combefis. Sæculo nono ineunte, sive anno 804. Christi, *Stephanus* Episcopus Ecclesiæ *Prænestinæ* interfuisse consecrationi Sancti Salvatoris de *Aniana* in agro *Magalonensi* traditur suprascriptis in tabulis *Con-*
154 *stantinus* Episcopus *Prænestinus* interfuit Concilio *Romano* sub *Eugenio* Secundo anno 826. apud *Baronium* ex *Ughello*. Hic vero ingens hiatus, seu lacuna patens usque ad 963. annum sarciri a me nullo modo potuit penuria monumentorum, quæ Barbarie tunc has oras pervadente intercidisse opinor. Conqueritur anno 876. *Joannes* Papa *Octavus*, scribens ad *Carolum* Imperatorem illo ævo. *Sanctum Romanam Ecclesiam periclitari, & in novissimum deductam exitium videri, hinc inde non solum hanc Idumæorum, & Ismahelitum tabernaculis, & Agarenis quotidiano gladio, & captivitate in interitum impellentibus; verum etiam falsis filis Sarræ in prædam, & direptionem miserabiliter immittentibus, ita ut & illi sæpe ad muros Urbis quamvis clandestinis horis pervenerint, sed & Tyberinum fluvium, qui Albula dicebatur, juxta Sabinorum confinia pertransierint, & isti, qui vicini nobis sunt ex altera parte, ita sæviant, & debacchentur, ut non hominem, non agrum, non jumentum, non pecus, non quidquam ex his, quæ juris Sancti Petri existunt, dimittere patiantur; sed omnia, quæ oculo vident, manu diripiant.* Anno certe 846. sedente *Sergio* Secundo *Saraceni* prædæ libidine stimulati, classem instruxerunt, egressique *Africa* excurrerunt, & *Siciliam*, vicinasque insulas depopulati, adpulerunt ad littora *Romana*, & ad Urbem ipsam properantes Basilicas Sanctorum *Petri*, & *Pauli* diripuerunt, &

Torrig. in Crypt. Vatic.

Sigon. l. 3. de Regn. Ital.

Anast. in Steph. IV. & Hadriani I. p. I.

della Nobilta d'Italia in famigl. de Castell.

Jul. Front. de Colon. inter auctores fin. regund. ex lib. Baldi Provinc. Picini.

not. Rigaltii l. 3. c. 1 Geog. l. 8. c. 28.

Action. 7.

in vit. s. Joan. Chrysost.

Græc. Epigr. pag. 578. 223. 452. 467. & 588.

Collat. 8. num. 194.

to. 2. Ital. Sac.

forte imminentibus

A ablatis, asportatisque ornamentis, ipsisque valvis argenteis Basilicæ Vaticanæ, cæsis, vel abductis multis civibus *Appia Via* digressi, Fundos, & obvia quæque ferro, ac flamma vastantes prope *Cajetam* consederunt, *Romæ*, *Latio*que infesti, donec Anno 915. a *Joanne* Decimo, sive Undecimo Papa repressi, cum Sancti *Petrus*, & *Paulus* Apostoli visi sunt adesse pu-
155 gnantibus, in *Montem Garganum* refugere coacti sunt. Nihil igitur mirum si sævientibus, & grassantibus tam immaniter *Saracenis* perierunt Acta, & auctores, è quibus *Prænestinorum* Præsulum nomina, resque gestæ poterant innotescere,
B imo ne *Prænestes* quidem nomen hocce caliginoso tempore ullibi memoratur. Unus *Joannes* Geometra, qui anno 940. scribebat, ut ex ejus Carminibus in *Nicephorum Phocam*, & *Joannem Tzimiscem*, & *Polyeuctum* Patriarcham *Constantinopolitanum* colligi videtur, *Prænestinum* vinum, & oleum celebrat hisce versibus.

Ἰωάννου τοῦ Γεωμέτρου εἰς οἶνον τὸν Πραινεστίτην
Ὢ καρπὸς ἡδὺς Πραινέστου πανταινέτου;
Ὢ νέκταρ, οὐχ ὃ τοῖς Θεοῖς Γανυμήδης
Κιρνᾷ νέος τις, ὧ ᾗ γαννῶσαι φρένες.
Τούτου πιὼν τὶς αἷμα φήσει κυρίου.
C Τοῦ Κυρλώτου ταῦται μικραὶ φροντίδες
Ὁ Κυρλώτης ταῦτα μετρεῖ καὶ σχέδην.
Τοῦ αὐτοῦ,
Τρεῖς δ' ἐλαίων εἰσὶν εὐφυεῖς πόλεις,
Νίκαια, καὶ Πραινεστὸς, ἥτ' Ἐρεχθέως.

Νυασίου vel Νυσίου vel Νυσέως i. Bacchi in Nysa monte nati.

Scio ab *Athenæo* vinum *Prænestinum* inter alia melioris notæ commendari, & a Bacchio, jam adnotavi; addubito tamen ne vinum *Prænetites* hic dilaudetur, cum *Prænetus Bithyniæ* Urbs, de qua egi, sit vicinior *Constantinopoli*, & in Obsequii Themate posita sicuti *Nicæa*, vinum, oleumve potuerit Aulæ *Constantinopolitanæ* pen-
D dere, atque suppeditare. Quamvis ipse *Joannes* fuerit Patria *Byzantius*, nihilominus *Leo Allatius Græciæ* ocellus, & lumen an aliquam ob cau-
156 sam venerit ille in *Italiam*, & ulno *Prænestino* degustato carmina ista effuderit dispiciendum, & inquirendum proponit; quin & *Constantinopoli* cum aliis mercibus vinum, & oleum è *Præneste* devehi potuit, ibique ab eo tam præclaro elogio prædicari.

Conciliabulo *Romano* adversus *Joannem* Duodecimum Papam interfuit, & subscripsit anno à Christi Natali 963. inter cæteros Theophylactus Episcopus *Prænestinus* sub Imperio Augusti
E *Othonis*. *Græcum* id nomen, vel ἑλληνα, vel φιλέλληνα ipsum arguit, unde *Joanni* Geometræ, vel popularem, vel peramicum conjici potest, & fortassis è Magna *Græcia Italiæ*, quæ tot Pontifices, tot Ecclesiæ *Romanæ* administros protulit. *Leo* Octavus Antipapa in Bulla, quam edidit cum scholiis *Theodorici* a *Niems* inter Imperialia Statuta à *Carolo Magno* ad *Carolum Quintum* compilata damnatus auctor *Melchior Goldastus*, cum alia; quæ *Romanæ* Ecclesiæ à *Justiniano* Imperatore, *Ariperto* Rege *Longobardorum*, *Pipino*, atque *Carolo Magno* donata fuerant refundit, atque largitur *Othoni* Augusto,
F tum territorium *Prænestinum*, adjungiturque subscriptio *Gratiosi Prænestini* Episcopi. Verum diploma hoc *Leonis Octavi* falsum suspicatus est *Vignerius*, etsi suspectus scriptor, e *Luitprando*, *Reginone*, atque *Onuphrio Panvinio*. Cardinalis vero *Baronius* falsi omnino arguit. Illius suspicionis argumenta sunt, quod 6. Indictio pro 7. sit supposita, sed apud *Crantzium* deest Indictio, & in numero labi potuerunt operæ; quod *Venetiarum* Insula, *Histria*, & *Dalmatia Romano* Pontifici donatæ recenseantur, nomineturque *Fer-*

Leo Ostien. sive Marsic. Desiderius Casinen. m. s. in Dial. Cod. Vatic. 1203.

lib. I. c. I.

Lib. I. c. 10.

Card. Baron. to. 10. annal.

Luitpr. Levita Ticinen. l. 6. c. 6. inter Germ. Scrip.

Edit. Francofurt. a 1607.

par. 2. Bibliothec. hist. to. 10. annal. eccles. ad an. 964.

l. 4. c. 10. Saxoniæ.

Ferrariæ Ducatus, & Capitanata, neque cum formula Donationis à *Ludovico Pio* Augusto fa-
157 ctæ, & à *Sigonio* prolatæ conveniat; quod *Rupertus* Rex, qui donasse *Romanæ* Ecclesiæ narratur, ignoretur; sed *Aripertum* Regem *Longobardorum* reponendum vel è *Crantzio* constat, & Donationem Patrimonii *Alpium Cottiarum*, quæ quondam ad jus pertinuerant Sedis Apostolicæ, sed à *Langobardis* multo tempore fuerant ablatæ, aureis exaratam litteris *Aripertum* direxisse *Romam* affirmat *Paulus Warnefridus*. A *Græcis* in territorio *Histriensi* residentibus *Mauritium* Episcopum *Histriensem* pensiones exigentem Beati *Petri* in suprascripto territorio male mulctatum oculis erutis queritur *Hadrianus* Papa Primus; Provinciæ *Venetiarum*, & *Histriæ* continentur in Donationibus *Pipini* apud *Leonem Ostiensem*, *Caroli Magni* apud *Anastasium* Bibliothecarium; *Ludovici Pii*, & *Othonis* Primi Donationes confirmant eas, quæ priores erant, *Venetiarum* nomen exstat in Inscriptione *Neapolitana*, quam refert Doctissimus *Aleander*, & apud *Æthicum*, *S. Ambrosium*, *Sempronium*, *Cassiodorum*, *Justinianum* Augustum, atque *Jornandem*, divisa enim erat *Venetia* Provincia in superiorem, & inferiorem è Notitia Imperii. *Sigonius* recens est auctor, & omittere potuit aliqua; singularum Urbium ditiones, quia regebantur à Ducibus, appellabantur Ducatus, sic *Perusinus* Ducatus, *Nepesinus*, & alii passim apud *Anastasium*. *Ferraria* igitur, quæ Urbs constituta dato Episcopo à *Vitaliano* Papa, Ducatus dici potuit. At Cardinalis *Baronii* rationes sunt quod *Leonis Octavi* diploma fuerit datum anno Christi 964. die 3. Kal. Maji, cum tamen *Otho* non sit Urbem ingressus una cum *Leone Octavo* Antipapa, nisi ad diem 9. Kal. Julii;
158 quod Cardinalium, & Episcoporum nomina sint immutata, aliaque à nominibus eorum, qui anno superiori interfuerant Conciliabulo adversus *Joannem* Duodecimum; ita ut tot Cardinales, & Episcopos tam brevi temporis spatio interiisse fingendum sit; id autem incredibile videtur: quod tituli Ecclesiarum *Romanarum* ignoti, & inauditi tribuantur Cardinalibus, quod ipsius *Othonis* constitutioni adversetur, quod *Justinianus* Augustus nihil Ecclesiæ *Romanæ* donarit. *Justinianum* Secundum, seu Ῥινότμητον hic intelligi vult *Goldastus* dubius, qui Bullam *Leonis Octavi* proterve tuetur, sicuti *Theodoricus* à *Niems*; à quo exhibita fuit integra, & cum scholiis adjectis. *Crantzius* ex ea tantum aliqua frusta refert. *Justinianum* quidem Juniorem, sive Secundum confirmasse vetera privilegia *Romanæ* Ecclesiæ à prioribus Principibus concessa, quo tempore *Constantinus* Papa illum adiit, testantur summo consensu Historiographi. *Justinianum* vero Primum Dei ministris Ecclesias ædificando multas opes donasse *Wernerus* scribit, sed hinc ab his *Romam*, *Italiæ*que Provincias Pontifici *Romano* concessas non infertur. Catapani nomen, quo Magistratus impositus *Apuliæ*, & *Calabriæ* à Cæsare *Constantinopolitano* anno Salutis DCCCCLXXXIII. vocitabatur, & à quo regio Catapanatæ, seu Capitinatæ contractis, atque immutatis litteris cognomentum tulit, eo tantum anno exortum est. Falsi autem convincitur, atque plane commentitia, & adulterina manifeste proditur *Faustini* Capitis Senatus Exconsulis, & *Probini* Exconsulis de Palatio *Luciano* testium Laicorum subscriptione. Nam hæc nomina Exconsulum è Vitis Pontificum, quæ *Damasi* nomine circumferuntur ab *Anastasio* collectæ, desumpta hic attexta sunt intempestive, atque mendose per fœdissimum ἀχρόνισμον. Illi enim
159 vixerunt circa Salutis annum CCCCXCIX. seden-

lib. 6. de Gest. Langobard. — Volum. epist. Rom. Pont. à Gretsero ed. Ingolstad. in 4. an. 1613. — l. 1. c. 7. seu 9. Chron. Casinen. — in vita Had. I. Gretser. lib. de munif. Princ. in sed Apost. — Aleand. in Observ. m. s. in Cosmogr. in ep. ad Eccles. Vercell. de divis. Ital. l. 12. ep. 24. — Novell. 29. de reb. Getic. Papyr. Masson. in vit. Episc. Urb. — Werner. Fascicul. Temp. commemorat. — S. Antonin. Chron. Reicherspergen. Platin. Panvin. Ciac. Fascic. Temp. Sigon. l. 7. de Reg. Ital. — Ferron. in Lodov. XII.

A te Sancto *Symmacho* Pontifice, uti patet ex eodem libro, apud quem *Festus* Caput, seu Princeps Senatus Exconsul, & *Probinus* Exconsul, adversarii Sancti *Symmachi* dicuntur pugnasse cum aliis Senatoribus, & maxime cum *Fausto* Exconsule. Itaque *Vignerius*, *Baronius*, ejusque defensor *Gretserus*, & *Frizonius* contra *Platum* imposturam spuriam, & fictitiam esse *Leonis Octavi* Pseudo-Papæ hanc Sanctionem asserunt, illamque merito rejiciunt. *Gretserus* præsertim pro *Theophilo*, seu *Theophylacto Prænestino* Episcopo *Gratiosum* excogitatum, & substitutum affirmans. De hoc igitur *Gratio-*
B *so* tamquam intruso, & ὑποβολιμαίῳ, quia non liquet, anquirendum amplius. Certissimus est *Stephanus* anno à Christo Nato 988. cujus diploma è *Sublacensi* tabulario hic exscribo, sed defæcatum paululum absterса stili rubigine.

c. 9. Apolog. — In Gall. Purpur. lib. de Card. Officio.

Anno Deo propitio Pontificatus Domini Joannis Summi Pontificis XV. *Papæ in Sede Beati Petri Apostoli* III. *Indict.* I. *Mensis Aprilis die* XXIV. *Placuit igitur cum Christi auxilio, atque convenit inter Domnum Stephanum Domini gratia Episcopum Prænestinensis Ecclesiæ consentiente sibi cuncto Clero ejusdem Episcopii, & è diverso Stephanum Presbyterum ejusdem Venerabilis Episcopii, & patrem in cuncta Congregatione Monachorum*
C *fratrum, qui ad regulam pii Patris Benedicti Abbatis vitam duxerint introeuntes, & in Dei servitio permanentes in subscripta Ecclesia in perpetuum, ut cum Domini adjutorio suscipere debeant à suprascripto Stephano Domini gratia Episcopo, sicut suscepit prædictus Stephanus Presbyter, id est Ecclesiam unam in integro in honorem Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, Sanctorumque Martyrum* 160
Christi Stephani, atque Laurentii Levitarum Christi, quam Tu suprascriptus Stephanus Presbyter de propriis Tuis sumptibus, vel expendiis à fundamento ædificasti, & cum vineis, & terris, & hortis, atque domibus, & cum ingressu, & circuitu, quos
D *ipsa Ecclesia habere videtur, quam de Tuo justo pretio habes emptam à Leone conductore Petri Medici filio, quæ est posita territorio Prænestinensi in fundo Colle, qui vocatur de Quarangulo, & habet affines ab uno latere vineam de Gisa, & à secundo latere Domicuum Presbyterum, & Joannem Rinctum, & à tertio latere vineam Ursi Zappacinere, & à quarto latere viam juris Episcopii, ita ut suo studio, suoque labore suprascriptus Stephanus Presbyter, ejusque successores jamdictam Ecclesiam cum omni sua pertinentia, sive offerta, quæ à Christianis utriusque sexus ibidem offertur vivorum, vel mortuorum omnium in usum Monachorum ibidem commorantium, & Deo servientium pro sustentatio-*
E *ne eorum corporum absque ullo litigio, vel contentione, sive etiam excommunicatione à me, meisque successoribus in perpetuum habeant, pro qua etiam surascripta Ecclesia cum omnibus ad eam pertinentibus, ut superius legitur, dare, atque inferre debeat suprascriptus Stephanus, vel Monachi, successoresque eorum suprascripto Episcopio singulis quibusque Indictionibus sine aliqua mora, vel dilatione pensionem denarium unum. Hæc omnia, quæ hujus perpetualis seriei textus eloquitur, inviolabiliter observare utraque pars, & adimplere promittat. Quod si quisquam eorum contra hanc perpetualem chartam in toto, parteve ejus quolibet modo venire*
F *tentaverit, tunc non solum perjurii reatum incurrat, verum etiam daturos se, successoresque suos promittat partem parti fidem servanti ante omne litis initium pœnæ nomine auream unam libram obryzam, & post absolutam pœnam hujus perpetualis chartæ series in sua nihilominus maneat firmitate.* 161
Has autem duas chartas uniformes uno tenore conscriptas per manum Joannis Scriniarii pariter dictaverunt, easque propriis manibus roboraverunt, testi-

testibus ab eis rogatis obtulerunt, & sibi invicem tradiderunt sub stipulatione, & sponsione solemniter interpositis. Actum Romæ die, anno Pontificatus, mense, Indictione suprascriptis primum. † *Stephanus Domini gratia Sanctissimus Episcopus Sanctæ Prænestinensis Ecclesiæ consentiente sibi cuncto Clero ejusdem Venerabilis Episcopii in Te Stephane Presbyter, & in cunctam Congregationem cunctorum Monachorum præsentium, & successorum hanc chartam perpetualem propriis manibus meis scripsi, & testes, qui scriberent, rogavi.* † *Sergius Presbyter in hanc chartam consensi, & manu mea scripsi.* † *Franco Presbyter in hanc chartam consensi, & manu mea scripsi.* † *Christophorus Nob. vir testis rog. interfui, & manu mea scripsi.* † *Crescentius de Bonizo interfui, & manu, &c.* † *Petrus de Ortano interfui, &c.* † *Ego Joannes Scriniarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ post omnium testium subscriptiones complevi, & absolvi.* † *Andreas de Mira testis.* † *Dominicus de Romano testis.* † *Ego Beti in Dei nomine Scriniarius Civitatis Prænestinæ post omnium testium subscriptionem, & Indic. complevi, & absolvi.*

lib. m. s. de Biblioth. Decimum Sæculum claudit, & aperit undecimum *Petrus* S. R. E. Cardinalis Episcopus *Prænestinus*, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecarius fuit anno 996. teste *Ferdinando Carolo*, *Sergii* Papæ IV. diploma datum anno Pontificatus III. Indictione x. die v. Kal. Martii fuit per manus *Petri* Episcopi Sanctæ *Prænestinæ* Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sedis Apostolicæ exstat illud in Chronico Monasterii Sancti *Vincentii* ad *Vulturnum*, annusque is
162 putatur Christi MXIV., legitur aliud diploma *Benedicti Octavi* Papæ datum per manus *Petri* Episcopi *Prænestinæ* Ecclesiæ, & S. R. E. Bibliothecarii apud Cardinalem *Baronium* anno Christi MXVII. reperitur, & subscriptus *Petrus* (to. 11. annal. eccl.) Episcopus *Prænestinus* cuidam privilegio *Gregorii Quinti* indulto Abbatiæ Sancti *Salvatoris* de *Monte Amiato*. (Ughel. to. 1. Ital. Sac.) Ad hunc *Petrum* scriptam à *Petro Damiani* XIX. Epistolam suspicor, cum esset adhuc Diaconus, & Cancellarius. Ad *Petrum* quidem Canonicæ Lateranensis Archipresbyterum misit, idem *Petrus* Damiani Opusculum XVIII. contra Clericos intemperantes.

CAP. X.

De sex Episcopis Cardinalibus S. R. E. è quibus unus est Prænestinus.

Clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo præcipue in omnem Ecclesiam Cleri forma processit, uti docet Sanctus *Bernardus* ad (l. 4. c. de considerat.) *Eugenium* Papam de Clero *Romano* agens. In illo autem ipsis ab incunabulis Episcopus unus esse debebat, conspiciebantur Presbyteri XLVI., Diaconi VII. Subdiaconi VII. Acolythi XLII., Exorcistæ, & Lectores cum Ostiariis LII., viduæ cum indigentibus MD. quos omnes Deus alebat teste *Cornelio* Papa in Epistola ad *Fabianum*, seu *Flavianum Antiochiæ* Episcopum, unde florentissimum Clerum *Romæ* cum *Cornelio*
163 (Euseb. l. 6. c. 33. eccl. hist.) Papa Præsidentem vocitat Sanctus *Cyprianus*: (Ep. 55. ad S. Cornel.) nullum tamen arduum negotium ab Urbis Episcopo, atque ab eodem Clero peragebatur nisi adhibitis Episcopis. Ipse Papa *Cornelius* cum schismaticos Confessores ad unitatem recepit; Omni actu (scribit) ad me perlato placuit contrahi Presbyterium, id est Presbyterorum Senatum, seu Concilium cogi; adfuerunt etiam Episcopi v., qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur, (S. Cornel. in ep. 46. ad S. Cyprian.) Presbyteri vero, & Diaconi *Romæ* consistentes

A cum quibusdam Episcopis vicinis sibi, & appropinquantibus, & quos ex aliis Provinciis longe positis persequutionis ardor ejecerat. Lapsorum curam temperandam credunt, & nihil innovandum antequam Episcopum constituerent, vacabat enim sedes; unde liquet perpetuam fere Synodum Episcoporum *Romæ* fuisse cum Episcopo ipso Urbis, cumque Clero etiam in Pontificio interregno degentium. (ep. 31. ad S. Cyprian.) Concilio *Romano*, quod à Sancto *Silvestro* Primo Papa intra *Thermas Domitianas*, quæ *Trajanæ* cognominabantur, congregatum CCLXIX. seu CCLXXII. sive CCLXXVII. imo potius CCLXXXIV. Episcoporum,
B è quibus CXXXIX. ex Urbe *Roma*, vel non longe ab illa evocati aderant, & CXXXIII. plus minus è *Græcia*, & aliis è regionibus subscripserunt. Præterea interfuere Presbyteri Urbis *Romæ* XLII., seu XLV. Diaconi VI., Subdiaconi VI. Acolythi ejus consilio facti XLIV., Excorcistæ XXII., Lectores Urbis XC., Notarii XIV. Actum adscribitur XIII. Kal. Juliarum, seu III. Kal. Junii die, & anno Christi CCCXXIV. Coss. Crispo Cæs. III. & *Constantino* Cæs. III. Urbis conditæ MLXVI.; cum anno superiori abrogata fuissent antiqua sacra; nec enim *Prisco* Cos. (Panvin. in Fast.) 164
C legendum cum sit operarum error, & ἀντισαχέιον quemadmodum in *Suida*, neque mirandum quod CXXXIX. Episcopi vel ex Urbe, vel è vicinia sint collecti. In Codice namque Provinciali numerantur adhuc Episcopi *Romanæ* Provinciæ LXXV. in Suburbicariis vero, Urbicariisque Provinciis plures extiterunt, è quibus multi nunc desiderantur, vastatis eorum sedibus, variosque ob casus desertis, & excisis. (Rebuff. Miræus. in Notit. Epis.) Ecclesia quidem Christiana nata est sub Descriptione *Italiæ* ab *Augusto* distinctæ in XIV. regiones, ut apud *Plinium* videre est, & Archiepiscopi, ac Episcopi constituti sunt ubi Præfecti Prætorio, Proconsules, Prætores, aliique Magistratus residebant.
D Sed *Hadrianus* Augustus *Italiam* in XVII. Provincias divisit, tum *Constantinus*, deinde *Theodosius*. (p. du Four. Leontii Forojul.) Erant autem sub Urbis Vicario Consulares *Campaniæ*, *Tusciæ*, *Umbriæ*, *Piceni* Suburbicarii, & *Siciliæ*; ac vicissim sub Archiepiscopo *Romano* quamplurimi Episcopi, neque LXX. tantum in V. Regionibus circum Urbem, quibus *l' Eschaffier* putat successisse LXX. Cardinales S. R. E.; sed longe plures sederunt, quamvis non semper usque quaque Politicum ordinem, ac regimen sectata sit Ecclesia, imo potius (uti jam monui) seriem disseminati Evangelii. (l'Eschaffeir de Reg. Suburb.) A *Nicænis* namque Patribus, tum à
E Sancto *Leone* Papa Ecclesiasticæ Provinciæ, ac Diœceses fuere potissimum stabilitæ. (Filesac. de auctor. Epis.) In Electione quidem *Bonifacii* Papæ Primi subscripsere plus minus LXX. Presbyteri adstantes, & IX. diversarum Provinciarum Episcopi, & ex Epistola *Cornelii* Papæ laudata Presbyteros XLVI., Diaconos VII, totidemque Subdiaconos in Ecclesia *Romana* fuisse constat, (Relat. in Auctar. Symmach.) unde patet Presbyteros S. R. E. Cardinales Episcopis Provinciarum, seu Regionum Urbicariarum non successisse, sed ex antiquissimo Instituto persistere, 165 illorumque numerum, qui indefinitus ad bene placitum Papæ etsi LXX. sint ex Marco *in Decis. Delphinal.* hodieque à *Sixto Quinto* præscriptus,
F & definitus viget, à vetusto non discrepare: adjungi possunt, quæ Torrigius congessit in *Cryptis Vaticanis* de VII. Urbis Regionibus, de VII. Cardinalibus in S. *Petri* Basilica, celebrantibus, & de Titulis. Id evincitur, & è *Romano* suprascripto Concilio, in quo XX. canones editi sunt, damnatique *Hipppolytus* Diaconus Valentinianista, & *Callistus Sabellianus*, & *Victorinus* Episcopus non *Pictaviensis* Urbis, sed *Petavionensis*, seu *Pitabionensis*, uti Sanctus *Hiero-* (lib. de Script.)

Eccles. seu Vir. Illust.l.3. Geograp.c.15. Græc. edit. Paris.l.3.histor. In Apolog. ad Constant.l.15.hist.l.12. Comm. Reip. Rom. c.5. sect.4.l.3.rer. Germanic. in nov. Topogr. in pictav.& pitabion. in not.ad. Martyrol.2. Novemb. de Scriptor.Eccl.in Papia.

nymus, & *Sophronius* asserunt. *Petovion*; autem seu *Pætovio* est oppidum *Pannoniæ* superioris *Ptolemæo Petovium*, seu Παταύιον. *Pætovion Tacito*, *Pitybion* Sancto *Athanasio*, *Petobion Ammiano*, qui locat in *Noricis*, *Lazius*, *Rhenanus*, & *Ortelius* in *Styria* exstare adhuc tradunt, & Episcopatum fuisse, sicuti *Ferrarius* qui *Galesinium* reprehendit, & ab Episcopatu *Patavienſi* sito in *Vindelicis* diserte distinguit. Labitur Alteserra *in lib. Rerum Aquitanicarum* Victorinum Pitabionensem asserens Pictaviensem: consulendus est *Lazius*. Hallucinatus est (pace tanti viri sit dictum) Cardinalis *Baronius*, dum *Victorinum* Episcopum *Pictaviensem* in *Gallia* opinatus est, B & Canonem secundum irrepsisse putat, illapsumque hujus Concilii, quod secundum vocat (cum sit primum *Romanum* sub *Silvestro* Primo) Canonibus, nam *Jovianus*, seu *Jovinianus*, & *Victorinus* Episcopus *Petovionensis* damnati edicuntur, quia dicebant Pascha non venire die suo, seu Quartodecimani erant. *Victorinum* vero eo in errore versatum crediderim, quia Millenariorum errorem sequebatur, ita docet Sanctus *Hieronymus*, atque hac de caussa *Victorini* opera, ut Apocrypha rejicit *Gelasius* Papa Primus, & licet Cardinalis *Baronius* ad tempora usque *Damasi* Papæ Primi Ecclesiam suspenso judicio supersedisse damnationi Millenariorum, seu Chiliastarum dogmatis putet, & quando *Apollina*-

166 *ris Laodicenus* Episcopus ejusdem Sectator à *Damaso* condemnatus fuit, illud quoque damnatum arbitretur; & Sancti *Hieronymus*, atque *Augustinus* propter auctoritatem vetustatis, & reverentiam assectarum *Papiæ* (scilicet) *Irenæi*, *Justini*, *Victorini*, & *Lactantii*, ut *Tertullianum*, & *Nepotem* omittam, ac *Severum*, qui postea vixit, damnare penitus non sint ausi, quamvis incessant, passimque irrideant. Quia tamen *Cerinthus* Hæresiarcha opinionem Millenariorum promulgaverat, & Legalium Præceptorum observationem *Judaicam* reducebat, atque *Luna* XIV. Paschalem solemnitatem cum *Judæis* observabat, uti Philastrius narrat, & Sanctus *Gregorius Nazianzenus* scribit, quia etiam *Dionysius Alexandrinus* Episcopus libris duobus suprascriptum *Nepotem* Millenarium confutarat. A *Silvestro* Papa Primo *Victorinum* Episcopum Millenarium quasi Quartodecimanum, & Cerinthianum damnatum in isto *Romano* Concilio censeo; tametsi *Victorinus* postea suo sanguine maculas illas eluisset sub *Diocletiano* ad annum Christi CCCIX. Martyrio coronatus, & Sanctis adscriptus, inque Fastos Ecclesiasticos deinde fuerit relatus, sicuti Sanctus *Cyprianus* Episcopus *Carthaginensis*, qui opinionem de rebaptizandis hæreticis tam acriter professus fuerat. Legitur etiamnum *Victorini* Commentariolus in *Apocalypsin*, quo Chiliastarum error refellitur, ita ut purgatum, & emendatum illum fuisse *Sixtus Senensis* sentiat; Cardinalis *Baronius* in Annalibus *Victorinum* damnatum à *Silvestro* in hoc Concilio alium fatetur à *Pictavense*, & ab eo, qui Cyclos Paschales concinnavit, & ignotum esse, sicut & *Callistum*, atque *Hippolytum*, & *Jovianum*, seu *Jovinianum*.

c.S Romana. dist.15.

lib. de hæresibus c.37. & Coriol. Chronolog. Epist.2. ad Cledor.

In Bibl. Sac. annot. 273.& 297. ad annum.

167 Verum ut ad Concilium *Romanum* revertar, ex eo liquet plures Episcopos in Urbe assidue diversatos præter ipsum Summum Pontificem Urbis Episcopum. Quia vero Concilium istud falso insimulabat falsi *Molinæus* recentior, neque minus impius auctor; est operæ pretium illius argumenta retundere, ac velut aranearum telas disrumpere. Ac primo quidem, & ultimo de numero Episcoporum, deque Consulum nominibus jam occurri, & utrumque disjeci; secundum quod in eo Regum nomen exstet, ævo

Christi. 324.

A illo (ut autumat) inusitatum, plane concidit. Nam *Hannibalianus* Patruelis *Constantini* Augusti Rex in æneo Numo, quem asservat Eminentissimus Cardinalis *Barberinus*, ut apud *Ammianum*, nominatur. & de simili Numo controversia *Sirmondi*, ac *Tristani* ventilata est pluribus libellis. *Julianus* Augustus ὁ παραβάτης de Rege *Francorum* seu *Gallorum* ævo suo agit. *Persarum* certe, atque *Parthorum*, *Germanorum*, *Arabum*, *Armeniorum*, aliorumque populorum Reges vigebant illis temporibus, atque superioribus, & ab Imperatoribus *Romanis* dabantur hujuscemodi gentibus; ita testantur Numismata ex ære, quæ meis in loculis exstant, alterum est *Trajani* Aug. Germ. Dacic., cui à tergo incisa epigraphe *Rex Parthis datus S. C.* ipse vero *Trajanus* effingitur insidens plectili sellæ, quæ Tribunali excelso innititur, dexteraque porrecta designat adstantem Regem, sive Diadema imponit Regi, quem *Parthus* Cydari obtectus genu posito veneratur, quemque *Xiphilinus* Parthamaspatem vocat, & *Ctesiphonte* rem gestam eleganter pingit. In altero *Antonini* Augusti *Pii* PP. Tr. Pot. Cos. III. legitur *Rex Armeniis datus S. C.* & visitur effigies *Antonini* stantis, & Regi stanti quoque Tiaram dextera C manu protensa injicientis. *Pacorum* Regem *Ladis*, sive *Lazis* datum ab *Antonino Pio*, *Capitolinus* asserit. Exhibuit mihi vir antiquariæ rei peritissimus Leonardus Augustinus *Senensis* æneum quoque Numisma *Trajani*, cui aversa in facie circumscriptum est (*Regna adsignata.*) *Arrianus* Regem *Machelorum*, & *Heniochorum Anchialum* Regem *Lazorum Malassam*, & alios enumerat, qui à *Trajano*, & ab *Hadriano* Regna obtinebant; *Prusiam* Regem *Bithyniæ*, *Cottium* Regem *Alpium Romani* memorant Historici. Præterea *Constantinum*, ejusque filios Βασιλέας, id est Reges Græci omnes Scriptores vocant, è D Græco Latine redditum Concilium istud nunc dumtaxat haberi declarabo inferius. Tertium, quod illi subscripserit Sancta *Helena* Augusta Mater *Constantini* post Diaconas, & *Constantinum* ipsum, patet quam sit imbelle, quando, ut anteriori libro notavi, *Fulvia* uxor *Antonii* Edicta proposuit, *Alexander Severus* in *Mammæam* matrem unice pius omnia ex ejus consilio egit, subscripsisse *Justiniani* Edictis *Theodoram* uxorem, & una jusjurandum à Magistratibus exegisse constat; *Pulcheriam Martiani* conjugem interfuisse Concilio *Chalcedonensi* probant Acclamationes νέας ἑλένης ipsi attributæ. Imperasse E *Irenen*, ac *Zoen* fœminas *Constantinopoli* certum est. In Concilio quoque *Pontigonensi* anno Christi DCCCLXXVI. *Richildem* Augustam *Caroli Calvi* Imperatoris conjugem à Legatis Apostolicæ Sedis eo deductam quamvis corona redimitam stetisse assurgentibus illi Episcopis à *Faucheto* traditur. Quartum de Solœcismis, adscribendum est imperitiæ Librariorum, aut Interpretis, quia Concilium istud è Græco versum, & translatum fuit in Latinum sermonem, cumque habitum sit anno Christi CCCXXIV. *Crispo* Cæsare III. & *Constantino* Cæsare III. Coss. Anno, qui con- 169 sequutus est, CCCXXV. coactum fuit *Nicænum* Concilium Oecumenicum, & secundum etiam *Ro*-F *manum* ab eodem *Silvestro* Papa congregatum præsente *Constantino* Aug. cum CCLXXV. Episcopis intra *Thermas* quoque *Domitiani* post Synodum *Nicænam*, quæ ab illo sancitur, in quo septem tantum Canones, & mentio *Arii*, *Photini*, & Presbyteri *Ariani*, nullæ vero subscriptiones Episcoporum reperiuntur, unde appingendi sunt huic secundo *Romano* Concilio Coss. *Paulinus*, & *Julianus*; qui Consulatum gesserunt anno Urbis conditæ MLXVII. & Christi CCCXXV. quo

in Trajan. Zonaras.

Spartian.in Hadrian.ubi 168 Casaub. & Salmas.

in Euxini peripl.

Can. 20.

Dion. & Appian.

Lamprid. in Alexand. hist. Aug. Authent. Justinian. collat. 2.

Chron. Francisc.

Contius in Fastis

quo *Silvester* accepit epistolam à Patribus *Nicæni* Concilii ad se directam, datamque 13. Kal. Novembr., & iisdem Coss. Anno autem V. C. MLXVIII. Christi CCCXXVI. *Constantinus* Pater VI. seu VII. Consul fuit cum *Constantino* Cæs. Juniore; rescripsit tunc *Silvester* ad Patres *Nicænos*, & utrumque Concilium *Romanum* misit ad ipsos ut è *Silvestri* responso liquet. *Græce* igitur ambo conversa fuere, indeque rursus quasi postliminio donata Latio, vel à *Dionysio Exiguo*, vel ab *Isidoro Hispalensi*, vel ab *Anastasio* Bibliothecario, & infelicibus, quæ successere, sæculis exscripta sunt, ut etiam visum est *Lazio*; atque idcirco scatent mendis. Collector Conciliorum, sive Auctor Epilogi vetere in Editione præpostere *Romana* ista Concilia posuit, primum nempe posterius, & secundum prius, ὕστερον πρότερον, utrumque miscens, & confundens, atque primo perperam è *Mariano Scoto* Coss. *Paulinum*, & *Julianum* attribuens, qui secundo

(Fonto Ducæus in plessæum. — lib. 2. Comm. Reip. Rom. — anni. 1528)

170 sunt vendicandi. Quod attinet ad sextum obicem, nihil ille moratur eruditos, nam Domni vox, unde Domnio, & Domnula nomina propria, non mediæ tantum ætatis est, & frequens Scriptoribus Ecclesiasticis, quibus visa solius Dei propria vox Domini, quam *Tertullianus* tribui nolebat Imperatoribus, & quam è *Paganis* Cæsaribus nonnulli etiam sunt aversati, uti *Juretus* observat, addens Domnum scribi, cum de Ecclesiasticis agitur, cum de Laicis, Dominum, verum etiam ante *Constantinum*, atque *Severum* nomen Domini contractum fuit in Domnum, sic Domnædium pro Domino ædium dicebant, ut è Glossis probat *Salmasius*, qui florenti adhuc Imperio Domni, & Domnæ nomina propriorum vice usurpata passim à *Latinis*, *Græcis*, *Syris*, & *Ægyptiis* è *Photio*, & ex Inscriptione Græca demonstrat, & *Juliam* Domnam *Severi* Augusti uxorem cognominatam ex *Oppiano*, & Inscriptione *Albæ Juliæ*. Numus quidem æneus me penes hinc illam profert, circumque insculptum Elogium *Julia Domna*; inde (*Veneri Victrici*) utut sit mendum esset exscriptoris, vel mos sæculi, quem retinent adhuc Ecclesiastici, & Monachi omnes, ut Domnum efferant pro Domino Domnum vocari gaudet Ecclesiæ *Antiochenæ* sacerdotem *Sixtus* Papa. Elisis igitur hisce strophis, quas excogitatas potissimum existimo, quia hoc in Concilio Cardinalium nomen inprimis eluxit, & Subdiaconis, Diaconis, atque Presbyteris Ecclesiæ *Romanæ* primum adtribuitur. Nam Diaconus Cardinarius, seu Cardinalis constitutus Urbis *Romæ* legitur in Epilogo, & Presbyter Cardinalis, & Cardine constrictus, seu constructus, & Cardinalis Subdiaconus. Perstringit quippe oculos invidorum Ecclesiæ *Romanæ* perduellium fulgor tantæ dignitatis, & vel nominis splendor eos urit, qui non à profanis Magistratibus ad ipsos Ecclesia-

(S. Hieron. ep. 11. lib. 10. — Salvian. in epist. — in ep 4. & 25. Ivon. Carnot. — in histor. August. — in Ephes. Concil. — c. 37. & 11 c. a. Subdiacon. 93. dist.)

171 sticos transiit, uti *Lazio* visum, & *Alciato*, sed proprie illis cessit.

Voce Cardinalis primus ex his, quos legi, usus est *M. Vitruvius* qui *Tiberii* Augusti ævo vixit, ita ut fere simul cum Christo Domino, cumque Sancto *Petro* exorta esse videatur; vocat ille Scapos Cardinales, Cardinatas trabes, Cardinata ligna, quæ sunt compacta, inserta, annexa, & incorporata, unde Diaconi, & Presbyteri certis Diaconiis, vel Titulis annexi, inserti, & incardinati ad eorum ministerium Cardinales nuncupati fuerunt, quia fixi erant, & stati. Sic venti Cardinales quatuor à *Servio* dicuntur certi non vagi, & erratici. Sic æternas rerum caussas quodammodo Cardinales Sanctus *Augustinus* appellat. Scio *Panvinium*, & *Pancirolum* post *Alciatum*, & *Lazium* cum *Gothofredo*,

(l. 4. de Archi-tect. c. 8. — lib. 1. Aeneid. — lib. 9. c. 22. de civit. Dei.)

A *Duareno*, *Spiegel*, *Erasmo*, & *Calvino* Catholico explicare Diaconos, & Presbyteros Cardinales majores præ ceteris Ministris, qui eisdem Ecclesiis inserviebant, & *Antonium Augustinum* in *Leonis Noni* diplomate intelligere sacerdotes Cardinales primos sacerdotes non Urbis tantum *Romæ*, sed quarumcumque aliarum Ecclesiarum, quibus Tituli, id est Parochiæ committebantur. *La Cerda* insuper observare dictos Cardinales, quod licet diversis in locis agerent, unius tamen Ecclesiæ, ejusdemque primariæ nomine continerentur, & à Matrice penderent Ecclesia, velut à Cardine ostium, cui *Frizonius* accedit. Non me latet à *Leone* Papa *Nono* in Apologia contra

B *Michaëlem* Episcopum *Constantinopolitanum* scriptum, *quia sicut Cardine totum ostium regitur, ita Petro, & successoribus ejus totum Ecclesiæ deponitur emolumentum, hinc Clerici Cardinales dicuntur utique illi, quo cætera moventur, vicinius inhærentes.* Cardinalis *Bellarminus* vult eos illo nomine appellatos, quod aliis præessent, nam ante Sanctum *Silvestrum* id nomen impositum loco primum, unde ad personas transiit, & existimat vocitatos Diaconos, & Presbyteros Cardinales à Diaconiis, & Titulis, qui Cardinales

C nuncupabantur, quia potiores erant, laudatque Concilium *Meldense*, ac *Joannem* Diaconum, sed cum illud non fuerit collectum nisi an. DCCCXLV. hic verò post an. DCCCLXXIII. floruerit, & antea personis solummodo nomen Cardinalis adsignatum sit, à personis potius ad loca migrasse, seu translatum fuisse crediderim, Titulorum certè minorum meminit, (si viculos legere non oporteat) *Joannes* Decimus in Synodo *Ravennæ* habita, cui etiam *Lambertus* Imperator interfuit, sedem Cardinalem memorat *Hincmarus*, & alveum Cardinalem, id est fixum, præcipuum non deductum *Bernardus Bonævallis*.

D Diu post Synodum *Romanam* sub *Silvestro* Papa Primo habitam animadverto dumtaxat Cardinalis vocem à profanis Magistratibus usurpatam in *Breviario Theodosii*, sive *Notitia Imperii Orientis*, quam sub *Valentiniano Tertio*, & *Martiano* concinnatam censet *Pancirolus*) Magister Militum in præsenti alter officium habuisse dicitur Cardinale, & Officium Magisteriæ per Orientem potestatis habetur Cardinale, hoc est non præcipuum, seu principale, ut exponit *Pancirolus* perperam etiam laudans *Plinium*; sed firmum, atque fixum, cum alii Magistri militum *Officium* haberent in Numeris *Militaribus*, qui sæpe mu-

E tari solebant. In formula de Principatu Urbis *Romæ* apud *Cassiodorum*, qui sub *Justiniano* Augusto vixit, & *Theodorico Gotthorum* Rege. *Cum in Urbe Roma* (scribit) *plurima fieri censeamus, & necesse sit potestatem ibi esse Comitiaci Officii, ut utilitates publicæ videantur impleri, nostro more prospeximus, ut quia Principem nostrum Cardinalem obsequiis nostris deesse non patimur, Tu ejus locum Vicarii nomine in Urbe Romana solemniter debeas continere.* Quibus è verbis liquet Cardinalis nomen non inter dignitates prærogativam denotasse, sed ipsa in dignitate stabilitatem. Cum ple-

F rumque contingeret Magistratus, vel ob Legationes, vel propter expeditiones bellicas, vel aliis de caussis peregre proficisci, sufficiebantur illis alii, qui vices ipsorum gererent, seu Vicarii substituebantur. Interea vero ipsi retinebant suos Magistratus, nec illis se abdicabant, aut abibant; unde Cardinales quasi annexi, Cardinique inhærentes appellabantur; Cardinalibus vero Vicarii opponebantur, sicuti nunc Locumtenentes, seu Coadjutores principalibus, ut vocant, sic *Gelasius* Papa Cardinalem Pontificem nominat non Chorepiscopum, neque Coadjutorem, sed certum. Quemadmodum in Ecclesiis,

(in voc. obsc Eccl. interp. v. Card. & Tituli Thesaur. var. lect. c. 19. — in Lexico. Juris, ubi perperam laudat Plinium, & alia insulsa prætexit. — l. 1. Decretal. Antiq. Collectit. 16. — 172 cap. 2. not. Advers. sacr. c. 94 n. 2. & c 35 n. 11. in Gall. Purpurat. to. 3 Decret. & Frizon. to. 1 controv. lib. 1. de Clerico c. 16. — can 54. apud. Ant. Aug. tit. 11. c. 4 de offic. Archipr. ep. 6. c. 19. — lib. 2. c. 5. vit. S. Bernardi. cap. 41. — 173 lib. 7. Variar. ep. 31. — ep. ad Episc. Cæsen. File... fac de lac Episc. auc.)

cum eveniret ut interdum abeſſent juſtis è cauſ-
Enchi- ſis Presbyteri, & Diaconi, ſubrogabantur, qui
rid. c.86. eorum munia obirent, alii Vicarii, nec illi, qui
aberant, Presbyteriis, ſeu Titulis, aut Diaco-
niis cedebant, ſed illas retinebant, & Cardinales
nuncupabantur. Sanctus *Auguſtinus* Sanctæ me-
moriæ *Hieronymum* Presbyterum Cardinalem vo-
citat, & interpres Latinus *Neo-Cæſareenſis* Sy-
nodi forte *Dionyſius Exiguus*, Canone xv. Pre-
ep.131. sbyterum Cardinalem enuntiat, teſtiſque mihi eſt
Ivon. *Juretus*, quamvis in Codice Canonum Eccleſiæ
Cano- *Romanæ* ſint tantum xiv. Canones, & in xiv.
ten. mentio dumtaxat exſtet Diaconorum vii. iſque
c.93. Di- à *Gratiano* refertur, & xv. numeratur Græce
aconi 93. apud *Balſamonem*, addubito ne lapſus ſit vir e-
diſt. ruditus. Nam verba, quæ affert, ſunt pura pu-
174 ta Sancti *Gregorii* ad *Caſtorium* Epiſcopum *Ari-*
l.2. ep.9. *minenſem*. Certiſſimum etiam eſt vocem Car-
dinalis pro primario, à quo cæteri pendent vel-
ut à Cardine fuiſſe acceptam, ſic Sanctus *Am-*
broſius virtutes iv. Cardinales dixit; ſic liber
Sancto *Cypriano* adſcriptus de Cardinalibus Chri-
ſti operibus inſcribitur, cujus auctor è ſtylo re-
centior mihi videtur, quamvis coævum Sancto
Cypriano Pamelius putet. In Virgilianum he-
miſtichium, *haud tanto ceſſabit Cardine rerum*,
Servius notat Proverbium, *res eſt in Cardine*, id
eſt articulo, *in eo Cardo rei vertitur*, id eſt tota
Chif. res inde pendet; e *Quintiliano*, & *Cicerone* fu-
centur. 1. ſius illud exponit Collector Adagiorum; Cardi-
Adag. nes quoque limites celebrantur ab auctoribus fi-
19. nium regundorum, a *Frontino*, atque ipſo à *Pli-*
nio. *Petilianum* de numero ſuorum, cum ſit
Cardinalis, atque authenticus, Scriptor Colla-
tionis *Carthaginenſis* cum Donatiſtis, enuntiat;
& apud Sanctus *Auguſtinus* præcipuos partis *Donati* Car-
Fileſac. dinalis Donatiſtas appellavit. Verum Sanctus
de ſacr. *Gregorius* Magnus Oratoria conſecrari (privata
Epiſc. ut arbitror) ab Epiſcopis *Ariminenſe*, *Firmano*,
auct. *Neapolitano* variis in locis jubet, ita ut ibidem
l.1.c.6. de nec temporibus futuris Baptiſterium conſtrua-
baptiſ. tur, nec Presbyterum conſtituant Cardinalem;
l.2. c.9. l. At Epiſcopo *Syracuſano* commendat *Coſmam* è
7. c.71. l. Subdiacono Eccleſiæ *Syracuſanæ*, in poſſeſſione,
8. c.3. l. quæ *Julliana* dicitur, ordinatum Presbyterum, ut
11. c. 34. ipſum reducat in Eccleſiam *Syracuſanam*, atque
illic Presbyterum conſtituat Cardinalem. Hinc
liquet Presbyteros Titulis, ſive Baptiſmalibus
Eccleſiis addictos, & infixos dictos Cardinales,
quia vero illi reliquis anteponebantur Presbyteris,
ideo pro primario, & præcipuo Cardinalis ſumi
cœpit. Innuit id Sanctus *Gregorius* ſcribens ad
175 *Januarium Archiepiſcopum Calaris Sardiniæ*, ut
l. 1. c. 8. *Liberatus* qui Diaconii fungi perhibetur officio,
ſi à deceſſore ipſius non eſt factus Cardinalis, or-
dinatis ab eo Diaconis nulla debeat ratione præ-
poni, & paſſim de illius incardinatione agit. *For-*
tunato etiam Epiſcopo *Neapolitano* concedit *Gra-*
tianum Diaconum Eccleſiæ *Venafranæ* ab hoſti-
bus detentæ Cardinandum Eccleſiæ *Neapolita-*
l.5. c.111. *næ*, utque conſtituat Cardinalem, auctoritatem
c. frater- impertitur, Decreto *Gratiani* hæc Epiſtola eſt
nit. 71. inſerta. Cardinalis quidem *Baronius* obſervavit,
diſt. in locis illis, ubi *Romana* Eccleſia poſſidebat Pa-
trimonia, conſtitutas fuiſſe Diaconias, ſicut in
Urbe, in quibus eleemoſynæ à Subdiacono Re-
to.9. An- ctore Patrimonii, & Diſpenſatore ſolerent ero-
nal. Eccl. gari (eorum namque Miniſtrorum fuiſſe munus
ad ann. curam gerere pauperum, pluribus Sancti *Grego-*
C.N.715. *rii* litteris admonemur datis ad *Anthemium* Sub-
diaconum eo tempore *Neapoli* eodem fungentem
munere) profertque hoc Epitaphium, *Theodi-*
mi Subdiaconi Regionarii, & Rectoris S. Sedis
Apoſtolicæ, & Diſp. hujus Diaconiæ Beati An-
dreæ, e tabula marmorea, quæ eſt ante altare
in Eccleſia Sancti *Andreæ* ad *Nidum* dicta, quæ

A Diaconia tunc erat. Quoties vero Sanctus *Gre-*
gorius Epiſcopos ad alias Eccleſias vacantes trans-
tulit, neceſſitatis cauſſa, eos incardinari Eccle-
ſiis, ad quas translati ſunt, in eiſque Cardinales
conſtituti dixit, ſive infigi, innectique. Nam
& *Martinum* Epiſcopum *Tamitanæ* Eccleſiæ, quæ lib.1.c.
hoſtili feritate occupata, & diruta fuerat, in 77. & 79.
Eccleſiam *Sagonenſem* jamdiu Pontificis auxilio
deſtitutam translatum, Cardinalem conſtituit
ſacerdotem, ſeu Pontificem, & *Paulum* Coe-
piſcopum ſuum à *Neapolitanis* Cardinalem Epi- lib.2. c.6.
ſcopum deſiderari refert. *Joannem* inſuper *Lyſi-*
tanæ Civitatis ab hoſtibus captivatæ Epiſcopum 176
B in *Squilatina*, ſeu *Scyllatina* Eccleſia Cardinalem lib 2.c.
conſtituit ſacerdotem, ita tamen, ut ſi *Lyſitana* 25.
Civitas ab hoſtibus liberaretur, ipſe ad eam re- can. pa-
verti deberet, ſin ſecus, in hac, in qua incar- ſtoralis.
dinatus eſt, permaneret. Inſeruit & hanc Epi- 7. q. 11.
ſtolam Decreto ſuo *Gratianus*, & aliam Sancti c relati.
quoque *Gregorii*, qua is *Agnellum Fundenſis* Ci- 21. q. 1.
vitatis clade hoſtili perculſæ Epiſcopum in Ec- lib.2. c.
cleſia *Terracinenſe* Cardinalem conſtituit Sacer- 52. & 53.
dotem, ſic ut *Fundenſis* Eccleſiæ Pontifex eſſe ſeu 13. &
non deſinat, quem imitatus multis poſt annis 14.
Joannes Octavus ſucceſſor *Frotharium* Eccleſiæ Ant.
Burdegalenſis à *Normannis* vaſtatæ Archiepiſco- Aug. lib.
C pum vacanti *Bituricenſi* Eccleſiæ incardinavit, in 1. de e-
eaque Cardinalem fieri decrevit. Unde patet mend.
nomen Cardinalium non *Romæ* tantum, ſed to- Grat. di-
tum per Orbem in Cleri Ordine uſurpatum, & dial.2.
locis impoſitum ſerius. Patres Synodi *Melden-* ep. 8. 13.
ſis laudatæ ſuperius in *Gallia* ſtatuerunt, ut Epi- 14. 37.
ſcopi Titulos Cardinales in Urbibus, vel Subur- 112. &
biis conſtitutos ordinent, atque diſponant, & 121.
Joannes Diaconus poſt annum DCCCLXXIII. tra- can. 54.
dit in S. *Gregorii* vita ipſum Cardinales violenter lib. 3. c.
in Parœciis ordinatos in priſtinum Cardinem re- 10.
vocaſſe. *Aquilejenſes* autem, *Ravennates*, *Me-* apud
diolanenſes, & *Compoſtellani* Canonici hodieque Card.
D Cardinalium nomine ſunt inſignes; *Paſchalis Se-* Baron.
cundus in Epiſtola ad *Didacum Compoſtellanum* to. 12.
Epiſcopum. *Cardinales* (ſcribit) *in Eccleſia Tua* Annal.
Presbyteros, ſeu Diaconos tales conſtitue, &c. In eccl.
Cæremoniali Ambroſiano *Beroldus* paſſim vocat Juret. ll.
Canonicos *Mediolanenſes* Cardinales, *Sigonius* Viceco-
meminit *Ambroſii* Cardinalis Eccleſiæ *Medio-* mes de
lanenſis, in qua fuiſſe Scholam Sancti *Ambroſii*, & Ritib.
xxii. Cardinales ordinarios recenſet. *Beneven-* ant. Bap-
tani quoque Canonici Cardinalium nomine de- tiſ.
corati fuere, adnecto gloſſam in c. *Pudor* 32. 1.8. de
q. 2. agere de Cardinalibus *Ravennatibus*, & Regn. I-
Gomezium in Regulas Cancellariæ de Cardinali- tal. & l. 7.
E bus *Mediolanenſibus*. *Andreæ* Epiſcopi *Spoletini* 177
diplomati donationis pro anima *Henrici* Impera- p. 293.
toris ſubſcribunt Presbyteri Cardinales Eccleſiæ
Spoletinæ, ſicut in Archivo Capitulari legi. *Sa-*
lernitani Canonici vocabantur etiam Cardinales,
ut patet è charta Emphyteuſis data anno ſalut.
MDLXXXVII. quam exhibuit mihi Reverendiſſi-
mus Abbas *Mancinus* Canonicus Baſilicæ S. *Lau-*
rentii in *Damaſo*. De Cardinalibus *Ravennati-*
bus, *Compoſtellanis*, & aliis, deque Titulis *Roma-*
nis, vi. Epiſcopalibus, xxiix. Presbyteralibus,
xx. Diaconalibus è Petro de Monte in *Monar-*
chia Conciliorum, & ex *Onuphrio Panvino* varia
F retulit *Marcus* ſupraſcripta Quæſt. Veſtrius in Mich.
praxi *Fori Romani*. Redeundum ad *Romanos*, de Mon. in
quibus *Stephanus* Papa non *Primus*, (ut exiſti- Sanct.
mavit *Coriolanus*) neque *Tertius* (uti *Ciaconius* Ecc.
putavit) ſed *Quartus* anno DCCLXIX. ſanxit in Capuan.
Synodo hiſce verbis. *Oportebat ut in Apoſtolatus* Chron.
culmen unus è Cardinalibus Presbyteris, aut Dia- Conc.
conis conſecraretur. *Leo* iv. anno DCCCXLIIX. *Ana-* vit. Pon-
ſtaſium Presbyterum Tituli S. *Marcelli* Cardina- tif.
lem per annos v. Parochiæ ſuæ contra ſtatuta
Canonum deſertorem abjecit, & depoſuit in Sy-
nodo

c. oportebat. c. nullus, c. siquis 2. 79. dist. c. 2. de Cler. non resid.

nodo LXXVI. Episcoporum, quam habuit in Ecclesia B. *Petri* consilio *Lotharii*, & *Ludovici* Imperatorum; unde convincitur ejus *Leonis* IV. esse capita secundum, & tertium de Officio Archipresbyteri, ubi de vicibus sacerdotum Cardinalium, & Mysterio, atque Officio agitur, quæ tamen *Leoni* IX. præpostere adscribuntur. *Joannes* dein VIII. Constitutionem de jure Cardinalium edidisse dicitur, in qua cautum est, ut ad Palatium Sacrosanctum illi bis in hebdomada juxta *Leonis Quarti* Decretum convenirent propter solicitudinem omnium Ecclesiarum, & Clericorum disciplinam, & Laicorum querimonias definiendas. Demum in Concilio Lateranensi *Nicolaus* Papa Secundus anno MLIX. mense Aprili Indictione XII. Clericis, & Episcopis Cardinalibus Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ cum Pontificis Comitia permisisset propositis Sacrosanctis Evangeliis in Basilica Patriarchii Lateranensis, & adjectis variis maledictionibus; tunc translata in eos potestate deligendi Papam, aucta est Cardinalium Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ dignitas, utque Papæ nomen, quod Episcoporum omnium erat olim commune, propter excellentiam *Romanorum* Pontificum proprium factum est, idque sancitum Decreto *Gregorii Septimi* in Synodo anno MLXXX. ita Cardinalium nomen promiscue Presbyteris omnibus Parochias obtinentibus concessum, & Canonicis, Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinales Presbyteri, atque Diaconi fecere suum, non Decreto, quod sciam ullo, sed veneratione, atque usu, quem penes arbitrium est, & vis, ac norma loquendi, quique legis vicem obtinet. Illud vero colligo, quia Cardinalium nomen indulsere *Romani* Pontifices variis Canonicis, & Præsulibus honoris ergo. *Leo Nonus* Presbyteros, seu Canonicos Cardinales VII. cum Sandaliis instituit *Vesontioni*, *Coloniæ*, Remis, uti Chiffletius è *Wiberto*, & ex Inscriptione docet, qui vestibus purpureis uti solebant. *Hartmanno* vero *Coloniensi* Archiepiscopo, & successoribus Cancellarii S. R. E. officium tribuit cum Ecclesia Sancti *Joannis* ante Portam Latinam. *Gluniacenses* Archimandritæ *Callisti* Papæ Secundi privilegio *Romæ* Cardinalium officio fungebantur; in *Italia Ravennates* Antistites, in *Hispania Compostellani* Cardinalium titulis ornabantur. *Remenses* Archipræsules in *Gallia* Cardinales Tituli Sanctæ *Sabinæ Vindocinenses* Cœnobiarchæ Tituli Sanctæ *Priscæ*, & alii alibi vocitabantur. Agendum quod instat, & quando Presbyteris, & Diaconis Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalibus accesserint, adjunctique fuerint, & incardinati etiam suprascriptæ Ecclesiæ, alii Episcopi, nominatique Cardinales perscrutandum.

Frizon. c. 2. Appar. Gall. Purpur.

c. in nomine 23. dist.

S. Hieron. S. Augustin. Sid. Apollin. 178

Card. Baron. in Notis ad Martyrol.

Wibert. li. 2. vit. Leonis. de Veson. p. 2.

Frizon. Gall. Purpur.

Bibliotheca. Cluniacen.

Ex Epistolis profecto Sancti *Cypriani*, & è Concilio *Romano* sub Sancto *Silvestro* jam probavi *Romæ*, vel haud procul sitarum, & longinquarum etiam Ecclesiarum Episcopos plures Episcopo Urbis assiduos adstitisse præsertim in arduis quibusque negotiis conficiendis, imo & electioni Pontificis *Romani* abhibitos liquet è Sancto *Cypriano*, ubi *Cornelium* factum Urbis Episcopum fuisse à plurimis Collegis suis, qui tunc in Urbe *Roma* aderant, & ad ipsum litteras honorificas, & laudabiles, & titulo prædicationis illustres de ejus testimonio miserunt, attestatur, & postea illos numerat ad XVI., & in Electione *Bonifacii* Papæ Primi subscripsere IX. diversarum Provinciarum Episcopi, ut superius adnotavi, neque suspicandum est vel Novatianos, vel Donatistas, vel Arianos Episcopos fuisse. Exhorruit etenim, & execratus est semper *Romanus* Pontifex Hæreseon portenta, nec Ecclesiam suam Hæreticorum contagio pollui, vel minima

ep. 52. ad Antonianum. 179

A perversarum Sectarum labe aspergi, aut attaminari unquam passus est, totam pulchram unicam Sponsam Christi sine macula, sine ruga servavit, neque commercio tam fœdo decolorari voluit, paratus ad impiorum detruncationem gladio *Petri* dextras omnium armare Antistitum: Clerici etiam Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ, qui Præpositi videntur esse, ac vice Pastoris custodire gregem, Hæreticos penitus aversati sunt, & Novatiani è Schismate in Hæresin prolapsi, cum ab Eclesia *Romana* turpissime per deformem ambitionem descivissent οἰκίσκον τινὰ ἑαυτοῖς δομησάμενοι, οἱ καὶ τοῖς ἐπιτεθυκόσι συνιέναι, καὶ συνιερᾶσθαι οὐκ ἠνέσχοντο, B ædiculam sibi quamdam extruxerunt, ita ut cum his, qui lapsi erant, & sacrificaverant, ac immolarant, quantumcumque pœnitentiam egissent, convenire, ac simul offerre, atque consecrare recusarent *Eulogio Alexandrino* teste. *Cornelius* autem Papa Concilio *Romæ* coacto *Novatum* hostem Ecclesiæ judicatum, ejusque Sectatores damnavit, atque ab Ecclesia repulit, & licet *Theodosius* Augustus *Symmacho* ad Ecclesiam *Novatianorum Romæ* profugo precibus *Leontii* eorum Pseudo-Episcopi pepercerit; *Cælestinus* tamen, simul atque Pontificiam Sedem conscendit, *Novatianis* Ec- C clesias *Romæ* abstraxit, eorumque falsum Præsulem *Rusticulum* in occulto coëgit celebrare Collectas. Denique ante annum V. Imperii *Theodosii Secundi* Novatianis ademptas Ecclesias *Romæ*, inque locis obscuris compulsos eos fuisse suos agere Conventus, ac in judicium protractos *Nicephorus* prodit, nec ullus è Clero *Romano* se illis commiscere umquam ausus est. Ad Donatistas quod attinet, quam animose objicit illis Optatus. *Ecce præsentes sunt ibi*, Romæ nempe, *duorum Memoriæ Apostolorum, dicite si ad illas ingredi potuit Macrobius* (Donatistarum Pseudo-Antistes) *ita ut obtulerit illic, ubi Sanctorum* D *Memorias esse constat*, & postea: *Erat ibi* (Romæ scilicet) *Victor* (Primus Donatistarum Pseudo-Episcopus) *filius sine patre, & Pastor sine grege, Episcopus sine populo; non enim grex, vel populus appellandi fuerunt pauci, qui inter* LX. *& quod excurrit, Basilicas, locum, ubi colligerent, non habebant, sic speluncam quamdam foris à Civitate gradibus sepserunt, ubi ipso tempore Conventiculum habere potuissent, unde Montenses appellati sunt.* In Collatione prima *Carthaginense* cum Donatistis, cum *Felix* quidam se Episcopum Urbis *Romæ* jactaret, & *Petilianus* Episcopus Nobilitatem omnem ibi esse *Romanam* turbine delatam; E *Aurelius* Episcopus præjudicari absenti obtestatus est, & *Marcellinus* exclamavit. *Sine præjudicio Episcopi Urbis Romæ*, & rursus Aurelius dixit: *Abundat nos Innocentium dixisse Urbis Romæ esse Episcopum.* hic vero *Felix* intrusus à Donatistis Episcopus *Romæ*, Urbe à *Gotthis* capta in *Africam* trajecerat, uti *Balduinus* censuit, & refugerat cum suis, è Sancto *Augustino* constat illum missum ex *Africa* fuisse *Romam*. Exclamat enim Doctor eximius: *Ecclesia non est in sola Africa, vel solis Afris Episcopum Romam paucis Montensibus* (quos alibi Rupitanos vocat) *vel in Hispaniam domui, seu Patrimonio unius mulieris* F *ex Africa mittentibus.* fuisse videtur ea mulier *Lucilla Hispana*, quæ damnationem *Cæciliani* emerat ab Episcopis, quia verum prædicans ei factus fuerat inimicus, ut idem Sanctus insinuat, & *Optatus* illam nutricem Hæreseos Donatistarum asserit. *Gregorius* Magnus *Donatistas* etiam in *Africa* comprimi curavit. *Ariani* vero adeo fuerunt *Romanis* Pontificibus, & Clericis exosi, ut *Liberius* Papa munera, quæ *Eusebius* Eunuchus à *Constantio* Imperatore missus Templo Sancti *Petri* obtulerat, increpito custode, quod id

S. Prosper contra Collator. Capell. de Appell. Eccl. African. S. Cypr. ep. 4.

apud Photium. Cod. 182. & Cod. 280. Niceph. Callist. l. 12. c. 21. hist. eccl. 180 Epiph. Scholast. hist. Tripartit. lib. 9. c. 22. lib. 11. c. 10.

lib. 2.

Hist. collat.

181 lib. 2. contra. litt. Petil. lib. 1. de unit. Eccles. lib. 3. contra Crescon. l. 3. c. 32. 35. l. 5. c. 136. & 163.

S. Athan. in ep. ad solit. vit. agentes. — Hist. Tripart. lib 5 c. 17. & 18. — Exod. c. 15. Judith c. 5. Eccl. c. 38. Exod. c. 25. — Anast. Bibl. in Felice. — Mart. Rom. — Mart. Rom. 9. Kal Oct. ubi Car. Bar. Binius in to. Conc. Card. Baron. ad an. 482. S. Gregor. lib. 2. c. 58. lib. 3. c. 19. — lib 3 Dial. c. 30. Joan. lib. 1 vit. S. Greg. c. 31. Card. Baron. an. 501. Hist. Tripart. l. 4. c. 8. Mendoza de confir. conf. Illiberit. S. Ambr. de non trad Basil. hæret.

non prohibuisset, procul uti victimam illicitam abjecerit, & solidos Decretos jussu *Constantii*, totidemque mandato Augustæ, ac alios ab Eunucho *Eusebio* sibi porrectos pro commeatu exilii generose recusarit, solumque vertere quam stylum maluerit, nec *Arianis* communicarit, vel tantillum. Clerus verò, populusque insuper *Romanus Felicem* Diaconum, quamvis Oorthodoxum, quia tamen *Arianorum* communione se fœdarat, in *Liberii* locum auctoritate Cæsarea inductum adeò detestatus est, ut nullus Basilicam ingressus umquam sit, dum *Felix* intus adstaret; cumque post biennium *Liberius* Edicto *Constantii* Matronarum precibus adducti revocatus in Urbem, atque regressus esset ea lege, ut una cum *Felice* administraret Ecclesiam, exclamavit populus passim: Unus Deus! Unus Christus! Unus Episcopus, ut solus *Liberius* Cathedram obtineret. Verum ubi quà compulsus minis, quà blanditiis *Constantii* corruptus, & illectus *Liberius*, sive tædio victus exilii subscripsit *A-*
182 *thanasii* condemnationi, atque permistus est *Arianis*. *Felix* è contactu Cathedræ *Petri* hausta virtute mutatus in alium virum insiliente Spiritu Domini in eum, perinde ac si Cathedra illa compacta foret è ligno, quod Deus ostenderat *Mosi*, ut eo misso in amaras aquas ipsæ in dulcedinem verterentur, vel è ligno *Setim*, è quo Arcam Domini fabricatam fuisse sacri libri testantur, quia erat incorruptibile, imputribile, atque (ut Græci loquuntur) ἄσηπτον; nunquam enim corruptarum, & putridarum opinionum, atque Sectarum perfidia potuit ad illam Cathedram habere accessum, & si quos illa tetigit amaros sessores, protinus edulcavit. *Felix* (inquam) secessit illico ab *Arianis*, & coacto Concilio abstinendum ab his palam edixit. Itaque *Liberio* sic excidente, *Felix* illi subrogatus est Cleri, populique consentientibus suffragiis, donec Martyrii coronam adeptus fuit. Quo in articulo mirum dictu, resumpsit pristinam sententiam, pristinosque animos *Liberius*, & abrumpens initam cum *Arianis* communionem, ab omnibus legitimus & justus Pontifex agnitus rursus cólligens Ecclesiam discissam, & Catholica dogmata propagans cœlestem promeruit beatitatem. Nullum dicendi finem facerem, si recenserem quæ *Liberio* suffecti *Damasus*, *Leo*, *Joannes*, aliique fortiter gessere, dum *Heruli*, seu *Eruli*, qui Ecclesiæ Catholicæ non communicabant, utpote qui *Ariani* essent, è septem Regionibus sacris tres occuparent, *Odoacrum* Regem sequuti circa Christi CCCCLXXVI. annum; mox à *Gotthis Arianis* Diaconiam Sanctæ *Agathæ* in Suburra detentam fuisse certum est, *Ricimeris* auctoritate, ut etiam illius Apsidis ab ipso exornatæ Opere musivo Inscriptio significabat. Detinebant *Ariani* præterea Ecclesiam positam juxta Domum *Merulanam* Regione tertia, sed utramque
183 *Gregorius* Magnus depulsis, & extinctis *Arianis* vendicatam Catholicis consecravit solemni ritu. Episcoporum quidem *Arianorum*, qui *Romæ* sederunt neque nomen, neque monimentum ullibi reperitur; etsi non tantum *Constantinopoli*, sed & in *Hispania*, in *Gallia*, *Mediolani*, *Capuæ*, perque totam *Italiam* duo Episcopi, Catholicus alter, alter *Arianus* diversarentur in singulis Civitatibus. Jura quidem Canonum, & fas sacerdotii singularis (ut docet *Pacianus* ad *Sympronianum*) non patiuntur, ut eodem tempore duo sint Episcopi ejusdem Ecclesiæ: *Nicæno* quippe id Concilio vetabatur, sed Tyrannorum furor, & Hæreticorum rabies jura illa sacra resolvit, & violavit, atque pacis fovendæ caussa toleravit Ecclesia Catholica *Novatianos*, *Donatistas*, & *Arianos* ad suum gremium rever-

Capac. Hist. Neap. Warnefrid. de Gest. Langobard. Sirmond. in Sid. Apollin. Can. 8. Nic. Conc. Filesac. de sac. Episc. auctor. Balduin. in Delibat Hist. African. & in Histor. Collat. — Damas. oper. Leo Gratian. in c. Chorep. & c. quamvis dist. 68. apud Ivonem c. plurimos in prolog. de dispensation. Anastas. in Collect. ad an. Christi 769. in Ann. Eccl. ex Anastas. in vit. Pont. in vit. Rom. Pontif. — l. 1. ep 10. l. 2. ep. 1. Annal. Eccl. to. 11. in Not. ad Martyr. Kal. Novemb. — Panciról. ne. Tesor. nasc. Torriq. in Crypt. Vatic. Ciaccon. in Calist. I. Nos m.s. Torriq. de Cœmet. Thrason Rom. Subterchron. conc. Const. Cajet. in Comment. de vit Gel. II.

sos, Episcopos haberi, ita ut altero decedente solus superstes Episcopatui præesset, vel prior illum teneret, aut alteri in ordine manenti plebs alia regenda committeretur. Neque censendum Chorepiscopos fuisse, qui *Romano* Pontifici, vel Clero aderant. Nam Chorepiscoporum munus, atque nomen Ecclesia *Romana* damnavit, atque rejecit, ut patet è Sancti *Damasi*, & è Sancti *Leonis* Decretis, præterquam quod in vicis illi, & in villulis dumtaxat collocabantur.

Romana quidem Ecclesia Episcoporum semper asylum fuit, & Antistites suis e sedibus expulsi a Barbaris, & ab Hæreticis ad Sedem Apostolicam tamquam ad sacram anchoram confugere solebant, ibique, ut ex Epistola *Joannis* Papæ liquet, alebantur pane Sancti *Petri* ipsi Hæretici resipiscentes, uti *Pyrrhus Constantinopolitanus* Patriarcha: præcipue vero proximi Urbis Episcopi Barbarorum incursibus fugati dirutis suis Urbibus, & plebibus exterminatis 184 *Romæ* profugi sustentabantur, & incardinabantur Titulis Regionum Urbis sæpius, quæ profanæ XIV., sed septem sacræ numerabantur. Cardinalis certe *Baronius* observat à *Stephano* Papa IV. statutum, ut omni die Dominico VII. Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis Missarum solemnia super altare Beati *Petri* celebrarentur, hicque mentionem primam Episcoporum VII. Cardinalium reperiri, horum scilicet, qui proximos Urbi Episcopatus haberent, & assisterent Pontifici ejusdem Sanctæ *Romanæ* annexi Cardini, vicemque Pontificis explerent sacris operando super altare Beati *Petri*, quem numerum inductum opinor instar eorum VII. quos in Apocalypse compellat Sanctus Euangelista *Joannes* Angelos, & stellas, ac illorum Ecclesias Candelabra aurea, quorum in medio similis filio hominis ipsi visus dictavit Divinam illam Prophetiam, sive pro numero Regionum sacrarum Urbis. *Luitprandus* a *Stephano* quoque Papa Quarto Cardinales Episcopos VII. delectos tradit, qui alternatim in Ecclesia Sancti *Petri* Apostoli Hebdomadas celebrarent, & Hymnum Angelicum in Missarum solemniis decantarent. Diu post sub *Nicolao Secundo* Lateranensis Ecclesia VII. Cardinales Episcopos habuit, quibus solis post Apostolicum, id est, Papam sacrosanctum illud altare licet accedere, ac Divini cultus Mysteria celebrare, ut adnotet *Petrus Damiani*, ex eoque Cardinalis *Baronius* ad annum MLVII. qui recenset Ordinem *Romanæ* Ecclesiæ illo ævo, nempe LIII. Cardinales in ea ministrasse, VII. scilicet Episcopos, Presbyteros XXVIII., Diaconos XVIII. (Erant & XXII Abbatiæ, & in Urbe XLII. Cœmeteria, foris quoque ad LXXIX. referunt *Bosius*, *Severa-*
185 *nus*, & *Coriolanus*.) In ara Principe Basilicæ Lateranensis Papa celebrabat quibusdam Festis diebus, & Stationum; aliis Episcopi VII. Cardinales, scilicet Dominica *Ostiensis*, Feria II. Sanctæ *Ruffinæ*, III. *Portuensis*, IV. *Sabinensis*, V. *Prænestinus*, VI. *Tusculanus*, Sabbatho *Albanus*, qui Papæ sacra facienti etiam assistebant cum Abbatibus designatis. Codex insuper Sacrorum Rituum perantiquus Vaticanus præscribit formam Ecclesiæ *Romanæ* circa MCXIX. annum Christi. *Sunt in Ecclesia Romana, Romæ nempe quinque Patriarchales Ecclesiæ. Prima est Lateranensis, quæ & Constantiniana, & Basilica Sancti Salvatoris dicitur, in qua sunt Episcopi Cardinales* VII., *qui appellantur Laterales, & Hebdomadarii, eò quod singulis Hebdomadibus per vices explent munus Pontificis nempe Ostiensis, Portuensis, Sanctæ Ruffinæ, sive Silvæ Candidæ, Albanensis, Sabinensis, Tusculanus, Præ-*

Panvin. m-f.l.2.c. 61.ex eoque Sever.de 7.Eccl. *Prænestinus. Secunda Patriarchalis Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris, in qua* VII. *Presbyteri Cardinales, nempe Sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi, Sancti Cyriaci in Thermis, Sancti Eusebii, Sanctæ Pudentianæ, Sancti Vitalis, Sanctorum Petri, & Marcellini, & Sancti Clementis. Tertia est Sancti Petri, in qua sunt* VII. *Presbyteri Cardinales, & quarta Sancti Pauli, in qua* VII. *Presbyteri Cardinales; Quinta Sancti Laurentii extra muros, in qua sunt etiam* VII. *Presbyteri Cardinales, unde colliguntur tantum* XXVIII. *Tituli Presbyterorum. Sancti Laurentii extrà muros Abbas Cardinalis erat, sicut & Abbas Sancti Pauli.* Has ipsas Patriarchales Ecclesias (in epist.) *Romæ* recenset *Innocentius* Papa *Tertius*, & in tribus Lateranense scilicet, Vaticana, & Liberiana suscipere solitum Papam insignia Pontificatus, & solum in earum altaribus celebrare;
186 Cardinalem vero non nisi ejus venia per Breve, seu Diploma concessa, quod observabatur quo (Serran. lib. de 7. Eccl.) tempore Pontifices *Romani* subsidebant *Avenioni.* Unde videtur jam inde a *Stephano Quarto* fuisse VII. Cardinales Episcopos in Sancti *Petri* Basilica. Narrat *Glaber Rodulphus* Monachus (lib.2.hist. c.4.) *Cluniacensis*, qui vixit sub *Roberto* Rege *Francorum* filio *Capitonis*, seu *Caputii*, ubi agit de Monasterio *Lucacensi* exstructo a *Fulcone* Comite *Andegavensi*, cujus Basilicam *Hugo* Archipræsul *Turonensis*, in cujus Diœcese constituta fuerat, sacrare distulit, nisi *Fulco* restitueret prædia, & mancipia, quæ injuste diripuerat Matri (Juret. in ep.238. Ivon. Carnot. 3.c.5. Obs. Franc.) Ecclesiæ Sedis sibi commissæ, *Fulconem* perrexisse *Romam*, ac obtinuisse a *Joanne* Papa, ut misso *Petro* Cardinale postulata *Fulconis* intrepide explerentur. Quem *Petrum* unum ex illis, qui in Beatissimi *Petri* Principis Apostolorum Ecclesia Cardinales vocantur, fuisse *Paschasius* affirmat. *Heriveus Remensis* Archiepiscopus apud *Hincmarum* nominat Stephanum *Petri* Apostolorum Principis, & Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalem. Licet ex his conjicere illos Episcopos e Sancti *Petri* Basilica translatos in Lateranensem. (lib.de 7. Eccl.) *Serranus* quidem prodidit in Lateranense Basilica statutum fuisse, ut a VII. Cardinalibus Episcopis quotidie vicissim super altare Beati *Petri* celebraretur, in aliis vero Patriarchalibus Ecclesiis idem Mysterium perageretur (in vit. Steph. III.seu.IV.) a Presbyteris Cardinalibus, auctoresque laudat *Anastasium* Bibliothecarium, *Ptolemæum Lucensem*, & *Martinum* Pœnitentiarium. Anno MXLIIX. sedente *Leone Nono* comperio VII. tantum Cardinales Episcopos I. *Prænestinum*, II. *Portuensem*, III. *Albanensem*, IV. *Tusculanum*, V. *Sabinensem*, VI. *Veliternum*, VII. *Silvæ Can-*
187 *didæ*, quos Lateranensi Ecclesiæ vendicatos, in Sancti autem *Petri*, & aliis Ecclesiis positos Presbyteros sub *Nicolao Secundo*, qui solis Cardinalibus jus suffragiorum tribuit in Comitiis Pontificiis, mox e *Petro Damiani*, & ex his, quæ superius protuli, claret. Seligebantur autem, ac evocabantur ad libitum Pontificum e variis Episcopatibus totius Italiæ, potissimum *Romanæ* Provinciæ ut adhærerent lateri Pontificis illi adsistentes in sacris, unde Laterales, & (Panvin. lib m.f. de gente Frangepau.) Collaterales dicti sunt an. MCXXXIX. (sic Patres Concilii *Sardicensis* vocant Pontificis *Romani* Legatos ἐκ τῆς ἰδίας πλευρᾶς, e proprio latere) & Hebdomadarii, quia per Hebdomadarum vices Pontificis munus explebant, & Regionarii, quia per VII. Regiones Urbis sacras distributi erant; & Sancti *Petri*, quando ejus Basilicæ addicti, & adscripti; & Lateranenses, cum Lateranensi annexi, atque incardinati, quin & *Romani* Episcopi. Memoratur *Petrus Romanus* Regionarius Episcopus, quem Papæ Suffraganeum, ac Legatum missum a *Romano* Pontifice ad *Ludo-*

A *vicum Pium* Augustum, *Lotharius* neglectis impie paternis monitis plane impediit, & avertit anno Christi DCCCXXXV., seu potius *Georgius* is nominandus; tradit enim auctor vitæ *Ludovici Pii* coævus ipsi *Ludovico* missos a *Gregorio* Papa ad *Ludovicum* Imperatorem, *Petrum Centumcellensem* Episcopum, & *Georgium* Regionarium Urbis *Romæ* simul Episcopum, quod ubi rescivit *Lotharius*, *Leonem* jussit ire *Bononiam*, qui magno terrore injecto, minisque intentatis prohibuit ulteriùs progredi hos Episcopos. Pudet inscitiæ *Faucheti*, qui Caput Regionis (ut vulgò vocant) fuisse opinatur, nec Episcopum agnoscit. (Franc. Bellefo-rest.tom. 1.Annal. Franc. apud. Pithæum Annal. Franc. Chron. Franc.) 188 (in hist. Rem.)

B *Petrus* Episcopus quidam *Romanus* apud *Flodoardum* in Epistola *Hincmari Remensis* enuntiatur. In Chronico *Farfensi Romanus* quidam Episcopus nomine *Petrus* jam nimis vetulus *Romæ* morans apud Sanctum *Vincentium* juxta Ecclesiam Beati *Petri* sub *Leone Nono* recensetur anno MXLIIX. *Beroaldo* Vigesimoprimo Abbate Præsidente Cœnobio. Legatum *Stephani* Papæ nomine *Damasum* Episcopum *Romæ* ad hanc obeundam Legationem ordinatum in *Franciam* venisse, ad Principesque adiisse, ut acciperent Regem suum *Ludovicum* scribit *Flodoardus*, sive *Frodoardus* in Chronico, alioqui comminaretur (apud Pithæum.)

C illis excommunicationem. *Guillelmus* Bibliothecarius scribit *Hadrianum* Primum Papam filium fuisse *Talari* postea Episcopi Regionarii, seu Regionis Tertiæ. (in vita Hadriani I.) Lapidi altaris Monasterii Sancti *Gervasii d'Eysses* in *Agennense* Diœcese, quod anno MDLXXVII. Calvinianorum rabie incensum, dirutumque fuit, ab Euangelii cornu ad cornu Epistolæ legitur incisum hoc Epitaphium. *Hic requiescit Beatissimus Aduinus Episcopus Urbis Romæ.* superestque sepulcrum, vas nempe capacissimum, ut e litteris R. P. *Odonis de la Mothe* accepi. Anno MLX. die VI. Julii *Nicolaus* Papa Secundus cum Episcopis *Romanis*, & aliquantis Cardinalibus adiisse Monasterium *Farfense* (Chron. Farfens. m.f.)

D narratur. Isti vero Regionarii, Hebdomadarii, *Romani*, & Laterales Episcopi, & Sancti *Petri*, atque Lateranenses Cardinales, per quorum tractatum, seu principale judicium fiebat electio *Romanorum* Pontificum, non erant certi, & stati olim omnes; nam seligebantur a Pontificibus pro libito, præsertim ex Episcopatibus Provinciæ *Romanæ*, & incardinabantur nunc hi, nunc illi præter *Ostiensem*, *Sabinensem*, & *Albanensem*, qui destructis suis Urbibus Episcopia *Romæ* habebant, & fixi, annexique firmiter videntur fuisse. (c.in nomine. Domini 23. dist.)

E *Sabinensis* profecto Urbs funditus excisa jacebat, Turresque successere Curibus, ut e Sancto *Gregorio* auctor Commentariorum *Pii Secundi* refert. 189 *Albanensis* vero quam fuerit quassata, & deformata satis ostentant, quæ hactenus restant, ruinæ, ut omittam *Ostienses* depopulationes non ab hostibus tantum, verum & ab aëre quoque infesto, morbisque grassantibus. *Ostiensis* autem Episcopus habitabat *Romæ* in Monasterio, sive Abbatia Sanctæ *Mariæ in Pallaria*, quæ à *Leone Nono*, & ab *Alexandro Secundo* concessa dein fuit *Casinensibus* Abbatibus in hospitium, unde *Lambertus* Episcopus *Ostiensis*, qui postea *Honorius Secundus* Papa

F fuit, abs Abbate *Casinensi* tulit repulsam Monasterii Sanctæ *Mariæ in Palladio*, ubi est Ecclesia sacra Sanctis *Sebastiano*, & *Zotico*, quamvis inscribatur illa vulgo *Zosimo*, & ab *Urbano Octavo* Summo Pontifice Sanctissimæ memoriæ instaurata, & opime ditata exstet, *Cælestinus Secundus* defunctus apud *Palladium* VI. Idus Martii sepultus in Ecclesia Lateranense proditur. Ecclesiam S. *Nicolai* in Monte *Palatino* a *Callisto* Papa II. *Blondus* in *Roma* Instaurata perhibet exædificatam. *Joannis* VIII. Sepulcrum in *S.* (Anast. Bibliothecar. Torriq. Crypt. Vatican. Const. Cajet. in Gelas.II. Chron. Casinen. c. 81. & 83.)

An-

Andreæ de Pallaria, & ædes familiæ *Capranicensis* super templo Palladii constructas. *Alexander* II. deinde *Casinensi* Abbati dat Ecclesiam *S. Mariæ* de Palladio, & recipit Ecclesiam S. Crucis in *Hierusalem* à *Leone* Papa IX. datam *Richerio*. Episcopium *Sabinense* fuit *Romæ* Ecclesia Sancti *Laurentii de Miranda* anno IX. *Innocentii Secundi Joannes* Acolythus Lateranensis Pallatii, & *Benedicta* uxor ejus nuncupantur, quibus à *Petro* filio *Petri Mancini Casalinum* positum in Regione Sanctæ *Mariæ Novæ* in conscensu Palladii divenditum sub his confinibus. Ecclesia Sancti *Laurentii de Miranda*, quæ est Episcopium *Sabinense*. Commemoratur Episcopium *Albanense* apud *Anastasium* Bibliothecarium, quod *Romæ* situm erat, & fines Lateranensis Ecclesiæ à scala Episcopi, seu Episcopii *Albanensis* ab *Innocentio Tertio* describuntur, & in supplicatione ab eo indicta proceditur per viam majorem, & arcum Basilii, & ante *Palatium* Episcopi *Albanensis*. Domus Episcopi *Portuensis* erat in Lycaonia insula, ut legimus in vita *S. Brunonis* Episcopi *Signini*, erat ibidem Domus Episcopi Sanctæ *Rufinæ*, seu *Sylvæ* candidæ, idque fuse probat *Ughellus* è Diplomatis *Benedictorum* VIII. & IX. ac *Joannis* XIX. erat & Ecclesia Sancti *Joannis Baptistæ* dicta inter duos pontes, quam à *Vandalis* exustam anno sal. CCCCLV. *Petrus* forte *Portuensis* Episcopus, qui anno Christi CCCC. LXV. seu LXVII. Concilio *Romano* sub *Hilaro* Papa interfuerat, renovavit magnificentius, ex inscriptione recens inventa ab eruditissimo *Morono*.

l. 3. 36. Chronic. e Casin. — Card. Nicolaus de Aragon. lib. de gest. Roman. Pontif. Cod. Vatic. m. s. 3534. — Archiv. s. Mariæ Novæ in Leon. III. lib. 3. ep. 150. idem l. 3. ep. 179. — in Italia sacra de episc. Portuen. & Sylvæ Candidæ.

Vandalica rabies hanc ussit Martyris aulam,
Quam Petrus Antistes cultu meliore novavit.

Est autem Insula *Lycaonia Romæ*, quæ hinc ponte Cestio, inde *Fabricio* connectitur Urbi, à *Jovis Lycaonis* Templo, quod ibi erat, uti *Fauni*, & *Æsculapii* Serpentisque delati *Epidauro*; Fuit quondam hæc Insula *Tyberina* carcer *Arvandi*, teste *Sidonio*: nunc in ea sunt SS. *Paulini*, *Adalberti*, &
190 *Bartholomæi*, quin & Sancti *Joannis Calybitæ* Ecclesiæ. Prope v. Patriarchales Ecclesias *Romæ*, Patriarchia, seu Patriarcharum ædes erant, juxta Lateranensem *Romanus* Patriarcha (nimirum Papa) habitabat; prope Vaticanam (cujus à dextra, lævaque construxit Episcopia *Symmachus* Papa *Primus* anno Christi CCCCLXXXXVIII. hinc pro se, ac suis successoribus, inde pro Archipresbytero) *Constantinopolitanus*, ad Sancti *Pauli Alexandrinus*, *Antiochenus* in Liberiana, ad Laurentianam extra muros *Hierosolymitanus*, illaque diversoria, & hospitia illis erant attributa, si quando Concilia Generalia *Romæ* haberentur, quibus illi interessent. *Tiburtinus*, *Nepesinus*, *Lavicanus*, & *Ortanus* Episcopi à Pontificibus *Romanis* aliquando inter VII. Cardinales Episcopos connumerati fuere. In Oppido *Poli* memini me legisse in Sancti *Stephani* Inscriptionem anno Christi MCXXXIX. incisam, in qua *Guido* Cardinalis Episcopus Lateranensis, & Sanctæ *Tiburtinæ* Ecclesiæ nuncupabatur. *Victor Secundus* anno MLVII. *Petrum Lavicanum* Episcopum, & *Joannem Tiburtinum* Episcopum Cardinales Episcopos renuntiavit. *Innocentius* II. anno MCXXIV. *Guidonem* Episcopum *Tiburtinum* suprascriptum (ut puto) *Clemens* Antipapa sedens adversus *Gregorium Septimum* ann. MLXXXIV. Cardinales Episcopos v., atque hos inter *Albertum* Episcopum *Nepesinum* allegit, sive potius Anticardinales; *Offo Nepesinus* etiam Episcopus cum aliis consecravit *Paschalem Secundum* Papam, unde *Nepesinum* inter VII. recenset *P. Caietanus*, & *Ortanum*, sive *Hortinum*, & *Parmensem* sub ipso *Paschale Secundo*, at sub *Innocentio Secundo* Archiepiscopum *Pisanum*, Episcopos *Papiensem*, & *Mutinensem*; addendus & *Veliternus*, seu *Velitrensis*,

lib. 1. epist. — Severan. de 7. Eccles. — Ciacon. Panduiph Pisan. in Pascha. II. — in Gelas. II.

qui è Civitate sua Barbaricas incursiones à Sancto *Gregorio* Magno translatus fuit in locum, 191
quem *Harenata* dicunt ad Sanctum *Andream* Apostolum, sive, qui appellatur *Renati* (in Actis VI. Synodi Oecumenicæ Monasterium Ρενάτ positum in antiqua *Roma* dicitur) vel in *Renatis*, forsitan ubi *Neophyti*, & recens Baptizati erudiebantur, & instituebantur ex Indice *Michaëlis Lebnici*. *Reatinus* insuper Episcopus fuit unus è VII. sub *Leone Decimo*, qui & *Tiburtinum* resumpsit, dum restituit *Brissonetum*, & *Carvajal* ad Cardinalatus, & Episcopatus istos tamquam Cardinales illis adsignavit. Verum *Ostiensis*, *Sabinensis*, & *Albanensis* Episcopi cum *Prænestino*, *Portuense*, atque *Tusculano* remansere soli Laterales Pontificis *Romani*, & Episcopi Cardinales S. *Romanæ* Ecclesiæ. Etenim *Veliternus* Episcopatus unitus fuit *Ostiensi* anno MCXXXIIX. in *Alberico*. At Episcopatus Sanctæ *Ruffinæ*, seu *Silvæ Candidæ* unitus etiam *Portuensi* à *Callisto Secundo* fuerat anno MCXX., deinde *Lavicanus* Episcopatus adjunctus fuit *Albanensi* è Bulla *Gregorii Noni* data Laterani IV. Kal. April. anno IV. Pontificatus. *Nepesinus* connexus *Sutrino*, *Ortanus Civitatensi*, seu *Civitatis Castellanæ*, *Tiburtinus* quoque *Parmensis*, *Mutinensis*, *Papiensis*, *Pisanus*, & *Reatinus* Episcopi ex Ecclesia *Romana* divulsi, & ab assiduis obsequis *Romani* Pontificis sejuncti, suisque Sedibus reddiri sunt. *Tiburtinus* forsitan ob bella, & internecinum odium cum Populo *Romano*, *Parmensis*, *Pisanus*, *Mutinensis*, & *Papiensis*, quia nimis remoti, atque dissiti, *Reatinus* ignotis mihi de caussis. *Ostiensi* Principem locum adtributum existimo, quia consecrat *Romanum* Pontificem, & idcirco pallio utitur, *Portuensi* II. quia præerat Urbis portui; III. *Sabinensi*, quod à *Sabinis Roma* incrementum accepisset; *Prænestino* 192
IV., quod oppidum illud Urbi proximum, amicum, & socium, tum Colonia fuerit; *Tusculano* V., quod exciso *Tusculo Romam* commigrassent cives; *Albanensi* VI., quod ex *Albæ* ruinis aucta foret Urbs. Olim quidem cum stati non essent, & postquam certi, & stabiliti fuere Cardinales Episcopi, nullus inter eos ordo nisi promotionis observabatur, Primus *Alexander* Papa *Quintus* anno Christi MCCCCIX., cum nullum Cardinalem novum delegisset, quosdam tantum ad Titulos mutavit; nam ob schisma contigerat, ut plerumque duo essent in eodem sacerdotio Titulares, hinc mutandorum, & optandorum Titulorum in Ecclesia *Romana* usus manavit, qui ad eum usque diem fuerat inauditus; Antea VI. Episcopatuum series digesta, illique pro dignitate, sive antiquitate, sive meritis Episcoporum distincti fuerunt. Abs his VI. Episcopis *Romanus* Pontifex consecrabatur. Sic *Leonem* II. anno DCLXXX., sic *Joannem Quintum* anno DCLXXXV. Episcopi tres *Ostiensis*, *Portuensis*, & *Veliternus* consecrarunt; *Constantinus* Antipapa anno DCCCLXVII. à *Georgio Prænestinense*, *Eustratio Albanense* atque *Citonato Portuense* consecrationem accepit; *Victor* Papa *Tertius* ab *Ostiense*, *Tusculano*, *Portuense*, ac *Albanense* anno MLXXXVII. *Urbanus Secundus*, qui *Ostiensis* erat, à *Portuense*, *Tusculano*, & *Albanense* anno MLXXXX., *Gelasius Secundus* à *Lamberto Ostiense*, *Petro Portuense*, *Vitale Albanense anno* MCXVIII. *Ostiensis* ab antiquissimis usque temporibus Papam consecrabat. Ita *Dionysius* Papa consecratus fuit à *Maximiano* Episcopo *Ostiense*, & *Marcus* Papa ideo constituit, ut Episcopus *Ostiensis* uteretur pallio anno CCCXXXV. quin & anno DLVI. 193
dum non essent Episcopi, qui ordinarent *Pelagium Primum* Episcopum *Romæ*, inventi sunt duo Episcopi *Joannes* de *Perusio*, & *Bonus* de Feren-

l. 2. ep. II. relata in c. tempor. tit. de Presb. in Panorm. Ivon. Action. II. — Ciacon. — Sever. Rom. Subterr. — Cod. m. s. monasterii Cryptæ Ferratæ. — Ciacon. in Alex. v. e Petro Rodulphio Tossinianen. — Ciacon.

Ferentino, & *Andreas* Presbyter de *Ostia*, qui eum Pontificem ordinaverunt; imo & *Mincio* dictus *Benedictus Nonus*, seu *Decimus*, cum Cardinalis Episcopus *Veliternus* ab obitu *Theophylacti* propinqui sui fuisset, ac vi, metuque in Sedem *Apostolicam* intrusus; cumque *Petrus Damiani* Episcopus *Ostiensis*, reclamans aufugisset, ab Archipresbytero *Ostiense* vice Cardinalis Episcopi consecratus fuit anno MLXXXVIII. Id satis innuit ipse *Petrus*, dum scribit cupere se auctore Deo Pontificem ordinare, ac protinus à proprii Pontificatus arce recedere, cum ante *Mincionis* incubantis Cathedræ *Petri* meminisset, quem perperam *P. Constantinus Cajetanus Cadaloum* censet. De *Ostiense* Episcopo in electione *Bonifacii* Papæ *Symmachus* agit fuse, utque ille Antipapam *Eulalium* tractus, & invitus consecraverit narrat. Hodie quoque consuevit Episcopus *Ostiensis* Papam consecrare assistentibus Episcopis *Portuense*, ac *Albanense*. Quam merito refellit *Filesacus* illum, qui somniabat *Romanum* Episcopum *Ostiensi* tanquam Metropolitano subditum fuisse, cum Metropolitanus numquam fuerit *Ostiensis*. Observatio *P. Cajetani* mihi non omittenda videtur. Episcopos scilicet è Cardinalibus assumptos electioni Pontificum subscripsisse, ac eorum Bullis, quoties apud ipsos commorarentur, loco suo, id est inter Presbyteros, vel Diaconos, si è Presbyteris, vel Diaconis ad Episcopatum evecti essent, & omnia munia Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalium obiisse, numeratos etiam inter VII. aliquando, sicut, & Episcopi Provinciæ *Romanæ*, qui Pontifici sub-
194 erant ἀμέσως, id est immediate, dicebantur Suffraganei Papæ, LXXV. uti superius memini, sive uti liquet e Vaticana Notitia LXII. at è Bibliotheca *Thuani* LXVII. refertque *Gutherus* in Specula, ubi arguit *l'Eschasserium* LXX. Papæ Suffraganeis LXX. Cardinales suffectos augurantem, hisque Suffraganeis implentem Suburbicarias Provincias. *Cajetæ* maximo in Templo inter alios versus Epitaphii, quod positum exstat *Andreæ* Episcopo *Cajetano*, leguntur isti.

Anast. Bibl. Ciacon. — in Apolog. ob dimiss. Episcopat. c. 3. — Leo lib. 2. chron. Casin. c. 100. — in auct. relat. ep. presbyt. à parte Bon. n. 22. patric. lib. rit. S. R. E. part. 1. can. 3. sect. 3. de auct. Epis. — in not. ad Gelas. II. vit. — notit. Episc. Miræi.

Romanamque prius decoravit Presbyter Urbem,
Culminis auctus honos hic dedit esse patrem.

Federicus Primus Imperator ad *Hadrianum Quartum Romanæ* Ecclesiæ Venerabilem Episcopum, Summumque Pontificem hæc scribit (apud *Melchiorem Goldastum* hæreticum, & damnatum auctorem) anno Christi MCLIX. *Filium Comitis Blandratensis, quem vos in Clericum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & filium nostra petitione assumpsisse recordati sumus, vicissim ad honorem vestrum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ altius sublimari intendimus ad Ecclesiam Ravennatem, quem à vobis diligi gaudemus, & volumus ea tamen ratione, & ordine, quo patres filios suos solent diligere, quos suo tempore & manumittunt, & domui suæ providere decernunt, & quidem decentissimum est Sanctam Romanam Ecclesiam, tamquam matrem omnium Ecclesiarum filios, qui sunt ventris fructus, aggregare, & aggregatos ad decorem domus Dei per domos, & familias distribuere, quibus & nostrum Imperium tamquam ab utero, & gremio matris digredientibus debeat, & velit congruum honorem impendere.* Titulum Beati *Chrysogoni Marino* Presbytero concessum rogatu *Pipini* Regis *Francorum* testatur *Paulus Primus* Papa, quem
195 deinde petiit Episcopum consecrari ut pœniteret. *Innocentius* vero *Tertius* noluit *Ravennatem* Episcopum eligi eum, qui Tituli Sanctæ *Praxedis* Cardinalis erat, imitatus Sanctum *Gregorium*, à quo ille, qui sacrum Ordinem in Ecclesia *Romana* susceperit, ulterius ex ea egrediendi licentiam non habere dicitur, & à quo Diaconus fa- ctus *Epiphanius* nullatenus discedere permittitur.

to. 3. Constit. Imper. — Ep. 24. apud. Gretser. & ep. 39. — c. de postulat. prælat. incipit. bo. me.

A Viceversa Episcopi non provehebantur ad Cardinalatum, & primus, qui ex Episcopali ordine transiit ad Cardinalitiam Dignitatem fuit *Chunradus* Comes de *Wittelesbach* Archiepiscopus *Moguntinus*, qui Archiepiscopatu suo injuste spoliatus à *Friderico Primo* Imperatore, quia *Victorem Tertium* Antipapam venerari noluit, ad *Alexandrum Tertium* confugit, & ab illo *Sabinensem* Episcopatum Cardinalitium accepit, seque deinceps Archiepiscopum *Moguntinum* & Episcopum *Sabinensem* Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalem professus est, uti *Ciaconius*, & post eum *Frizonius* adnotant, qui primum illum omnium Cardinalium duas Ecclesias, Episcopalesque sedes B obtinuisse novo, nec umquam ante audito exemplo scribunt; sed *Clemens Sextus*, & alii Pontifices, qui *Avenioni* sederunt & qui successerunt ipsis, frequentius id factitarunt ea cum formula, ut Cardinalitiæ quidem Ecclesiæ Episcopum, alterius autem Administratorem nominent, quod Incardinationis antiquæ vestigium est. *Prænestinus* quidem primum locum obtinuit inter VII., seu VI. Cardinales Episcopos sub *Leone Nono* an. MXLVIII. at V. anno MLVII., quin VII. anno MCXIX. ut in Vaticana Notitia, inque Bibliotheca *Thuani* perscribitur, in Codice vero Provinciali apud *Miræum* obtinet IV. juxta conse- C crationis, seu promotionis ordinem, quem observant in sedendo, inque subscribendo Episcopi locum mutantes subinde, ac variantes, donec IV. illi præfixus, & præstitutus fuit. Meruit assiduus labor Episcoporum *Prænestinorum*, me- 196 ruit solicita, & indefessa diligentia in obsequiis Pontificis *Romani*, & in defensione Orthodoxæ fidei, quemadmodum è Synodis laudatis patet; nec à *Georgio* Episcopo *Prænestino* violenter extorta consecratio impediit, quin *Stephanus Quartus* verus, & justus Pontifex VII. Lateralibus, sive Hebdomadariis, Sanctique *Petri* Episcopis accenseret Episcopum *Prænestinum*, dum VII. D illos constituit anno DCCLXIX. in Concilio habito in Basilica Salvatoris, in quo *Constantinus* Antipapa dejectus, & exinfulatus, Electionis Pontificiæ lex præscripta, & alia præclare ad Ecclesiæ bonum, & decus instituta sunt. Intererant autem doctissimi, ac selectissimi XII. Episcopi eo missi à *Carolo*, & *Carolo Manno Francorum* Regibus ipso *Stephano* Papa efflagitante, hosque inter *Josephus Avenionensis* Episcopus patriæ suæ XLIV. Primus igitur è *Prænestinis* Episcopis Lateralis, seu Hebdomadarius Pontificis *Romani*, & Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ incardinatus, videtur fuisse *Stephanus*, cujus anno DCCLXXI. jam memini. Neque possum hic satis obstupe- E scere, dum suspicio majestatem Sedis Apostolicæ, quæ non solum suo in exordio Episcopis vallata, & cincta, eorum seminarium, & quasi Prytaneum exstitit. Nam Sanctus *Petrus* (si *Panvinio* credimus) necessitate ductus propter populorum in Christum conversorum multitudinem, cum solus omnibus attendere non posset, duos Coepiscopos, & Coadjutores ordinavit, *Linum* videlicet, qui intra Urbem, & *Cletum*, qui extra, in Suburbiis munere fungerentur pridie Idus Junii anno Christi LVII. *Neronis* secundo, imo & Sancti *Petri* procul abeuntis vices sustinebant, & pro illo detento negotiis, F obibant Pontificalia munia. Jure namque *Sir*- 197 *mondus* arguit *Savaronem*, qui Presbyteros dictos esse vult Episcopos, & Sanctum *Linum*, cum dumtaxat esset Presbyter, Episcopum appellatum *Romæ* contendit, quo tempore Sanctus *Petrus Pontum*, & *Bithyniam* peragravit. Etsi vero apud Sanctum *Clementem* legamus binos Episcopos extitisse simul *Antiochiæ Evodium*, seu *Euhodum* sub Petro, *Ignatium* sub *Paulo*; *Ale-*

c. filium l. q. 1. — vit. Pont. in Gall. Purp. — Filesac. de auct. Epis. — Coriolan. Fauchet. Masselli. in ep. typis edit. ad Em. Card. Franc. Barb. — Panvin. lib. de Pont. & Card. creat. e Damas. — in Sidon. l. 4. ep. 11. & 25. & l. 7. ep. 6. — l. 7. Apostol. Const.

[Usser. de ant. Britan. è Martial. & Clem. cap. 4.] *Alexandriæ Anianum* à *Marco*, *Abilium* à *Luca*, *Romanorum* Ecclesiæ *Linum Claudiæ* (quia Linus filius fuit *Claudiæ*, certe *Linus*, & *Claudia* nominantur una in epistola posteriore ad *Timotheum* a Sancto *Paulo*) qui Primus sub *Paulo*, *Clementem* vero post *Lini* mortem sub *Petro*. *Ephesi Timotheum* sub *Paulo*, *Joannem* vero sub *Joanne*, non tamen eo pedibus in sententiam [in Martyrol. ad 1. Febr.] Cardinalis *Baronii*, qui ob dissensionem Gentilium, & *Hebræorum* alium Gentilibus *Ignatium* nempe à *Paulo*, alium à *Petro Hebræis Evodium*, scilicet, Episcopum datum putat, neque Sancti [lib. 1. Panar. hæres. 27. Carpocrat.] *Epiphanii*, qui procul peregrinantibus Apostolis, & Evangelii caussa longinquas regiones adeuntibus relictos Episcopos *Romæ Clementem*, *Linum*, *Cletum*, ne Urbs Episcopo careret, & *Lino*, *Cleto*que, quorum uterque sedit annos XII. post *Petri*, *Pauli*que Martyrium, quod anno XII. *Neronis* obtigit, simile laurea coronatis, *Clementem* iniisse Pontificatum: Censebam quondam corruptum esse locum Sancti *Clementis* à *Novatianis*, cum enim illi schisma foverent, & duos Episcopos simul Urbis ejusdem esse posse affirmarent, duos *Romæ*, & aliis in primariis 198 Civitatibus Episcopos ab Apostolis institutos adscribere potuerunt. Sic *Romæ* duos Episcopos *Liberium*, & *Felicem* consedisse *Socrates* asserit eodem tempore, & Episcoporum *Donatistarum*, *Novatianorum*, & *Arianorum* alibi cum Catholicis Catalogum texit *Socrates Novatianus* ipse, [in hist. Socr. de pœnitent.] uti *Latinius* eleganter, & perspicue indicat. Crediderim profecto ab illis Ecclesiæ velut incunabulis, in omnibus Metropolibus, sed *Romæ* præsertim plurimos Episcopos cum a Sancto *Petro*, tum ab aliis Apostolis ordinatos etiam sine Titulo, & absque ulla Diœcese proprie adsignata, ut horum opera cum Apostoli egerent vel ad subrogandum demortuis, vel ad allegandum informandis, & imbuendis Christiana fide plebibus isti præsto essent ad illos sublevandos parati semper in tam ubere Christi messe, atque in tanta copia. hincque illa varietas Episcoporum (ut arbitror) emersit. Revera tamen in unaquaque Urbe unum tantum Episcopum sedisse, atque præfuisse reor, alios vero sine Titulo, & sine potestate, nisi ea concederetur ab Episcopo proprio, adstitisse; id autem ne confusionem pareret deinceps ullam hodie qui Coadjutores, vel Suffraganei dantur Episcopis, consecrantur Episcopi, non tamen sine Titulo, sed Urbium, quæ detinentur à Barbaris, sive sitæ sunt in partibus Infidelium, Diœceses illis attribuuntur, quod est diversum simulacrum incardinationis. [de sacr. Episc. auctor.] *Filesacus* hujus moris originem repetit à *Novatianis*, *Donatistis*, & *Arianis* Episcopis ad Ecclesiæ sinum reductis, de quibus jam fusius egi. Ecclesia porro *Romana* his, quæ subsequuta sunt, sæculis, Episcopum suum Pontificem Maximum, & illi obsequentes, atque Assistentes varios ha-199 buit Episcopos intra suum Pomærium non solum in sacris celebrandis, inque Decretis Synodalibus sanciendis, in Electione, atque Consecratione, & in Bibliothecis curandis, verum etiam in studiis, & in Divinis voluminibus lectitandis, à Sancto namque *Gregorio* Magno *Romam* invitatum ad Sancti *Petri* Apostolorum Principis limina comperio *Joannem* Episcopum *Catanensem*, ut [l. 12. Reg. c. 25. Tertullian. S. Cyprian. Acta S. Seb.] ei esset collega in lectione sacri eloquii. unde merito *Romanus* Pontifex Episcopus Episcoporum nuncupatus fuit, illique cognomento *Bonum* Factum appingere jure merito licet. Istos inter Episcopos effulsere *Prænestini*, sicuti sæpius adnotavi, & post *Stephanum* anno DCCLXXI. Cardinalibus adnumeratum à *Stephano Quarto* Papa, successerunt *Andreas* anno DCCLXXIII., *Joannes* anno DCCLXXXVII. *Stephanus Tertius* anno DCCCIV. *Constantinus* anno DCCCXXVI., & illi, quorum nomina latent ad annum DCCCCLXIII. quo sedit *Præneste Theophylactus*, anno DCCCC., LXXXVIII. *Stephanus Quartus*, annis DCCCCXCVI. MXIV., & MXVII. *Petrus* Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Bibliothecarius.

200

CAP. XI.

De Prænestinis *Episcopis Sanctæ* Romanæ *Ecclesiæ Cardinalibus ad annum usque MC.*

Illi *Petro Petrus* alius in Cardinalatu Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ, & in Episcopatu *Prænestino* suffectus fuit à *Joanne* XIX. Pontifice Maximo, uti *Ciaconius* asserit, unde ad annum Christi MXXIV. collocandus, quin & ann. MXXVI. [In Nicolai II. vit.] subscripsisse *Joannis Deciminoni* diplomatibus eum liquet ex his ipsis, quæ R. P. *Ughellus* refert. Cum vero *Ciaconius Brunonem* istius Secundi *Petri* successorem adscribat à *Nicolao Secundo* provectum ad *Prænestes* Episcopalem, & Cardinalitiam dignitatem circa MLXI. annum, & *Brunoni* subrogatum eadem in Sede *Leopertum* ab [in Ital. Sacr. to. 1. ubi de Episc. Sylvæ Candidæ.] *Alexandro Secundo* ad annum MLXXIII. ex antiquo diplomate *Casinatis* Cœnobii anno MLXVII. VI. Idus Maji Indict. V. non video cur intrudat, vel irrepere patiatur *Ubertum de Podio*, seu *Poggiis Lucensem*, quem anno MLVIII. Cardinalem, & Episcopum *Prænestinum* inserit Cardinalibus à *Stephano Decimo* dicto *Nono* delectis, nisi [Ughell. ubi de Præn. Ep.] lapsus sit per ὑπερβίβασμον, seu trajectionem numerorum annalium vitio Scriptorum, qui MLVIII. annum supposuere pro MLXXXV. quo *Ubertus*, sive *Umbertus Prænestinum* Episcopatum, atque Cardinalatum obtinuit, ut inferius patebit, sed aliud quoque mendum ibidem occurrit. Nam signum *Stephani* Papæ *Secundi* attribuitur *Stephano* 201 *Decimo*. Urbs quippe *Roma* intra Numum delineata cernitur, & suprascriptum est. *Felix Roma*, circum vero. *Stephani Papæ Secundi*, in alia porro facie Crux, cui appicta sigla α, ω & IC. XC., in limbo autem. *ipse est Pax nostra*, unde non potui satis mirari oscitantiam eorum, qui Numum illum tam alieno loco posuere, cum *Stephanus Secundus*, sive *Tertius* anno Christi DCCLXXII. sederit, & *Nonus*, seu *Decimus* anno MLVII. arguit vero Numus ille Dominum Urbis tunc fuisse *Stephanum Secundum* Papam; sicuti tegulæ, quæ in Sancti *Petri* Archivo asservantur, quibus inscriptum lemma. *Regnante Theodorico Felix Roma*, & ænei Numi, in quibus legitur. hinc *Felix Roma*, inde *D. N. Baduila Rex*, *Theodoricum*, & *Baduilam* Reges [apud Claudium Menetrium] *Gotthorum* tunc dominatos esse Urbi comprobant. Infeliciter etiam omissis mediis *Ubertum*, sive *Umbertum Brunoni* successorem destinat *Ciaconius*, cum inserendi sint *Joannes*, *Bernardus*, & anno MLXXIII. *Leopertus*, ne secum ipse pugnare videatur, neve laudato diplomati fidem detrahat, vel nisi mendose eo in diplomate *Leopertum* pro *Uberto*, unumque *Ubertum* errans in duos, *Ubertum* nempe, *Leopertum*que dissecuerit. Dirigenda igitur hoc ordine mihi videtur apud *Ciaconium* luxata ista *Prænestinorum* Episcoporum, & Cardinalium series, ut *Petro Primo* successor datus circa MXXIV. annum a *Joanne Decimonono*, *Petrus Secundus* narretur; & *Petro Secundo Joannes*, qui Altaris Sanctæ *Agathæ* dedicationi *Romæ* præfuit *Leone Nono* sedente, ut è marmoreæ [in Ital. Sacr. to. 1. ex Flor. Martinell. in descr. Eccles. S. Agathæ.] tabulæ lapide refert *P. Ughellus*, id est anno circiter MXLVIII. *Joanni* vero *Bernardus* ab eodem *Leone* suffectus, quique anno MLXI. Indictione 202 XIV. *Romæ* IV. Non Maji Pontificatus *Nicolai Secundi* anno III. dedit Diploma seu Privilegium *Nicolai* ejusdem ad Pontium Abbatem *Anianæ Magalonensis* Diœcesis Ordinis Sancti *Benedicti*,

dicti, quod incipit hisce verbis. *Convenit Apostolico moderamini pia Religione pollentibus benivola charitate succurrere*, seque subscribit Sanctæ *Prænestinæ* Ecclesiæ Episcopum, uti P. *Odo* per literas affirmat. *Bernardus* illo ipso anno MLXI. *Brunonem* successorem habuerit, quem tamen *Ughellus* ἀμέσως *Joanni* demortuo anno MLXXX. substituit; *Bruno* autem *Leopertum* abs *Alexandro Secundo Prænestinæ* Ecclesiæ Præsulem delectum, qui anno MLXVII. ejusdem *Alexandri* Diplomati pro Monasterio *Casinensi* subscripsit ex ipsomet *Ughello*, quemque *Ciaconius* anno MLXXII. profert. *Leoperto* denique subrogatus fuerit *Ubertus*, sive *Umbertus*, quem *Penestrinensem* Episcopum anno MLXXIV. pridie Kal. Septembris *Gregorio* Papa *Septimo* sedente dedicasse Altare Sancti *Andreæ* in Ecclesia Sanctæ *Cæciliæ Romæ* adnotatum est in vetustissimo Bibliorum Codice manuscripto, qui asservatur ibidem. Illo quoque anno *Ubertus*, sive *Hubertus Prænestinus* Episcopus à *Gregorio Septimo* missus fuit ab Urbe Legatus ad *Henricum Quartum*, seu *Quintum* Imperatorem, sive Regem una cum *Agnete* Augusta religiosissima ipsius *Henrici* Matre, cumque *Gerardo*, seu *Geraldo* Episcopo Cardinale *Ostiense*, & cum *Raynaldo* Episcopo *Comense*, vel *Novocomense*, qui aliquibus *Robertus*, imo *Comano* (uti *Petrus Damiani* scribit) quamvis *Cumanus* enuntietur à *Gregorio Septimo*, & à *Paulo Bernriedense*, cumque *Curiense* insuper Episcopo. Ad partes Germaniæ duos Episcopos Reverentissimos Legatos directos *Prænestinum*, atque *Cumanum*, & Matrem ipsius *Henrici Agnetem* sunt qui tradant. *Gregorius* quidem *Septimus Albertum*, aut potius *Humbertum Prænestinensem*, & *Giraldum Ostiensem* Episcopos duos Legatos à se ad partes illas destinatos memorat, ut in unum convocatis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Religiosisque viris, vice, atque auctoritate sua fulti, quo corrigenda essent, corrigerent, quæ Religioni addenda, adderent, illos cum *Agnete* Augusta ab *Henrico* Rege *Romam* allegatos rediisse, atque apud Pontificem *Gregorium* constanter testificatos esse, quod ipse *Henricus* vellet *Simoniacam* Hæresim à Regno suo exstirpare, & inveteratum morbum fornicationis quorumdam Clericorum toto adnixu corrigere *Gregorius* ipse recenset, canit & *Domnizo*.

Prænestinæ quoque verum
Pontificem Christi.

Legatione illa functum, in *Hispaniam* insuper missum cum suprascripto *Girardo Ostiense Gallias* peragrasse *Frizonius* censet. Interfuit hic *Umbertus Canusii* quo tempore *Henricus* Rex pœnitens Pontificem *Gregorium Septimum* veneratus efflagitatam consequutus est veniam ad annum Christi MLXXVII. subscripserat ipse *Umbertus Gregorii Septimi*, & *Landulphi Beneventani* Principis Constitutioni, seu pacto, quod inierunt anno MLXXXVI. floruisse adhuc *Ubertum* conjicere licet, quia *Gibertus Corrigia Ravennas* Archiepiscopus Schismaticorum Episcoporum factione provectus ad Papatum *Brixini* cum Pontificem Summum se gereret, & *Clementem Tertium* appellaret in Pseudoepiscoporum Cardinalium delectu an. MLXXXVI. *Hugonem Candidum* sive *Blancum* à *Leone Nono* Cardinalem Presbyterum Tituli Sancti *Clementis* anno MXLIX. renuntiatum, designavit Episcopum *Prænestinum* adversus *Ubertum Gregorio Septimo* fidissimum. Erat *Hugo* ille *Tridentinus*, (*Gallum* affirmat *Frizonius* ex *Onuphrio*) vir eloquens, & doctus, sed inconstans, & variæ fidei, qui *Stephano Decimo* Pontifice unitatem Ecclesiæ deferens, & sub *Nicolao Secundo* schisma molitus, à *Nicolao* damnatus est; post *Nicolai* obitum præcipuus auctor fuit Schismatis, quo *Cadalous*

Card. Baron. Annal. eccl. ad an. 1074. Sig. l. 9. de Regn. Ital. Ciacon.
203 Rader. to. 3. Bau. s. Opusc. 56. de fluxa mundi gloria & ep. 8. ad Agnet. 19. 20. 21. lib. 1. l. 9 ep. 3. Regest. in vit. Greg. VII. edita à Gretsero Ingolstad. in 4. ad. 1610. ubi Bulla Greg. VII. de Humbert. Ep. Prænest. Lambert. Scafnaburgen. l. 2. ep. 28. ad Licmanum. Bremen. Ep. l. 2. ep. 30. l. 3. ep. 10. in vit. Comit. Matild. apud Gretser.
204 Card. Baron. an. 1074. to. 11. Annal. Eccl. Gall. Purp. Nicol. de Aragon. cod. m. s. Vatic. de reb. gest. Pont.

Pallavicinus Parmensis Episcopus Thronum Apostolicum usurpare conatus *Honorii Secundi* nomen assumpsit anno MLXI., & *Cadaloum* sectatus adversus *Alexandrum Secundum* justum Pontificem, ab *Alexandro* diris quoque devotus anno MLXIV., cum pœnitentia ductus veniam petiisset, impetravit. à *Gregorio* deinde *Septimo* Legatus in *Hispaniam*, & redux, defecit iterum, *Vormatiam*que convolat, ubi anno MLXXVI. coacta Pseudo-synodo suprascriptum *Guibertum Ravennatem* erexit in Papam, tertiumque à *Gregorio* Papa excommunicatus, & abjectus insorduit, inque perduellionatu animam miser efflavit, cum diutissime vixisset, & annos L. in illa Cardinalatus, & animi varietate transegisset. anno MXCVIII. die VII. Idus Augusti enuntiatur Episcopus *Prænestinus* in Conciliabulo *Romano*, cui cum *Bennone* Anticardinale interfuit. Sic de *Hugone* illo cecinit *Domnizo*.

Huc Hugo tunc falsus venit, qui dicitur albus,
Officit hic multis Romanæ Presbyter Urbis,
Ter damnatus erat, pretio qui restituebat
Emptores Christi templorum, junctus & ipsis
Adversus Papam fingens mala lætificabat
Corda malignorum, Regis simul, & sociorum.
Plura loquens Papæ dixit Synodus sibi sancta,
Tu pater es patrum, blasphemum contere pravum.

Anathematizatus etiam fuit hic *Hugo* ob ineptiam, & inconditos mores, & quia multas calumnias confinxerat contra *Gregorium Septimum* adhærens *Henrico* Regi, cui detulerat figmentum consimile Tragœdiæ de vita, & institutione Papæ. *Ubertum* verum *Prænestinum* Episcopum vitam produxisse interim ad annum MXCII, arguit *Bernardus* successor ejus in Cardinalatu, & Episcopatu Prænestino (uti docet *Ughellus*) é Bulla *Urbani Secundi* concessa Monasterio Sanctissimæ Trinitatis de *Cava* eo anno Pontificatus Quarto, unde ante *Uberti* excessum *Hugoni Candido Prænestinum* Episcopatum delatum ab Antipapa *Clemente Tertio* liquet, *Bernardum* excepit *Milo* ab *Urbano Secundo* Papa promotus ad Episcopatum *Prænestinum* circa MXCVI. annum, *Frizonius* & hunc *Milonem Gallis* accenset, *Hugonique* oppositum. Anno MXCIX. seu MC. *Paschalem Secundum* Pontificem electum *Milo* iste cum aliis Episcopis consecravit auctore *Pandulpho Pisano*, & in *Paschalis Secundi* diplomatis subscriptus reperitur, quæ data sunt annis MC. & MCI. tam pro *Cluniacensi* Cœnobio, quam pro Ecclesia *Florentina*.

CAP. XII.

De Prænestinis *Episcopis Sanctæ* Romanæ *Ecclesiæ Cardinalibus ad annum MCC.*

Excepit *Milonem Berardus Beneventanus* à *Paschale Secundo* Episcopatui *Prænestino* Præfectus, quem *Romæ* demortuum (ut *Ughellus* notat) anno MCVII. *Alphanus* Archiepiscopus *Salernitanus* hoc Epitaphio illustravit, certe reperitur illud in ejusdem *Alphani* Codice.

Berardus Nomen, Beneventus Patria, sedes
Præneste, celebris laus mihi Roma fuit:
Hostes Ecclesiæ contrivi, cuncta relinquens
Ivi Hierusalem solvere crimen ibi;
Jamque dies mensis retinebat quinque December
Cum rediens illinc mortuus hospitor hic.

Hinc facile est colligere *Beneventi* natum, Episcopum *Prænestinum Romæ* cum laude floruisse, *Hierosolymas* profectum, sive pœnitentiæ caussa, sive (uti conjicit *Ughellus*) Legatum in Orientem ad *Ebremarum* è Patriarchatu *Hierosolymitano*, cui incubabat intrusus, deturbandum, præclare munus obiisse, cumque inde rever-

Regest. Greg. VII. l. 2. ep. 25. B Presbyter in vita S. Anselmi Lucen. inter antiqua monumenta edita Ingolstadii to. 11. Magdeburg. centur. e Lamberto Schafnabur. Regest. Gregor. VII. Ciacon. Frizon. Frizon. Ciacon.
205 in vit. Comit. Matild. apud Baron. to. 11. Annal. Eccl. ad an. 1098. vit. Greg. VII. à Bennone post. hist. Slavorum Herm. à Reinerio Reineccio. Lambert. Scafnaburg. Greg. VII. l. 1. ep. 6. Sigon. l. 9. de Regn. Ital. Ciacon. Frizon. ll.
206 in vit. Pasch. II. cod. Vat. 3762. Ciacon. Frizon. Panvin. Bibliot. Cluniac.

reverteretur, in *Casinate* Cœnobio defunctum die v. Decembris, sepultumque jacere, nam Codex ille *Alphani Casini* servatur, ut à doctissimo *Luca Holstenio*, qui Epitaphium mihi transmi-
207 sit, accepi. Hujus *Berardi* mentionem fieri ab *Urbano Secundo* in privilegio, quod *Cluniacensibus* est indultum, & in Epistola *Gibelini*, seu *Jubilini Arelatensis* Archiepiscopi apud Cardinalem *Baronium Ughellus* asserit. *Berardo* subrogatus est *Chunradus* in Episcopatu *Prænestino*, atque in Cardinalatu à *Paschale* II., quem anno MCVI. comitatus fuerat hic *Chunradus* ad Concilium *Vastallense*, seu *Guardastellense*, cui una cum aliis Cardinalibus interfuisse, ac subscripsisse legitur, & in quo de Schismaticis Episcopis, & Clericis in unionem assumendis cogitatum fuit, ut auctores sunt *Nicolaus* Cardinalis de *Aragonia*, *Panvinius*, & *Ciaconius* è Bullis Lateranensibus. *Chunrado* suffecit *Cononem*, idem *Paschalis Germanum Treceburgensem*, seu *Trunciberenger* prius Eremitam in *Helvetica* Solitudine, & postea Canonicum Regularem, & unum è fundatoribus Congregationis *Aroasiæ* in *Atrebatense* Diœcese sub Regula Sancti *Augustini* non procul à *Bapalma* anno MXCVII. cujus Præpositus primus *Hildemarus* fuit ab isto *Conone* constitutus, quæque matrix fuit XXVI. seu XXVIII. Abbatiarum, seu Monasteriorum, & Sancti *Nicolai* vocabatur. Hunc ergo *Cononem*, seu *Cunonem* ob vitæ sanctimoniam, atque singularem pietatem *Paschalis* Summus Pontifex in *Galliis* agentem provexit ad Cardinalatum, & Ecclesiæ *Prænestinæ* gubernaculo admovit, mox ille Legatione Sedis Apostolicæ fungens in Oriente *Henrici Quarti*, seu *Quinti* sacrilegio audito, cum investituras Episcopatuum, atque Abbatiarum usurparet *Henricus*, inque ipsum *Paschalem* manus violentas injecisset, convocata *Hierosolymis* Synodo *Henricum* excommunicavit anno MCXI. & confestim advolans in Occidentem, eodemque Legationis munere circumquaque Provincias lustrans, collectis in *Græcia*, *Hungaria*, *Saxonia*, *Lotharingia*, & *Francia* Synodis, ubique sententiam excommunicationis, quam dictaverat in *Henricum*, repetivit, ut ex Actis Concilii Lateranensis Cardinalis *Baronius* probat: Abbas *Uspergensis* Conciliis v. confirmasse illam sententiam tradit *Cunonem*. Habuit equidem *Cuno* Legatus anno MCXIV. Concilium *Bellovaci* in *Galliis*, seu generalem Conventum Ecclesiæ *Gallicanæ* die VIII. Idus Decembris cum *Radulpho Remense* Archiepiscopo (errat *Robertus Manassem Remis* tunc sedisse narrans) in eoque *Godefridum Ambianensem* Episcopum, qui se in Cœnobio *Cartusiensi* recluserat abdicata dignitate, redire jussit ad Episcopatum, & in *Henricum* Anathema inclamavit, licentiam quoque dedit *Lamberto* Episcopo *Tornacensi* elevandi Corpus Sancti *Arnulphi Suessionensis* Episcopi in Monasterio Sancti *Petri Aldenburgi* in *Flandria* fundatoris, & quiescentis. Ad hunc *Cunonem* exstant IV. *Ivonis Carnotensis* Epistolæ datæ eo tempore, quibus se infirmitate corporis gravatum, quod ad eum non adeat, excusat. Idem *Cuno* in Quadragesima proxima anno MCXV. & in Dominica Lætare *Hierusalem* v. Kalend. Aprilis *Remis* Concilium celebravit, & *Henricum* iterum damnavit, apud *Suessionas* quoque Synodum collegit, & *Catalaunis* IV. Id. Julii excommunicationem *Henrici* sanciens, ut è rebus gestis Sancti *Godefredi* suprascripti, quem revocavit ad Sedem suam, liquet; & è veteri libro, quem laudat *Juretus*, ex eo vero nævos libens eximo; nam ubi legitur. *Item Cono era II proximum Paschæ Regem Henricum Coloniæ in Templo Sancti Gereonis damnavit*, *Catalaunis Cono* IV. *habito Conci-*

Ciacon. qui emendandus. Baron e Rob. de monte seu. Sigeb. append. Miræus de Capit Vind. & Orig Aug. c. 10. & 48. Cl. Robert in Gall. Christ. Gazæ in hist. Belg. Lœnius. 208 Pennot. l. 2. de Canon. Regul. c. 62. & l. 3. c. 53. in chron. ad ann. 1116 & 1119. Miræus. in Fast. Belgic. Suger de vit. Lud. Crassi. Coriol. in Summ. Conc. in Gall. Pur. Martyr. Gall. ad diem xv. August. ep. 267. 268. 275. & 277. Card. Baron. Nico. monac. in vit S Godefredi Episc. Amb. l. 3. c. 9. ad ep. Ivon. 236. & 266.

lio prædictum Regem damnavit IV. *Idus Concilii*, ita emendans restituo. *Theodericus feria* II. *proxima Paschæ Regem Henricum damnavit Coloniæ in Templo Sancti Gereonis. Catalaunis* IV *habito Concilio Cono prædictum Regem damnavit* IV. *Idus Julii.* Theoderici certe Cardinalis, & Legati meminit *Ciaconius*, eumque anno MCXVI. Coloniæ promulgasse Anathema in *Henricum* testatur, & in *Hungaria*, *Germania*, *Saxonia*, *Coloniæque* Legationem obiisse & *Coriolanus* affirmat, *Frizonius Juretum* sequutus tria enumerat Concilia ductu *Cononis* congregata in XII. & XV. annis sæculi XII. & *Manassem* Archiepiscopum *Remensem* vixisse putat *Bellovacensis*, & *Catalaunensis* Synodorum ævo. *Cunonem* non facilem flecti, suspensionis nota implicuisse omnes Episcopos, & Abbates *Normanniæ*, quod tertio vocati ad Concilia sua non venerant, refert *Willelmus Malmesburiensis*. Scripsit ad Cunonem *Gotfridus Vindocinensis*, & Episcopum vitæ laudabilis vocitat. Reversus est *Cuno* in *Italiam*, & sicut ibi anno MCIX. *Paschale Secundo* jubente, atque curante consecravit mense Februarii Sacellum domesticum arcis *Sublacensis* à *Joanne Quinto* extructum, ita *Prænesten* adveniens anno MCXVI. in Ecclesia sua XVIII. Kalend. Februarii Indictione x. altare, atque Cryptam Sancti *Agapiti* Martyris dedicavit, reconditque Reliquias Sanctorum Martyrum *Miliani*, & *Nymphæ*, non (ut legit *Ughellus*) *Miliani* Episcopi *Nepesinæ*, Epigraphen hujus Dedicationis indicem inserui libro superiori, cum alia, quæ *Paschalis Secundi* pietatem refert in Ecclesia superiore dedicanda, cui adjungit *Ughellus Petrum* Episcopum *Anagninum*, & Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Diaconos Cardinales. Curam quoque gessisse *Tusculani* Episcopatus ipsum Episcopum *Prænestinum* constat, 210 & *Nilum* Abbatem Monasterii de *Crypta Ferrata* benedixisse potestate à Papa sibi tradita è Bulla *Eugenii Tertii* relata à *Gregorio Nono* in diplomate dato Laterani Non. Februarii. Illo anno MCXVI. *Romæ* in Basilica Lateranense Generalis Synodus celebrata est, ad quam diversarum Provinciarum Episcopi, & Principes confluxerunt. In ea pridie Nonas Martias inchoata præstat audire *Cononem* VI. die loquentem. *Domine pater* (inquit Cono ad *Paschalem* Summum Pontificem) *Domine pater, si vere Tuus fui Legatus, omnibus his audientibus Legationem meam verbo Tuo confirma*; cui Pontifex, *vere Legatus ex Latere nostro fuisti, & quidquid Tu, cæterique fratres nostri Cardinales Episcopi Legati Dei, & Apostolorum Petri, & Pauli, hujus Sedis, & nostra auctoritate fecerunt, confirmaverunt, probaverunt. Ego quoque probo, & confirmo, quidquid damnaverunt, condemno.* Tum Prænestinus (Cono scilicet) *Atqui* (ait) *cum Legatus Hierosolymis agens audissem Regem Henricum post Sacramenta, obsidos, & oscula Pontificem in ipso Beati Petri Templo cepisse, indigneque tractasse, Cardinales exuisse, vexasse, nobiles Romanos partim occidisse, partim captivos fecisse, stragemque populi ingentem edidisse, cum hæc (inquam) flagitia, & scelera cognovissem, Ecclesiæ Hierosolymitanæ consilio execrationem in Regem Henricum intendi, eamque post in Græciæ, Hungariæ, Saxoniæ, Lotharingiæ, Franciæ Conciliis consilio harum Ecclesiarum confirmavi. Quamobrem oro vos (Patres Amplissimi) ut quemadmodum Legationem meam Dominus Pontifex confirmavit, sic & vos consentientibus suffragiis comprobetis.* Ita cum eadem Archiepiscopus *Viennensis* Legatis, litterisque missis postularet, in 211 eam sententiam à pluribus, & melioribus sine ulla dubitatione discessum est. Anno MCXVII. *Paschalis* Papa dedicata Ecclesia superiore *Prænestæ* die XVI. Decembris Indictione XI. inde ab-

209 in indice Concil. lib. de Gestis Pont. Angl. Juret. ad ep. 283. Ivon. Chron. Sublac. m. s. lib. I. c. 12. in Archivio Cryptæ Ferratæ. Alb. Cranz. lib. 5. Saxon. c. 38. Sigon. lib. 13. de Reg. Ital. Baron. in Annal. Ecclef.

absens post Epiphaniam appulit *Romam*, cumque in lethalem morbum incidisset, Sacramentis munitus è vita migravit, & XI. Kalendas Februarii ad Basilicam Lateranensem sepultus est. *Paschali Gelasius Secundus* subrogatus ad continendos in fide Sedis Apostolicæ *Germanos Cononem Prænestinum* Episcopum ad eos legat, at ille teste Abbate *Ursperqense* anno MCXIX. adhuc Legatione *Gelasii* fungens Synodum *Coloniæ* cum *Teutonicis* habuit, ubi excommunicationem Imperatoris omnimodis propalavit; Intererat huic Synodo *Northbbertus* postea *Præmonstratensis* Ordinis institutor, alteram quoque Synodum in *Frizlar*, seu *Fridlar* (*Ughellus* vocat *Fritistarium*, alii *Fritestarium*) idem *Cono* eadem pro caussa indixit, qua eamdem quam prius excommunicationem confirmavit. Denique *Gelasius Secundus* moribundus *Cluniaci* cum decumberet an. suprascripto MCXIX. *Palestrinum* (ita vocabant corrupte jam illo ævo *Prænestinum*) acciri jussit Episcopum, & imponere illi tanti honoris (id est) Summi Pontificatus, seu culmen *Romanæ* Sedis satagebat. Audiens itaque *Cono* Pontificem, qui proponebat eum deligendum Cardinalibus adstantibus. *Absit* (inquit) omnino, *Absit ut tanti oneris, ponderisque cacumen indignus ego, & infelix suscipiam, præcipue cum auxilio Dei, & sæcularium virtute divitiarum Romana Sedes temporibus nostris sub persequutionis flagello dedita defendi debeat, & muniri. si vero nostris acquiescere velitis consiliis, Viennensem Archiepiscopum virum utique Religiosum, prudentis-*
212 *que animi, & sæcularibus ornatum virtutibus ad tale, tantumque patrocinium eligimus.* Demortuo igitur *Gelasio Viennensis* Archiepiscopus renuntiatus fuit Summus Pontifex, & *Callistus Secundus* nuncupatus, illum *Cuno* proficiscentem in Urbem prosequutus est; cumque post Concilium *Remis* habitum anno ipso MCXIX. *Callistus Senonas* venisset, adiit *Cononem* ibi Abbas *Arnaldus*, ab eoque litteras obtinuit *Joceranno* Episcopo directas Nonis Decembris; en ipsas è Chronico m. s. Abbatiæ Sancti *Petri* vivi *Senonum* erutas à *P. Odone la Mothe* toties laudato.

in Chronic. Alb. Craniz. lib. 5. Saxon. cap. 49. Card. Baron. an. 1118 Const. Cajet. in Gelas. II. Ciacon. Card. Baron. Ciacon. Cajetan. Falcon. Ben. Chron. Frizon.

Cono Prænestinus Episcopus & *Romanæ* Ecclesiæ Legatus, *Joceranno Lingonensium* Episcopo salutem.

Querimoniam Venerabilis Arnaldi Abbatis Monasterii Sancti Petri vivi audivimus, de Abbate Molismense, & Abbate Sancti Joannis de Prato, quorum unus Ecclesiam ei aufert, alter villam cum suis appendiciis, vos autem jam bis diem placiti eis constituistis; sed neque vos, nec Abbates ad ullam illarum venire voluistis, & quoniam injuriam hujus rei penes vos esse sentimus, mandamus, ut inde plenariam justitiam faciatis; quod si facere nolueritis, querimoniam ejus ante Dominum Papam, quia de Legatione nostra est, me sciatis perlaturum, & caussam ejus quamtumcumque potero prosequuturum. Hinc patet *Cononem* sectando *Callistum Senonas* pervenisse, idque auctor Chronici diserte narrat anno MCXIX., *Cononem* scilicet ibi aditum ab *Arnaudo* Abbate, qui querimoniam de *Lingonensi* Episcopo faceret, quia diffugiebat Episcopus ille justitiam sibi facere de duobus Abbati-
213 bus pro lite de Ecclesia *Ratiacense*, sed de illo consule veterem Chronologum *Antisiodorensem*. *Tolosæ* hic ipse *Cono* anno MCXX. Idibus Julii Indictione XII. *Callisti Secundi* Pontificatus primo anno Bullæ datæ à Pontifice per manum *Chrysogoni* Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Bibliothecarii, directæque *Pontio Anianensis*, Monasterii Abbati, cui subscribunt Pontifex, aliique Cardinales, suum etiam Chirographum adjunxit, hac serie, quæ mihi luxata

A videtur, nisi dixerit aliquis ordinem nullum observatum.

Ego Callistus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Cono Prænestinus Episcopus.
Ollegarius Tarraconensis Ecclesiæ dispensator.
Signum Raimundi Barbastrensis Episcopi.
Ego Bernardus Archiepiscopus Auscensis.
Ego Lambertus Ostiensis Episcopus.
Richardus Narbonensis Episcopus.
Ego Petrus Cardinalis Sanctorum Cosmæ, & Damiani.
Ego Boso Tit. Sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis.
B *Ego Ato Arelatensis Episcopus.*
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli.
Ego Deusdedit Tit. Sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis.
Ego Fulco Aquensis Episcopus scripsi.
Ego Joannes Presbyter Cardinalis Tit. Sancti Chrysogoni.
Ego Amicus Abbas Sancti Laurentii foris muros.
Ego Arduinus Abbas Sancti Sabini, seu potius Sabæ.

Gothifredus Clarevallensis in Epistola ad Episcopum *Albanensem* narrat *Cononem*, cum *Suessionibus* in *Gallia* Concilium celebraret, *Petri Abailardi* scripta cum auctore damnasse, contaminataque hæreseos veneno flammis exussisse, 214
Petrum hunc *Abailardum* extra San. *Dionysiana* claustra degentem, resipiscentem tamen, ac poenitentem ab Episcopo *Prænestino* exceptum *Gabriel Naudæus* haud pridem fato functus cum maximo litteratorum mœrore, nec minore jactura rei litterariæ prodidit. *Cono* demum tot laboribus pro Sancta *Romana* Ecclesia perfunctus in Urbem redux anno circiter MCXXII. in cœlum evolavit. In Concilio *Romano*, quod habitum fuit anno MCXXI. Domno *Prænestinus* Episcopus Cardinalis nominatur apud *Marchesium in Dissertatione de S. Brunone Signien.* sed legendum Domnus *Cono*. *Stephanus* Episcopus *Tornacensis* scribit epistolam XLII. Episcopo *Prænestino Bernereolo*, uti p. 221. v. 1. adnotavi. Tum vero *Guillelmum*, seu *Willelmum* natione *Gallum* Cardinalatu, & Episcopatus *Prænestini* donavit infulis *Callistus Secundus* in Concilio Lateranensi mense Decembre anno eodem MCXXII. quem cum afferat *Frizonius* firmasse privilegium Cœnobiis *Vallis Umbrosæ* ab *Henrico Quarto* Augusto concessum, missum opinor à *Callisto* in *Germaniam* ad caussam Episcopatus *Herbipolensis*, in quem *Gebehardus* fuerat intrusus, discutiendam; *Honorii Secundi Guillelmus* iste interfuit electioni, & post *Honorii Secundi* obitum exorto schismate, contra *Petrum* filium *Petri Leonis*, sive *Anacletum Secundum* elegit *Innocentium Secundum* Pontificem, illique adhæsit, à quo insuper Legatum in *Germaniam* ipsum missum sacro unxisse oleo, sive consecrasse solemni ritu *Brunonem Coloniensem* Præsulem certum est MCXXXIII. Christi anno. Subscripsit quamplurimis Pontificum Bullis ad annos MCXXIII. MCXXV. MCXXIIX. MCXXX. MCXXXIII. MCXXXVI. ut in Bibliotheca *Cluniacense* legitur, & apud *Constantinum Cajetanum*, quin & diplomati dato pro immunitate *Pistoriensis* Ecclesiæ *Pisis* Kalendis Januarii Indictione XII., & privilegio Monasterii *Agaunensis* II. Kalendas Novembris Indictione XV., Concilioque *Pisano* interfuit anno MCXXXVI. subscriptus invenitur & Bullæ *Innocentii Secundi*, qua *Januensis*, seu *Genuensis* Ecclesia erigitur in Archiepiscopatum IV. Kalendas Aprilis MCXXXIII. In Sancti *Chrysogoni Romæ* visitur Inscriptio, in qua *Willelmus* iste commemoratur Anno Dominicæ Incarnationis

in panegyr. Campan. Onuph. de Card. in Gall. Pur. antiq. monument. Gretſ. edita Ingolſt. 1610. in ep. num. 4. Ciacon. Bibliot. Cluniacen. in vit. Gel. II. Nicol. de Arag. Card. de reb. gest. Pont. cod. Vat. m. s. 215

MCXXXIII. VIII. Idus Junii Indictione I. Dedicatum est Oratorium Sancti *Chrysogoni* à venerabilibus Episcopis *Petro Portuensi*, *Vitale Albanensi*, & *Guillelmo Prænestino*, Præsidente in Apostolica Sede beatissimo *Callisto* Papa *Secundo* anno ejus Pontificatus V. quam Dedicationem rogavit fieri frater *Joannes de Crema* peccator sacerdos Tituli Sancti *Chrosogoni*, sed holographam, & integram exhibet sacræ apprime peritus antiquitatis *Andreas Victorellus*, de *Willelmo* fusius agit *Ciaconius*. Illum ad annum usque MCXL. vixisse successor eo anno designatus arguit *Stephanus Quintus Catalauni* ad Matronam in lucem editus è nobili genere Monachus Congregationis *Cistercienfis*, apud *Claravallem* Sancti *Bernardi* Discipulus dilectus ob probitatem morum, & observantiam Monasticæ disciplinæ, mense Decembre ab *Innocentio Secundo* promotus, de quo hæc scribit Joannes Sarisberiensis. *Quis non stupeat Episcopum Prænestinum, qui scrupulum conscientiæ metuens à participatione bonorum communium abstinebat?* Bernardus Abbas *Bonævallis* in vita Sancti *Bernardi*, sive *Alamannus* Episcopus Antisiodorensis *de his* (id est Cisterciensibus, ait) *Præneste Stephanum habuit totius gloriæ virum.* ad hunc *Stephanum* solum scribit ipse Sanctus *Bernardus*, ad alios tres Cardinales simul; sanctis adnumeratur, ejusque Festus dies celebratur à *Cistercienfibus* XIII. Februarii, vi-

216 tam posteris reliquit *Chrysostomus Henriquez:* subscripsit hic *Stephanus* variis Bullis (quas refert *Ciaconius*) *Innocentii Secundi*, *Cœlestini Secundi*, & *Lucii Secundi*, præsertim Bullæ *Innocentii Secundi* ad *Raimundum* Episcopum *Tolosanum* anno MCXLII. & alteri ejusdem directæ *Gerardo* Abbati Monasterii Sancti *Andreæ Andaonensis* prope *Avenionem*, & datæ Laterani XVII. Kalendas Madii (sic Majum vocabant) Indictione VI. meminit, & istius *Stephani Prænestini* Episcopi ea Inscriptio anni MC. XLIII., quam inseruit lucubrationi suæ de Cryptis Vaticanis *Torrigius:* lubet Elogium appingere, quod mutuor è Martyrologio Gallicano: *Pridie Idus Februarii Catalauni in Campania Sancti Stephani Episcopi, & Confessoris, qui ex Monacho Cisterciensi ob egregia sanctitatis testimonia ab Innocentio Secundo Papa inter Ecclesiæ Cardinales cooptatus, Episcopusque Prænestinus creatus, susceptam dignitatem miris virtutum ornamentis ampliavit: Monasticam enim humilitatem sic ea in sublimitate retinuit, ut Episcopalem nihilominus gravitatem conservaret, sic abundans, ut vere se pauperem spiritu, & corpore exhiberet: bona sua in pauperes distribuens, terrena contemnens, cœlestia toto affectu appetens, perennique studio Dei obsequio, & Ecclesiæ commodis invigilans, quibus piis muneribus ad extremam usque diem perfunctus felicem laborum finem adeptus est, dignusque ob præcelsa merita inventus, qui in cœlo & Beatorum gloria, & in terris Sanctorum ab Ecclesia sacris tabulis inscriptorum cultu perpetuo potiretur*, abiit in cœlum anno MCXLIV. die XII. seu XIII. Februarii; *Lucius* vero *Secundus* tunc Pontifex in quatuor temporibus Adventus Domini *Guarinum* illi suffecit Sanctum Sancto, nam in *Romano* Martyrologio

217 die VI. Februarii memoratur Sanctus *Guarinus*, seu *Garinus* Cardinalis *Prænestinus* Episcopus, & in Catalogo Sanctorum civium *Bononiensium* recensetur à Cardinale *Palæotto*. Canonicus Regularis erat Ordinis Sancti *Augustini*, cum ortus esset è nobilibus parentibus è familia de *Fuscarariis Bononiæ*, & optime à pueris institutus, illis invitis clericus in Ecclesia majore ordinatus, habitum deinde suscepisset in Monasterio Sanctæ Crucis Mortariæ apud *Papiam*, ubi cælestium contemplationi, orationi, & divinarum scri-

Frizon. Severan. de 7. Urb. Eccl. in Notis ad Ciacon. — Polycratic. l. 6. c. 24. Card. Baron. in Annal. lib. 2. c. 8. Frizon. Ciacon. ep. 224. & 231. ep. 219. 229. & 230. — Cyrejus. in Catal. SS. seu. Kalend. Cist. in Fascic. SS. Cisterc. And. du Saussay in Mart. Gallic. Catel. hist. du Langued. — Sur. to. 4. seu 7. sanct. Phil. Ferrar. in nov. Topograph. SS. Card. Baron. in Not. ad Martyrol.

A pturarum lectioni totus incumbens brevi tantum profecit, ut propter illius sanctæ conversationis famam Clerus, & Populus *Papienfis* Episcopo destituti *Guarinum* in ejus locum unanimiter eligerent, quam dignitatem adeo constanter recusavit, ut arcto in loco custoditus, deceptis custodibus fugiens tamdiu latuerit, donec alter ejus loco *Papienfis* Episcopus consecraretur. Cum autem increbesceret illius fama sanctitatis, *Lucius Secundus Romanus* Pontifex accersitum licet invitum, & serio reluctantem Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalem, & Episcopum *Prænestinum* illum sacravit, nec non pretiosum apparatum, & equitatum ei donavit,

B quem nihilominus *Guarinus* statim vendidit, & illius pretium pauperibus erogavit, quibus etiam in Episcopali dignitate constitutus alimenta, & vestimenta suis manibus ministrabat, verbum Dei diligenter, & assidue annuntians, jejuniis, precibus, & operibus pietatis indefesse vacans, senio confectus *Præneste*, cum divinitus præsciret appropinquare obitum, convocatis Clericis monita, & documenta præbuit salutaria tum oculis, ac manibus in cœlum erectis ad Dominum migravit nocte sequente diem VI. Februarii, ea vero nox luce splendidissima illustrata refulsit velut meridies, sepultus est in Ecclesia

C sua, illatusque tumulo Beati *Agapiti* Martyris; Deus ejus mortem miraculis coruscare voluit, nam mulier à Dæmone obsessa sepulcrum ejus tenens, illico sanata est, & suspensis ante illud lampadibus, luminaria cunctis videntibus, & mirantibus, nemine ignem ingerente derepente fuerunt accensa. erat annos natus CX. cum animam efflavit, annusque à Christo nato MCLIX. volvebatur. Hæc ex Officiis propriis Sanctorum, quæ à *Canonicis* Regularibus recitanda concessit Sanctæ memoriæ Papa *Pius Quintus:* relatus fuit inter Sanctos, ejus è Reliquiis, aliquæ *Corneti* asservantur, ut ex Indice superius relato probatur, *Bononiæ* quiescere *Romanum*

D Martyrologium fatetur, è familia *Guarinia* originem ejus repetit *Ughellus*, & adscribit insignia Bovem erectum, anhelantemque ac collum milio circumdatum, fusissime *Augustinus Ticinensis* Canonicus hujus Sancti vitam descripsit, *Surius*que retulit ex illo. *Petrus Apollonius* hoc eum disticho celebravit.

Terrenas contempsit opes, Fastumque Guarinus,
Clarior ut Cælo, divitiorque foret.

Anno igitur MCLIX. mense Martio *Hadrianus Quartus Julium*, quem Presbyterum Cardinalem Tituli Sancti *Marcelli* designarat *Cælestinus Secundus* anno MCXLIV., promovit ad Epi-

E scopatum *Prænestinum* loco *Guarini*, qui è vivis excesserat VIII. Idus Februarii, tum legavit eum cum aliis Cardinalibus ad *Guillelmum Siciliæ* Regem, & illis auctoribus Regem suscepit in gratiam, cumque ipso conciliato firmissimum percussit fœdus *Beneventi*. *Federicus* Imperator id iniquissime tulit, & hoc colore ab *Hadriano* alienatus est, publice conquestus illud fœdus in odium, detrimentumque Imperii *Romani* cedere. *Hadriano Quarto* defuncto *Alexandri Tertii* 219 rite Pontificis electi partes tutatus ab ipso stetit adversus *Octavianum* intrusum è *Presbytero* Ti-

F tuli Sanctæ *Cæciliæ* Cardinale *Victorem Quartum* dictum. quemadmodum intelligitur ex Epistola, quam cum aliis Cardinalibus *Julius* ad omnes Christianos, atque ad *Federicum* ipsum Imperatorem misit, in qua Comitiorum *Alexandrinorum* rationem reddit. In *Anagninis* monumentis anno MCLXI. *Terracinæ* cum *Alexandro Tertio*, & Cardinalibus *Julius* subscriptus est, ab *Alexandro* Legatus cum *Petro* Cardinale Sancti *Eustachii* in *Pannoniam Hungaros* ad ejus obsequium

in Archiep. Bonon. Bosius de Sig. Eccl. refert. Pennot. lib. 2. hist. Gener. Cler. Canon. — Volater. l. 21. Comm. Urb. Sig. de Bon. Episc. Ciacon. edit. veter. & 532. novæ. 218 — Edit. Venet. in 1634. 8. — Ciacon. — Card. de Aragon. cod. Vat. m. 1534. lib. de gest. Rom. Pontif. Card. Baron. to. 12. Annal. Eccles.

quium traduxit. Itaque Rex *Hungarorum Alexandrum Tertium* justum Pontificem agnovit, & veneratus est, ab *Alexandro* in *Gallias* profugiente relictus in Urbe Vicarius *Julius* anno MCLXIV. prudentissime illam difficillimis temporibus rexit, eodemque anno, seu MCLXV. moriens inibi situs fuit. *Manfredus*, seu *Maffredus* Diaconus Sancti *Georgii* ad velum aureum Cardinalis anno MCLXIII. evectus ad Titulum Sanctæ *Cæciliæ*, & Presbyteratum anno MCLXIV. & anno MCLXVI. ab *Alexandro Tertio* apud *Senonas* in *Galliis* degente, *Julio* suffectus fuit in Episcopatu *Prænestino*, Pontificemque sectatus anno MCLXXVI. Indictione IX. mense Februarii *Venetias* navigantem per mare *Hadriaticum*, ut in ejus Actis narratur, & à *Romualdo* Archiepiscopo *Salernitano*, quin & in *Dalmatiam* delatum *Jaderam* usque, teste Cardinale de *Aragonia*, *Ferrariam* insuper regressum comitatus idem *Manfredus* mense *Julio* in Vigilia Beati *Jacobi* cum aliis Cardinalibus ab *Alexandro Tertio* missus usque ad Ecclesiam Sancti *Nicolai Venetiis* in Capite *Rivialti*. *Federicum*, seu *Fridericum* Imperatorem ejusque Comites Schisma ejurantes absolvit ab Anathemate anno MCLXXVII., & *Alexandro* semper adfuit, nec ab ejus latere discessit, donec *Anagniam* Octobri mense perveniens diem clausit extremum XVI. Kalend. Februarii. *Wion* è Kalendario, seu Necrologio Montis *Casini* addit hunc *Manfredum Benedictini* Ordinis fuisse alumnum in Monasterio *Mantuano* educatum anno MCLXVI. ab *Alexandro Tertio* Legatum cum *Petro* Cardinale Diacono Sanctæ *Mariæ* in *Aquiro* ad *Guillelmum* Regem *Siciliæ*, ut auxilium peteret adversus *Federicum*, qui schismaticis favens Urbem obsidebat. *Berneredus*, qui & *Bernaredus*, ac *Bernerus*, seu *Bernardus*, imo & *Benemeredus* Abbas Sancti *Crispini* Ordinis Sancti *Benedicti Romam* ad Concilium Lateranense profectus ab *Alexandro Tertio* Cardinalatu auctus fuit, & Episcopatu *Prænestino* donatus; Sic enim ad illum scribit *Petrus Cellensis* Abbas Sancti Remigii. *quando ut Tuo Episcopo* (*Suessionensi* certe, intra cujus Urbem situm est Cœnobium Sanctorum *Crispini*, & *Crispiniani*, *Nevelonem* istum Episcopum vocat *Frizonius*, qui cognomen adjicit de Cherisy, & anno MCLXXV. fuisse Consecratum illum Chenu prodit) *acquiescerem, ire cum eo ad Concilium permisi, si Te Cœlestis dispensatio illaqueavit, quid Tibi irasceris? quid mihi?*; varias etiam eidem exaravit ille *Petrus* epistolas, anno itaque MCLXXIX. subscripsit *Bernaredus* diplomati, quod *Alexander Tertius* dedit pro *Alphonso Lusitaniæ* Rege, & alteri pro Monasterio novo *Pictaviensi*, & alteri dato anno XX. Pontificatus, V. Non. Julii Indictione XII. quod asservatur in Κειμηλίοις Eminentissimi Card. *Francisci Barberini Mecænatis*; ad hunc *Berneredum* scripsit & *Stephanus* Episcopus *Tornacensis*, felicem ejus obitum miraculis illustratum notat suprascriptus *Petrus* Abbas ad Episcopum *Tusculanum* Cardinalem, accidit hic obitus anno Reparatæ Salutis MCLXXXI. apud Montem *Casinum*, ubi jacet. *Frizonius* non minus cæcutit, & cespitat in hoc Cardinale quam *Ciaconius*, & ἀχρονίσμοις, ac Synonymiis ambo deluduntur. anno MCLXXX. anteriori, IV. Kalend. Martii à Christi Incarnatione subscripserat *Alexandri Tertii* Bullæ *Bernaredus*. At ejus defuncti assumptus in locum *Paulus Scholarius*, seu *Scholaris* Filius *Joannis*, & *Mariæ Romanus* è Regione *Pineæ* ad infulas Cardinalatus, & ad thronum Ecclesiæ *Prænestinæ* fuit ab *Alexandro Tertio* evocatus; ædificaverat ille prope Basilicam Liberianam, sive Sanctæ *Mariæ Majoris*, cujus Canonicus fuerat, cum esset Cardinalis,

[Margin, left column: Vivian. II. — Ciacon. — Contelor. in concord. Alex. III. — Romuald. apud Contel. — 220 Actor. Contelor. ex Rogerio Anglo, & Obone Baron. Ciacon. lib. 2. Ligni Vitæ. — Ciacon. — Panvin. — l. 2. ep. 1. & 2. — Frizon. Sirmond. in Not. ad ep. Petri Cellen. & ad 55. & ad 21. l. 8. — 221 — in not. Ciac. — l. 9. ep. 6. — Ciacon.]

A Episcopusque *Prænestinus*, Palatium pro se successoribusque *Prænestinis* Episcopis (ut in Codice m. s. legitur, hisce verbis *de proprio fecerat fabricari Prænestino Episcopo, qui pro tempore fuerit*) tum alia multa donaverat, quæ *Cælestinus Tertius* istius *Pauli* sive *Paulini* (uti vocat Cardinalis *Baronius*) ad solium Apostolicum evecti, & *Clementis Tertii* nuncupati successor in *Romano* Pontificatu rata habuit Bulla data Laterani per manum *Ægidii* Diaconi Cardinalis Sancti *Nicolai* in Carcere *Tulliano* anno MCXCI. Indiction. XII. Non. Januarii, quam refert *Ughellus*, præfuit Ecclesiæ *Prænestinæ* iste *Paulus* ab
B anno MCLXXXI. ad MCLXXXVIII., quo Pontificiam Cathedram conscendit, interim variis Diplomatis subscripsit, adhæsitque lateribus *Alexandri Tertii*, *Lucii Tertii*, *Urbani Tertii*, & *Gregorii Octavi*. Canonizationi Sancti *Brunonis* Episcopi *Signini* in Ecclesia *Signiense* inter alios Cardinales adstitit Dominus *Paulus* Episcopus *Prænestinus* è suprascripto *Marchesio*. Ita *Prænestinorum* Episcoporum fidam, atque strenuam 222 operam expertus est *Alexander Tertius Julii*, *Masfredi*, *Berneredi*, & *Pauli*, probaveruntque *Alexandri Tertii* successores qua in Legationibus, qua in Consecrationibus Ecclesiarum, & Benedicti-
C onibus Abbatum, hos vero quatuor *Prænestinos* Antistites *Alexander* ipse *Tertius* legerat. docet illius rescriptum ad Presbyteros *Pontiæ* caussam inter Episcopum *Prænestinum*, & *Sublacensem* Abbatem tunc fuisse ventilatam. *Paulus* igitur hic *Prænestinus* Episcopus anno MCLXXXVIII. VIII. Idus Januarii Summus Pontifex in locum *Gregorii Octavi* fato nuper functi renuntiatus *Pisis* in Ecclesia Cathedrale Cardinalium suffragiis rite, ac juxta legem *Alexandrinam* super Comitiis, *Clementis Tertii* nomen assumpsit, pacem illico cum popularibus suis (*Romanis* nempe civibus) composuit, & Urbis Dominium recepit suppres-
D sis Senatoribus, Præfecturamque restituit; pro Expeditione Syriaca, sacroque bello plurimum laboravit, & Imperatorem *Federicum*, *Philippum Francorum*, & *Henricum Angliæ* Reges, ut Crucem assumerent, & ad Terram Sanctam pergerent impulit, sibi vero subrogavit in Episcopatu *Prænestino Maynardum*, seu *Gherardum Gallum* Monachum *Cisterciensem* septimum Abbatem Pontiniaci in Diœcese *Antisiodorense* virum omni disciplinarum excultum genere, atque in expediendis pro Ecclesia Dei consiliis promptum, & alacrem, ipsique *Clementi Tertio* carissimum anno MCLXXXVIII. quo & morte præreptus fuit hic
E *Maynardus*, unde oculatissimis etiam scriptoribus excidit, ut observat *Ughellus*, qui ab *Antonio Yepez*, *Roberto*, & *Frizonio* ipsum memorari adnotat, sed & *Girardi* cum nomine *Ciaconius* profert. successit *Maynardo Joannes de Comitibus Signiæ Anagninus* anno MCXC. mense Septembri 223 *Romæ* sublectus à *Clemente Tertio*, quem *Hadrianus Quartus* anno MCLVIII. mense Martio Diaconum Sanctæ *Mariæ* in Equirio Cardinalem constituerat, & *Alexander Tertius* anno MCLXIV. *Senonibus* Presbyterum Tituli Sancti *Marci* Cardinalem declararat, cujus *Alexandri Tertii* comes, & Legatus *Joannes* iste in *Longobardia* et-
F iam fuit, & qui eum coram *Ludovico Francorum* Rege defenderat egregie, *Venetias* prosequutus, interfuit abjurationi *Federici*, idem *Joannes* à *Clem. III.* insuper Legatus in *Gallias*, ut *Philippum Francorum*, *Henricum*que *Angliæ* Reges conciliaret, inprimis factiosos incentores belli devovit diris, tum eas ipsi *Philippo* comminatus fuit. Legationem etiam in *Umbria*, quin & in *Hungaria* obiit Apostolicam; sub *Cælestino Tertio* subscripsit Bullæ pro Monasterio Sanctæ *Mariæ Campi Martii* in Urbe, decessitque anno MCXCVI.

[Margin, right column: Severan. de 7. Eccl. — in Ciacon. — Bulla Lucii. III. apud. Emin. Card. Barberinum. Frizon. — Vivian. de jure patron. l. 3. p. 1. c. 2. nu. 67. & 68. emendandus in subscript. c. 2. ext. de testib. cog. — to. 3. Aannal. S. Bened. — Ciacan. Radevico Fringen. l. 4. c. 57. & 74.]

[c.594. ex eo que Frizons.] MCXCVI. è vita. Hic intexit *Ciaconius Guillelmum*, seu *Willelmum Blesensem* Archiepiscopum *Remensem*, adnumeratque *Prænestinis* Episcopis, sed etsi fuerit Tituli Sanctæ *Sabinæ* Presbyter Cardinalis, & fortassis secundum Archiepiscoporum *Remensium* privilegium, quo superius egi, & tantum honorarius, *Prænestinæ* tamen [Cap. 10.] neutiquam præsedit Ecclesiæ, sicuti neque *Cencius* è Presbytero Cardinali Tituli Sancti *Laurentii* in *Lucina*, quem anno MCLIII. ab *Anastasio Quarto* Præsulem *Prænestinum* cooptatum putat idem *Ciaconius*, irrepsit forte pro *Widone*. *Willelmus* in Appendice *Mariani Scoti*, & à librariis scriptoribus brevitatem affectantibus, & VV. principes litteras *Willelmi*, ac *Widonis* tantum effingentibus data fuit ansa *Willelmum* pro *Wido-*
224 *ne* substituendi. *Ughellus* etiam *Ciaconium*, & *Frizonium* pluribus valide confutat, suffectumque dilucide demonstrat *Joanni Widonem* de *Pare Gallum* Abbatem *Cistertiensem* decimumquintum, qui annis XII. Ordinem rexerat summa cum laude pietatis, atque prudentiæ, ab *Innocentio Tertio* Episcopum Cardinalem *Prænestinum* anno MCXCVIII. designatum *Romæ* mense Decembri, Legatumque in *Gallias*, ac *Germanias* anno MCXCIX. ubi *Othonis Quarti* Imperatoris Electionem auctoritate Pontificia confirmavit, & *Philippum Suevum Othonis* æmulum, ejusque asseclas anathemate perculit, quod ambitione sua publicam tranquillitatem perturbarent; *Leodii* Synodum convocavit, & Clericos lapsos severioribus legibus, optimisque coercuit institutis, quæ [in not. ad Ægidii de Aurea Valle histor. Leod.] refert ex parte *Ægidius Buccherus*. *Coloniæ* primus instituit, ut ad incruentæ, & sacrosanctæ Hostiæ, Calicisque in sacrificio Missæ augustissimo elevationem Campanulæ sonitus ederetur; cumque Divinum ipsum Viaticum deferretur ad ægrotos, tintinnabulum itidem personans præcederet, ad monendum populum, ut Christum ibi [Cæsarius Heisterbac. lib. c. 2. & l. 9. c. 51. miracul. Naucler. in Chron. ult.] adoraret. ad hunc *Widonem* Legatum in *Germania* rescripsit *Innocentius Tertius* super Præpositura *Colocensis* Ecclesiæ, qui ejusdem meminit agens de Sancti *Trudonis* Ecclesia, & in responso ad Canonicos *Moguntinenses* super Electione Archiepiscopi. Huic *Widoni Prænestino* Episcopo *Remensem* contulit Archiepiscopatum *Innocentius* [Robert. in Gall. Christ. c. dudum 22. ext. de Elect. c. 6. ext. de offic. Legat. c. bonæ 22. ext. de Elect.] *Tertius* Bulla data Laterani II. Nonas Julii anno Pontificatus VII. Christi MCCIV. quam inserit holographam *Ughellus*, illi, ac successoribus privilegium Reges inungendi confirmat idem *Innocentius* anno MCCV. Idibus Maji, quo anno memorant *Widonem* Episcopum Cardinalem *Prænestinum* exaratæ calamo tabulæ Monasterii Sanctæ *Mariæ Campi Martii* in Urbe. Probat *Ughellus* variis è Bullis *Widonem de Pare* Cardinalem *Prænestinum* vixisse ad annum MCCVI. quo XIII. Ka-
225 lendas Junii, imo XXXI. Julii, seu Kalendas Augusti, ut in Gallicano Martyrologio adnotatur, & Bulla *Inocentii Tertii* ad eum data III. Idus Junii anno Pontificatus IX. evincit, contagiosa lue correptus migravit in cœlum *Gandavi*, ubi sepultus fuit in Monasterio Sancti *Petri*, ac inde *Cistertium* deportatus, ubi hoc Epitaphio decoratur in Choro.

Nobis donatus de culmine Pontificatus
Rhemis translatus jacet hic vir Guido beatus.

Certe *Guido* iste *de Pare* felici excessu ad Dominum abiisse, dicitur, & vitæ inculpatæ nitore, ac magnæ religionis splendore insignis, piæ memoriæ dicitur, atque Beatis accensetur [in Fascic. SS. Cisterciен.] ab auctoribus Kalendarii *Cistertiensis*, & Martyrologii Gallicani, & à *Chrysostomo Henriquez*.

CAP. XIII 226

De Prænestinis *Episcopis ad ann.* MCCC.

Vuidonem de Pare in Episcopatu *Prænestino* excepit *Wido de Papa*, seu *Paparonus*, vel *Paparescus* è progenie *Innocentii Secundi* descendens *Romanus* anno MCCVII. mense Decembri consecratus ab *Innocentio Tertio*. Hic à *Clemente Tertio* Cardinalis Presbyter Tituli Sanctæ *Mariæ Transtyberim* delectus, Legatus fuerat cum *Octaviano Ostiensi*, & *Hugolino* Diacono Sancti *Eustachii* Cardinalibus adversus *Marcualdum* Regni *Neapolitani* Senescalcum, qui vexabat *Romanam Ecclesiam*, & propterea excommunicatus fuerat, eumque Verulis satis factione suscepta absolvit anno MCXCIX. alteram Legationem anno MCCII. in *Longobardia*, & *Marchia* obiit, Angelica visione admonitus *Innocentio Tertio* fuit auctor, ut Ecclesiam *Sanctæ Mariæ Transtyberim* consecraret, quod Concilii Lateranensis temporibus factum est. Vir fuit decorus forma, statura procera, canitie venerabilis, patientia laudabilis, castitate, vitæque honestate præfulgidus, mortuus est XVII. Kalendas Septembris anno MCCXXI. Interfuerat eo anno [Chron. Cassinens.] Kalend. Aprilis Consecrationi Ecclesiæ Sanctorum *Vincentii*, & *Anastasii* ad Aquas Salvias, ut docet Inscriptio marmorea. Mox tertius *Wido* non ex Nobilibus de *Bisuntio Urbevetanus* Regulus, sed è *Petri Leonis*, seu Perleona Gente *Romanus*, ut probat luculente. R. P. *Ughellus* scrutator Antiquitatis Ecclesiasticæ solertissimus è vetustis Kalendariis Ecclesiæ *Placentinæ*, 227
& è Bulla *Honorii Tertii*, qui ab *Innocentio Tertio* anno MCCV. Cardinalis Diaconus Sancti *Nicolai* in Carcere Tulliano mense Decembri renuntiatus fuerat, ab *Honorio Tertio* admotus fuit [Ciacon.] Ecclesiæ *Prænestinæ* clavo an. MCCXXI. mense quoque Decembri, consecratusque Pontifice initiante, Legatus in *Longobardia*, & multarum caussarum Auditor interiit anno MCCXXVIII. die VII. kal. Maji illum *Tostus* Civis *Romanus* hostiliter insequutus, excommunicationis laqueis fuit [Ughell.] innodatus, ut Cardinalis *Thomas de Capua Gregorii Noni* nomine refert. *Conradum* Ordinis [ep. 11. dictamin. sui m. s. Cod. Barber. 2138. Bibliot. hist.] *Cistertiensis* alumnum è Chronico Montis fortis *Vignerius* auctor suspectus ad annum MCCXXII. vocat Episcopum *Prænestinum*, cum fuerit *Portuensis*, Legatusque adversus *Albigenses* è *Ciaconio*, *Catello*, & *G. de. Podio Laurentii*, & Incerto. In Officio Sancti *Brunonis Signini* legitur *Honorium Tertium* anno MCCXXIII. Pontificatus [Hist. Comit. Tolosan.] sui VII. in *Brunonis* illius honorem Deo aram solemni ritu dedicasse, administris *Petro Prænestinensi*, *Nicolao Tusculanensi*, & *Andrea Portuensi* Episcopis; sed *Petrum Sabinensem* Episcopum anno MCCXVI. ab *Honorio Tertio* adscitum, [Chron. c. 34. Chron. Inc. lect. 6. à Josepho Episc. Veron. edit. Rom. 1592.] ad annum MCCXXXVII. vixisse apud *Ciaconium* comperio. *Wion* vitam ejus ad annum MCCLII. producit, quo *Perusii* tumulatus est. *Pizæus* scriptor Hæreticus anno circiter MCCXXIX. Legatos *Gregorii Noni Joannem* Episcopum *Prænestinum*, & *Othonem* Diaconum (non ut ille adscribit Episcopum) Sancti Angeli pacem composuisse inter Ducem *Meraniæ*, & *Stephanum* [Hist. Arausi.] *Cabilonensem* Comitem *Burgundiæ* narrat. Sed neque *Conradus*, neque *Petrus*, neque *Joannes Prænestinam* Ecclesiam obtinuerunt; nam *Jaco-* 228
bus de Pecoraria Ordinis etiam *Cistertiensis*, *Placentiæ* nobilibus, & opulentis parentibus, qui vallis Pecorariæ in agro *Placentino* ditionem possidebant, & *Placentinum* sæpe Consulatum gesserunt, natus, cum primum Sancti Domnini Clericus, tum Archidiaconus *Ravennas* se Divino cultui addixisset, secedensque in *Gallias* *Ci-*

A *Cistertii* Regulam professus anno MCCXV. adeo in doctrinæ pietatisque studiis profecisset, ut Abbas electus Monasterii Sanctorum *Vincentii*, & *Anastasii* ad tres Fontes, sive ad aquas salvias extra Urbem, *Honorio Tertio* acceptissimus, ab eoque Pœnitentiarius, & Capellanus designatus, gravissimis negotiis adhibitus esset, à *Gregorio Nono* ad Cardinalatum, & Episcopatum *Prænestinum* subvectus fuit anno MCCXXXI. mense Septembri, missusque ad *Federicum* Imperatorem cum *Odone Blanco* Sancti *Nicolai* in Carcere Tulliano Diacono Cardinale ad pacis negotium pertractandum, Diplomate dato, *Spoleti* IV. Idus Julii anno VI. B Pontificatus, Christi MCCXXXII. à *Federico* fuit detentus, ut ipse *Gregorius* queritur in epistola, quam *Gretserus* edidit in lucem, inde ad *Insubres* diffidentes conciliandos, sedandumque bellum, quo ardebant, cum eodem *Odone* Legatus, calamitosam cladem compressit. Fuit & in *Insubriam* remissus, ut inter populos illos, & *Federicum* Imperatorem pax coiret; quarto *Pannonicam* Legationem obivit, ubi Ducem *Meraniæ* cum *Stephano* Comite *Cabilonensi* pacare potuit. quinto *Hetruscam*, inter *Florentinos*, & *Senenses* arbiter honorarius, reversusque *Romam* Vicarius constituitur, *Gregorii Decimi* tunc in C minoribus, & privati familiaris, & amicus anno circiter MCCXXXVI. sexto *Gallicam*, & *Hispanicam*, ut *Albigensium* furorem retunderet, & Crucem adversus illos prædicaret, exciretque & accerseret *Præsules* ad Concilium Lateranense, quod
229 *Gregorius Nonus* convocarat adversus *Federicum*
Ciacon. Imperatorem. itaque *Jacobus* ementitus peregrinum clam *Roma* discessit, *Genuam*que pertransiens *Gallias* appulit, ubi quantumvis *Federicus* impediret, & obsisteret, *Albigenses* Hæreticos afflixit, & fregit, cumque plurimos Episcopos, & Abbates è *Gallia*, *Britannia*que collectos, duosque alios Apostolicos Legatos, *Odonem* nempe, ac alterum *Gregorium* scilicet navibus impo- D suisset, classisque *Ligustica*, quæ illos vehebat, *Genuam* intendens, ut inde peteret *Ostiam*, navigaret in *Corsico* mari, incidit in *Pisanos*, qui *Federico* favebant, collatisque signis brevi victa est. *Pisanorum* in manus *Jacobus Pecoraria*, & alii Legati, Præsulesque, atque in *Federici* potestatem devenere, à quo abduci jussi diversa per loca *Neapolitani* Regni teterrimis carceribus macerati sunt. Denique *Federicus Jacobum* vinculis solutum, Regiisque muneribus donatum Collegii rogatu dimisit, oravitque ut secum E amicitiam inire, ac excolere vellet, at ille imperterritus se colere velle *Federicum* tamdiu, quamdiu is Ecclesiam coluisset, respondit, *Romam* ergo rediit, ibique Vicarius ab *Innocentio Quarto* in *Gallias* profugiente relictus, cum in Vaticana Basilica Dei verbum prædicasset eloquentissime, VI. Kalendas Julii anno Christi MCCXLIV. vitam cum morte commutavit, & ibidem sepultus jacuit, donec ex testamento *Claramvallem* ejus corpus translatum, in *Galliis* prope Sanctum *Malachiam* situm fuit in Presbyterio, *Placentiæ* in Ecclesia Cathedrale requiescunt pars capitis, F & digiti, uti notat Inscriptio. Ecclesiam Sancti *Domnini* consecravit anno MCCXXXVI. Kalendis Decembris, & claustrum construi curavit
230 ille *Placentiæ*, at in *Prænestina* Diœcese, inque oppido *Palliano* à fundamentis erexit, dotavitque Monasterium Virginum Deo devotarum Ordinis *Cistertiensis* in Sancti *Petri* honorem, confirmavitque ea omnia *Innocentius Quartus* Bulla data *Anagniæ* IV. Idus Septembris anno Pontificatus Primo, qui litteras etiam dedit *Lugduni* directas Abbatissæ, & Conventui ne cogerentur recipere Moniales ultra numerum; Hujus *Jacobi* perhonorifice meminerunt *Gregorius Decimus*

Cranz. l. 7. Metrop. c. 52. & l. 8. c. 9. Gretser. ant. monum. edit. Ingolst. 1610. in 4. Blond. in Deca. d. hist. ab inclin. Imp. l. 2.

num. 106.

in Epistola Encyclica contra *Federicum*, *S. Antoninus*, *Corius*, & *Petrus Maria Campus*, aliique. Exacto septennio *Stephanus Hungarus* è *Strigoniensi* Archiepiscopatu ad Episcopatum *Prænestinum*, & Cardinalatum translatus est ab *Innocentio Quarto* anno MCCLI. qui scripserat interim universo Clero Civitatis, & Diœcesis *Prænestinæ*, ut P. Sancti *Georgii* ad Velum aureum Diacono Cardinali Legato Rectori *Campaniæ* in spiritualibus, & temporalibus, intendant in spiritualibus devote Bulla data *Lugduni* die XI. Kalendas Maji anno Pontificatus VI., vir erat hic *Stephanus* moribus honestissimis conspicuus, litterarum scientia præditus, & prudentia circumspectus, verum cum aëris inexperti non ferret intemperiem, aliisque de caussis, ad Ecclesiam *Strigoniensem* se remitti postulavit, cumque id certis legibus impetrasset, mox permisit illi Summus Pontifex *Innocentius*, ut cum Archiepiscopatu *Strigoniensi Prænestinum* Episcopatum, & Cardinalatum simul retineret, uti patet è Diplomatis ab *Ughello* relatis anno MCCLVIII. subscripsit cum aliis Cardinalibus *Alexandri Quarti* Bullæ datæ *Anagniæ* XVI. Kalend. April. Indict. II. anno MCCLXI. alteri ejusdem *Alexandri* Constitutioni dat. *Anagniæ* IX. Julii circa *Cypri* Politiam Ecclesiasticam, seu Hierarchiam, 231
quam cum Notis edidit in lucem R. P. *Vincentius Ricardus* non minus eruditus quam pius, hac formula Græca ἐγὼ Στέφανος Ἐπίσκοπος Πραινεστίνης. Adfuerat electioni *Alexandri Quarti* anno MCCLIV. *Urbani Quarti*, anno MCCLXI; & *Clementis Quarti*, anno MCCLXV; Consecrationi altarium in Sanctæ *Agnetis* Ecclesia intervenerat anno MCCLVI. ut in Epigraphe legitur. In dedicatione Ecclesiæ Sanctorum *Lucæ*, & *Martinæ* in Foro Boario anno MCCLVII. adstiterat *Alexandro Tertio*, Legationes plurimas gessit, *Hungaricam* præcipue, ac *Sclavonicam*, in qua *Belam* Regem perspecta ejus perfidia percussit anathemate, unde *Belas* per litteras *Innocentium Quartum* rogavit, ut se Regnumque suum à censuris, ac excommunicatione *Prænestini* Episcopi solveret, obiit sedente *Clemente Quarto*, *Gregorius*que *Decimus* anno I. Pontificatus, Christi MCCLXXI. Fratrem *Vicedominum de Vicedominis Placentinum* filium sororis ab *Aquensi* Archiepiscopatu traduxit ad Episcopatum. *Prænestinum*, annum Christi MCCLXXIV. Pontificatus III. putavit errans *Ciaconius*, addiditque illum, cum Clericus sæcularis esset, professum fuisse Ordinem Minorum Sancti *Francisci* de licentia Papæ, in quorum Chronico de Vice-Comitibus falso cognominatur, anno MCCLVII. e Præposito *Grassensi* electus Archiepiscopus *Aquensis* IV. Kalendas Septembris edidit Statuta Diœcesana Kalendis Junii anno MCCLIX.; *Carolum Andegavensem* Sancti *Ludovici Francorum* Regis fratrem comitatus ad *Neapolitanum* Regnum capessendum anno MCCLXV.: interfuit Concilio *Lugdunensi* Oecumenico die VII. Maji anno MCCLXXIV. subscripsit privilegio *Gregorii Decimi* pro *Monasterio* Vallis Dei Ordinis *Cistertiensis* Diœcesis *Leodiensis* 232
dato *Lugduni* Kalendis Aprilis Indictione III. anno Pontificatus IV. Christi MCCLXXV. per manus Jo. *Franchi* Archidiaconi *Bergomensis* S. R. E. Vicecancellarii; *Gregorius Decimus* anno I. Pontificatus epistolam miserat Archiepiscopo *Aquensi* Apostolicæ Sedis Legato in *Lombardia*, *Genuense* Provincia, & *Romaniola*, hunc opinor fuisse *Vicedominum*, cui eo insuper anno *Prænestinam* commisit Ecclesiam, postulatus vero fuerat ejus in locum ab *Aquensi* Capitulo *Sistaricensis* Episcopus; sed *Gregorius Decimus*, de plenitudine potestatis *Grimerium* ex Archidiacono *Aquensi*, & Capellano suo delegit, præfecitque,

hist. p. 3. tit. 13. c. 4. hist. Mediol. vit. Greg. X.

Bull. 64. Curialium.

Ciacon.

Torrig. Cryp. Vatic.

lib. Cærem. Rom. Cur. sub. Mart. V.

Nostrad. in hist. Prov.

Chenu in Chron. Archiep. Gall.

Robert. in Gall. Christ. m. s.

Card. à Balneo.

Jongelin in Notit. Abb. Cister. num. 33.

Wadd. to. 2. Annal. Ord. Min. num. 61. ep. 63. anno Pontif. 3.

ac ei scripsit epistolam datam apud Sanctam Crucem II. Non. Septembris anno I. Pontificatus, Christi MCCLXXI.; deque illo *Grimerio* etiam agit alibi. Obiit *Vicedominus Viterbii* anno MCCLXXVI., ibique tumulatus fuit in Ecclesia Minorum, quamvis *Ciaconius* sibi non cohærens ad annum MCCLXXVII. ejus vitam producat. E Necrologio quidem Ecclesiæ *Placentinæ* constat (uti *Petrus Maria Campus* affirmavit) *Vicedominum* istum VIII. Idus Septembris Sede vacante post *Hadrianum Quintum*, cum suffragia Cardinalium in eum concurrissent, Papam electum non stetisse in suo Papatu nisi unum diem, & fratrem Minorem demortuum. *Spondanus* tamen numerum Pontificum ideo multiplicandum non censet, & eum latere sinit, quia nemo alius meminit; imo neque nomen, quod assumpsit, traditur, *Raynaldus* penitus omisit. Id. autem Sept. ad *Romani* Pontificatus verticem anno illo MCCLXXVI. *Viterbii* provectus fuit *Joannes* XX., seu XXI. qui *Erardum* non *de Ligneriis*, vel *Lesingeriis*, sed *de Lesigniis*, seu *Lisingiis Gallum Lingonen.* Diœcesis, qui e Decano *Antisiodorensi* Episcopus Aprili mense anno MCCLXXII. nominatus orationem habuerat coram Sancto *Ludovico* Rege *Francorum*, ut cogerentur excommunicati ante annum absolutionem petere, auxit *Romæ Prænestino* Episcopatu, Cardinalatuque, cum *Romam Erardus* iste venisset pro tuendis Ecclesiæ suæ juribus adversus Comitem, verum utroque ille potiri diu non potuit, ibidem namque obiit anno MCCLXXVII. die XVIII: Augusti; ossa ejus *Antisiodorum* relata XVIII. Martii anno, qui consequutus est, in Basilica Sancti *Stephani* cum *Guidonis de Melloto* avunculi, & in *Antisiodorensi* Episcopatu antecessoris sui cineribus sepulta sunt. *Frizonius Erardum* hunc prætermisit, at *Ciaconius* confudit cum successore in Cardinalitia dignitate, inque sede *Prænestina*; fuit is *Gerardus Cupalates Placentinus*, quem *Nicolaus Tertius* ad *Petri* quoque Cathedram *Viterbii* elatus die XXV. Novembris anno MCCLXXVII., Cardinalem dixit, & in *Prænestino* solio substituit *Erardo* die III. Idus Martii anno MCCLXXVIII. vixque perennavit *Gerardus Ciaconio* teste, nam fato functus est circa MCCLXXIX. annum. *Martinus* igitur Papa Quartus (*Marinos* duos prædecessores adnumerando *Martinis*) Fratrem *Hieronymum Picentem Asculanum*, sive de *Æsculo*, e gente *Mascia* oriundum, natumque *Alexiani*, villa est Diœcesis, & ditionis *Asculanæ* ut accepi à Perill. D. *Antonio* Rota Canonico Ecclesiæ Cathedralis viro solertissimo, mihique amicissimo, qui Sancti *Francisci* Discipulus, ordinemque Minorum professus, Magister in Theologia, Ordinisque Generalis Minister, licet absens electus, à *Gregorio Decimo* missus *Constantinopolim Michaelem Palæologum Græcorum* Imperatorem, & Patriarcham invitarat, & exciverat ad Concilium *Lugdunense*, in quo Ecclesia Eoa cum Occidua coiit, à *Joanne Vigesimoprimo* Legatus in *Gallias*, *Hispaniam*que, ut Reges *Francorum*, & *Castellæ* conciliaret, à *Nicolao Tertio Hierosolymitanus* Patriarcha, & Cardinalis Presbyter Sanctæ *Pudentianæ* Tituli Pastoris tertio itidem Idus Martii MCCLXXVIII anni constitutus, in Hispaniamque iterum Legatus. *Martinus* (inquam) *Quartus*, cujus ille *Hieronymus* interfuerat Comitiis, ipsum *Prænestinæ* Ecclesiæ præposuit Episcopum *Urbevetere* X. Kal. Aprilis anno MCCLXXXI., cum vero esset *Hieronymus* in Divinis scripturis exercitatissimus, & acri, excellentique ingenio præditus, Commentaria super Sententias publicavit, inque Bibliorum aliquot libros, pluresque sermones, in eligendo Pontifice *Honorio Quarto*

[Margin notes, left column: Andr. Victorell. in notis ad Ciac. post Steph. II. ad ann. 752. in Annal. Eccl. ad ann. 1276. — 233 — le S. de Join-ville. — Robert. in Gall. Christ. — Ughell. ad Ciacon. Natal. Amici Can. Antisiodor. ep. Chenu in Catal. Arch. & Ep. Gall. Ciacon. — Card. Bâron. in notis ad Martyrol. 12. Nov. — 234 Ciacon. — Fodere in hist. Burg. — Ciacon.]

A elaboravit, & ad illum apicem tandem perveniens *Nicolaus Quartus* dictus VIII. Kalend. Martii anno MCCLXXXVIII. sedit annos quatuor, mensem unum, dies IV., *Roma*que decessit pridie Non. Aprilis anno MCCLXXXXII., inque Basilica Liberiana quiescit; Pontificiæ historiæ scriptores fuse res ab eo pie, præclareque gestas recensent; Itaque in illis haud immorabor, neque sane cunctator fuit, tardusque *Nicolaus Quartus*, in adsciscendo sibi successore ad solium *Prænestinum*; in pervigilio etenim Pentecostes anno MCCLXXXVIII. labente, ad illud evocavit *Berardum de Berardis* nobilem *Calliensem*, electumque

B anno MCCLXXXVI. à Canonicis Collegis suis in discordia Episcopum patriæ, tum oborta lite, protelataque postulatum à Capitulo *Auximanum* in *Piceno* Episcopum, præfectumque, ubi multa pietatis opera is edidit, Palatium Episcopale ad Aquilonarem partem à fundamentis exædificavit; aliud ad Orientem ante turrim Campanariam, alterum magnificum ad delicias in villa Montisfortis. Legatus quoque Apostolicus de latere ad Regnum *Siciliæ* missus fuit, unde redux prope Pontem vicum agri *Spoletani*, obiit mense Junio anno MCCLXXXXI. Subscripserat diplomati

C *Nicolai Quarti* anno MCCLXXXVIII. *Bernardus* Episcopus *Prænestinus*, & ita vocitat eum *Frizonius*, sub annum MCCLXXXIX. Ecclesiæ *Anagninæ*, cui tunc præsidebat *Gerardus* Episcopus, Capellam donarat (ornamenta sacra ad usum sacrosancti mysterii vulgo sic appellant.) *Cœlestinus Quintus* anno MCCLXXXXIV. *Simonem de Belloloco*, seu *Beaulieu Gallum* in *Bria* natum à *Martino* Papa *Quarto* dilaudatum, Archidiaconum, & Canonicum in Ecclesiis *Bituricense*, Sancti *Martini Turonense*, atque *Carnotense*, tum Monachum *Cistertiensem*, & Archiepiscopum *Bituricensem* anno MCCLXXX. pro-

D pter eruditionem, atque probitatem electum, *Neapoli*, mense Septembre in quatuor temporibus Episcopum *Prænestinum*, Cardinalemque selegit, mox *Bonifacius Octavus* allegavit in *Gallias* cum *Berardo del Goth* Cardinale *Albanense* Episcopo, ut inter *Philippum Pulchrum* Regem *Franciæ*, ac *Eduardum Quartum* Regem *Angliæ* pacem procuraret re infecta rediit ille relinquens *Berardum* Collegam in *Galliis* fratrem *Bertrandi*, qui ex Archiepiscopatu *Burdegalensi* ad Summum Pontificatum convolavit. *Simonem* memorant olim Episcopum *Prænestinum* Acta processus *Bonifacii Octavi*,

E *Urbevetere* conditus jacet in Sancti *Francisci*, in Epitaphio, quod marmoreæ tabulæ incisum; & fere deletum refertur ab *Ughello*, *Simonem* istum anno Domini MCCLXXXXVII. & XVIII. die Mensis Augusti legimus obiisse; at Ecclesiæ *Prænestinæ* vacantis per ejus obitum administrationem concessit *Bonifacius Octavus* Venerabili fratri Episcopo *Aquinati* Vicario suo in Urbe, Bulla data apud Urbem veterem IV. Non. Septembris, videtur hic fuisse Fr. *Lambertus* ex Episcopo *Veglensi* translatus ad *Aquinatem* à *Bonifacio Octavo* anno MCCLXXXXVII. VIII. Kalend. Junii. Idem *Bonifacius* anno MCCLXXXXVIII. die IV. Decembris in quatuor temporibus *Rea-*

F *tæ Theodericum Rainerium Urbevetanum* electum Archiepiscopum *Pisanum* Presbyterum Cardinalem Tituli Sanctæ Crucis in *Hierusalem* renuntiavit, & anno MCCLXXXIX. die XIII. Junii Episcopum Civitatis Papalis (ita *Prænesten* obsessam, captamque, ac excisam, & æquatam solo jussis incolis ad radices montis habitare in casulis opere tumultuario excitatis denominari Pontifex ille mandarat Columnensibus Dynastis iratus) fuerat hic *Theodericus Martino Quarto* sedente, Prior Ecclesiæ sæcularis Sancti *Andreæ* Urbis veteris,

[Margin notes, right column: Ciacon. — 235 Frizon. d Zachia Volaterrano Episc. Auximan. in Catal. Ep. Auximan. Ughell. in Ciacon. & in Ital. Sac. m. s. Anagn. monumenta. — Ciacon. Frizon. e Miræo, & Bell. Chenu Chronolog. Arch. Bituricen. Thom. Walsingham. — 236 — Ughell. to. I. Ital. Sacr. Ciacon.]

ris, Papæ Capellanus, & Collector in *Germaniam* missus, *Vulsiniæ* Ecclesiam Sanctæ Christinæ construxit, & proximas ædes insignes. In Urbevetere Palatium, & turrim, Patrimonium rexit summa cum integritate, ac tranquillitate, inscribitur in Cornetana *Margarita* ad annum MCCC. *Theodericus* miseratione Divina Civitatis Papalis Episcopus in Patrimonio Beati *Petri* in *Tuscia* Rector, & Capitaneus Generalis. *Clemens Quartus* Papa ejus hisce verbis meminit anno II. Pontificatus.

epist. 465.

Theodericus bon. mem. Episcopus *Prænestinus*, seu *Penestrinus*, & tunc Civitatis Papalis, quæ nunc dicitur *Penestrina*, seu *Prænestina*. redditum enim fuit *Prænestiæ* nomen, reddita suis antiquis Dominis *Præneste*, reddita Cardinalibus Eminentissima dignitas, & bona omnia subhastata recepta. Effloruit vero nobilissima gens, & Orbis Christiani bono Heroas innumeros, sed præcipue *Martinum Quintum* protulit in *Constantiensi* Concilio, non tantum à Cardinalibus variarum Obedientiarum, verum & ab Episcopis omnium Catholicarum nationum unanimi consensu Pontificem summum electum, qui *Romæ* patriæ suæ Pontificalem gloriam, & pacem Schismate perniciosissimo extincto Ecclesiæ restituit universæ. Exemptus est autem è vivis *Rainerius* Episcopus *Prænestinus* anno MCCCVI. die VII. Decembris.

237 Petrarch. ep. lib. 5. Extrar. dudum Bened. x. Ægid. Bellemer.

CAP. XIV.

De Prænestinis *Episcopis ad annum MCCCC.*

Petrum de *Taillefer* Dominum Capellæ *Lemovicensis* Diœcesis filium *Guidonis* Domini quoque Capellæ, qui vitam ad cxx. produxit annos, cum *Tolosanus* esset Episcopus ab anno MCCXCIX. *Clemens Quintus Lugduni* die XV. Decembris, seu Sabbatho in quatuor temporibus Adventus anno MCCCV. Cardinalem sublegit adsignato Titulo *Vestinæ* Presbyterum Sancti *Vitalis*, à quo illum extulit ad Episcopatum *Prænestinum* anno subsequuto, avunculus fuit iste *Petrus Rogerii* le Fort *Bituricensis* Archiepiscopi,
238 qui vitæ sanctitate clarus exstitit, Beatusque censetur, hallucinantur, qui cum *Petro* d' *Arrablayo Franciæ* Cancellario, seu Nomophylace, quem *Joannes* Vigesimussecundus ad Cardinalatum evexit, eum miscent. Obiit hic *Petrus* Episcopus *Prænestinus* die XVI. seu XX. Martii anno MCCCXII. in Capella patria, & ditione sua, antea inter alios Cardinales mandato *Clementis Quinti* anno MCCCVII. *Pictavis* Templariorum Equitum Depositiones, seu Confessiones audiit, & jussit in Acta migrare, & quia illorum custodia ipsi demandata fuerat, eos in *Viennensi* Concilio jussus est exhibere, ut e Bulla Pontificia, ejusque liquet epistola data anno MCCCVIII. Vidi olim Inventarium bonorum omnium *Petri* bon. mem. quondam Episcopi *Prænestini*, quæ Decano, & Capitulo Ecclesiæ novæ Beatæ Mariæ de Capella *Lemovicensis* Diœcesis obvenerant, quæque in eadem Capella perquisita, repertaque fuerant à Commissariis *Joannis Vigesimisecundi* jussu missis anno MCCCXXVII. Huic *Petro* suffectus illico ab ipso *Clemente Avenioni* eodem anno MCCCXII. die XIV. seu XXIII. Decembris, *Gulielmus de Mandagoto*, erat is e Dynastis de *Montepetroso* Notarius *Nicolai* Papæ *Quarti*, Capellanus *Bonifacii Octavi*, anno MCCXC. Archidiaconus *Nemausensis*, Præpositus Ecclesiæ *Tolosanæ* Ordinis Sancti Augustini, postea Episcopus *Avenionensis* an. MCCCX. deinde *Lodovensis* anno MCCCXVI. unde translatus est ad Archiepiscopatum *Ebredunensem*, Juris Canonici peritissimus, scripsit librum de Prælatorum Electione, ope-

Petr. Puteau. lib. de condem. Templ.

Ciacon. Frizon. Contelor. Ughell. Chenu. in Arch. Pal. Avenion.

Planta-vit. de Lodov. Episc.

A ramque strenuam in compilando sexto Decretalium libro navavit, fuerat & Archiepiscopus *Aquensis* anno MCCCXVI. *Joannis Vigesimisecundi* Pontificatus I. adsignatæ fuere XXVI. domus Cardinali *Prænestino* ad inhabitandum *Avenioni*, *Guillelmum* Episcopum *Prænestinum Arausicæ* in domo Arcus positum statuta quædam condidisse pro Monasterio Montis-Majoris anno MCCCXV. P. *Odo* adnotavit. Hic *Guilielmus* desiit in vivis esse anno MCCCXXI., seu MCCCXXIV. mense Novembri *Avenioni* in Sanctæ *Catherinæ Parthenone* sepultus, uti suadent insignia, quæ fundatorem illum arguunt.

Ciacon. Bonif. VIII. in præf. Decretal. lib. 6.

239 Chenu. Contelor.

Vetus liber privil. Aven. in Archivio Aquen.

B *Petrum de Columna* Cardinalem anno MCCLXXXVIII. à *Nicolao Quarto* designatum, à *Bonifacio Octavo* die X. Maji anno MCCXCVII. eo honore spoliatum *Clemens Quintus Lugduni* restituit anno MCCCV. die XV. Decembris. Ille vero *Prænestinus* Episcopus anno MCCCXXVI. animam efflavit *Avenioni*, unde ad Sanctæ *Mariæ* Majoris *Romam* translatus jacet cum Epitaphio, quod quia *Ciaconius*, & Nomenclator referunt, ne actum agere videar, lubens prætereo, anno MCCCXXXIV. *Petrus* alius erat Episcopus *Prænestinus* de *Prato* nempe Diœcesis *Caturcensis*, quem putat Minoritam *Frizonius*, & Episcopum *Regiensem* in *Gallia*, sed Bartel in *Historia Præsulum Regiensium*, quam

Ciacon. Contelor.

Acta Bened. XII. anno 3. Pontif.

C diligentissime concinnavit, nusquam hujus *Petri de Prato* meminit, anno ille MCCCXX. die Veneris XX. Decembris à *Joanne Vigesimosecundo* Presbyter Cardinalis Sanctæ *Pudentianæ* Tituli Pastoris ex Archiepiscopo *Aquensi* dictus fuit, tum *Prænestinum* ad Episcopatum assumptus. *Ughellus* eumdem crediderat ac *Petrum Aureoli*, sed mox agnovit diversum, nec enim *Petrus* ille *Aureoli* Cardinalis umquam fuit, uti probat *Contelorus*. *Petrus de Prato* S. R. E. Vicecancellarius fuit, *Avenioni* ædes habuit, quas in Ecclesiam Sancti *Petri* converti testamenti tabulis cavit, in his, quas *Talayrandus* Cardinalis Episcopus *Albanensis* die XXV. Octobris anno MCCCLX:

Ital. Sac. in Elencho.

D *Avenioni* condidit, *deprecatur Reverendissimos Patres, & charissimos Dominos, & amicos suos Dominos Petrum Prænestinum, Hispanum, Magalonensem, & de Caramanno Cardinales, ut dignentur intendere, & facere quod dicta ultima voluntas sua plenum consequatur effectum.* & Innocentius Sextus anno Pontificatus VI. elargitur *Petro* de Prato Episcopo Prænestino *licentiam erigendi Ecclesiam Collegiatam Sancti Petri Avenionensis, ac in ea unum Collegium, & alia certa creandi, &c.*, tum confirmat. Erexit autem suprascriptam Collegiatam, exstatque Bulla data anno MCCCLVIII. in antiquis monumentis

240 lib. Archiep. Aven. not. P. Odonis Tolosæ constat exemplar. quat. 4. diver. form. n. 241.

quat. 5. n. 243. & 240. & 24.

E Tabularii Pontificii *Avenioni* superest mentio *Petri* Episcopi *Prænestini* annis MCCCXXXVI. MCCCXLII., MCCCLII & MCCCLXI., quo ex Epidemia demortuus est *Avenioni* mense Majo redux e Legatione, quam obierat ad Reges *Francorum*, & *Angliæ* pacandos missus à *Clemente Sexto*, sed irrito conatu. *Raymundus de Canilhaco* ei successit in Episcopatu *Prænestino*, quem ab *Innocentio* Sexto anno Pontificatus IX. Christi MCCCLXII. Episcopum *Prænestinum* nuncupatum reperi, ejus Hospitium *Avenioni*, cum sedes illic esset Apostolica, in Parochia Sanctæ *Mariæ Magdalenes* fuisse notatur in Tabulis illius Ar-

Ciacon.

quat. 2. de Indult.

F chiepiscopatus, eo in loco, ubi sunt ædes meæ paternæ, in quibus natus sum, & puer crevi. Erat autem ille *Raymundus Antisiodorensis* Decretorum Doctor, Canonicus Regularis Ordinis Sancti *Augustini*, Cœnobiarcha, sive Abbas *Conchensis* Diœcesis *Ruthenensis*, non Episcopus *Atrebatensis*, neque Sancti *Flori*, sed Archiepiscopus *Tolosanus*, anno MCCCL. die XVII. Decembris à *Clemente Sexto* Presbyter Tituli San-

Ciacon.

24

Chenu. Frizon. Nomenclat. Catel. hist. du Languedoc. quat. 2. litter de Curia. Lottius Ferreol. in Chr. Belg.

ctæ Crucis in *Hierusalem* Cardinalis renuntiatus, scripsit Recollectorum librum, & *Septimiano Narbonensi* Archiepiscopo inscripsit, ab *Innocentio* VI. dictus fuit Episcopus *Prænestinus* anno Pontif. IX. Christi MCCCLXII. *Gregorius* XI. anno VII. Pontif. *Raymundi* Episcopi *Prænestini* meminit *Avenioni* commorantis, & auctor libri Cæremonialis S. R. E. sub *Martino* V. obiit is die XX. Junii an. MCCCLXXIII. *Avenioni* sepultus in Basilica Minorum. *Raymundo* suffecit *Gregorius Undecimus Simonem de Langham Anglum* Monachum Ordinis Sancti *Benedicti*, qui fuerat Cœnobii *Westmonasteriensis* Prior, tum Abbas, inde *Londinensis* Episcopus, mox *Eliensis*, & Thesaurarii, atque Cancellarii muniis functus, & ad Archiepiscopatum *Cantuariensem* provectus anno MCCCLXVI. post biennium die XXII. Septembris ab *Urbano Quinto* apud *Montemflasconem* Presbyter Tituli Sanctæ Praxedis ordinatus Cardinalis, ac dimisso Archiepiscopatu properarat ad Pontificem; *Gregorius* (inquam) *Undecimus* illum *Prænestinum* Episcopum, & Legatum in *Angliam* declaravit. Sed *Simon* morte præventus est *Avenioni* XXII. Julii anno MCCCLXXVI. sepultusque in Ecclesia *Cartusianorum Bonipassus*, quam de novo construi curarat, ubi Cenotaphium adhuc visitur cum Epitaphio, inde lapso triennio translatus fuit, conditusque *Westmonasterii*, ubi legitur, & aliud Epitaphium metricum, quod ab *Ughello* laudatissimo refertur. *Joannes de Croso* natus in Pago *Calmaforti Lemovicensis* Diœcesis à *Gregorio Undecimo*, quem tertio gradu consanguinitatis attingebat, e profes-

Ciacon. Contel. Nomenclat. Epitaph.

242 sore Juris Pontificii, eque *Lemovicensi* Episcopo die VIII. Junii post Pentecosten anno MCCCLXXI. Presbyter Sanctorum Nerei, & Achillei Tituli Fasciolæ Cardinalis, majorque Pœnitentiarius, dein anno MCCCLXXVI. *Prænestinus* Episcopus renuntiatus fuit, cum *Urbani Sexti* electioni anno MCCCLXXVIII. die VIII. Aprilis interfuisset *Romæ*, tum eo deserto secedens *Anagniam*, ut ex ejus, aliorumque Cardinalium epistola ibi data XX. Julii constat, mox *Fundos* adiit, & *Clementem Septimum* Antipapam intrusit die XX. Septembris, ab eoque Legatus est ad *Carolum Quintum Francorum* Regem ut *Urbanum Sextum*, vi ac metu, ideoque vitio, *Petri* Cathedræ incubantem, at ipsum *Clementem* rite persuaderet electum, quod perfecit, demum obiit *Avenioni*, ubi *Clementem* sequutus erat, in illius Obedientia die XXII. Novemb. an. MCCCLXXXIII. jacetque tumulatus in Cathedrale cum Epitaphio, quod æneæ laminæ inscriptum exscripserunt, & publicarunt *Nomenclator*, *Chenu*, *Ciaconius*, & *Ughellus*. *Urbanus* autem *Sextus* suffecit isti *Joanni* demortuo in Episcopatu *Prænestino* affinem suum *Franciscum Prægnanum*, seu *Moricottum de Vico Pisis* ortum, & *Pisanum Archiepiscopum* Presbyterum Tituli Sancti Eusebii Cardinalem anno MCCCLXXVIII. delectum, & Vicecancellarium, qui *Campaniæ*, Maritimæque Rector, & *Urbani Sexti* assiduus comes anno MCCCLXXXIX. adfuit Comitiis *Bonifacii Noni*, tum *Assisii* decessit è vita die VI. Februarii anno MCCCXCIV. ejus corpus *Pisas* delatum in Metropolitanæ sacrario requiescit, ædes ejusdem *Pisis* supererant. *Antonius Cajetanus* Romanus *Aquilejensis* Patriarcha *Romæ* à *Bonifacio Nono* die XXVII. Februarii anno MCCCCII. Presbyter Tituli Sanctæ *Cæci-*

Ciacon.

243 *liæ* Cardinalis dictus *Innocentii Septimi* electioni *Romæ* interfuit anno MCCCCIV. tum *Prænestinus* Episcopus designatus anno MCCCCVI. elegit *Gregorium* XII. à quo facultatem obtinuit corrigendi, & reformandi minores Urbis Pœnitentiarios, *Gregorio* relicto *Pisas* profectus Concilio, & *Alexandri Quinti* Comitiis adfuit, quamobrem *Gregorius* illum Cardinalatu, & Episcopatu abire jusserat, & privarat, Bulla data *Arimini* die XIX. Januarii MCCCCIX. quam *Pisani* Patres irritam pronuntiarunt, scripsit *Carolo de Malatestis* pro Ecclesiæ unione, *Fesulanus* Episcopatus ipsi fuit commendatus administratione attributa. *Prænestinum* reliquit, eoque cessit *Guidoni de Malosicco* Cardinali *Transalpino*, & ex Obedientia *Benedicti* Decimitertii, translatus ad Episcopatum *Portuensem*, & *Romæ* defunctus hic *Antonius* die XI. Januarii anno MCCCXII. situs est in Sancti *Petri* Templo, & in sacello *Bonifacii Octavi* gentilis sui, sive in Sanctæ Mariæ ad Minervam cum Epitaphio, quod intexuit operi suo *Ciaconius*. Ex adverso in Obedientia *Clementis Septimi*, & *Benedicti Decimitertii* Antipaparum floruit suprascriptus *Guido de Malosicco* nepos è sorore *Gregorii* XI. natusque in *Tutelense* Diœcese, ubi posita sunt *Malumsiccum*, & *Castrum Lutii* Oppida, quorum ditio ad illustrem ejus familiam pertinebat, vir doctissimus, Episcopus *Lodovensis*, inde *Pictavensis* anno MCCCLXXV. die vigesimo Decembris ab avunculo *Gregorio* XI. Presbyter Tituli Sanctæ Crucis in *Hierusalem* Cardinalis adscitus *Clementem Septimum* superinduxit *Urbano* Sexto, & prosequutus est *Avenionem*, ubi Palatium inhabitavit intra fines Parochiæ Sancti *Agricoli*, quod *Pictavensis* Cardinalis Librata vulgo nuncupabatur, illud emit *Julius Secundus*, in eoque Collegii à se instituti, & *de Ravere* cognominati alumnos collocavit, à *Clemente Septimo* Antipapa in locum *Joannis de Croso* anno MCCCLXXXIII. *Prænestinus* Episcopus subrogatus ad annum MCCCCXI. præfuit illi Ecclesiæ per annos scilicet XXVIII. eam gubernans, cum præsertim illam *Antonius Cajetanus* ipsi remisisset in *Pisano* Concilio, ubi & *Guido* deserto *Benedicto Decimotertio*, quem insuper intruserat, exceptus uti verus Cardinalis *Alexandrum Quintum* promovit ad Summum Pontificatum, ab eoque confirmatus Episcopus *Prænestinus* ad annum MCCCCXI. vixit VIII. Idus Martii fato functus, nam ejus obitus nuntiatus fuit die IV. Aprilis illo anno *Joanni Vigesimotertio*, quem idem *Guido* elegerat anno MCCCCX. *Bononiæ*, nominatur inter exequutores testamenti Cardinalis Anglici anno MCCCLXXXVIII. Indictione XI. die XI. Aprilis, fuit *Clementis Septimi* Antipapæ Nuntius, & Vicarius cum potestate Legati de Latere, uti *Bellemera* testatur, & ad *Richardum Angliæ* Regem Legatus, quo munere functus est, & in *Galliis Joannis Vigesimitertii* mandato, *Parisiisque* occubuit, & in fratrum Dominicanorum depositus jacet, Epitaphium prolixum auctores jam allati retulerunt. Sunt qui *Hugonem de Montelegum*, seu *Montrelaix* ex *Armorica* vulgo *Britannia* minore Canonicum, & Cantorem *Nannetensem*, ac Episcopum postea *Briocensem*, & *Trecorensem* à *Gregorio Undecimo* Presbyterum Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Cardinalem dictum anno MCCCLXXV. die XX. Novembris, *Prænestinum* Episcopum à *Clemente Septimo* Antipapa, cui adhærebat, delectum putant, sed ille obiit Episcopus *Sabinus Avenioni* anno MCCCLXXXIV. die ultima Februarii, uti *Contelorus* evincit. 245

Contelor. Ciacon. sess. 19.

244 Plantavit Frizon. Catel. lib. 5. hist. de Lang.

Necrolog. Cœlestin. Avenion. Contelor. Odo la Mothe Corrutulari m. consi. I.

Ciacon. Ciacon. Frizon. Argentré hist. Britann.

CAP. XV.

De Prænestinis Episcopis ad annum MD.

Anno MCCCCXIII. circiter, seu potius MCCCCXI. *Joannes Vigesimustertius*, *Angelum* de *Anna de Summa Ripa* Neapolitanum Monachum *Camaldulensem* ab *Urbano Sexto* Diaconum Sanctæ Luciæ in Septem Soliis Cardinalem

lem non anno MCCCLXXXIV. sed post annum MCCCLXXXV. promotum, dein à *Bonifacio Nono*, cujus Comitiis interfuerat Presbyterum Sanctæ *Pudentianæ* ad Titulum Pastoris provectum, cum Nuntius Sedis Apostolicæ in Regno *Siciliæ* ad discordias cum Rege sedandas ob non exhibitas Ecclesiæ triremes, & non solutum vectigal, transegisset cum ipso Rege, tum *Innocentium Septimum*, mox *Gregorium Duodecimum* ad Cathedram *Petri* suis suffragiis evexisset à *Gregorio* privatus die XIX. Januarii anno MCCCCXIX., sive Cardinalatu exutus, quia illum deseruerat, *Pisas*que secesserat ad Concilium, (quod irritam privationem declaravit) *Pisis* nihilominus *Alexandro Quinto*, deinde *Joanni Vigesimotertio* suum calculum præbuisset; *Joannes* (inquam) *Vigesimus tertius* ipsum *Angelum* auxit Episcopatu *Prænestino*, quem *Angelus* administravit, & sub *Martino Quinto*, cui eligendo etiam navavit operam in Concilio *Constantiensi*, sicut & *Eugenio Quarto*, sub quo *Romæ* die XII. seu XXI. Julii anno MCCCCXXIX. decessit longævus, cum annos plusquam XL. in Cardinalatu vixisset, facrique Collegii Decanus, seu Princeps esset, sicut in Epitaphio legitur, in quo de *Laude* cognominatur, quod Episcopus *Laudensis* fuerit, imo quod ejus familia è *Laude* originem suam repeteret, corpus translatum *Neapolim* in Sanctæ *Mariæ de Porta Nova* quiescit pulcherrimo conditum sepulchro cum metrico Epitaphio, vitam *Angeli* ad mensem Aprilem, & ad annum MCCCCXXXI. protrahit *Ciaconius*. Eo quidem anno II. Idus Maji *Eugenius Quartus* substituit *Angelo* in Episcopatu *Prænestino Hugonem Lusignanum* Presbyterum Cardinalem Tituli Sancti *Clementis Cyprium* fratrem Germanum *Jani* Regis *Cypri* electum Archiepiscopum *Nicosiensem*, quem *Martinus Quintus* anno MCCCCXXVI. die Veneris XXIV. Maji Diaconum Sancti *Hadriani* Cardinalem creaverat, & publicarat die XXV. Erat ille filius *Jacobi* Regis *Cypri*, & *Ioles* de *Bresiny* filiæ *Philippi*, ut in exaratis calamo Genealogiis scribitur, hoc quoque anno MCCCCXXXI. Legationem obiit in *Campania*, & Maritima; cumque *Tusculanam* optasset sedem anno MCCCCXXXVI. die V. Julii, & Legatus fuisset ab eodem *Eugenio* ad pacem inter Reges *Francorum*, & *Angliæ*, Ducemque *Burgundiæ* componendam Cardinalis Presbyter Tituli Sanctæ Crucis *Nicolaus Albergatus Cartusianus* vitæ sanctimonia insignis, ab Antipapa *Felice Quinto*, sive *Amedeo* Duce *Sabaudiæ*, atque a Conciliabulo *Basileensi* hic *Hugo* Cardinalis *Cyprius* fuit allegatus, conveneruntque *Atrebatum*, & donec pax icta fuit, ibi commorati sunt, dereliquerat enim *Eugenium Hugo*, ac *Basileensibus* inhærebat; anno MCCCCXXXVII. die XXV. Februarii Ripaliæ peregit fœdus nuptiarum solenne inter *Joannem* Regem *Cypri* fratris filium, & *Amedeam Palæologam* filiam *Joannis Jacobi* Marchionis *Montisferrati*; Ejus *Hugonis* opera *Anna Lusignana Ludovico* Duci *Sabaudiæ Felicis* Antipapæ filio nupsit, quo tempore Rex *Janus* ejus frater à *Saracenis Ægyptiis* captivus detinebatur, *Hugo*, qui *Cerinas* profugerat, Regno præfectus fuit; multosque facinorosos plecti jussit, & proclamationibus ipsius exciti cives *Nicosiam* rediere, demum in *Sabaudia*, cum *Eugenius* illi dignitatem Cardinalitiam, & Episcopatum *Prænestinum* abrogasset ann. MCCCCXLII. occubuit, ejusque mors *Romæ* die XXIV. Augusti nuntiata fuit; in Archiepiscopatu *Nicosiensi* successorem habuit *Jacobum Lusignanum* nothum Regium, at in Episcope *Prænestina* pridie Nonas Majas anno MCCCCXLIII. *Eugenio Quarto* provehente, *Joannem Ursina* è gente natum, ac è Comitibus *Taleacotii*, quod est oppidum *Aprutii* è ruinis veterum oppidorum *Marsorum* excitatum, teste *Volaterrano*, prope *Lacum Fucinum*, cujusque Comes erat *Raynaldus Ursinus* ad annum MCCCLXXXVI. spectare ad *Columnenses* docet Inscriptio incisa portæ Marini *Fabritio Taleacotii*, *Marsorumque Duci ab anno* MXDII. *complurium Regum in exercitu Legato*, *Neapolitani Regni Comestabili strenuissimo Imperatori Oppidum ejusdem sedem Philippus Dux octavus Comestabilis abavo suo bellicæ virtutis monumentum*, hic *Joannes Ursinus* anno MCCCCXXXIX. die XV. Kalendas Januarii *Florentiæ* in Concilio Generali ab *Eugenio Quarto* ex Archiepiscopo *Tarentino* in publico Consistorio Presbyter Cardinalis Sanctorum *Nerei*, & *Achillei* Tituli Fasciolæ promotus, dum Nuntius in *Germaniam* profectus esset, ut gentes illas neutrales, seu neutrum Pontificem sectantes, *Amedei* schismate vigente, ad *Eugenii* Obedientiam cultumque reduceret, rem feliciter gessit; missus fuit & Nuntius ad Synodum *Basileæ* congregatam, ubi docte peroravit, mox Legatus ad Regnum *Neapolitanum* pro pace inter *Alphonsum Aragonum* Regem, & *Andegavensem* Comitem conciliandam munere suo functus est industrie, vir diligentia præstans excelluit & auctoritate, Sacri Collegii Decanus præfuit Comitiis *Nicolai Quinti* anno MCCCCXLVII. Fuit & major Pœnitentiarius, obiit *Romæ* die XII. Kal. Februarii anno MCCCCXLIX, sepultusque fuit in Ecclesia Fratrum Ordinis Sancti Augustini, cujus erat Protector, cum Epitaphio Metrico, in quo Cardinis Heros *Prænestinus* nuncupatur. *Georgius de Flisco* è Comitibus *Lavaniæ* Archiepiscopus *Genuensis* è Presbytero Cardinale Tituli Sanctæ Anastasiæ sub *Nicolao Quinto* III. Non. Maji anno MCCCCXLIX. *Prænestinum* adeptus est Præsulatum unde pervenit ad *Ostiensem*, anno MCCCCLIII. die XXVIII. Aprilis. Obiit *Romæ* VIII. Idus Octobris anno MCCCCLXI., delatum fuit corpus ejus *Genuam*, & nobili clausum sepulcro in Metropolitana fuit cum Epitaphio; indeque *Pius Secundus* ad Pontificalem gloriam evectus *Joannem* de *Turrecremata Hispanum* Ordinis Prædicatorum, sacrique Palatii Magistrum Presbyterum Cardinalem Tituli Sancti *Sixti* renuntiatum ab *Eugenio Quarto* anno MCCCCXXXIX. *Prænestinæ* Ecclesiæ Episcopum die postrema Aprilis anno MCCCCLV. declaravit, illinc transivit ad *Sabinensem* Episcopen *Joannes*, qui *Prænestinus* Cardinalis, & excellens Theologus, senioque dicitur confectus in Commentariis *Pii Secundi*; in Concilio *Florentino* Fidei defensor nuncupatus ob pietatem, & doctrinam, in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam *Romæ* dotes nubilibus puellis attribui ad eas collocandas à Societate Sanctæ Mariæ Annuntiatæ instituit, ibique octogenarius decessit anno MCCCCLXVIII. die XXVI. Septembris, & in Sacello, sepulcroque a se constructis jacet cum Epitaphio. Tum *Pius Secundus* Episcopatum *Prænestinum Alexio de Cæsaris Senensi* Archiepiscopo *Beneventano* commendavit, qui *Senis* decessit anno MCCCCLXIV. & apud Sancti *Francisci* ædem conditus est. Anno MCCCCLXXI. *Philippum Calandrinum de Sarzana*, seu *Sergiensem Lunensis* Diœcesis, Episcopum *Bononiensem* fratrem uterinum *Nicolai Quinti*, qui eum anno MCCCCXLVIII. Cardinalatu decorarat, è Presbytero Tituli Sanctæ *Susannæ*, tum Sancti *Laurentii* in *Damaso* delectum *Prænestinum* Antistitem anno MCCCCLXIV. à *Paulo Secundo* comperi apud *Ciaconium* in Electione *Sixti Quarti*, sed & major Pœnitentiarius fuit, & Legatus *Piceni*, attamen migrasse illum ad Ecclesiam *Portuensem*, translatumque anno MCCCCLXX. *Ughellus* prodit, è vita ve-

H 3 ro,

Margin notes (left): Ciacon. — Contèlor. — 246 — Seff. 19. — Contelor. Vit. Martini V.Papæ. — Nicol. Ægid. Chron. Prane. in Carol. VII. — 247 — Mar. histor. circa annum 1435. — Titul. Reg. Sabaudiæ. — Ciacon.

Margin notes (right): Regg. IV. Regest. l. 7. Urban. Comment. S. Antonin. to. 3. Chron. tit. 22. cap. 2. §. 12. — 248 — Ciacon. Pio II. & Garimberto. Joa. Juvenis de var. fort. Tarent. — Ciacon. — 249 — Ciacon. Lib. 8. — Ciacon.

ro, anno MCCCC LXXVI. die XI. Kalendas Augusti Bagnariæ non procul *Viterbio*, sepultumque *Romæ* in Sancti *Laurentii* in *Lucina*, cum annos vixisset LXXIII. Epitaphium comprobat. Subiit
250 Episcopatus *Prænestini* onus imponente *Sixto Quarto Angelus Capranica Romanus*, frater Dominici Cardinalis, Archiepiscopus *Sipontinus*, Episcopus Asculanus, mox *Reatinus*, vir castimonia morum, & innocentia vitæ clarus anno MCCCCLX.
Ciacon. die III. Nonas Martii *Romæ* à *Pio Secundo* Purpura exornatus Cardinalitia, & Presbyteratu, ac Titulo Sanctæ Crucis in *Hierusalem* cohonestatus, *Bononiæ* Legatus, & ad omnes *Italiæ*
in Comment. de var. fort. Card. Principes, Verbi Divini concionator eximius, ad quem exstant Cardinalis *Papiensis* epistolæ, & quem *Pius Secundus*, *Garimbertus*, aliique scriptores celebrant, evolavit in cœlum anno MCCCCLXXVIII. die V. Non. Julii, inque Claustro Sanctæ Mariæ supra Minervam marmoreo fratris Cardinalis illatus est tumulo cum Elogio. Excepit illum *Marcus Barbus Venetus* patruelis *Pauli Secundi*, à quo *Romæ* die XIV. Kalendas Octobris anno MCCCCLXIV. Cardinalis Presbyter Tituli Sancti Marci ex Episcopo *Vicentino* designatus suprascripto anno MCCCCLXXVIII. fuit *Aquilejensis* Patriarcha, & Legatus in *Germaniam*, *Hungariam*, & *Poloniam* Græcè, Latineque doctissimus, & libris scriptis clarus, *In-*
Ciacon. *nocentium Octavum* elegit anno MCCCCLXXXIV. demum anno MXDI. die VI. Non. Martii animam
Ciacon. exhalavit, inque Titulo suo tumulatus est. Constat autem *Joannem Balve Gallum Virdunensem* Ordinis Sancti *Benedicti* Monachum, *Beccensem* Abbatem, Episcopum *Ebroicensem*, dein *Andegavensem*, à *Paulo Secundo* Presbyterum Tituli Sanctæ Susannæ Cardinalem anno etiam MCCCC. LXIV. cooptatum, hinc *Albanensem* Episcopum, tum ad *Prænestinas* insulas evocatum die VI. Non. Martii præscripta. Floruit ille flagran-
251 tissima *Ludovici Undecimi Francorum* Regis gratia, cui à Secretis, & Confessionibus erat, tum incidit in ejus odium, & addictus carceri, caveæque ferreæ, atque vix dimissus medicorum arte, seu precibus *Juliani de Ruvere* Cardinalis in *Gallias* Legati, & liberatus *Romam* venit, unde Legatus in *Picenum* à *Sixto Quarto*, præfatisque auctus Episcopatibus *Albano*, deinde *Prænestino*, septuagenarius Octobre mense diem extremum clausit illomet anno MCDI. *Romam*que deportatus è *Piceno* situs in Ecclesia Sanctæ Praxedis sepulcrum, & Epitaphium habet. *Joannes Michaëlius Venetus* à *Paulo* quoque *Secundo*, cujus sororis filius erat, ex Episcopo *Patavino*, ac *Veronense* anno MCCCCLXVIII. die XI. Kalendas Decembris Cardinalatu insignitus, & Diaconiis Sanctæ Luciæ in Septem Soliis, sive Septisolio, tum Sancti Angeli, à *Sixto Quarto* Presbyter Tituli Sancti Marcelli, ab *Innocentio Octavo Prænestinus* Episcopus ordinatus die X. Octobris MXDI. fuit, cum prius die XIII. Martii eo anno *Albanensis* extitisset, vixit usque ad X. Aprilis anni MDIII., & cum *Portuensem*, & *Constantinopolitanam* Sedes insuper conscendisset, *Sextum*que *Alexandrum* elegisset, obiit, inque Sancti Marcelli *Romæ* requiescit. *Hieronymus Bassus de Ruvere* natus *Albizolæ* in Diœcese *Savonense Sixti Quarti* sororis filius, sive amitinus, Episcopus *Recinetensis* anno MCCCCLXXVIII. ab eodem *Sixto* Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ *Balbinæ*, postea Sancti *Chrysogoni*, tum Sanctæ *Cæciliæ*, demum ab *Alexandro Sexto*, cujus Electioni adfuerat, Episcopus *Prænestinus* anno MXDII. die XXXI. Augusti declaratus est; Elegit etiam *Pium Tertium*, & *Julium Secundum*, à quo ad Ecclesiam *Sabinensem* anno MDIII. die
252 XXIX. Novembris evectus *Romæ* obiit anno M. DVII. Kalendis Septembris, & in Sanctæ Mariæ de Populo reconditus fuit marmoreo Sarcophago, quem illi *Julius Secundus* excitavit, cuique incisum Epitaphium inserit *Ughellus*. Implevit *Hieronymi* locum *Laurentius Cybus Genuensis* ab *Innocentio Octavo*, cujus è fratre nepos erat, anno MCCCCLXXXIX. Cardinalis assumptus Presbyter Tituli Sancti Marci, qui *Beneventanum* Archiepiscopatum rexit, & Ecclesiæ *Albanensi*, deinde *Prænestinæ* Præfectus anno ipso MDIII. die XXIX. Novembris non diu supervixit, nam die XXII. Decembris migravit è vita, inque suprascripta Basilica Beatæ Mariæ de Populo visere licet ejus tumulum cum Epitaphio, apud *Ubertum* verò *Foliettam*, & *Garimbertum* laudes, quibus egregie commendatur, quas hic intexere supervacaneum duxi.

CAP. XVI.

De Prænestinis *Episcopis ad annum* MDCLV.

CONFESTIM, eo die scilicet, eoque anno *Prænestinum* Episcopatum regendum suscepit, *Julio Secundo* demandante, *Antoniotus Pallavicinus Genuensis*, qui ex Episcopo *Abintimilliense* ab *Innocentio Octavo* ad Cardinalatum, & Titulum Sanctæ Praxedis accitus, dein ab ipso *Julio Secundo* ad *Tusculanum* Episcopatum anno 253
illo MDIII. plurimis ille inclaruerat Legationibus, & vivens sibi posuerat anno MDI. apud S. *Petri* tumulum, ac *Epitaphium*, ibique decedens anno MDVII. die X. Septembris illatus jacebat, sed cum Basilica Sancti *Petri* renovaretur augustiorem in formam, vetusque disturbaretur ædificium, illius ossa eruta, & in Sanctæ Mariæ de Populo translata, & cum ossibus *Joannis Baptistæ* fratris filii, atque Cardinalis inhumata sunt addito novo Epitaphio anno MD. XCVI. *Joannes Antonius* de Sancto *Georgio Placentinus* Presbyter Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Cardinalis ab *Alexandro Sexto* denuntiatus è Præposito *Mediolanensi*, Rotæ Auditore, ac Episcopo *Alexandrino* gradum fecit ad Episcopatum *Albanensem*, tum ad *Tusculanum* anno MDIII. hinc ad *Prænestinum*, demum ad *Sabinensem* anno MDVII., quem moderatus obiit *Romæ* anno MDIX. die XIV. Martii, & in Sancti Celsi depositus quiescit cum Epitaphio. Omiserat in Catalogo *Prænestinorum* Episcoporum *Ughellus*, *Bernardinum*, *Carvajal*, *Placentinum*, *Hispanum* ex Episcopo *Carthaginense* anno M. XDIX. Cardinalem Presbyterum Tituli Sanctorum Petri, & Marcellini, tum Sanctæ Crucis in Hierusalem ab *Alexandro Sexto* dictum, incentorem Pisani Conciliabuli, & ideo exutum Purpura Cardinalitia à *Julio Secundo*, sed à *Leone Decimo* rursus indutum, & assequutum Episcopatus *Albanensem*, *Tusculanum*, tum *Prænestinum*, ac *Sabinensem*, denique *Ostiensem* anno MDXXI. cum tamen ipse *Ughellus* in *Albanensium*, *Tusculanorum*, & *Sabinensium* indicibus illum *Prænestinum* fuisse affirmasset, sed & per schedam admonuit me *Bernardinum* istum anno M. DVII. optasse *Prænestinum* Episcopatum, cum 254
Cardinalis Sancti *Georgii* ad *Sabinensem* migrasset, cumque is obiisset anno MDIX. (uti superius observavi) *Sabinensem* obtinuisse, eodemque anno *Guillelmus Brissonetus Gallus*, qui Episcopus *Nemausensis*, & *Maclovienensis*, tum Archiepiscopus *Remensis*, & *Narbonensis* fuit, in gratiam *Caroli Octavi* Regis *Francorum*, cujus à Consiliis, & in deliciis erat, ab *Alexandro Sexto* Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianæ Tituli Pastoris designatus, hinc *Albanensis* Episcopus, & *Tusculanus*, anno (inquam) MDIX. denique *Prænestinus*

A *stinus* evasit, vitamque *Narbone* conclusit mense Januario anno MDXIV. Iste quoque fuit pars magna *Pisani* Conciliabuli *Maximiliano Primo* Imperatore, ac *Ludovico* XII. Rege *Francorum* faventibus, quamobrem à *Julio Secundo* dicta ei dies fuit, ut *Romæ* se sisteret, contumaxque Cardinalitia dignitate, atque aliis honoribus sacris spoliatus est, verum à successore *Julii Secundi Leone Decimo* revocatus, & resipiscens ejurato schismate, ad illam & ad omnia decora restitutus fuit. Superius observavi *Leonem Decimum* cum Cardinales *Carvajal*, & *Brissonetum* recepisset in gratiam, & reconciliasset, illis *Reatinum*, & *Tiburtinum* Episcopatus tamquam Cardinales resumptos adsignasse. *Marcus Vigerius Savonensis* Ordinis Minorum Sancti *Francisci* ex Episcopo *Senogalliense*, Locumtenente *Joannis de Ruvere* præfecti Urbis, Suffraganeo Archiepiscopatus *Bononiensis*, & arcis Sancti *Angeli* Præfecto Presbyter Cardinalis Sanctæ Mariæ Transtyberim Tituli *Callisti* declaratus anno MDV. mense Februario, subrogatus fuit *Guillelmo Brissoneto* in Episcopatu *Prænestino* anno M. DXI. Legatus fuerat exercitus Pontificii adver-
255 sus *Alphonsum* Ducem *Ferrariæ*, & Oppidum *Mirandulæ*, in gravissimis rebus, de quibus agebatur in Concilio Lateranensi adhibitus *Julio* II. fidam, & strenuam navavit operam, & Apologiam composuit contra *Pisanum* Conciliabulum, quæ remansit imperfecta, & Decachordum, & de Ferro, seu cuspide Lanceæ, Vestibusque Christi Domini librum conscripsit; vitam cum morte commutavit *Romæ* die XVIII. Junii seu XV. Kal. Julii anno MDXVI. & in S. Mariæ Transtyberim Titulo sepultus, quem structuris, hortulisque decorarat, jacet. *Joannes Serra Hispanus* Archiepiscopus *Arborensis* ex Urbis Gubernatore ab *Alexandro Sexto* in Senatum Cardinalium adlectus anno MD., & Titulo Sancti *Stephani* in Monte Cœlio, deinde Sancti *Clementis* sub *Leone Decimo* præpositus & *Albanensi*, & *Prænestinæ* Ecclesiis, *Umbriæ*, *Picenique* Legationibus, *Segobiensi*, & *Calaguritano* Episcopatibus cumulatus, esse desiit in vivis die XV. Martii anno MDXVII. inque Sancti *Jacobi* cum Epitaphio situs est. *Franciscus Soderinus Florentinus* è *Volaterrano* Episcopo ab *Alexandro* etiam *Sexto* anno MDIII. pridiè Kalend. Junii Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ *Susannæ* renuntiatus, tum Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum, non tantùm Episcopus *Nannetensis*, *Cortonensis*, & *Vicentinus*, quin etiam *Sabinensis* in locum deturbati *Carvajal*, tum *Albanensis* anno MDXV., *Prænestinus* anno MDXVII. mense Martio, *Portuensis* MDXXIII. die XIV. Decembris, & *Ostiensis* sub *Clemente Septimo* decessit anno M. DXXIV. die XVII. Julii, brevique cum Epitaphio in Sanctæ Mariæ de Populo situs est. Assumptus ejus in locum *Prænestinus* Episcopus die XVI. Octobris eo anno *Alexander Farnesius Romanus* electus Diaconus Sancti Eustachii Cardina-
256 lis ab *Alexandro Sexto*, *Tusculanus* Episcopus anno MDXIX., *Sabinensis* anno MDXXIII. die XIV. Decembris, *Portuensis* anno MDXXIV. die XVIII. Maji, at XV. Junii anno MDXXV. *Ostiensis*, qui cum pertigerit apicem Pontificatus die VII. Idus Octobris anno MDXXXIV. *Paulique Tertii* nomen mutuatus Ecclesiam diutiùs gubernarit, notior est quam ut nostris indigeat præconiis, sedit annos quindecim dies XXIX. obdormiit anno MD. XLIX. die IV. Idus Novembris, & in Vaticano tumulatus fuit. *Antonius Maria de Monte Sancti Sabini* ex Archiepiscopo *Sipontino* Auditor Cameræ Apostolicæ, & Rotæ, à *Julio Secundo* Cardinalis anno MDXI. die XXX. Maji designatus, Episcopus *Papiensis*, tum *Novariensis*, *Umbriæ* Legatus, & in Urbe iterum, Concilii *Lateranensis* indicendi auctor *Julio Secundo*, *Tusculanæ* Sedi præfuit anno MD. XXIII. die XIV. Decembris, *Prænestinæ* die XVI., *Sabinensi* anno MDXXIV. die XVIII. Maji, demum *Portuensi* die XV. Junii, *Romæ* sublatus è vivis fuit anno MDXXXIII. die XII. Kalendas Octobris, sepultus est apud Sanctum *Petrum* in Monte aureo cum Epitaphio, quod illi posuit *Julius Tertius* fratris filius. *Petrus Accoltius Florentinus* ex *Aretio* Auditor Rotæ, *Anconitanus* Episcopus à *Julio* quoque *Secundo* Cardinalis Presbyter Tituli Sancti Eusebii anno MDXI. ad-
B scitus fuit, & Episcopus *Gaditanus* in *Hispania*, *Malleacensis*, & *Atrebatensis* in *Gallia*, *Cremonensis* in *Insubria*, *Ravennas* in *Æmylia* Archiepiscopus, rursus Episcopus *Albanensis* anno MD. XXIII. die XVI. *Decembris*, *Prænestinus* anno MDXXIV. die XVIII. Maji, *Sabinensis* die XV. Junii, abiit è *vita Romæ* anno MDXXXII. men- 257
se Decembri, humoque mandatus est apud Sanctam Mariam de Populo, etsi *Rubeus* illum apud Sanctum Eusebium scribat fuisse situm. *Marcus Cornelius Venetus* cum Episcopatibus *Patavino*, & *Veronensi* fulsisset, atque Cardinalatu, anno MDXXIV. die XVIII. Maji *Albanensis* Epi-
C scopus, die XV. Junii *Prænestinus*, obiit XIII. Kalend. Augusti eo anno, jacetque apud Sanctum Georgium majorem. *Laurentius Puccius Florentinus* Cardinalis Tituli Sancti Laurentii in Damaso, & Episcopus *Pistoriensis*, hinc *Albanensis* anno illo MDXXIV. die XV. Junii, *Prænestinum* obtinuit Episcopatum die XXIX. Julii, & tenuit ejus clavum ad annum MDXXXI., quo *Romæ* demortuus, sepultusque fuit in Sanctæ Mariæ supra Minervam. *Joannes Piccolomineus Senensis* Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Balbinæ adeptus Episcopatum *Albanensem* anno M. DXXIV. die XXIX. Julii, *Prænestinum* consequu-
D tus est die XXI. Septemb. anno MDXXXI. at MD. XXXIII. die XXVI. Aug. obvenit illi *Portuensis* Episcopatus, denique *Ostiensis* anno MDXXXV. die XXVI. Februarii, vita functus est *Senis* anno M. DXXXVII. & situs in Metropolitana, cujus Archiepiscopus erat. *Andreas de Valle Romanus* Cardinalis Presbyter Tituli Sanctæ Priscæ anno MDXXXIII. die XXI. Aprilis Episcopatui *Albanensi* regendo admotus, tum *Prænestinam* suscepit Ecclesiam, obiitque *Romæ* pridie Idus Augusti MDXXXIV. in Aracœli humatus cum Epitaphio. *Bonifacius Ferrerius Vercellensis* Presbyter Sanctorum Nerei, & Achillei Tituli Fa-
E sciolæ Cardinalis à *Leone Decimo* dictus anno M. DXII. ex Episcopo *Eporediense*, anno MDXXXIII. die XII. Decembris Episcopus *Albanensis*, anno MDXXXIV. die V. Septembris translatus fuit 258
ad *Prænestinam* Sedem, anno MDXXXV. die XVI. Februarii ad *Sabinensem*, anno MDXXXVII. die XXIV. Septembris ad *Portuensem*, decessit anno MDXLIII. mense Januario, quiescit in Sanctæ Mariæ Majoris cum Epitaphio. *Laurentius Campeggius Bononiensis* Episcopus, Presbyter Sanctæ Mariæ Transtyberim Tituli Callisti Cardinalis anno MDXXXIV. die V. Septembris Episcopus *Albanensis*, anno MDXXXV. die XXVI.
F Februarii *Prænestinus*, anno MDXXXVII. die XXVIII. Novembris *Sabinensis*, migravit è vita die XVI. Augusti anno MDXXXIX. *Antonius Sanseverinus Neapolitanus* è *Tarentino* Archiepiscopo Cardinalis à *Clemente Septimo* delectus Presbyter Sanctæ Mariæ Transtyberim Tituli quoque Callisti, insignitus Episcopatu *Prænestino* die XXVIII. Novembris MDXXXVII. transiit ad *Sabinensem* die IV. Augusti anno MDXXXIX. tum ad *Portuensem* die VIII. Januarii anno MDXLIII. quo vivere desiit die XVII. Kalendas Septembris in Sanctissi-

mæ

mæ Trinitatis ad *Montem Pincium* ſitus eſt. *Joannes Vincentius Caraffa Neapolitanus* itidem Archiepiſcopus patriæ ſuæ, & Presbyter ejuſdem Tituli Calliſti à *Clemente Septimo* etiam cooptatus Cardinalis aſcendit ad Epiſcopatum *Præneſtinum* anno MDXXXIX. die IV. Auguſti, ad quem anno MDXLI. die XIV. Novembris *Alexander Cæſarinus Romanus* Diaconus Sanctæ Mariæ in Via Lata Cardinalis evocatus fuit ex Epiſcopio *Albanenſi*, quod anno MDXL. die XXI. Maji ſuſceperat, obiit *Romæ* die XIII. Februarii anno MDXLII., tumulumque ſortitus eſt in Aracœli, Epiſcopus *Hieracenſis* etiam exſtitit. At è *Cornelia* gente *Venetus* alter *Franciſcus* ex Epiſcopo *Brixienſe*, ac Presbytero Tituli toties repetiti
259 Calliſti Cardinale *Albanus* Epiſcopus anno MD. XLI. die XIV. Novembris, *Præneſtinus* anno MDXLII. die XV. Februarii evaſit, *Viterbii*que vita exutus Kalendis Octobris MDXLIII. *Venetias* deportatus fuit. *Joannes Maria* de Monte Sancti Sabini Presbyter Tituli Sanctæ Praxedis Cardinalis Epiſcopatum *Præneſtinum* indeptus anno MDXLIII. die V. Octobris hinc pervenit ad ſolium Pontificale, in quo *Julii Tertii* nomen aſſumens anno MDL. die VI. Februarii ſedit uſque ad diem V. Aprilis anno MDLV. quo ceſſit è vita, inque Vaticano ſepultus fuit. Succeſſorem in Epiſcopatu *Præneſtino* ſibi ſubſtituit *Julius Tertius Ludovicum Borbonium* è Regio ſanguine *Gallum* die XIV. Februarii anno MDL., qui Cardinalis Presbyter Tituli Sanctorum Silveſtri, & Martini in Montibus anno MDXVII., deinde Sanctæ Sabinæ fuerat Epiſcopus *Laudunenſis*, *Lucionenſis*, *Cenomanenſis*, Archiepiſcopus *Senonenſis*, hinc anno MDLVII. die XIII. Martii exceſſit ex humanis, & in Sancti Dionyſii conditus fuit, quo anno *Federicus Cæſius Romanus* XX. Septembris *Præneſtinus* Epiſcopus proclamatus ex Epiſcopo *Tudertino*, atque *Cremonenſe*, ac Presbytero Tituli Sancti Pancratii Cardinale, *Pauli Tertii* delectu, ad Epiſcopatum *Tuſculanum* regreſſus anno MDLXII. die XVIII. Maji, inde ad *Portuenſem* tranſiliit anno MDLXIV. die XII. Maji, in quo Epiſcopatu *Romæ* deceſſit anno MDLXV. die V. Kalendas Februarii, & in Sacello Cæſiorum apud Sanctam Mariam Majorem requieſcit cum Epitaphio. *Joannes Moronus Mediolanenſis* Presbyter Sancti Vitalis Tituli Veſtinæ à *Paulo Tertio* dictus anno MDXLII. in Concilio *Tridentino* Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus, poſtea Sanctæ Ma-
260 riæ Tranſtyberim Tituli Calliſti, & anno MD. LX. die XIII. Martii Epiſcopus *Albanenſis*, menſis ejuſdem X. die anno MDLXI. *Sabinenſis*, & die XVIII. Maji *Præneſtinus*, die vero XIII. Martii anno MDLXIV. *Tuſculanus*, & die VII. Februarii anno MDLXV. *Portuenſis*, ad extremum *Oſtienſis*, & Decanus Sacri Collegii, *Romæ* exceſſit è vita anno MDLXXX. Kalendis Decembris ſepultus in Sanctæ Mariæ ſupra Minervam cum Epitaphio, Epiſcopatibus inſuper *Mutinenſe*, atque *Novarienſe* potitus eſt. Iſtius præſtantiſſimi Herois res geſtas fuſe deſcriptas aſſervat ejus gentilis eruditiſſimus, & humaniſſimus D. *Carolus Moronus* Baſilicæ Sancti Laurentii in Damaſo Canonicus, & à Bibliotheca Eminentiſſimi Principis *Franciſci* Cardinalis *Barberini*, juvatque pro jure communis amicitiæ ſigillatim, hoc Elogium in ipſius gratiam excerptum intexere. Filius fuit *Joannes Moronus Hieronymi*, qui Ducatus *Mediolanenſis* Cancellarius, & ab intimo conſilio *Caroli Quinti* Imperatoris erat, adoleſcens *Romæ*, acerrimi ſpecimen ingenii cum præberet, à *Clemente Septimo* Protonotarius anno ætatis XVI. renuntiatus, ubi ſtrenuam *Florentina* in obſidione (negotiis è voto Pontificis

A peractis) navaſſet operam, Epiſcopus *Mutinenſis* annum agens XIX., hinc *Mediolanenſis* Senator, at a *Paulo Tertio* in *Germaniam* ad *Ferdinandum Romanorum* Regem Nuntius miſſus, atque *Ratiſponam* ad *Carolum Quintum* variis Dietis interfuit, *Spirenſi* potiſſimum, & ad Cardinalitiam dignitatem meritorum gradibus aſcendit, ad Concilium inde *Tridentinum* Legatus, tum *Bononiam*, à *Julio Tertio* præfectus Eccleſiæ *Novarienſi*, Legatuſque ad Auguſtanam Dietam gnaviter defendit Catholicam Religionem, 261
Marcelli Secundi Comitiis adfuit, & *Pauli Quarti*, ſub quo calumniis appetitus, & carceri ad-
B dictus, ex illo à Collegio Cardinalium liberatus, atque à *Pio Quarto* dictus innocens, & iterum Legatus ad Concilium *Tridentinum*, ei coronidem impoſuit; poſt *Pii* ejuſdem obitum dignus Sancti *Caroli Borromæi* ſententia judicatus fuit, qui ad thronum Pontificium proveheretur, uti ſemper innocentibus gloriam adverſa pepererunt, prælatus tamen illi *Pius Quintus* adhibuit eum feliciter ineundo fœderi adverſus *Turcam*, quod victoria celeberrima relata *Naupacti* à Chriſtianis conſequuta eſt, à *Gregorio Decimotertio Genuam* Legatus ad ſedandos tumultus in Reipublicæ Chriſtianæ perniciem erupturos, pacem
C compoſuit, denique ad *Maximilianum* Imperatorem, tutatus eſt Eccleſiam animoſe, Protector Regnorum *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Angliæ*, & *Hiberniæ*, ac Ordinum Religioſorum Sanctorum *Benedicti*, *Bernardi*, *Dominici*, *Hieronymi*, pluriumque Congregationum Præfectus, honoribus, & gloria cumulatus, meritiſque inſignibus erga Chriſtianum Orbem memorabilis cum annum LXXII. attigiſſet evolavit in Cælum. Hactenus excurrere me coëgit amor, nunc ſeriem, quam ſum exorſus, repeto. *Chriſtophorus Madrutius Tridentinus* ex Epiſcopo ſuæ patriæ Presbyter Cardinalis Tituli Calliſti ſæpius
D ſcripti Epiſcopus *Albanenſis* anno MDLXI. die XV. Aprilis, *Sabinenſis* die XVIII. Maji MDLXII. ad *Præneſtinam* Sedem retroceſſit MDLXIV. anno, die XII. Maji, & *Portuenſem* apprehendit die III. Julii MDLXX. in qua ſedens ereptus eſt ex humanis die V. Julii MDLXXVIII. & apud Sanctum *Onuphrium* ſepulcro, ac Epitaphio cohoneſtatus. *Otho* Truchſes Auguſtanus in *Germania* ex Epiſcopo patriæ quoque ſuæ à *Paulo* 262
Tertio Cardinalatu, & Titulo Sanctæ Balbinæ donatus, eum cum Titulo Sanctæ Sabinæ, mox iſtum cum Calliſti permutavit, *Herbipolenſis* Eccleſiæ adminiſtrator, Imperii Protector, an-
E no MDLXX. die III. Julii *Præneſtinum* Epiſcopatum optavit, poſtquam *Albanum* anno MDLXII. die XVIII. Maji, & *Sabinenſem* anno MDLXX. die II. Aprilis obtinuiſſet, & inhærens *Præneſtino* deceſſit *Romæ* anno MDLXXIII. menſe Aprili depoſitus in Sanctæ Mariæ, ac Epitaphio decoratus. *Julius Roboreus*, ſeu de *Ruvere* Presbyter Sancti Petri ad Vincula Tituli Eudoxiæ Cardinalis Epiſcopatum *Albanenſem* emeruit anno MDLXX. die X. Februarii, *Sabinenſem* die III. Julii, at *Præneſtinum* anno MDLXXIII. die XVII. Octobris, *Romæ*que abiit è vita anno MD. LXXVIII. rexit inſuper Archiepiſcopatum *Ra-*
F *vennatem*. *Joannes Antonius Sorbellonus Mediolanenſis* ex Epiſcopo *Fulginate* à *Pio Quarto*, cujus erat amitinus, Diaconus Sancti *Georgii* ad Velum aureum Cardinalis declaratus, tum Presbyter Tituli Calliſti, hinc anno MDLXXVIII. die IX. Julii Epiſcopus *Sabinenſis*, inde *Præneſtinus* eo anno, & *Tuſculanus* anno MDLXXXIII. die IX. Martii, & *Portuenſis* MDLXXXVII. anno die II. Decembris, denique *Oſtienſis* anno MD. LXXXIX. die XVI. Martii diem ultimum obiit *Romæ* XV. Kalendas Aprilis anno MDXCI. & in

Sanctæ

Sanctæ Mariæ Angelorum ad Thermas tumu-
lum ejus cum Epitaphio visere licet. Fuit &
Novariensis Episcopus. *Joannes Franciscus Gam-
bara Brixiensis*, Episcopus *Viterbiensis*, qua se
dignitate abdicavit, & Cardinalis, ex eo-
dem Titulo, Callisti nempe, ad Episcopatum
Albanensem provectus anno MDLXXX. die V.
263 Decembris, ad *Prænestinum* anno MDLXXXIII.
die IX. Martii pervenit, excessitque *Romæ* è
vita anno MDLXXXVII. die III. Non. Maji,
unde relatus *Viterbium* ad Sanctam Mariam de
Quercu repositus fuit absque ullo Elogio in Sa-
cello Majori subter gradus. *Marcus Antonius
Columna Romanus* Presbyter Tituli Sancti *Lau-
rentii* in Lucina Archiepiscopus *Tarentinus*, &
Salernitanus Prænestinum etiam rexit Episcopa-
tum anno MDLXXXVII. die IX. Maji sibi delatum,
eumque reliquit anno MDXCVII. moriens *Julio
Sanctorio Casertano* Archiepiscopo Sanctæ Seve-
rinæ, & Presbytero Sanctæ Mariæ Transtybe-
rim Tituli Callisti Cardinali dicto à *Pio Quinto*,
Julius autem illum Episcopatum iniit eo anno
MDXCVII. die XVIII. Maji, Majorque Pœniten-
tiarius, ac Summus Inquisitor *Romæ* defunctus
anno MDCII. die VII. Idus Junii jacet in Sa-
cello, quod vivus ipse construxerat in Basilica
Lateranense cum Epitaphio. Sæculo exorienti
Alexandrum Mediceum in *Prænestini* Episcopa-
tus specula collocatum anno MDCII. die XVII.
Junii in locum *Julii Sanctorii* exhibent Ecclesiæ
illius Diptycha, & Sanctæ Rom. Eccl. Car-
dinalium Fasti, quos inter hic *Alexander Floren-
tinus* civis, & Archiepiscopus emicuit, ordina-
tus in Titulo Callisti Presbyter, hinc *Albanensi*
præfectus Episcopatui anno MDC. die XXX. Au-
gusti, sed è *Prænestino* transcendit ad verticem
honorum, *Romanum* scilicet ad Thronum, *Leo-*
que *Undecimus* appellatus est Kalendis April. an-
no MDCV. eo tamen frui diutius illi datum non
est, abstulit enim ipsum propera mors XXVI.
Pontificatus die, sive XXVI. Aprilis, cui succes-
sit in Episcopatu *Prænestino* per Optionem *Au-
gustinus Valerius Venetus* ex Episcopo *Veronense*,
264 ac Presbytero Tituli Sancti Marci Cardinale
Kalendis Junii anno MDCV. fato functus est an-
no MDCVI., quo Junii die V. capessere cœpit
optatum Episcopatum *Prænestinum Ascanius Co-
lumna Romanus Marci Antonii Columnæ* Impera-
toris exercituum invicti, & *Feliciæ Ursinæ* filius,
Abbas *Sublacensis*, & *Hierosolymitani* Ordinis
Venetiis Prior, à *Sixto Quinto* promotus Cardi-
nalis ad Titulum Sanctæ Crucis in Hierusalem;
eruditissimus, & eruditorum amator, Archi-
presbyter Sancti Joannis Lateranensis, *Aragoni-
æ*que Prorex, *Prænestinum* verò Episcopatum
non deseruit nisi cum vita anno MDCVIII. die
XVI. Kalendas Junii sepultus in Laterano prope
Sarcophagum *Martini Quinti*. *Antonius Maria
Gallus Auximanus* civis, Episcopus primum *Pe-
rusinus*, deinde patriæ suæ, à *Sixto Quinto* ele-
ctus Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Praxedis,
anno MDCV. Kalendis Junii Episcopus *Tuscula-
nus*, XXVIII. Martii anno MDCVIII. *Prænesti-
nus*, anno MDCXI. die XVI. Augusti *Portuensis*,
& anno MDCXV. die XVI. Septembris *Ostiensis*,
Romæ mortalitatem explevit anno MDCXX. die
XXX. Martii sepultus in Saerario ad Aram Cœli.
Frater *Gregorius Petrochinus*, seu *Petrocchinus* a
Montelpero, sive *Montelparo* in *Piceno*, Augu-
stinianus è Generali Ordinis Presbyter Cardina-
lis Tituli Sancti Augustini à *Sixto Quinto* re-
nuntiatus, deinde Tituli Sancti Laurentii in Lu-
cina, *Prænestinum* Episcopatum iniit anno MDCXI.
die XVII. Augusti, obiit MDCXII. die XIV. Ka-
lendas Julii conditus in Sacello Sanctæ Monicæ
Romæ apud Sanctum Augustinum cum binis

A Elogiis. *Franciscum de Giojosa Gallum* ex Ar-
chiepiscopo *Narbonensi* Presbyterum Tituli San-
cti Petri ad Vincula Cardinalem à *Gregorio De-* 265
cimotertio designatum *Prænestinum* Episcopatum
anno MDCXI. Mucantius *Tom.* VIII. *Diariorum*
enuntiat, sed *Ughellus* præterit, inque *Sabinen-
sibus* anno MDCIV. reponit, unde *Ostiensis* eva-
serit anno MDCXI. die II. Augusti, obiit *Ave-
nioni* die XXIII. Aug. MDCXV. sepultus est *Ponti-
saræ*, fuit *Tolosanus*, & *Rothomagensis* etiam Ar-
chiepiscopus. *Benedictus* Justinianus *Chii* natus
Genuensis Origine, Cameræ Apostolicæ The-
B saurarius anno MDCLXXXV. die XV. Kalendas Ja-
nuarii à *Sixto Quinto* Diaconus Cardinalis San-
cti Georgii ad Velum Aureum renuntiatus, *Bo-
noniæ* Legatus, ad Titulum Sanctæ Priscæ pro-
vectus Presbyter, & ad Sancti Laurentii in Lu-
cina, tum ad Episcopen *Prænestinam* anno MDC.
XII. die VI. Junii, ad *Sabinensem* anno MDCXV.
die XVI. Septembris, demum ad *Portuensem*, in
qua decessit die XXVII. Martii anno MDCXXI. tu-
mulatusque in Sanctæ Mariæ supra Minervam
cum Epitaphio Resurrectionem mortuorum ex-
pectat. *Franciscus Maria de Monte Sanctæ Ma-
riæ* natus *Venetiis* à *Sixto Quinto* Diaconus San-
C ctæ Mariæ in Domnica, tum Presbyter Tituli
Sanctorum Quirici, & Julittæ, mox Sanctæ
Mariæ in Aracæli, ad extremum Sancti Lauren-
tii in Lucina, anno MDCXV. die XX. Julii *Præ-
nestinus* Episcopus, anno MDCXXI. die XXVII.
Martii suprascripta *Portuensis*, at MDCXXIII. *O-
stiensis*, anno Jubilei MDCXXV. Portam ad San-
ctum *Paulum* solemni ritu aperuit, conclusitque,
diemque clausit extremum anno MDCXXVI. die
XXVIII. Augusti elatus ad Sancti Urbani tem-
plum, quod substruxerat. *Octavius Bandinus
Florentinus* Archiepiscopus *Firmanus*, & Sanctæ
Romanæ Ecclesiæ Cardinalis anno MDCXXI. die
D XXVII. Martii *Prænestinus* Episcopus, anno MD. 266
CXXIV. die XVI. Septembris *Portuensis*, deni-
que *Ostiensis* anno MDCXXVI. die VII. Idus Se-
ptembris, obiit die I. Augusti MDCXXIX. con-
ditusque fuit in Sancti Silvestri in Monte Qui-
rinali, exstat ibidem Epitaphium. *Andreas Pe-
rettus* à *Clemente Octavo* Diaconus Cardinalis ad-
scitus anno MDXCVI. Sanctæ Mariæ in Domni-
ca, mox Presbyter Tituli Sancti Laurentii in
Lucina, pronuntiatus fuit Episcopus *Prænesti-
nus* die XVI. Septembris anno MDCXXIV. tum
Albanensis anno MDCXXVI. die II. Martii, hinc
anno MDCXXVII. die XVIII. Kalendas Maji *Tu-
E sculanus*, obiit *Romæ* die III. Augusti anno MD.
CXXIX. & apud Sanctam Mariam Majorem se-
pultus est prope *Sixti Quinti* gentilis sui Mauso-
leum. *Dominicus Gymnasius Romæ* natus origi-
nem trahens è Castro *Bononiensi* Archiepiscopus
Sipontinus Nuntius ad Regem *Hispaniarum* à
Clemente Octavo missus, Cardinalisque designa-
tus, à *Paulo Quinto* Titulum Presbyteralem
Sancti Pancratii accepit, tum Sancti Laurentii
in Lucina, è quo, anno MDCXXVI. die II. Martii
ad *Prænestinum* Episcopatum evectus, anno
MDCXXIX die XIII. Septembris ad *Portuensem*,
ereptus est orbi anno MDCXXXIX. die XIII. Mar-
F tii, tumuloque inditus in Ecclesia Sanctæ Luciæ,
quam fundarat, dotaveratque. *Marcellus Lantes
Romanus* è Cameræ Apostolicæ Auditore à *Paulo
Quinto* affine Presbyter Cardinalis Tituli San-
ctorum Quirici, & Julittæ *Tudertinus* Episcopus,
pridie Kalendas Maji anno MDCXXIX. *Prænesti-
nus*, VIII. Idus Octobris *Tusculanus*, XXIII.
Martii anno MDCXXXIX. *Portuensis*, ad ulti-
mum Kal. Julii MDCXLI. *Ostiensis*, migravit è
vita die XVII. Aprilis MDCLII. *Petrus Paulus
Crescentius Romanus* ex Auditore Cameræ A- 267
postolicæ à *Paulo Quinto* ad Cardinalatum evo-

catus, Presbyterque Sanctorum Nerei, & Achillei Tituli Fasciolæ, Episcopus *Reatinus*, & *Urbevetanus*, deinde *Prænestinus* VIII. Idus Octobris anno MDCXXXIX. & *Portuensis* Kalendis Julii anno MDCXLI. *Romæ* obiit die XXVI. Februarii anno MDCXLV. *Guido Bentivolus Ferrariensis* è Presbytero Cardinale Sanctæ Mariæ Transtyberim Tituli Callisti *Prænestinus* Episcopus Kalendis Julii anno MDCXLI. evasit. Cardinalatus dignitatem illi detulerat *Paulus Quintus* Nuntio ad Regem *Francorum*, & Archiepiscopo *Rhodio*, Ecclesiam *Regiensem* in Provincia *Narbonense* administravit. Cum vero in Pontificio interregno post *Urbani Octavi* obitum die VII. Septembris anno MDCXLIV. decessisset, eodem anno die XVII. Octobris *Innocentius Decimus* in secreto Consistorio referente Eminentissimo Cardinale *Ginetto* Vicario providit Ecclesiæ *Prænestinæ Ildephonsum de Cueva Hispanum* Cardinalem à *Gregorio* XV. delectum anno MDCXXII., qui eam de more optaverat, & præfecit. Illeque adhuc isti præsidet.

268 CAP. XVII.

EPILOGUS OPERIS.

Qui desiderabit à me ut Oppida & Vicos Diœcesis *Prænestinæ* perlustrem, & quæcumque in illis videntur memoranda perscribam, quin ut Ecclesias intra *Prænesten*, forisque constructas, & ornatas, atque Sanctorum Reliquias venerandas inibi repositas, Ordinumque Religiosorum Cœnobia, & Parthenonas sigillatim referam; is cogitet me priore libro Latifundia, Possessionesque priscas, & Oppida, Vicosque complexum, at Ecclesias antiquas, atque Reliquias in isto. Quæ vero supersunt, eæ sunt recentes, & alibi à me fusius forsitan Deo adjuvante pertractabuntur. Viros tamen Illustres sanctitate, ac virtutibus insignes, ortuque suo, vel mora *Prænesten* nobilitantes, præter illos, quos jam commemoravi, non omittam. In quibus Princeps occurrit *Berardus è Comitibus Marsorum* Acoluthus, à Papa *Paschale Secundo Romam* evocatus, & Subdiaconus, atque *Campaniæ* Comes constitutus, qui à *Petro Columna* Consule *Romano* captus, inque Cisternam *Prænestes* demissus, vix inde fuit erutus, ac liberatus à consanguineo suo, & Diaconus, Episcopusque *Marsicanus* effloruit sanctimonia, ut ex ejus vita R. P. *Ughellus* enarrat, B. *Jacoponus* de *Benedictis Tudertinus* succedit, qui Ordinem Minorum professus, & stultus propter Christum nova mundum arte delusit, & cœlum rapuit, cujusque, cum obdormisset in Domino die XXV. Martii anno MCCXCVI. ossa *Tuderti* deposita in Ecclesia Virginum Sanctæ Claræ, tum 269 translata in Sancti *Fortunati*, repositaque in sacrario. Hic autem *Jacoponus* se pœnitentiam egisse *Prænestæ* canit, hisce verbis. *Que farai Fra Jacopone sei venuto al paragone. Fuste al monte Pelestrina anno è mezo in disciplina.* Anno V. *Bonifacii Octavi* enuntiatur in Bulla CXIV. Magister *Joannes* de *Penestre* Cameræ Clericus. Patrum nostrorum memoria *Andreas Fulvius Prænestinus* scripsit Urbis Antiquitates, quæ typis exstant editæ cum Notis *Hieronymi Ferrutii*, uti *Gesnerus* admonet, eæ vernaculo sermone fuerunt expressæ in Epigrammate, quod præfixum legitur Quercui Capitolinæ, ipse vocitat se *Andræam Prænestinum.* Hic *Andreas* varia Urbis monumenta carmine descripsit, & *Leoni* Decimo dicavit, exstant illa edita *Romæ* in 4. anno MDXII. cum Epigrammate *Joannis Fulvii. Marianus* de *Blanchellis Prænestinus* emendavit *Pomponii Læti* librum de vetustate Urbis MDXV. anno excusum: vetustior Liber, qui de Numismatis antiquis ageret, ab *Andrea Fulvio* anno MDXVII. *Leonis* Decimi ævo conscriptus fuit & in lucem emissus, rursusque prodiit auctior *Clemente* VII. & *Paulo* III. sedentibus: erant in eo effigies, & vitæ Imperatorum, sed Numorum aversæ facies deerant, nisi quod ad calcem plerique Numi cum altera superficie visuntur ex argenteis, ut plurimum, & ex aliquot æneis Numismatibus deprompti. Sunt & complures commentitii, ac adulterini, præter illos quos commemoravimus *C. Marii*, & in secunda Editione *Argentinensi* anno MDXXXVII. cui nomen suum *Joannes Huttichius* imposuit. Hæc *Antonius Augustinus* pag. 297 & 299. *Dialog.* XI. *de Num Antiq.* Ille ipse *Andreas Fulvius* primus Inscriptiones *Romanas* publicavit typis *Jacobi Mazochii Romæ* anno MDXXI. *Hubertus Goltzius Prænestes* Antiquarium nominat *Augustinum Nigorium*, *Joannes Petrus Aloysius Prænestinus*, Musicæ Princeps fuit superiori sæculo, ejusque in sacris tutor, & conservator. Insero hic epistolam, quam olim ad me scripserat *Lælius Guidiccionus* vir Inl. ad Poësin, & Rhetoricen ambidexter, inque viridi senecta fidus Musarum cultor. *Ita res est, uti dicebamus* (*vir quocumque nomine præstantissime*) *Tridentini Patres conveniunt decreto prohibituri sacris ædibus concentus articulatos* (*credo*) *permoti tam multis, tam fractis, explicatis, imminutis vocum impressionibus, quæ plus nimio diversæ traducebantur ad rem Divinam; diem decernendo dixerant, ea die inter sacra notæ adhibentur, idcirco transmissæ à Joanne Aloysio Prænestino Carpensis Legati jussu contra deliberantis, & partes Musicas sustinentis. Hæc pii Patris industria, casta, & castigata Magistri lex ad suavissimos excitata concentus, unanimisque cantorum alacritas, & contentio, id omne subsidio fuit, id nobis, scilicet cantando restituit rem. Dulcibus enim auditis conquisitissimæ, & æquabilis harmoniæ sonis, statim sententiæ in contrarium mutantur. Decretum rescinditur, res Musica coalescit, & Prænestino semine per Christianum orbem mirifice propagatur.* Hæc ille *Romæ* XVII. Kalend. Februar. anno sal. MDCXXXVII. & plura cum Epigrammate, quod lucem aspexit post biennium, sed ne sim prolixior omitto, vocat me *Hadrianus* Citrarius *Prænestæ* natus honestis parentibus, quem duodennem *Hadrianus Castellensis* S. R. E. Cardinalis addixit *Vallisumbrosæ* Congregationi, nomenque dare voluit. Erat vero Cardinalis ille doctissimus, uti produnt ejus opera. *Citrarius* tanto duce studiis gnave incubuit, inque humanioribus mirifice profecit, sacram linguam, Græcamque ad unguem calluit, utramque professus per decennium Lector fuit, seu Doctor illarum linguarum in Monasterio *Vallisumbrosæ*, inde *Romam* profectus, cum acri, ac versatili esset ingenio in gratiam aulæ obrepsit, Pontificium diploma elicuit, quo Præfectus Generalis Congregationis renuntiatus fuit invitis patribus, uti retulit *Eudoxius Locatellus* è MSS. monumentis, quæ vir Inl. *Carolus Thomæ Strozzius Florentinus* Patritius transmisit, & licet gradum nullum fecisset ad hunc apicem, & saltu. verum illum antea *S. Joachimi Tucenti*, tum *Romæ* Sanctæ Praxedis Abbatem die circiter 7. Septembris asserunt schedia Sanctæ Praxedis anno nimirum MDLXXXII. præterea hinc die tertia Maji eo anno Generalem in Capitulo fuisse delectum, adduntque Sanctum *Carolum* S. R. E. Cardinalem *Borromæum* eo familiariter usum, vicinis quippe in ædibus habitantem ad Sanctæ Praxedis, ejusque consilium sæpius exquisivisse. Cum autem *Hadrianus* hic *Citrarius* nimis despotice se gereret in Magistratu, cunctorum odium incurrit, nec expleto biennio, patrum universo-

Cap. 10. — Cap. 4. & c. 5. — Lib. 1. c. 28. — Tom. 1. Ital. Sac. — Cant. 55. — Wad. tom. 3. Annal. Min. ad an. 1306. nu. 10. — In Bibliotheca Edit. Romæ an. 1510. — in Itin. per. Germ. Ital. Gall. — Guidiccion.

versorum querelis excitus Pontifex illum Generalatu jussit abire, quo ad triennium usque fungi pro more debuisset: Itaque omnibus exosus, aliquamdiu extra claustra divagatus est, elapso sexennio in *Sardinia* Monasterio Salveneris Abbas è Pontificio Brevi præficitur, eoque titulo cohonestatus *Romæ* triennium exegit, ubi angustia, & mærore potius quam senio confectus occubuit. *Angelus Vellius Prænestinus* Congregationis Oratorii Præpositus Generalis anno MC. effulsit. *Sebastianus Fantonus Præneste* ortus Prior Generalis Carmelitarum à fundamentis ibidem erexit anno MDCXIII. Cœnobium ejusdem Ordinis, quod sacra supellectile, ac Bibliotheca instructissima exornavit. Operæ quoque pretium est Epitaphium adhuc adtexere, quod legi nuper in Cœnobio Carmelitarum Prænestæ. *Inspector hæc paucula Tibi mutus loquitur silex ex multis, quæ sæculo, & orbi F. Sebastiano Fontono Præneſt. Car. fama concinit, qui singulis Religionis suæ muneribus, & honoribus functus suggesto, & Cathedra toti Italiæ laudatissimus, prudentiæ, omnigenæque virtutis calculo Summo Pontifici Paulo V. probatissimus, sacelli B. V. M. Transpontinæ Romæ, totiusque hujus templi, Cœnobii, & Bibliothecæ, quæ intus speciosissima visitur, à fundamentis erector, ornator, dotator, denique Generalatus culmen anno XII. omnium plausu tenens, ætatis verò suæ LXXIII. morte ad meliorem vitam migravit III. Nonas Octobris anno MDC. XXIII. Stephanus, & Franciscus nepotes, & Petrus Antonius IV. D. pronepos patruo benemerenti mœstissimi posuere anno Domini MDCXX.* hic è nobili familia *Mantuana* ortus Patre *Stephano*, qui Castrucciæ gentis hereditatem, ac Juspatronatus trium Canonicatuum è XVII. Ecclesiæ Cathedralis *Prænestinæ*, cognomenque, ac insignia per Olympiæ nuptias consequutus florentes adhuc reliquit posteros, è quibus *Curtius* nunc *Sebastianus* Ordinem Beatæ *Mariæ* de Carmelo professus Vicarii munus obit *Prænestæ*, & Historiam patriæ suæ lingua vernacula meditatur, quam, ut pollet ingenio perspicaci, doctrinaque præditus est singulari, ab eo perficiendam suis omnibus numeris propediem confido. *Andreas Borgia Prænestæ* quoque natus ab *Urbano Octavo* Sanctissimo Pontifice *Signinæ* Ecclesiæ datus Episcopus anno MDCXLIII. illam pie, sapienterque administrat. *Agapitum Colonsium Prænestinum* Filium *Joannis Baptistæ* bellica laude in *Belgio* clarissimi, dum pro Urbani VIII. Sanctissimi Pontificis, & Apostolicæ Sedis obsequio *Liburni* ageret, intermortui, & *Hortensiæ Torsolæ* Matronæ lectissimæ, ac pientissimæ, 270
Agapitum (inquam) Eminentissimi Principis *Francisci* Cardinalis *Barberini* Mæcenatis mei à secretis, Encomio justo celebrare si ordiar, Panegyricum bene prolixum aggrederer, in eo namque certant pietas, prudentia, & doctrina, sed in primis modestia singularis, quæ me progredi vetat. Claudam igitur hanc Antiquitatem *Prænestinarum* opellam inspersо isto veluti gestu novitatis, votoque concepto ad Deum Opt. Max. quod in dies renovare gaudeo, pro Excellentissimi Principis *Maffæi Barberini*, *Prænestinæque* Urbis faustissimis, & fortunatissimis successibus, atque perenni felicitate.

(Margin notes: Gallon. in vit. S. Philippi Nerii. — Inscript. — Ughell.)

CAP. XVIII.

Mantissa.

Est post vindemiam racematio superstes, autore *Tertulliano*, canente Nemesiano, *extremas legulus cum sustulit uvas*; Est & post messem spicilegium, dum illectæ spicæ, quæ metentium manus effugerunt, rursus in manipulos colliguntur, ut in libro Ruth legitur, & apud Jurisconsultos adnotatur. Nonnulla igitur in libris istis omissa, quæ meas in manus recens pervenerunt, addam hic Mantissæ loco, (ut ajunt) quæ obsonia vincat, imo condiat animos, pascens deliciis, & suavitate doctrinæ.

(Margin notes: Apologetic. 31. Eclog. 3. — c. 2. Alciat. in. tit. D. de verb. signific. — Turneb. lib. 19. Adver sar. c. 13.)

Non prætereundam censeo soli *Prænestini* feracitatem in producendis marmoribus: intra Cœnobii Patrum Capuccinorum septa, inque horto dum effoderetur ille ante annos plus minus quatuor, & eruerentur saxa è monte, cui superstructus est, fuit repertus lapis subfuscus, qui colore referebat *Ægyptium*, durus, atque lævis, è quo leunculi quatuor tres palmos oblongi sunt excisi, & sculpti, visunturque hinc inde collocati ad sustentandas arcas duas marmoreas sepulcrales, sive sarcophagos in sacello variis, & 288
mirabilibus marmoribus incrustato; quod *Gaspar Morellus* vir pientissimus è Familia Eminentissimi Cardinalis *Barberini*, Imagini Thaumaturgæ Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis reponendæ, atque colendæ excitavit in Sancti Rocchi, prærerea Idolum instar *Ægyptii*, quod cum vetustis certat, & apud Excellentissimum Principem *Prænestinum* Bruti caput altum palmos duos, aliaque opera ex eo lapide affabre facta exstant industria, & arte *Nicolai Menghini* sculptoris eximii, qui Eminentissimum Cardinalem *Barberinum* Mæcenatem agnoscit, ibique lapicidinam existere affirmavit, aliamque Alabastri pellucidi, & Electrini, seu lutei coloris; totus autem mons constare videtur è lapide coloris eburnei duro, atque lævi, è quo capita, seu πρoτoμους, aut stetharia idem sculpsit *Julii* Cæsaris, & Augusti, quæ in suprascripti Principis Palatio spectare licet. *Joannes* insuper *Laurentius Berninus* Eques ingeniosissimus, & celeberrimus Architectus effinxit illo è lapide Cranium, seu Calvariam, quæ naturam ipsam exsuperat, & pulvinari, quod *Heraclio* è silice concinnarat, imposuit; Vena est etiam *Prænestæ* marmoris albi croceo, atque cæruleo coloribus distincti, è quo tabellæ plures exsectæ relatæ sunt inter antiqua Eminentissimi Cardinalis *Barberini* monumenta. Viget alia vena marmoris diversicoloris, ex qua altare portatile fuit excisum in Palatio Principis: has omnes venas *Nicolaus* jam laudatus adinvenit.

Coronidem præstantiorem isti Mantissæ haud queam imponere, nobilioremve addere Colophonem quam petitum è penu instructissimo Illustris. Abbatis & Equitis *Cassiani* à *Puteo*, ha- 289
bet vir immortalitate dignissimus reconditos thesauros antiquorum monumentorum, quos exhibet liberaliter, qua præditus est humanitate. Hos inter sunt XVIII. tabulæ *Prænestini* Lithostroti, in quibus variæ ferarum & portentorum animalium effigies, venationum, fluminum, phaselorum, tentoriorum, ædium piscatorum, & militum, Isidisque simulacrorum graphice delineatæ, & pictæ figuræ mirum quam afficiant, oblectentque oculos inspicientium. Ex his forsitan opus integrum contexi, sarcirique posset, sicut in Palatio Principis jam cœptum est felicissime; Sed cum id sit operosum, laboremque prolixum exigat, moliri non sum ausus, neque subjicere oculis omnia, monstrorum præsertim, quæ nova tunc etiam pariebat in dies *Africa*, persequi singula genera, illa quidem, cum his, quæ *Solinus* in Polyhistore apprime describit, si conferantur, plane conveniunt, gustus præbendi causa duo ista fragmenta typis hic expressa innecto, synopsinque tabularum.

In prima Tabula spectare datur tres feras è Musivo compostas, quibus inscriptum ΤΑΜΟΝΟΠΑΡΔΑΛΙ forte ΚΑΜΕΛΟΠΑΡΔΑΛΙ. In secunda

A cancros innantes fluvio, Simias, Hippopota-
mum, venatores, & in his Mauros, qui vibrant
sagittas ex arcubus in Simiam, infra CΦΙΝΓΙΑ. In
tertia Testudines innatantes Fluvio, & feras, quæ
devorant pisces, inscriptumque ΕΝΤΔΡΙC. In quarta
aves, forte Ibides insidentes rupi, quas vorat
serpens sinuosa torquens volumina, Simiam, &
quadrupedem humana facie, sed caudatam, sub-
tusque ΜΟΝΟΚΕΝΤΑΤΡΑ, tum duo animalia sese
290 lambentia, vel commordentia, additumque ΟΩΑΝ-
ΤΕC. Quinta exhibet phaselum, qui remis agi-
tur in Flumine rupibus interstincto, in quo mili-
tes, qui jacula conjiciunt in Hippopotamum,
quibus illum inter ulvas, seu Papyros configunt.
B Sexta Hippopotamum telis confixum natantem,
duosque Crocodilos. In septima ΚΡΟΚΟΔΙΛΟ-
ΠΑΡΔΑΛΙC innat Flumini, hanc agitant Æthiopes
clypeati, ædes, simulacra *Isidis*, Aquilæ signum
Asino impositum. In octava navis inflato velo
tendit ad turrim rotundam, & ad duas quadra-
tas in mare procurrentes, in quibus nidificant
volucres, sagittarius collineans in Hippopota-
mum. In nona Templum ad ripam Fluvii,
Obelisci, puteus, palma, mulieres vero sertis
coronatæ, homo tridentifer forte Neptunus.

In decima ΡΙΝΟΚΕΡΩC ΧΟΙΡΟΠΙΟΚ, Templum
cum duabus turribus, & casa, palmæ. In unde-
C cima vir mulierque hinc discumbunt, inde alii
sub tegete, quam inumbrat vitis pampinis, &
racemis onusta ad ripam Fluvii, per quem dis-
currit phaselus plenus floribus innascentibus, ex
adverso tres, quorum alius canit fistula, porri-
git alter cornu, seu cyathum, qui desinit in
hœdi speciem, tertius indicem attollit. In XII.
legitur ΚΗΙΤΙΤΕΝ ΛΕΑΙΝΑ CΑΤΟΣ ΤCΗΧΙCΝΙΕ ΕΦΑ-
ΛΟC. In XIII. navis visitur, quæ remis age-
batur, militibus plena, aliæ velis vento inflatis,
& funibus intertextis, phaselus in Fluvio, do-
mus, & Casa cum rusticis, cymba, flores in
D Fluvio. In XIV. ΚΡΟΚΟΤΑC, Venatores ΤΑΒΟΤC,
in rupe ad Fluvium. In XV. ΤΙΓΡΙC ΚΡΟΚΟΔΙΛΟC
ΧΕΡCΑΙΟC CΑΤΤΥΚ. In XVI tentorium, & mili-
291 tes, atque Templum, Dux propinans cum cor-
nu, Abacus, Fluvius. In XVII. Sacerdotum
processus sub templo, quatuor coronati gestant
humeris fercula, cum tympanis, tibiisque alii.
Anubis statua in Base. XVIII. Umbella.

In Sanctæ Mariæ Transtyberim Titulo Cal-
listi fragmenta sunt duo, quæ Musivi *Prænestini*
quidam suspicati sunt, inserta Basi fornicis dex-
tri ante Apsidem, qua sustentatur *Pronaus*, &
tectum referunt illa volucres similes gruibus, &
E anatibus, forsan Ibides, tum pegmata, seu po-
dia, & naves, ac lintres in mari discurrentes,
puta phaselos, sed illa pertinere ad aliud Musi-
vum censent Antiquarii naris emunctioris.

Habet ille ipse Abbas à *Puteo* in Gazophyla-
cio Votorum, & Votivarum statuarum, ac I-
cuncularum, quæ Fortunæ dicari solebant, &
Tholo Templi appendi simulacra fictilia, in his
fæmina pariens cum infante, inque sella residens,
vir sedens crure debiliori laborans hydropisi, va-
riaque capita mulierum oculis, aut cephalæalgia
ægrotantium, quæ æri piguit incidere, cum Il-
lustrissimus Episcopus *Æmoniæ Tomasinus* haud
ita pridem maximo cum litteratorum mærore
sublatus importuno fato plurima in libro de Do-
nariis exhibuerit.

Hunc Numum DIVÆ FAUSTINÆ, cum
PVELLIS ALIMENTARIIS à tergo mihi
perhumaniter præbuit Antiquitatis indagator sa-
gacissimus *Leonardus Augustinus Senensis*. En igi-
tur illius Ectypon inserendum libro 1. pag. 31.
post alterum Numum. 292





Operarum menda eximere Herculeæ videtur
opus esse audaciæ, hoc enim facinus tam arduum
est, atque Augiæ stabulum repurgare, tot, ac
tantos in errores incidunt Typographi, quique
abs illis eduntur libri fœdis passim scatent παροράμασι, manum igitur medicam illis corrigendis
& persanandis, quæ irrepserunt huic editioni,
admovere operæ pretium erit; olim siquidem,
dum calamo exararentur Codices, emendari sole-
bant à Viris Clarissimis & Inlustribus, cujusmodi (Epist. 11. lib. 4.)
fuere Turcius Rufius Apronianus Asterius. V. (Anselm. l. 8. Urbs c. 8.)
C. & Inl. Excomite, Expræf. Urbi. Patri- (Possid. c. 24. Vit.)
cius, & Cons. ordin. Nicomachus Flavianus
V. C. III. Præf. Urbis; Victorianus V. Inl.
& Julius Constantinus V. C. Cassiodorus ex
Senatore Urbis; Petrus Damiani S. R. E. Car-
dinalis Episcopus Ostiensis, qui & suos libros à
Reverendiss. Episcopis Theodosio Senogalliensi,
& Rodolpho Eugubino emendari petit, Sanctus
Augustinus Episcopus Hipponensis tantæ vir
authoritatis, tantæque doctrinæ. Quidni ergo
mihi licebit idem in opere meo moliri, lectori-
que consulere, ne cespitare cogatur identidem,
ut ineam ab eo gratiam, mihique ipsi faciam sa-
tis. †

† *Nota*: Hæc ultima verba jure omitti potuissent, quoniam ab Auctore solummodo cum in finem hic apposita sunt, ut errorum irreptionem excusaret, qui in hac quidem editione sunt sublati: attamen non potuimus impedire, quin iterum novi irreperent, quos ita emendare velit Lector, subnixe rogamus. Pag. 8. lin. 25. lege MAGNIFICUS. pag. 41. lin. 68. lege *Constitisse*, pag. 66. lin. 44. lege *Columnensis*. pag. 96. lin. 28. lege *Obsequiis*. & pag. 123. lin. 38. lege *infulas*.

F I N I S.





INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Chri-

F.

G.

Præ-

FINIS.





PHILIPPI A TURRE,

Forojuliensis, postea Episcopi Adriensis,

MONUMENTA VETERIS ANTII,

Hoc est

INSCRIPTIO M. AQUILII,

Et

TABULA SOLIS MITHRÆ

Variis Figuris & Symbolis exsculpta,

Inibi sub finem Seculi XVII. reperta, mox Commentario illustrata, & accuratè explicata.


Addita nunc est ejusdem Auctoris

EXPLICATIO INSCRIPTIONIS CUJUSDAM ANTIQUÆ

DE TAUROBOLIO.

Editio Novissima, Emendatior & Auctior.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.
BENEVOLE LECTOR.



T Marmora rerum sibi creditarum ad seram usque posteritatem fidelissimi sunt custodes: sic dignitatum illa nomina, quæ in honorem *M. Aquilii* olim *Antiates* inciderunt marmori, post longam sepulturam exhibentur denuo. Qua occasione vetustatis illud monumentum fuerit inventum, in Præfatione indicat præsentis Operis Auctor, *Philippus a Turre*, Forojuliensis, postea Episcopus Adriensis, quem *Inscriptio* illa *M. Aquilii* interpretem nacta est dexterrimum. Hæc enim, & *Tabula Solis Mithræ*, inter *Antii* antiqui rudera unà inventæ, ipsi extiterunt Argumento conscribendi *Monumenta Veteris Antii*: librum, ut accepimus a Viris summi Nominis, tanta refertum eruditione, quanta reperiuntur admodum rari. Hæc *Monumenta* (una cum *Dissertationibus de Beleno & aliis quibusdam Aquilejensium Diis*, ac de *Colonia Forojuliensi*, cumque *Fragmentis Inscriptionum Fratrum Arvalium*, quæ pariter a nobis denuo, at separatim, impressa) prodierunt, Superiorum permissu, *Romæ*, Anno MDCC. Typis *Cajetani Zenobii*, & *Georgii Plachi*, in Quarto. Cum vero eadem, monitoribus Viris Eruditissimis, prælo nostro subjicerentur, omnem adhibuimus industriam, ut liber apud nos prodiret omnibus, quæ Lectori gratam reddere possunt editionem, ornatus. Errores typographi, quæ in primam irrepserant editionem, sedulo sustulimus, & omissa locis debitis, ab Auctore indicatis, restituimus. His occupati experti sumus etiam Excellentissimi Viri,

Justi Fontanini, singularem erga nos benignitatem, qui pro augenda & exornanda hac editione transmisit egregia quædam Addenda & Emendanda, ab ipso benevole procurata: quibus locis debitis insertis & observatis, hæ Auctoris lucubrationes nunc prodeunt & emendatiores & auctiores; nisi quod, plagulis aliquot, cum Mæcenatis modo laudati literæ nobis redderentur, jam impressis, levia illa, quæ in calce notantur, emendari non potuerint. Numeri paginarum editionis prioris in nostra ad marginem notantur, ut, quæ ab aliis scriptoribus ex illa citantur, in hac reperiri queant absque molestia. Nomina propria, citationes, & alia, quæ id requirere videbantur, diversis a contextu consignata sunt characteribus, & ideo patebunt eo facilius. Indicem Rerum notabiliorum, qui in priori editione simul ea continebat, quæ *Dissertationes de Beleno*, *Colonia Forojuliensi* &c. respiciebant, exhibemus in hæc *Monumenta* separatum. Elenchum Capitum Operi præmisimus, ut omnia, quæ hic continentur, uno pateant intuitu. Addidimus etiam, moniti a Viris Eruditissimis, post finem *Partis Secundæ*, Inscriptionis cujusdam antiquæ de Taurobolio explicationem per Auctorem nostrum ad illustrem *Cuperum*. Nos illam accepimus in novis literariis Gallicis, *Bibliotheque Choisie* inscriptis, ubi *Tom.* XVII. *pag.* 167. ante ipsam explicationem, præmisso Articuli Titulo: *Explication d'une Inscription Ancienne par* Mr. Philippe della Torre, *Evêque d'Adria*, leguntur sequentia: *J'ai parlé au Tome* VII. *de cette* Bibliotheque Choisie, *d'une Inscription, touchant le Taurobole, trouvée à Lion, & j'en ai encore dit quelque chose dans la Préface du Tome* VIII. *Mais l'illustre* Mr. Cuper,

qui

qui a commerce avec tous les Savans de l'Europe, & qui se fait un plaisir de contribuer à éclaircir les ténebres de l'Antiquité & par lui même, & par les lumieres de ses Amis, m'ayant communiqué un Ecrit du savant Evêque d'Adria sur cette Inscription; j'ai cru, que je ferois plaisir au Public de le publier ici. Les belles remarques, qu'il a publiées à Rome en MDCC. touchant les monumens de l'ancien Antium, *avec ses Dissertations du Dieu* Belenus *& de la Colonie de* Frioul, *ont assez fait connoître son savoir dans les Antiquitez Romaines, & l'explication suivante ne diminuera pas la bonne opinion, que l'on en a.* Inde & nos, editionem hanc Tibi, *Benevole Lector*, eo gratiorem fore, non immerito confidimus. Vale.

AUCTORIS EPISTOLA DEDICATORIA.

INNOCENTIO DUODECIMO, PONTIFICI MAXIMO,

PHILIPPUS A TURRE FELICITATEM.

SAXA hæc argumentis profanæ antiquitatis exsculpta, eorumque mihi tentatam interpretationem, Tibi PONTIFICI MAXIMO, & quæ augustior laus est, etiam OPTIMO, offerre non sum veritus, tuoque Nomine inscripta veluti consecrare, quòd sciam, vel ipsi Deo lapidem olim erectum fuisse in titulum, & nostra quoque sacra religioso cultu lapidibus superimponi. Ea quidem cùm ex Antii *ruderibus, quæ in nobilissimi Portus structuram migrare jussisti, nuper sint effossa, Tibi uni acceptum referunt, quòd hac quantulacumque lucubratione illustrata in lucem temporum prodeant. Ecquid verò dubitem, BEATISSIME PATER, ne ad MONUMENTA VETERIS ANTII majestatem aliquandò sis demissurus, qui ut* Antium *ipsum ad prisci nominis famam revocares, omnes Pontificiæ liberalitatis sinus expandisti? Nam ubi adhuc supersunt vestigia antiqui Portus* Neroniani, *exaggeratis in maris lubrico immensis molibus, productoque in altum ingenti quasi brachio, Portum* Antio *reddidisti, jam expiato veteri vocabulo nobis INNOCENTIANUM appellandum. Securitati porrò consuluisti Propugnaculo constructo, quà se Portus aperit; & Fonte per longa & abrupta itinera marmoreæ moli inducto, aquationum compendia navigantibus procurasti. Ità sanè, BEATISSIME PATER, dùm populis commercia recludis, admoves munificentiæ ingenio disjunctissimas terras; & parata navibus tutissima statione,* Tyrrheni *litora infamia naufragiorum absolvis. Ut jam*

nautæ res salvas, bona, vitamque ipsam tuo beneficio imputent; & denuò Antium *in Te Fortunam suam, sed non ut pridem profanam & impiam, nanciscatur. Præclara hæc quidem, & INNOCENTIO digna: at quibus, PATER SANCTE, Urbem exornas, & Orbem imples, illustriora sunt & maxima, quantum ipse Maximus es. Miramur & loquimur Ædificia publica immensæ molitionis exstructa, Magistratus & Tribunalia certis sedibus donata, vectigalia remissa, auro interdictum dignitatibus, jura sanguinis posthabita, pauperes autem veluti in sortem Propinquorum vocatos, & magnificè habitare jussos. Prætereo innumera pietatis opera, vigilantiam & nunquam fractum a curis Apostolatus animum, clementiam, æquitatem, sanctimoniam, ceterasque virtutes supra hominum conditionem amplissimas. Ea enim propè divina sunt, quibus Cœlum ipsum demereris: cùm regiones quamplurimas & provincias, tuis auspiciis bello subactas, CHRISTO asseris: magnum Principem Sacris* Romanis *imbutum florentissimo regno inauguras: Catholicos domo & aris per summum nefas depulsos præsenti subsidio foves: & ne fines tuæ pietatis simulque munificentiæ angustiores sint quàm Mundi, Evangelium, commeatu & largo censu auctum, in remotissimas* Asiæ & Africæ *oras transmittis. Nimirùm ità tuum est, BEATISSIME PATER, de toto Orbe terrarum benemereri, ut crediderim, Deum O. M. ideo potissimùm Te incolumem nostris votis nuper reddidisse, ne hoc anno Seculari populis religionis caussa undique in Urbem confluentibus, alia manu quàm tua Cœlum reseraret. Det verò summus idem rerum Arbiter, ut longùm videas quæ nobis munera contulisti, majoraque in dies conferre possis: nobis servet magnum animum, magnas virtutes, Maximum Pontificem: & INNOCENTIUS XII. diù vivat, cui vivere benefacere est.*

Romæ VI. Kal. Julias Anno MDCC.

A P P R O B A T I O
P R O I M P R E S S I O N E,

Quæ in priori Editione habebatur.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. Patr. Mag. Sac. Pal. Apost.

Dominicus B. de Bellis Episc. Melphict. Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Sellari Mag. & Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost. Paulini Bernardinii Soc. Ordin. Prædic.

AUCTORIS PRÆFATIO.



NNO superiore, quo per vernum tempus animi caussâ *Antii* degebam, cum jussu Principis antiquissimæ urbis rudera in novi Portus structuram deportarentur, inventa sunt duo præclara vetustatis monumenta; ut grandia molimina Optimo Pontifici etiam cum proventu literarum deberemus. Primum referebat *Inscriptionem M. Aquilii*, multiplici eruditionis charactere illustrem; alterum figuras quasdam & imagines, quarum faciem ac significationem lapis in plura fragmina disjectus curiositati subducebat. Exscriptum diligenter *Aquilii* elogium, sæpius animo reputabam, num Eruditorum notitiæ exponerem, & bono fato ab ævi longioris caligine ereptum publicæ lucis usurâ donarem. Tot siquidem præclara dignitatum nomina, obscura & insolens notarum quarundam forma, & *Aquilius* ipse nondum Orbi literario notus, industriam operamque sibi aliquam impendi, deposcere videbantur. Dum hæc mecum agito, atque otium quæro, quo à penso fermè diurno aliarum occupationum exsolutus ad mitiores eruditæ antiquitatis curas traducerer; Eminentissimus meus Card. IMPERIALIS, ut cœlo lætiori afflictam valetudinem leniret, in *Neapolitanum* secessum digressus, mihi acerbam, Musisque ipsis ingratam, vacationem fecit. Quam uti mœrore ægram, ne etiam inertem ignavamque transigerem, jam liberiorem studiorum usum adeptus, non ultrà distuli meditatum opus pertentare. Interea *Dominicus Quartironus*, publicus in Urbe Matheseos Professor, fragmenta lapidis *Antiatini*, quæ memoravi, cum aliis subinde eruderatis coacta, in integram tabulam componit, ejusque typum concinnè delineatum mihi perhumaniter elargitur. Cum facilè intellexissem, iis figuris & symbolis Solis MITHRÆ simulacrum repræsentari, jamque *Aquilium* tunc impensius urgerem, *Mithram* quoque posterioribus curis destinavi, ut duo hæc MONUMENTA VETERIS ANTII sociâ veluti fœturâ in lucem prodirent. Quòd primam in *M. Aquilium* elucubrationem spectat, ea vario & multijugo eruditionis apparatu absolvitur; nam per singula argumenta, quæ lapidi inscribuntur, ire oportuit, & vetusta *Antii* tempora, Accensorum genera

nera, Patrimonia Principum, opera publica, terrestrem militiam ac maritimam, coloniarumque patrocinia percensere, atque in unum corpus componere. In quibus sane sive ordinem spectes, seu res ipsas, an quidquam publici saporis futurum insperserim, potius legentis judicium expectabo, quàm antevertam. Hoc unum tamen quam maximè ab illo postulo, ne crimini tribuat, quòd non semel ad aliena digressus extra chorum saltare videar. Siquidem historias non teximus, aut disputationem, in quibus nefas sit orationis cursum abrumpere, & animum Lectoris intempestivis narrationibus dividere; sed philologicos commentarios scribimus argumenti multiplicis, quos ipsa rerum atque eruditionis varietas commendat. *Amœnitates studiorum quærimus*, ajebat Plinius in præfatione Operis naturalis, quas etiam per occasionem in diverticulo captare licet; ut iter agentibus evenire solet, qui à viâ in splendidas ædes, aut pratum floribus consitum deflectunt. Si bona hæc sunt, ad quæ præter semitam duceris, pretium in facto est: si mala, quin prætereas, nemo vetabit. De *Mithrâ*, qui secundam Operis partem complectitur, nihil hìc præludii loco dixerim, cùm satis videri possint, quæ initio Dissertationis exposui. . . . .

(*Hic sequebantur quædam, quæ Dissertationes* de Beleno, Diis Aquilejensium, Coloniâ Forojuliensi, *&c. respiciebant. Cum vero ipsa in præfatione, Dissertationibus istis præmissâ, fuerint exhibenda, hic eadem repetenda non duximus.*)

Hæc Operis totius occasio est & series. Quæ præfari nonnullis sollemne est livori averruncando, & censuræ deprecandæ, mihi transmittuntur. Illud juxtà ambitiosum existimo ac laudem quærere: nam plurimùm de te sentias necesse est, qui alios in invidiam te posse excitare putes. Censores non perhorresco, si levia sectentur, aut non jure arguant. Sin quid mihi dignum virgulà est, manum non subduco. At verò molliori animadversione mecum fortasse agendum, quoniam primum ingenii monumentum hoc est, quo in acta exeo; & ab alienâ palæstrâ in castra Musarum veluti transfuga dilapsus sum. Adde, quod exactis feriarum diebus, dum priores curæ identidem redeunt, stilus in diversa jactatus præpropero cursu quamplurima ad extremum ceræ perduxit. Ut tamen fatear, inter has vel ingenii, vel temporis difficultates, levamentum opemque mihi non modicam attulit prompta facilisque copia librorum, quibuscum intra easdem ædes veluti contubernio jungor. De Card. amplissimo JOSEPHO RENATO IMPERIALI nunc loquor, qui cùm magnas virtutes, & excelsas undequaque dotes in censu animi numeret, ut rem quoque literariam patrimonium suum faceret, Bibliothecam numero & præstantiâ voluminum instructissimam, maximam scilicet & nobiliorem celeberrimæ *Slusianæ* partem, propriæ superaddidit; ex qua cùm mea hæc omnia, tanquam è penu locupletissimâ, petita sint, ut sibi eadem accepta referrem, hac eximiâ liberalitate effecit. Tametsi plura sunt & longè majora, quæ Principi Eminentissimo debeo, quàm ut tenuem hunc obscurumque ingenii fœtum in suo natum fuisse, educatumque profitear. Dudum enim in *Ferrariensi* amplissimâ Legatione, quam continenti famæ præconio ultrà sexennium obivit, me audiendis judicandisque ejus vice forensibus caussis præfecit; & nunc quoque in Urbe sanctioribus studiis, quæ in judiciis sacrarum quæstionum versantur, operam meam qualemcumque admovet: quæ sane beneficentiæ argumenta, ad diutini obsequii gloriam exornandam, ampliora mihi aut cumulatiora esse nequeunt. Verùm nec prolixa officia, neque laudationes locus hic patitur. Interim dum instituti mei rationem expono, fortasse apud severiores homines offendam, quód à feriis abductus ad inanes, uti vocant, literas, & inhospitam sterilemque antiquitatis solitudinem diverterim. Nolo viros doctrinâ, pietate, rerum usu, ac dignitatibus illustres recensere, qui in veterum memoriis pervestigandis summam collocarunt operam, & volumina nullo unquam tempore interitura ediderunt; at profectò, si graviora studia cum jucundioribus hisce distinguimus, animumque quandoque ad remissionum diverticula traducimus, quæ invidia aut reprehensio esse possit, nescio. Monitum *Quintiliani* sequimur, & defensionem, quâ ipse *Lib. I. Instit. Orat. Cap. VII.* in fin. *Tullium*, *Cæsarem*, ac *Messallam* de rebus Grammaticis scribentes vindicavit, potiori jure usurpamus. *Non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.* Quid verò de nostris censoribus judicabis, qui eas tantummodò occupationes in pretio habent, quæ lucrum faciunt, aut viam ambitioni parant; & per fastidium amœniorum artium supercilii auctoritatem quærentes, adeò rudes ineptique sunt, ut numerum ipsum Musarum ignorent, & barbaras terras *Castalium* nemus, bicipitemque *Parnassum* putent? Sed de his parciùs, ne videar potiùs seculi genium, quàm hominum quorundam ingenia perstringere. Satis quoque ad præludium Operis; jam enim Inscriptionem M. AQUILII aggredimur, cujus literæ, in marmore tres pedes lato, quatuor longo, eleganti scalpro exaratæ, hujusmodi sunt:

M. AQUI-

M. AQVILIO. M. F
FABIA. FELICI

ACENSVS. EQVIT. ROMAN
PRAEF. CL. PR. RAVENNAT
PROC. PATRIM. BIS. PROC. HERED
PATRIM. PRIVAT. PROC. OPER. PVB
PRAEP. VEXILLAT. P. P. LEG. XI. CL
Ɔ FR. PATRON. COL. OBMER. EIVS

ANTIAT. PVBL

Marco Aquilio Marci Filio Fabià Felici, à Censibus Equitum Romanorum, Praefecto Classis Praetoriae Ravennatis, Procuratori Patrimonii bis, Procuratori hereditatium Patrimonii privati, Procuratori Operum publicorum, Praeposito Vexillationibus, Praeposito Legioni undecimae Claudiae Fretensi, Patrono Coloniae, ob merita ejus Antiates publicè.

ELENCHUS CAPITUM.


PARS PRIMA.

Cap.

ELENCHUS CAPITUM.

PARS SECUNDA.







1 PHILIPPI A TURRE,

Forojulienſis, Epiſcopi Adriæ,

MONUMENTA VETERIS ANTII.

PARS PRIMA,

DE INSCRIPTIONE M. AQUILII.

CAPUT I.

Ab Antio initium operis. Ea Urbs olim Volſcorum, hinc Colonia Civium Romanorum, deinceps veteranorum facta, unde Nummus Neronis exponitur. An Romanis novæ Coloniæ inductæ & quando. Antium natali Neronis, & Caligulæ nobilitatum, & Romanorum Principum ſeceſſu. Fortunæ Antiatis Templum celeberrimum. Q. Ruſtii denarius illuſtratur. Fortunæ Antiatinæ geminæ dictæ & Sorores. Nova explicatio Nummi C. Antii. Nomina familiarum a loco originis deducta. De Sardo Patre, & appellatione Sardiniæ, unde Bochartus correptus. Inter Penates etiam Dei majores a Romanis adſcripti. Communis opinio de Fortunæ Antiatinæ ſortibus rejicitur. Quo modo ſortes redderentur. Locus Suetonii emendatus, vel explicatus. Nomen ſortis ſæpe pro oraculo acceptum. Cur Fortunæ Antiates geminæ. Fortuna Equeſtris apud Antium. Cluverius notatus, & Tacitus defenſus.

QUONIAM mihi conſtitutum eſt Inſcriptionis M. AQUILII partes ſingulas continenti explicatione complecti, & lapidis literata veluti ſpatia ſtylo peragrare, ab ANTIO initium ducam, cui & præclarum hoc monumentum, & occaſionem ſcribendi acceptam refero. At ex iis, quæ alii de ejus antiquitate, celebri fama, rebusque geſtis jam tradiderunt, pauca ad-
2 modum decerpam. *Antium nobiliſſima*, ut ait Halicarnaſſeus *initio Lib. VIII.* quondam fuit *Volſcorum* Urbs, quæ exinde ſub *Tarquinio Superbo* in commune veteris *Latii* nomen conceſſerat, crebris bellis cum *Romanis* pro libertate confectis variâ fortunâ, demum in eorum poteſtatem devenit, Civiumque Coloniam ſemel iterumque recepit. Legimus apud Livium *Lib. VIII.* miſſam hanc novam *Coloniam*, *cum eo ut Antiatibus permitteretur, ſi & ipſi adſcribi vellent.* Quod in honoris atque exiſtimationis argumentum factum fuit. Non enim ſemper veteres Cives, in Colo-

A niarum deductione, mixtim ſacra, & leges cum *Romanis* habere permittebantur. Tunc id conceſſum, cum jura Quiritium tributa, Coloniis ſcilicet *Romanis*, non *Latinis*. Itaque *Antiatibus* uti jure Quiritium, *ſi vellent*, permiſſum, uti explicat *Sigonius de veteri Jure Ital. Lib. II. Cap. III.* Sane & ſupra ceteras aucta privilegiis, & honeſtata *Antiatum* Colonia fuit. Nam cum difficillimo Reipublicæ tempore etiam Coloni, qui *ſacroſanctam vacationem* dicebantur habere, dare milites cogerentur, *nullius præter Antiatem Oſtienſemque vacatio obſervata eſt*, apud eundem Livium
B *Lib. XXVII.* At poſteà infrequentiâ Colonorum, ut indicat Tacitus *Lib. XIV. Annal. Cap. XXVII.* laboranti ſubvenit Nero, *adſcriptis veteranis è Prætorio, additisque per domicilii translationem ditiſſimis primipilaribus*, ex Suetonio *Cap. IX.* Quamvis inſolens eſſet *Romanis*, in eam Coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, Coloniam novam inducere, attamen ubi caſu aliquo diminuta, vel exhauſta reperiretur, novi in eam ſubinde Coloni iterum adſcribebantur. Quod in Coloniis militaribus maxime obtinuit, quas, tradito primum exemplo à *Sylla*, *Cæſar* & *Auguſtus* poſt bella Ci-
C vilia, ut emeritos milites agris donarent, frequentiſſimas, & ſequuti deinceps Imperatores traduxerunt. Hujusmodi hæc ex veteranis ad *Antium* collocata Colonia fuit. Deductam vero ex legione IV. *Italica* conjicio ex numiſmate ejusdem Imperatoris apud Harduinum *de Nummis populorum, & Urbium pag. 55.* cum inſcriptione: COL.
ANTIAT. LEG. IIII. ITALICA. Quod eâ 3
occaſione percuſſum facile intelligo. Novos hos Colonos fortaſſe addidit *Nero*, ut Patriam ſuam, infrequentiâ detritam, illuſtriori Civium acceſſione celebrem florentemque redderet. Ideo enim, &
D veteranos è Prætorio, quod nobiliſſimum militiæ genus eſt, & ditiſſimos primipilares transmiſit, quamvis irrito ſucceſſu, *dilapſis*, ut ait Tacitus, *pluribus in Provincias, in quibus ſtipendia meruerant.*

At Urbis Patriæ utilitati, & ſplendori magnificentius hic Imperator conſuluit, exſtructo Portu, quem niſi *operis ſumtuoſiſſimi* tradidiſſet Sue-

tonius *Cap. IX.* satis superque ingentia, quæ adhuc extant, vestigia testarentur. Nunc liberalitate & providentia SS. D. N. INNOCENTII XII. in imaginem pristinæ magnificentiæ excitatus, denuo commercia populis, nautis securitatem restituit. Natum porrò Antii *Neronem* scribit idem Auctor, ideoque & hunc locum, *ubi ipse generatus erat*, puerperio Uxoris *Poppææ* delectum, ibique ob natam filiam *ludicrum Circense Claudiæ Domitiæque genti* institutum, subdit Tacit. *Lib. XV. Annal. Cap. XXIII.*

Verum Imperatorum natalibus huic Urbi claritas jam effulserat. Nam & Cajum Caligulam *Antii* ortum ex actorum, & publici Instrumenti auctoritate, contra *Plinium*, qui eum in *Treveris* natum scripserat, propugnat idemmet Tranquillus *in Vitâ Cap. V.* Lipsius tamen *ad Tacit. Lib. I. num.* 141. in *Plinii* sententiam concessit, forte ut proximæ genti *Trevirorum* hoc decus assereret. At Cajus *Antium* omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter quam natale solum ita dilexit, testante eodem Suetonio, *ut etiam sedem, & domicilium Imperii tædio Urbis eo transferre destinaverit.*

Pridem vero Principum, & Senatorum otio, & secessui delecta fuerat hæc Colonia. Do verba Strabonis *Lib. V.* qui scripsit ævo Augusti: *Antiate opidum Principum otio atque vacatione ab Ci-*
4 *vilibus occupationibus dicatum est, ideoque magnifica & splendida inibi sunt ædificia exstructa permulta, excipiendis eorum secessibus.* At sane habet hodie *Antium* in nobilissima Villa Em. Cardinalis *Costaguti*, quo hanc veterum magnificentiam, & amœnitatem in invidiam provocare possit. Ita exinde & sequutis Principibus *Antium* in deliciis fuit. De *Cajo*, & *Nerone* jam memoravimus. *Franciscus Blanchinus*, Veronensis Canonicus Basilicæ *S. Laurentii in Damaso*, egregiis scriptis jam editis plurimum de remotiori antiquitate benemeritus, *in* erudita *Dissertatione de Lapide Antiati L. Coccei*, quam anno elapso emisit, suspicatur, *Trajanum* cum oram maritimam a *Centum Cellis* ad *Bajas*, qua portubus, qua viis, qua ductibus aquarum, qua Coloniis additis, vel restitutis exornaverit, etiam Urbi *Antiati* nobilitatem restituisse. Ostendit præterea *Hadrianum*, præ ceteris, *Antii* secessum excoluisse, atque inibi magnificentissimam Regiam, ad quam lapis *Coccejanus* pertinet, habuisse. Et ex Philostrato *in Vita Apollonii Tyanei* docet, in eam regiam confluxisse plures amicos & familiares ipsius *Apollonii*, qui incolas præceptis Philosophiæ imbuebant.

Addiderim his Imperatoribus, qui vel *Antiati* secessu delectati, vel eam Urbem studio & beneficiis sunt prosequuti, *Titum* & *Domitianum* fratres. Primi indicium prodit nummus ipsi cusus ab *Antiatibus*, cum epigraphe: COL. ANT. Hunc Goltzius *in Thesauro pag.* 137. Coloniæ *Antipoli* tribuit, ab *Harduino* reprehensus *pag.* 55., cum *Antipolis* Colonia non fuerit. De *Domitiano* testatur Martialis *Lib. I. Epigr. V.* ubi loca recenset, quæ maxime secessibus suis frequentavit hic Imperator. Versus opportuniori sede mox reponam.

At famâ & celebritate hanc Urbem in primis illustrem reddidit apud veteres *Fortunæ* templum, atque *Sortes*, ideo *Antiatinæ* appellatæ. Horatius Lib. I. Od. XXXV. *o diva gratum quæ regis Antium*; quo loci vetus Commentator, *hujus Fortunæ Templum maxime celebre multorum etiam Principum virorum donis exornatum fuisse* tradit. Alii *fortunas*
5 Antiates plurali nomine efferunt, easque vocant *Sorores.* Martialis describens loca *Domitiano* ad delicias quæsita, ait *Lib. V. Ep. I.*

Seu tua fatidicæ discunt responsa sorores
Plana suburbani qua cubat unda freti.

A Quas *Sorores* male ad *Prænestinas Fortunas* detorquet *Beroaldus*, nam à *Præneste* longe abest mare. *Geminas* sane prodit nummus familiæ *Rustiæ*, cujus iconem æri incisam exhibeo *in Tabulâ Numism. Num. I.* Anticæ partis inscriptio est: Q. RVSTIVS FORTVNÆ ANTIAT, & quia in aversâ parte expressa est Ara cum inscriptione: FOR. RE. hoc est *fortunæ reduci*, & circa marginem CÆSARI. AVGVSTO. EX. S. C. ideo duo ista simulacra, *Fortunæ* nempe *reducis*, & *Antiatis* sive *Antiatinæ* hic exhiberi putat *Ursinus*, qui eundem nummum profert *in Fam. Rustiâ pag.* 442. eaque in *Augusti* gratiam impressa à *Q. Rustio*,
B qui sub *Augusto* triumvir cudendæ monetæ fuit. Verum Jacobus Oiselius *in Nummis Select. Tab. LIV. num.* 1. potius arbitratur, & merito, duas illas figuras, cum *Torrentio* ad *Horatium* loco memorato, accipiendas ambas pro simulacris *Fortunarum Antiatium*, quæ nempe duæ fuerunt. Unde in veteri inscriptione apud *Gruterum pag.* 72. *num.* 3. FORTVNIS ANTIATIBVS M. ANTONIVS. RVFVS. AXIVS. donum dicat. Sic apud *Tacitum*, ubi *Neroni*, ut retulimus, natam *Antii* filiam ex *Poppæa* scribit, legere est decretum à Senatu, ut *Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Jovis collocarentur.* Sic Martia-
C lis *Sorores* vocat, & Macrobius *Fortunarum* apud Antium meminit, quæ demum *Sortes Antiatinæ* Suetonio dicuntur, locis postea expendendis. Has vero duas fuisse ostendit hic ipse *Q. Rustii* denarius. Huc usque ferme ex *Oiselio.*

Fortunas quoque *Antiates* in *C. Antii* nummo, cujus typus est *in Tab. Num. II.* ex *Ursino pag.* 18. expressas videre mihi videor. In parte anticâ duo scalpta sunt simulacra cum inscriptione DEI PE- 6
NATES, in alterâ effigies *Herculis*, clavâ, Leonis exuviis, & armorum spoliis insignis, addito C. ANTII nomine. *Fulvius* expressas Penatium imagines putat, vel quod *Antia* familia *Lanuvio*, ubi simulacra Penatium servabantur, oriunda fue-
D rit, vel quod legem *Antius* tulerit, quæ ad augendam Religionem Deorum Penatium pertinuerit. At ego Deos illos *Penates* ipsas esse *duas Fortunas* Antiates existimo. Gentem *Antiam* quamvis *Lanuvio* oriundam suspicetur *Fulvius*, rectius, uti opinor, Spanhemius *Dissert. VI. pag.* 535. ab *Antio* profectam, & appellatam tradidit. Nam & nomen ipsum id suadet, & mos pluribus *Romanis* familiis acceptus, quæ ortus sui memoriam non semel aut loci natalis appellatione, aut deorum Patriæ præsidum simulacris, voluerunt ad posteros propagari, ut congestis exemplis ostendit idem eruditissimus Auctor, aliaque
E profert Sigonius *de Nomin. Roman. pag.* 372. *editionis Basil. ann.* MDLIX. Quod observatum & *Britanniæ* incolis, qui testante Cæsare Lib. V. de Bell. Gallic. *omnes fere iis nominibus Civitatum appellati, quibus orti ex Civitatibus eo pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt.* Hinc conjicias licet, *Hortensiam* florentissimam in Republicâ gentem ab *Hortâ*, veteri *Etruriæ* & celebri opido, quod nomine derivativo, uti censet Cluverius, *Hortanum* Plinius *Lib. III. Cap. V.* vocat, traductam & appellatam fuisse. Ab *Hortâ* enim *Hortensis* est, sicut à Veronâ *Veronensis*, & à Viennâ *Viennensis*, & inde *Hortensius*, ex *Romanarum* gentium
F recepto more, quibus nomina perpetuo in *ius* desiisse docet Sigonius *de Nominib. Romanor. pag.* 367. Hunc reprehendit *Spanhemius pag.* 523. quod *perpetuo* id servatum dixerit, cum videamus *Allienam*, *Betilienam*, *Cæcinam*, & alias *Romanorum* gentes. At sane acerbior hæc est in *Sigonium* nota: nam *amico suo summo viro auctore*, se eam sententiam protulisse ait, nec diffitetur tamen, extra eam regulam nomina aliqua esse. Imo scribens emendationes in librum ejusdem tituli, *de*
Nomi-


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
RVSTIVS FORTVNAE ANTIAT
CAESARI AVGVSTO
EX SC
L. AQVILLIVS FLORVS III VIR
DEI PENATES
ACISCVLVS
L. MVSSIDIVS LONGVS
M. ATIVS BALBVS PR.
SARD PATER
FELIX RAVENNA





7 *Nominib. Romanor.* Francisci Robertelli Utinensis, qui idem ille est tunc *amicus*, postea infensissimus adversarius, *Cap. XXXI.* aperte tradit, non omnia nomina *Romanorum* in *ius* terminata fuisse. Verum exiguus horum numerus non est, quod nos, frequentiorem & pene perpetuam consuetudinem sequutos, à derivatione *Hortensiæ* gentis deterreat. Præterea & in *Hortali* cognomine, quod *Hortensiorum* fuit gentile, ex Cicerone *ad Atticum Lib. IV. Ep. XV.* & Tacito *Lib. II. Annal. Cap. XXXVII.* hujus forte originis ab *Hortâ* vestigium aliquod latet. Quæ dicta velim, ut gratiam ineam ab Illustrissimo *Ferdinando Nuptio*, Secretario, ut vocant, Congregationis Sacr. Concilii, & post hæc scripta ad illustre Adsessoris S. Officii munus evecto, qui non tam *Hortam* patriam suam, quam Urbem cumulatissimis virtutibus exornat.

Itaque gens *Antia* nomen ab *Antio*, à quo profecta fuit, traduxit. Forte *Valerius Antias*, vetustissimus rerum *Romanarum* Scriptor, toties *Livio* laudatus, & non semel etiam reprehensus, hujus profectionis auctor fuit, primusque, qui familiam *Romam* invexit. Simul ergo ac gens *Antia* Romam migravit, religionem quoque laribus domesticis detulit, *Fortunasque Antiates* inter deos *Penates* familiæ præsides reposuit, dein cusis etiam numismatibus expressit. Pene id demonstrat adversa nostri denarii pars, in qua *Hercules* cum suis insigniis scalptus est. Nam & hunc Deum coluit *Antium*, ut docet alter nummus ipsiusmet Coloniæ *Antiatis* in nostram *Tab.* insertus *Num.* 111. ex Goltzii *magna Græcia Tab. XVII. Num.* 10. In anteriori parte depicta est imago *Herculis*, in postica *clava* & duo *Apri* capita (Parcant antiquarii de nummis coloniarum *Italiæ* hic litem movere.) Ut igitur *C. Antius* parte unâ denarii sui expressit *Herculem*, quod numen patrium Urbis *Antii* esset; ita in aliâ, quâ sculpta duo mulierum simulacra sunt, *geminas Fortunas Antiates* repræsentasse, non ambigendum videtur. Mulierum ea simulacra dixi, ex specie oris & cultu capitis, non admodum dissimili ab aliis, quæ non
8 semel apud *Ursinum* occurrunt. Nec quis ea componat cum fortunis *Antiatibus* alterius nummi, quem supra dedimus, quia non eadem aut figura aut ornatus, præsertim in nummis, uni alicui Deo ubique stetit. Ipsam fortunam variâ formâ veterum monumentis expressam spectamus. In unâ eâdemque tabellâ gentis *Cæciliæ* apud eundem *Fulvium*, videas quam dispari habitu *Romæ* caput repræsentetur. Nisi velimus, *C. Antium* immutasse fortunarum peculiarem cultum, ut eas in speciem Penatium indueret. At verò Deos patriæ præsides, unde ortum duxerant, familias nummis consignasse, ex *Spanhemio* jam indicavimus. Illustre exemplum ad rem nostram exhibet nummus *Copponiæ* gentis, quæ, quod à *Tibure* ortum traheret, ubi *Hercules* præcipuâ religione colebatur, Deum hunc denariis signavit. Ita *Petronia* Sabinis oriunda *Feroniam* ejus regionis deam, & *Mettia*, *Cornuficia*, *Pappia*, *Procilla*, *Roscia* Lanuvii municipio traduces, numismata cum *Junonis* Lanuvinæ simulacris exsculpserunt, ut videre est apud *Ursinum*. His addideram nummum *Atii Balbi*, quem *Sardum* cognomine putabam, fretus auctoritate *Patini*, qui illum in indicem cognominum à se auctum obtrusit: suadebatque ipse nummus hanc notam SARD. in latere postico præferens, quo, ut ipse suspicatur, *Sardus* Sardiniæ numen repræsentatur. Hinc enim originem ejus familiæ à *Sardiniâ*, numenque patrium *Romam* traductum reputaveram. Verum postquam apud humanissimum virum, & rariorum numismatum studiosissimum collectorem *Marcum Antonium Sabatinum* ipsum

A denarium conspexi, ab eâ sententiâ statim discessi. Hic denarius non SARD. ut *Patinianus*, sed expressis literis & maxime conspicuis, SARD. PATER. profert, ut ejus typus *in nostra Tab. num.* 4. demonstrat. Unde exsufflavi fictitium cognomen *Patini*; & cum in parte anticâ notam PR. absque intermediâ punctatione, quæ importune irrepsit in *Patinianum*, observassem, non amplius incertus hæsi, eâ Atium Balbum *Prætorem* designari. Præturam vero gessisse in *Sardiniâ* omnino verisimile arbitror, ideoque in averso 9
latere, quod *Patinus* ignorare se fatetur, numen ejus provinciæ tutelare expressisse, ut inferius demonstrabo. Quod hujus lapsum adscribentis genti *Antiæ* cognomen *Sardus* arguerim, non semel id peccasse diligentissimum alioquin, & eruditum antiquitatis Virum in eo Indice augendo scias. Nam Domitiis *Oscam* familiam imposuit, cum Urbs ea sit in *Hispania*, ut *Ursinus* ipse, quem ignorare non debuerat, diserte notavit. Calpurniis, & Pompejis *Numæ* cognomen obtrusit ex denariis utriusque gentis, in quibus *Numæ* caput scalptum est, quia originem ab eo traductam profitebantur. Atque id generis alia ab eo errata observat Jacobus Perizonius *Dissert. III. de variis Num. pag.* 255.

C Neque hic præterea, quoniam *Sardiniæ* nummus in manu est, mihi temperare possum, quin succenseam *Samueli Bocharto*, qui *Parte secunda Geograph. Sacr. Lib. I. Cap. XXXI.* posthabitis veterum testimoniis *Silii*, *Pausaniæ*, *Solini*, *Martiani Capellæ*, & *Isidori*, qui *Sardiniam* insulam, ab *Sardo*, de quo meminimus, vocatam, uno ore tradiderunt, nescio quam appellationem à vestigio pedes humani perduxit, à quo quidem prisci Scriptores *Ichnussam* appellatam dixere, nusquam *Sardiniam*: quod nomen postea, eo depulso, adeptum est. At ipse eâ libidine, quâ nomina regionum, populorumque origines ubique ab *Hebræorum Phœnicumque* linguâ accersere consuevit, quod invenerit in Hebræo *Saad* esse *gressum & vestigium*, inde formatum *Sardiniæ* nomen commentus est. Non is ego sum, qui pronus induam confictas plerumque, & turbidis cœnosisque fontibus haustas nomenclaturas populorum & migrationes; at non abnuerim priscis Scriptoribus auctoritatem & fidem, cum apud gentes aliquas propriæ originis traditam opinionem, seu veram seu fabulosam, prodiderunt. Apud *Sardos* satis constat, maximâ religione cultum fuisse *Sardum*, vocatumque *Patrem*. Quippe in eâ Insulâ locus fuit hoc nomine, Σαρδοπάτορος ἱερὸν apud Ptolemæum *Geogr. Lib. III. Cap. III.* male vertente 10
Petro Bertio. *Sardopatoris fanum*; Nam, ut notat Salmasius *Exercitationum in Solinum pag.* 99. Σαρδοπάτωρ est Σαρδὸς πατὴρ, scilicet *Sardus Pater*. Concinit noster Nummus, ubi diserte legitur *Sard. Pater*, & alius quem Holstenius *in Annotat. ad Ortelium pag.* 168. se vidisse apud *Jac. Sirmondum* testatur, cum inscriptione: ϹΑΡΔΟΠΑΤΡΟϹ. Filius hic tradebatur *Herculis Lybici*, à quo narrat Pausanias *in Phocicis pag.* 838. inter alios jam indicatos Scriptores, *Sardos* populos nomen accepisse, subditque suo ævo *Delphis* stetisse ejus statuam ex ære, quam *Sardi* illuc in Templum *Apollinis* pridem transmiserant. Hinc quoque *Atius Balbus*, ejus Provinciæ, in qua *Prætor* fuerat, religionem induens, simulacrum *Sardi Patris* nummis expressit. Eo modo quo *Cornuficius*, ut observat *Fulvius*, quia *Africæ* Provinciæ præerat, *Jovis Ammonis*, qui in *Africâ* colebatur, imaginem cudit denario, qui apud eundem primus est *in Tab. pag.* 93. Cum itaque *Sardiniæ* populi priscam originem per annorum seriem traductam, & templo ac religione veluti consecratam, *Sardo* retulerint, auctoremque cum gentis, *Pa-*

tris nomine indito, testati fuerint; mirum est A profecto, *Bochartum* unius voculæ, sane detortæ, præsidio, & longius quæsitâ analogiâ, tamquam si ab oye ovum ducere fas esset, aliam omnino originationem sibi fingere potuisse.

At vero ad Deos *Penates* nostri denarii redeo. Haud equidem velim, quis mihi dicam intentet, quod *Fortunam*, majorum gentium Numinibus adscriptam, inter *Penates* rejecerim, quos Deos incertos, ignotos, & vel animas majorum, vel heroum, aut genios putavit antiquitas, privatoque cultu, & religione inter lares domesticos coluit. Nam statim profero testimonium *Arnobii*, B qui *Libro III. adversus Gentes prope finem*, ex *Cæsio* prisco auctore, *Fortunam* ipsam inter Deos Penates collocat. In Nummo *Pertinacis* apud Oiselium *Tab. XLII. num.* 3. visitur *Fortuna*, cor-
11 nucopiæ sinistrâ, dexterâ navis gubernaculum tenens, cum inscriptione DIS CUSTODIBUS, quo indicatur, *Fortunam* locum inter Deos custodes & familiares habuisse. Hujusmodi ea quoque, ni fallor, erat *Fortuna* aurea, quam Imperatores in cubiculo detinebant, eamque mos erat, ut morituri ad eum transmitterent, qui esset successurus. Meminit Capitolinus *in Antonino Pio Cap. XII.* & *in Marco Philosopho Cap. VII.* ac Spartianus *in Severo Cap. XXIII.* qui cum eam gemi- C nare statuisset, ut utrique filiorum relinqueret, *sed perurgeri se videret sub hora mortis, jussisse*, narrat historicus, *ut alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis poneretur.* Suetonius quoque tradidit *Fortunæ* simulacrum æneum, in parte ædium consecratum, *Galbam* coluisse, *in Vitâ Cap. IV.* Hujusmodi imagines *Cubiculares* vocabant veteres, quia eas in cubiculo unâ cum Laribus colebant, illudque idcirco dictum *Lararium*, cujus est mentio apud Lampridium in Severo Alexandro Cap. XXIX. *Fortunam* ergo inter Lares repositam, idem est ac si dicas, ex Diis *Penatibus* unam fuisse. Ceterum & Deos alios *magnos* qui- D dem, seu μεγάλες, *Penates* vocatos aliquando memorat Macrobius *Lib. III. Sat. Cap. IV.* & *Arnobius*, loco proxime adducto, inter *Penates* acceptos ait *Jovem*, *Minervam*, *Apollinem*, *Neptunum*, *& Cererem.* Hoc ipsum intellexit *Brato*, miles veteranus, qui rem aliquam dicavit I.O.M. DOMESTICO, lapide apud Smethium *Antiquitatum Neomag. pag.* 96. Ejusdem JOVIS titulo CUSTODIS, lucernam exhibet Licetus *de Lucern. Antiq. pag.* 595. Lucernæ diis *Penatibus* dicabantur, quod indicat & *Canis* simulacro ipsius *Jovis* suppositus. *Græcos* quoque Laribus con- E scripsisse *Castorem & Herculem* testatur Horatius *Lib. IV. Od. V.* loquens de Augusto:

. . . . & Laribus tuum
Miscet nomen, uti Græcia Castoris
Et magni memor Herculis.

Ne rem nummariam, in quâ versamur, deseramus,
12 familia Rubria *Herculem*, & *Mercurium*, ut ex eorum appictis insigniis colligo, denariis expressit, apud *Fulvium pag.* 248. Julia caput *Mercurii*, aliorumque deorum Symbola *pag.* 136. Cordia duo capita juvenum, quos ex astro utrimque super- F imposito *Castorem* & *Pollucem* esse arbitror, *pag.* 83. Non equidem ignoro Deorum nummos aliâ significatione sæpius exsculptos: at hos præsertim, quos intactos *Ursinus* præteriit, nil vetat ad Penates, ipsis familiis in præsidium & tutelam adoptatos, revocare. Quod igitur *Antia* gens ab *Antio* profecta sit, Deosque majores ipsamque *Fortunam* inter *Penates* habitos, nummisque obsignatos constet, cur eandem gentem *Fortunas Antiatinas*, ut memoriam & religionem patrii numinis retineret, Diis *Penatibus* adscripsisse non liceat conjicere, earumque simulacra C. *Antium* denariis suis procudisse?

Invaluit opinio, in *Fortunæ*, de quo agimus, Templo apud *Antium* responsa petentibus reddita fuisse per *sortes*, uti & *Præneste*; ideoque *Antiatinas* dictas, quod vel unus *Suetonii* locus palam facere videtur. Etenim de Caligula ait: *Monuerunt & sortes Antiatinæ, ut à Cassio caveret*, in Vitâ Cap. LVII. Mihi, quoniam semel audere cœpi, ea sententia refellenda est. *Sortes* erant taleolæ, aut surculi, vel schedulæ, quibus literæ, sive notæ, ad divinandum insculptæ. Hæ, cum responsum edi oporteret, vel ex arcâ, ubi reconditæ, tollebantur, uti de *Prænestinis* tradit Cicero *de Divinat. Lib. II. Cap. XLI.* vel ex tabulâ, apud oraculum *Herculis Buriaci*, ex Pausaniâ *in Achaicis*, vel ex urnâ, in *Jovis Dodonæi* templo, teste eodem Tullio *Lib. I. & II. de Divinat*; aut demum ex quocumque alio loco, semper *trahi*, *tolli*, vel *educi* dicebantur. Unde oraculum Gerionis Patavinum *sorte tractâ* respondisse, refert Tranquillus *in Tiber. Cap. XIV.* Et *sortes* proprie vocatas, quæ *ducuntur*, ait Cicero *de Divinat. Lib. II. Cap. XXXIII.* At in Templo *Fortunæ Antiatis* responsa nullo ex hisce modis sunt reddita. *Macrobius* oculatus testis, Dei *Heliopolitani* simulacrum à proceribus Provinciæ ferculo vectum 13
ita narrat Lib. I. Saturnal. Cap. XXIII. *ut videmus*, inquit, *apud Antium promoveri simulacra fortunarum ad danda responsa.* Vides, ab ipsis simulacris oracula reddita, non per schedulam, talos, membranas, vel quid simile *sortibus* proprie conveniens. Quod fieri potuit, ut dum simulacra *promoverentur*, & circumferrentur responsa emitterent, seu verius Sacerdotes pone ipsa latentes, ad modum, quo vulgo oracula edebantur. Sane Tullius Cap. XLI. indicato, *clarissimarum Sortium quæ tradatur inventio* perquirens, *Prænestinarum* originem describit & deridet, nulla prorsus mentione factâ de *Antiatinis.* Imo subjicit ad finem Capitis: *Ceteris vero in locis*, præter Præneste, *Sortes plane refrixerunt.* Ergo tunc nullæ *Sortes* apud *Antium.* Et tamen *Fortunam* Antiatem ipso ævo *Ciceronis* celebrem fuisse, *Horatius*, loco jam adducto, testis est locuples, & nummus *Q. Rustii* sub *Augusto* cusus ostendit, quo tempore, ingentem in ejus Templo collectum fuisse ex denariis thesaurum refert Appianus *Lib. V. Bell. Civil.* Quod indicio est, eam per *Sortes* proprie dictas omnino responsa non edidisse. Præterea comparat Macrobius *Fortunas* Antii cum *Heliopolitano* Deo. Is vero per *Sortes* non respondebat, sed ad modum oraculi, absentibus autem *rescribebat ordine ad ea quæ consultatione additâ* continebatur. Tantum abest, ut schedulas sortium redderet. Quod confirmat factum *Trajani*, eidem ibi narratum, Deum *Heliopolitanum*, ad fidem religionis explorandam, de sua in *Parthos* expeditione consulentis, Parcat amicissimus *Blanchinus*, si hoc *Heliapoli* gestum monuero, non apud *Antium*, quod ipse ex *Macrobio* tradiderat, *in* sua eruditissimâ *Dissertatione* jam laudatâ *num.* 7.

At quid dè *Suetonio*, qui diserte *Sortes Antiatinas* commemorat? An ne locum corruptum fas sit dicere, & levi literarum permutatione *Sorores* reponendum, ut sic *Tranquillo* cum *Martiali* conveniat, qui eodem vocabulo usus est? Re- 14
ctius vocem illam expungendam intripide ajo; & legendum: *Monuerunt* FORTUNÆ *Antiatinæ.* Ex quindecim MSS. codicibus Bibliothecæ *Vaticanæ*, quos consului, duo tantum habent *Sortes*, ceteri omnes *Fortunæ.* Tres qui extant in locupletissimâ *Otthobonianâ*, alterque March. *de Maximis* concinunt. *Torrentius* hoc ipsum præferre *Gallicos* perhibet. Quo testium numero

numero convulsam fidem impressorum nemo dubitaverit. Imo inter eos antiquissimus, quem edidit *Mombritius* Anno MCCCCLXXV. sub ipsis typographiæ incunabulis, nostram lectionem retinet. Quamobrem si Suetonius *Sortes* non dixit, eas loco cadere necesse est, nullum enim alium ex antiquitate patronum laudare possunt, & proinde *Sortes* apud *Antium* nunquam fuere.

Quod si adhuc, invitis tot contra argumentis, suam vulgatæ lectioni auctoritatem manere velis, & *Sortes* ipsas monuisse *Caligulam* contendas, nihil porro ad convellendam nostram sententiam profeceris, cum id ad *Sortes* non proprie dictas referri possit. Nam *Sors* sæpe ponitur pro *oraculo:* quo sensu hanc vocem usurpat Hyginus Fab. LXIX. *Adrastus memor sortium suarum*, id est, *oraculi*, ut est apud Euripidem, rem eandem enarrantem in *Phœniss. vers.* 412. Virgilius Lib. VII. Æneid. vers. 269. ait: *Non patrio ex adyto sortes*, ad quem locum notat Servius, *Sortes abusive pro oraculo* dici; & *Lycias sortes* idem Lib. IV. vers. 345. & Statius Lib. III. commemorant, cum constet ex Festo Pompejo verb. *Lycii*, illud *oraculum* fuisse. Utramque significationem unicâ sententiâ complexus Valerius Max. Lib. I. Cap. VI. de prodig. num. 3. ait: *Legati ad Delphicum oraculum missi retulerunt præcipi sortibus.* Vides manifesto *Sortes* pro *oraculo* acceptas: Nam constat Delphis *Pythiam* Sacerdotem Dei afflatu correptam, ipsam responsa reddidisse, ferè metris *Græcis*, nunquam per *Sortes.* Hoc igitur sensu stant *Sortes* apud *Tranquillum*, si eum ita loquutum fuisse velis.

15 Interim moneo sortium prodigium, quod refert Livius Lib. XXII. his verbis: *In Antiate metentibus cruentas in Corbem Spicas cecidisse: Et in Faleriis Cœlum findi visum . . . . . . sortes suâ sponte attenuatas, unamque excidisse ita scriptam: Mavors telum suum concutit*, perperam referri ad *sortes Antiatinas* ab Antonio Van-Dale *de Oraculis Dissertat. II. pag.* 347. Nam de *Faleriis* loqui contextus verborum planum facit. Et quidem apud *Falerios* antiquitus *sortes* extitisse docet Plutarchus *in Fabio.* Qui etiam Van-Dale *extæniatas* optime *Lipsium* emendasse censet *Lib. II. Elect. Cap. XII.* ubi duo alia loca ejusdem historici restituit, & utrobique non *extenuatas*, vel *attenuatas* sortes, sed *extæniatas* legendum putat: At nostras eruditissimus *Hieronymus Aleander* junior, nil mutandem opinatur, peculiari dissertatione inter ejus MSS. de quibus alibi mihi sermo erit.

Porro si quæras, cur *Antiates* Fortunæ *geminæ* habitæ fuerint, appellabo *Raphaëlem Fabrettum*, Canonicum Basilicæ Vaticanæ, præclarum illum fugientis antiquitatis vindicem, tum ob solertiam in perquirendis, cum ob eruditionem in explicandis veterum monumentis, qui in Libro inscriptionum nuper edito Cap. IX. pag. 664. ideo *geminas* dici; atque effingi *Fortunas* credibile asserit, ut altera bonorum eventuum auctrix sit, malorum altera, & propterea in lapide *Antiati*, quem exscripserat *pag.* 632. monumentum dicatum subdit FORTUNÆ FELICI, scilicet Deæ tantum beneficæ. Huic sententiæ prælusferat Joseph Maria Svaresius de Fortunis *Prænestinis* loquens *Lib. I. Prænestes antiq. Cap. XIV.* Si mavis, dabo alium totius antiquitatis, præcipue Nummariæ scientissimum, *Philippum Bonarotam* Florentinum, quem honorifico munere auctum nuper Urbs patria nobis eripuit. Hic in opere Italico inscripto, *Osservazioni Istoriche sopra alcuni Medaglioni*, ad numisma XI. *Macrini Imp. pag.* 223. suspicatur, *geminas Fortunas* Antiates referri ad duas Nemeses, *Nemesim* scilicet ipsam bonorum remuneratricem, & malorum vindicem, & *Adrasteam*, hoc est inevitabilem ultionis Divinæ necessitatem. Utram velis doctissimorum Virorum opinionem sequi, per me licebit. 16

Non tamen *Cluverio* subscribam, qui in *Ital. antiq. Lib. III. Cap. VII.* hanc eandem Fortunam *equestrem* cognominatam putat ex his Taciti verbis Lib. III. Annal. Cap. LXXI. *Incessit deinde Religio, quonam in Templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ Equites Romani voverant equestri Fortunæ. Nam etsi delubra ejus deæ multa in Urbi, nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est ædem esse apud Antium, quæ sic nuncuparetur. Ita donum apud Antium statuitur.* Putat, inquam, *Cluverius* Templum hoc fortunæ *equestris* idem esse ac illud, de quo hucusque disseruimus, eandemque ipsam Fortunam vario cognomine. Rem tamen distinctam credere, mihi est vero similius. Nam Templum *Fortunæ Antiatis* satis suâ celebritate notum, nec opus fuisset perquisitione, quam adhibitam innuit *Cornelius.* Et Deos priscâ superstitione, quot cognomenta tot Templa habuisse, palam est.

At *Tacitum* male hoc loco habent eruditi. Cum enim *Romæ* fuisse Templum Fortunæ *equestris* meminerint prioris posteriorisque ævi Scriptores, *Livius*, *Valerius*, *Julius Obsequens* & *P. Victor*, non parcunt ipsi vel ignorantiæ, vel incuriæ gravissimum Auctorem insimulare. Ut nodum solvant *sequestri* Fortunæ, legunt *Gruterus*, *Robertus Titius*, *Pichena*, & *Gronovius*, varièque id nominis explicant. Quod non placet, cum *Equites* donum vovisse *equestri*, non *sequestri* Fortunæ, res ipsa suadeat. *Lipsius* retinet *equestri*, at *Tacitum* penè indefensum deserit. Cuius honori nemo aptiùs, quantum in re difficultatis pene nobis deploratæ obtineri possit, consuluit, quam *Freinshemius*, qui conjicit, potuisse *Romæ* antiquitus extructam fuisse ædem *Fortunæ* tali agnomine, quæ postea absumpta incendio, demum post *Tiberii* tempora fuerit restituta. Hunc tamen expungit Theodorus Ryckius *in Animadvers. ad Tacit.* primisque accedit, quod sibi parum verisimile videatur, si tale quid accidisset, summum historicum dissimulaturum fuisse. At is debuit, quod non erat, memorare, caussam cur non esset, potuit silere. 17

Quod *Plinius* alicubi dixit, Fortunam rerum humanarum utramque paginam facere, non immeritò videtur alio sensu hic posse usurpari. Nam ea ipsa pagellas has nostras, quibus religio *Antiatum* exponenda erat, omnes prorsus exhausit. Saltem in extremâ cerâ locum aliquem sibi poscit *Æsculapius.* Hujus Templum apud *Antium* stetit, celebri famâ anguis sacri, qui dum *Epidauro* adveheretur, è navi prolapsus proximum illius fanum irrepsit, & denuo ad navim se *Romam* ducendum restituit, ex Livio *Lib. XLIII.* & Valerio Max. *Lib. I. Cap. VIII.* At *Ovidius* Templum illud, quo ea res accidit, non *Æsculapio*, dicatum fuisse ait, sed *Apollini*, Metam. Lib. XV. Integra inter filium & patrem ejus fabulæ lis maneat. Præterea Strabo *Lib. V.* meminit delubri *Dioscurûm* in Coloniâ *Antiate* collocati. Cultum quoque plurimâ religione *Mithram* fuisse, ejus tabula symbolica inibi reperta testatur. Sed cum hæc alteram partem nostri operis faciat, illic *Antium* in jura sua erit reponendum.

18

CAPUT II.

De Gente Aquilia apud Romanos. Ea variis cognominibus distincta. Aquilii Flori denarius, aliique, familiarum Cognomina præferentes. An inde tesseræ Gentilitiæ, vulgò Arme parlanti. *Sorores Phaëtontis in Larices arbores, non Populos, ut vulgò creditur, mutatæ. Acisculus explicatus, & nummi Gentis Valeriæ. De his Fulvii Ursini interpretatio rejecta. Ascia quid, & quotuplex. Acisclus Martyr Cordubensis. Unde Aquiliorum nomen? Stephanus Pighius notatus. Quisnam fuerit M. Aquilius, de quo in lapide Antiate, inquiritur? Ad tempora inferioris Imperii reponendus. Iterum Consul, & bis Consul, an æquè ad puræ Latinitatis regulas scribi possit? Nonnulla de Tribu Fabia, in qua censu Aquilius.*

M. AQUILIO. M. F. FABIA. FELICI.

Marco Aquilio Marci Filio Fabiâ Felici.

AQUILIA Gens, quæ familias habuit Patricias; & Plebejas, dignitatibus, honoribus, rebusque gestis in Republicà *Romanâ* floruit. Illustres jam ab ejus infantiâ *Lucius*, & *Marcus Aquilii*, Tarquiniâ sorore *Collatini* geniti, memorantur: at conjuratione factâ cum *Vitelliis*, & *Tarquiniis*, capite ob id damnati, generis nobilitatem infelici exitu labefactarunt. Inde quinque Consulatus ovationibus, & triumphis insignes, Proconsulatus, Præturas, cæteraque dignitatum egregia nomina posteri eorum in familiam intulerunt. Hos inter eminent *M. Aquilius*, qui reliquias belli *Asiatici* confecit, alterque *Manius* ob triumphum è *Siciliâ* clarus, & *C.* vel *M. Aquilius*, quem *Mithridates* vinculis ac supplicio cruciatum necavit. At domi quoque juris scientiâ celebris *C. Aquilius Gallus* fuit, familiaris & collega *Ciceronis* in prætura, quem ipse *in Oratione pro A. Cæcinâ num.* 77. & *pro Q. Quinctio in princ.* summis laudibus prosequitur.

19

In plures familias gentem *Aquiliam* discretam fuisse, distincta cognomina produnt. Inter patricias *Corvi*, & *Justi* numerantur: plebejas cognomenta *Galli*, & *Flori* demonstrant. Hujus postremi nummus est apud Ursinum *de Famil. Roman. pag.* 36. editionis *Caroli Patini*, singulari notâ commendatus. In alterâ enim ejus parte *Flos* impressus eminet, quo cognomentum ipsum *Flori* designari nemo ambigat. Ejus elegantem typum *in nostra Tab.* videas *Num. VI.*

In ea equidem sum opinione, vanam esse eorum operam, qui Stemmatum seu insignium familiarum, quæ sex pene abhinc secula usurpari cœperunt, usque ab heroum ævo, ne dum à *Græcis* & *Romanis*, originem accersunt. At vestigium porro aliquod & veluti rudimentum hinc duci posse eorum Insignium, quæ *Arme parlanti* vocant, quod imago scuto gentilitio impressa cognomen ipsum familiæ indicet, & veluti *loquatur*, facile admiserim. Sane nec *Franciscus Menetrerius*, nec alius, quem viderim, Artis symbolicæ familiarum scriptor, id animadvertit. quare pretium fortasse apud hos saltem mihi erit, si alia quædam, ex rei nummariæ penu deprompta, ejusmodi exempla hic congessero. In *Pomponii Musæ* denariis ad cognomen designandum simulacra omnium pene Musarum exsculpta videas, quarum quælibet insigne proprium, prout à Poëtis traditur, manu gestat, egregio spectaculo tum ob eruditionem, tum ob typorum varietatem & elegantiam. Eos tribus tabellis comprehensos profert *Ursinus* à *pag.* 223. qui tamen, licet sine

A dubio *Q. Pomponium Musam* cognominatum, & subinde in cudendis his denariis illud cognomen respexisse asserat, sibi nihilominus constans non est, & fieri potuisse subdit, ut *Pomponius* Gentilis alicujus sui in Poëtica facultate laudem celebrare voluerit, & Musarum simulacra hujusmodi in nummis signaverit. In quam opinionem profuse delabitur Jacobus Perizonius *in postrema Triadis Dissertationum*, quæ est *de variis Antiquor. Nummis, pag.* 253. pro certo habens, cusos denarios effigie Musarum non aliâ de caussâ, quam quia vel ille ipse *Pomponius*, vel quispiam ex majoribus ejus, Poësi, & Musarum cultu præcipue B delectaretur, cujusmodi viros Gens illa multos tulit, ex Macrobio *Lib. VI. Cap. IX.* Vellejo *Lib. II.* Plinio *Lib. XIII. Cap. XII.* & Valerio Max. *Lib. IV. Cap. IV.* Quid in hac re potius sit censendum, eruditi antiquitatum videant, dum ego certiora ad nostrum argumentum persequor. *L. Lucretius* quod cognomen *Trionis* gereret, septem stellas, quæ *Triones* dicuntur, expressit duobus nummis pag. 160. *Q. Voconius Vitulus* descripsit *Vitulum* pag. 299. *P. Accolejus* cognomento *Lariscolus* denarium cudit, quo expressæ tres mulieres *Phaëtontis* sorores, quæ in arbores ejus nominis vertuntur. Nam eas *Phaëtontis* sorores, C ut obiter adnotem cum *Ursino*, in *Larices* arbores conversas fuisse, vel ex hoc ipso denario, cujus alteram partem exsculpsi *in Tab. num. IX.* discimus. Scio id aversis auribus acceptum iri ab his, qui ad vulgi opinionem facti, in *populos* mutatas, cum Virgilio *Æneid. X. vers.* 190. non dubitant. Hic tamen alibi eum casum *alno* adscribit, *Eclog. VI. vers.* 63. Ovidius solidam fabulam enarrans, genus arboris præteriit, *Metam. V.* At sane in *Larice* lacrimas *Phaëtontiadum* invenimus. Nam teste Palladio ejus *Resina liquida est*, lacrimæ *similis*, & ex Vitruvio *Lib. II. Cap. IX.* habet *Resinam liquidam mellis Attici co-* D *lore.* Quod dici nequit de populo aut alno, liquore carentibus: & fortassis fabulæ ad Laricem aptandæ ea sola fuit occasio. Dixerat paullo ante idem *Vitruvius*, (ut de hoc etiam litem omnem antevertam) *Laricem notam nisi his municipibus, qui sunt circa ripam fluminis Padi, & littora maris Adriatici.* Bene ergo *Lariscolus* sorores *Phaëtontis* in *Larices* conversas nummis expressit. quo etiam indicare voluit, majores suos ex aliquo prope *Padum* fluvium loco oriundos, quæ *Ursini* conjectura est. Rursus *Furii Crassipedis* nummo 21 *Pedem* adumbratum conspicimus *pag.* 117. & *Poblicii Malleoli* signatum *Malleum* pag. 215. Iis vero & *Scarpum* adjicio *Pinariæ* gentis cognomen, cui denotando in nummis pag. 207. *Ma-* E *nus* depicta est. Nam Græco vocabulo κάρπ☉ *vola manus* significatur. Demum & in nummis familiæ *Valeriæ* cognominis expressam imaginem reperio, quibus, cum ab explicatione doctissimi Antiquarii mihi sit recedendum, parum immorari liceat.

Sex denarios exhibet tabula illius familiæ *pag.* 281. impressos nomine L. Valerii *Acisculi.* Horum quinque delineatum ostendunt instrumentum quoddam fabrile, quod ipse Ursinus *Malleum* esse putat. *In nostrâ Tabulâ Numismatum* superius *Cap. I. pag. 6.* alterum eorum excudimus, F in quo ipsum instrumentum, inter cetera magis conspicuum & grandioris formæ, repræsentatur, circumscripto, in medio coronæ querceæ, vocabulo: ACISCULUS. *Sirenem*, quæ in secundo ex iisdem nummis visitur, à *L. Valerio* impressam existimat idem Auctor, ut ea significaretur, *Acisculos* Acidis fluvii, atque ejus in *Siciliâ* regionis, quam *Sirenes* tenuerunt, accolas aliquando fuisse, indeque profectos, *Sabinum* agrum primo tenuisse, deinde Civitatem *Romanam* adeptos esse

esse. Ex *Mallei* vero signo conjici posse arbitratur, *Valerium* hunc Præfectum Fabrûm fuisse, cum illud ejus officii symbolum in veteribus monumentis observaverit. At hæc cognominis originatio longe satis petita est, imo & durius detorta, ut videtur. In Glossis Isidori est *Ascicu-lus*, *Asciola Dolabra*. Joannes Meursius *par.* 2. *Exercitat. critic. Lib. I. Cap. X.* recte legit *Aciscu-lus*. Hinc *Aciscularius* in glossis à *Stephano* editis dicitur λατόμ@-, is nempe, qui saxa in lapidicinis exscindit. At vero eidem *Isidoro* paullo post *Asciscolum*, vel ut pariter emendat Meursius, *Aciscolum*, est *Malleolum* structorum: quamvis hæc verba omnino absint ab *Isidoro*, quo utor emendatissimæ editionis *Coloniensis* anni MDCXVII. Quod si *Asciscolus* idem est ac dolabra, quomodo malleolus esse possit, nescio. Ab *Asciâ* utique no-
22 men derivatum. At Ascia vel fabrile instrumentum est ad ligna polienda & læviganda; vel ad macerandam & subigendam calcem. Priorem significationem deprehendimus in lege 10. duodecim Tabularum Cap. II. *Rogum Asciâ ne polito.* Utramque usurpat Vitruvius *Lib. VII. Cap. II.* his verbis: *Sumatur Ascia, & quemadmodum materia dolatur* (en dolabram ad ligna polienda) *sic calx in lacu macerata asciatur:* Neutra igitur malleo convenit, Asciæ figuram Cl. *Raphaël Fabrettus* exhibet, exsculptam veteri saxo *Cap. III. Inscriptionum*, quas nuper publicavit, *pag.* 203. eam exscribo *in Tab. Num. II.* ad latus *Nummi VII.* Asciæ hanc formam reperies etiam apud Gruterum *Inscript.* 10. *pag.* 664. 9. 675. & 9. 682. & forte ascia lignaria, non securis, ut placet ipsi *Grutero*, est illud instrumentum, quod primum *in Tabula II. pag.* 644. depictum conspicimus, cum proxime imaginem reddat illius, quod hodie etiam *Ascia* vulgo appellatur, convenitque descriptioni Isidori *Originum Lib. XIX. Cap. XIX.* Itaque instrumentum in nummis gentis *Valeriæ* expressum, *Aciscolus* est, seu parva *Ascia* poliendis vel dolandis lignis deserviens. Sane idcirco *Aciscolus* solitarie scriptus fuisse videtur in nostro denario, ut designaret nomen adjecti instrumenti. Perperam vero malleum esse putavit *Ursinus*, qui si denarios jam indicatos gentis *Publiciæ* attentius observasset, figuram malleoli omnino ab acisculo diversam reperisset. Eam delineavi *in Tabula Num. I.* ut quisque cum acisculo comparare possit. Similis mallei forma passim *Vulcano* tribuitur in veterum monumentis. Et *Cabiros*, qui *Vulcani* filii sunt habiti, eundem plane gestare videas in duobus nummis *Thessalonicæ* apud Patinum *de Numism. Imp. pag.* 290. & 291. Ab *Acisculo* igitur cognomen familiæ *Valeriæ* inditum, ideoque in nummis illud instrumentum fabrile exsculptum. Porro & Quintilianus Lib. VI. Cap. III. *Acisculum* inter cognomina *Romana* refert. idemque illud est nobilissimi martyris *Cordubensis*, de quo
23 Prudentius *Peristephan. Hymn. VII. vers.* 19. *Corduba Acisclum dabit, & Zoëllum.* Gratiam ab *Hispanis* aliquam me initurum spero, si hunc martyrem genti *Valeriæ*, ex dictis, adscribi posse moneam. Sane verisimiliori conjecturâ, quam si ad *Marcellam* referamus, quod quibusdam inter ipsos scriptoribus placuit, ut videre est apud Joannem Tamayo *in Martyrolog. Hisp. ad diem* 17. *Novembris Tom. VI. pag.* 207.

At in viam cognomina alia gentis AQUILIÆ nos revocant. Ea tamen cum studiose congesserit Glandorpius *in Onomastico Romano pag.* 111. & plura etiam unico intuitu videri possint *in Indice Gruteriano*, recensere omitto. Tantum ex ex nostro lapide, FELICIS accessione ejus gentis cognomenta locupletabo. Illud enim quod exsculptum post tribum *Fabiam* conspicimus, annectendum est nomini, & legendum: M. A-

A QUILIO FELICI. Qui mos in inscriptionibus sollemnis, ut passim videmus *in Thesauro Gruteriano.*

Porro *Aquiliorum* nomen deductum ab *aquarum fluxu* contendit Pighius in Proëm. Lib. VIII. Annalium Rom. *Hinc enim*, ait, *M. Aquilius antiquissimos asses æreos reliquit, in quibus seniorem* Janum *expressit*, Neptuni *utrinque capillatâ barbatâque facie, in quorum altero latere prora navis extat cum anchorâ & tridente; in hunc modum* Neptuni *religioso cultui*, Janum, *qui gentis suæ peculiare numen fuit, applicans, & simul innuens ab* aqua *manante nomen suum derivari.* Inepta sane &
B aquis suis frigidior interpretatio. Quid enim prora navis, tridens, anchora, *Neptunus*, ad fluxum aquæ designandum? An non satis fuisset fontem, aut fluvium manantem, vel mare ipsum undis asperum expressisse? Quare rectius puto, eos nummos ad *Manium Aquilium*, qui ex *Siciliâ* A. U. DCLIV. triumphavit, ut testantur *Fasti Capitolini*, & Athenæus *Lib. V. Cap. XIV.* esse referendos, illisque signis & symbolis bellum feliciter confectum in eâ Insulâ, ad quam navibus transvehi opus fuerat, demonstrari, uti factitatum ab aliis, innumera apud Antiquarios, ob ma- 24
ritimas expeditiones & prælia, cusa numismata
C ostendunt. Et verò in ejusdem rei memoriam percussum nummum ab eodem *M. Aquilio* cum inscriptione SICIL. refert Ursinus *de Familiis Roman. pag.* 36. Quod & rem mire illustrat, ac *Pighii* sententiam evertit. Ceterum nec *Aquilii* nomen ab *aquis* promanat, cum *Festus Pompejus*, hoc verbo, aperte doceat, *ab aquilo colore, id est nigro dictum esse.* Sicuti & Aquilonem, nempe *Aquilum* ventum; Casco vocabulo *nigrum* appellatum, adnotavit Salmasius *Exercitationum in Solinum pag.* 1258. *primæ Edit.*

Nolo hic leviorem litem agitare, num hoc vocabulum duplici L, vel simplici scribendum sit.
D Nummi & Fasti Consulares *Aquillium* exhibent, lapides plerumque, uti & noster, cujus exemplum sequemur, *Aquilium.*

Ab hac igitur illustri *Aquiliorum* gente, MARCUM AQUILIUM FELICEM, qui lapidem *Antiatem* amplissimis gestorum munerum titulis cumulavit, originem ducere, nullus, opinor, in dubium vocaverit. Cum vero eam, familias habuisse patricias & plebejas, dixerimus, atque inter has medius ordo equestris consurgat, cuinam hic noster AQUILIUS adscribi debeat, nunc esset quærendum. At quoniam id alio argumento dignosci nequit, quam ex gestorum munerum
E sorte & conditione, cumque de ipsis singulatim suo loco agendum sit, tunc etiam, ut cuncta suo ordine constent, hanc potissimam nostræ disputationis partem versabimus. Nec tamen ita incertos lectorum animos dimittam, ut non etiam in antecessum, *Equitem Romanum* ex illustrioribus eum fuisse, statim præmoneam. Quæ de AQUILII dignitate eorum mentibus præjacta opinio, ipsi fortasse proniorem voluntatem ac studium, rebus dicendis gratiam conciliabit. Interim ad alia transeo. Nam tempus, quo lapis incisus est, & AQUILIUS vixit, & an in veteri historia mentio ejus aliqua reperiri possit, remanet disquirendum. Omnia hæc incerta, & in ob-
F scuro, quæ tentando potius, quam conjectando timide percurram.

Hoc ergo satis certum, AQUILIUM sub 25
Imperatoribus vixisse: nam munera & dignitates, quibus functum fuisse lapis monet, post *Augustum* fere omnes institutæ. Sub ejus imperio duos *Aquilios*, patrem & filium, ab ipso necatos memorat Dio *Lib. LI.* At hos *Flori* cognomentum, ut jam indicavimus, à nostro *Aquilio* distinguit: ita etiam *Aquilium Regulum*, quem Plinius

nius Lib. I. Epist. V. *bipedum nequissimum* vocatum à *Modesto* refert, & apud Tacitum *Lib. IV. Hist. Cap. XLII.* Curtius Montanus truci oratione insectatur. Præterea duos invenio *Aquilios* absque cognomenti præfixione, quorum alterum, addito *Felicis* vocabulo, fortasse nostrum fuisse, quis suspicari posset. *Aquilium* Centurionem missum à *Didio Juliano*, qui *Severum occideret*, narrat *Spartianus* in utriusque *Vita Cap. V. & II.* Sed hunc *notum cædibus Senatoriis*, vix est ut credam, *Antiates* sibi Patronum adscivisse, totque illustres dignitatum titulos promeruisse. Tacitus eodem *Lib. IV. Hist. Cap. XV.* ab hoc alium *Aquilium* memorat, qui vigente inter *Vitellium* & *Vespasinum* bello, apud *Batavos* dux militum, & primipilaris fuit. Sane si literæ singulares P. P. quas effert lapis versu septimo, in Primipilarem vertendæ essent, non ultra videretur quærendum. Sed hanc lectionem suo loco discutiendam dimittimus. Interim nec eâ ratione noster *Aquilius* potuit in *Batavia* Primopilaris fuisse. Nam legio XI., cui ipse cum aliquo imperio præfuit, per id temporis longe ab iis locis aberat. Obstat præterea, quod noster *Aquilius* Procurator Patrimonii privati in inscriptione dicitur, quod munus sub *Severo* Imperatore institutum tradit Spartianus *in* ejus *Vita Cap. XII.* cujus testimonio si fides habenda sit, quod negat *Salmasius*, uti videbimus, ex superioris ævi gradu deturbandus est *Aquilius*. Non leves alias conjecturas sparsim in opere indicabimus, quibus *Aquilium* ad tempora inferiora, pertinere sit vero proximum. Ex forma characterum, quibus lapis incisus est, nil certi assequi possumus. Literæ sunt grandiores, nitidæ, & affabre scalptæ, adeo ut & seculum
26 *Augusti*, & multum illo inferius fateri possint. Cl. *Fabrettus*, qui versatissimus, ut cetera, in dijudicando ævo lapidum est, hic hæsitat, nec quicquam explorati habet.

Vir summus me monuit, nostrum lapidem tempora corruptæ Latinitatis olere, quod procuratorem patrimonii *bis* fuisse *Aquilium*, ausus sit prodere: veteres enim *iterum* Consulem, non *bis* dicebant. De re non disputo, cum jam in confesso sim, lapidem ea tempora spectare, at rationem tanti non habeo; ut pro eâ vadimonium deserere oporteat. Nam licet sanctioris Latinitatis ævo dixerit Cicero *de Divinat.* Lib I. initio Cap. XXXV. *Flaminius Consul* ITERUM, & in oratione pro Sextio, *Saturninus* ITERUM *Tribunus*, & alibi passim tam ipse, quam alii sermonis Latii Dictatores; nihilominus id non ita religioni habitum, quin & *bis* aliquando usurpaverint. Ipsemet Tullius *de Amicitia*, pag. 115. Editionis Venetæ Aldinæ MDLXXXIII. hæc ait: *Vidimus Papum* (alias Paullum) *Æmilium C. Luscino familiarem fuisse BIS unà Consules.* Alium ejusdem locum mox proferam. In lapide apud Gruterum pag. 255. 7. *C. Octavius Pater Augusti Tribunus militum, BISque Ædilis Plebis dicitur.* Sive is vivo ipso *Octavio* fuerit exaratus, sive eum *Augustus* in Patris memoriam posuerit, utique ad ævum purioris Latinitatis referendus est. At antiquius testimonium profert inscriptio *pag.* 171. 8. in quâ *L. Betilienum* ob egregia merita Aletrini *Censorem fecere* BIS. Si gens *Betiliena* eadem est ac *Belliena*, uti ex nummis asseruit doctissimus Spanhemius *de Præstantia, & Usu Numismat. Dissert. II.* pag. 91. *Lucius* hic *Betilienus* non alius censeri debet, quam *L. Bellienus* Prætor sub *Mario* in *Africâ*, de quo meminit Sallustius *in Bello Jugurthino.* Sane obsoleta vocum forma, quæ passim in eo lapide conspicua est, vetustissimam ejus ætatem prodit. Nam *Coiravit* pro curavit, *ubei* pro ubi, *ese jousit* pro esse jussit, aliaque id genus vocabula habet, qualia in *Duillianâ*, seu verâ seu

A instauratâ, observamus, & in inscriptione *Scipionis Barbati*, quam primum *Jacobus Sirmondus* 27 docto Commentario, dein noster eruditissimus *Aleander* junior brevi ad illud Additamento, illustrarunt. Promiscue igitur *iterum*, & *bis* antiqui dicebant. Adhuc utriusque formæ exemplum unico aspectu deprehendimus apud *Valerium Maximum*, qui cum sub *Tiberio* scripserit, si non aurei, sane argentei ævi auctor audit, nisi postea, qui nunc extat, alienam manum passus fuerit. Igitur *Valerius* de *Rutilia* verba faciens in hunc modum loquitur: ITERUM *Censor creatus ad concionem populum vocatum, quam potuit gravissimâ oratione corripuit, quod*
B *eam potestatem sibi* BIS *detulisset* Lib. IV. Cap. I.

Quæ cùm ita se habeant, non tamen inconsulto & temere modo hanc, modo illam vocem veteres usurpasse arbitror, cum utrique propria insit, & diversa significatio, & sensus. Quod aliis haud observatum, hic explicabo: rectè an secus, Grammaticorum sit judicium. *Iterum* propriè adverbium est temporis numero adjecti: ut cum dicimus, *Cæsarem iterum Consulem esse*, vel narramus rem actam eo *iterum Consule*, indicamus tunc temporis *Cæsarem* secundum Consulatum gerere, vel tunc, cum ea res accidit, eum secundâ vice fuisse Consulem. At *bis* nu-
C merum simpliciter signat, nullâ temporis habitâ ratione, ut Cæsar *bis Consul fuit*, hoc est duabus vicibus eâ dignitate functus est. Ita *Cicero*, quo nemo melius vim, & proprietatem verborum assequutus est, cum loco mox recitato Flaminium *iterum* Consulem scripsisset, deinde alibi de eodem *Flaminio* ait, quod *BIS Consul factus sit*, Academic. Quæst. Lib. IV. Cap. V. Quorsum hæc diversa loquendi forma? Nempè in primo neglexisse eum narrat *signa rerum futurarum* tunc cum secundum Consulatum gerebat, in posteriori vero postquam *legem agrarinm invito Senatu* tulisset, duabus vicibus Consulem esse fa-
D ctum. Hic numerus Consulatuum, illic tempus secundi Consulatus, quo ea res acta, denotatur. Si repetas jam laudata exempla, utramque significationem statim offendes. At unum vel alterum adhuc profero Auctoris licet incli- 28 nantis Latinitatis, qui tamen, si quis alius, propriè & ad Grammaticæ amussim scripsit, ut omnes critici fatentur. Is est *Suetonius*, quem *bis*, & *iterum* eo sensus discrimine usurpasse, quisque collatis inter se his locis animadvertet. *Tiberius*, ait in ejus Vitâ Cap. V. *natus est Romæ M. Æmilio Lepido* ITERUM, *L. Munatio Planco Coss.* Rursus in Caligulâ Cap. I. de Germanico: *Con-*
E *sul deinde* ITERUM *creatus &c.* At vero mutatâ phrasi de Claudio tradit, quod eum *equestris ordo* BIS *Patronum elegit*, Cap. V. & *Messalinam Tauri* BIS *Consulis abneptem* vocat in Nerone Cap. XXXV. Ab aliis nedum scriptorum, sed etiam lapidum testimoniis abstineo, ne lectorem, hisce Grammaticorum tricis plus æquo fortassis distentum, diutiùs fatigem. Quod vero rei nostræ erat, satis constare arbitror, *Antiates* optime, & ad recti sermonis leges AQUILIUM Procuratorem patrimonii *bis* dixisse, quod scilicet duabus vicibus eo munere functus fuerit; nec eam rationem solam esse posse, cur lapis noster ab
F ævo purioris Latinitatis proscribatur.

Parum immorabor in vocabulo FABIA, quod inter nomen cognomenque *Aquilii Felicis* prostat. Locum illum, ut superius indicavimus, semper Tribus, in quâ quis censeretur, sibi vindicabat; efferebaturque ablativo casu. Exempla præter lapides, ubi passim occurrunt, suggerit *Cicero. In Philippica IX.* decretum, quod à Senatu sanciri petebat, ita exorditur: *Ser. Sulpicius Q. F. LEMONIA Rufus*, & procemio in Verrem num. 23. ait, *Q. Verrem ROMILIA. Lemonia*, &

& Romilia Tribuum sunt nomina. In inscriptionibus, plerumque Tribus significatur prioribus tantum literis: in nostrâ omnes sunt expressæ. AQUILIUS igitur è Tribu FABIA fuit. Hæc inter rusticas censebatur, sic dicta, quod in eam copiosissima ac nobilissima hæc gens se conjecerit, ut scribit Sigonius *de antiq. Jure Civitatis Romanæ Lib. I. Cap. III.* Cum audis rusticam Tribum, ne eam nomine tenus æstimes.
29 Nam apud *Romanos* rusticæ Tribus urbanis honoratiores habitæ sunt, quod expressit Plinius Lib. XVIII. Cap. III. his verbis: *Jam distinctio honorque Civitatis ipsius non aliunde erat. Rusticæ Tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent: Urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset, desidiæ probro.* Urbanæ etiam ignominiosæ esse cœperunt, vel ex quo *Q. Fabius* Censor (hujus enim arbitrio Tribus assignatæ, nisi ipse Civibus potestatem fecisset, in quam vellent, transeundi, quod *Appio Cæco* Censore permissum) A. U. C. CCCCXLIX. humillimos homines omnibus Tribubus, in quibus dispersi erant, excretos in quatuor Urbanas conjecit, ex Livio *Lib. IX. in fin.* vel quia Libertini, qui Civitate donati erant, in eas detrusi, ut ab ingenuis segregarentur. Atque ideo frequenter ab ipsis ingenuis in rusticas est migratum, & rusticis eo nomine plurimum decoris & ornamenti adjectum. Hæc fere ex Sigonio eodem *Cap. III.* & *Lib. II. Cap. XIV.* Videas idcirco nobilissimas familias rusticis fuisse adscriptas: imo & earum aliquibus nomen dedisse, ut traditum reperimus de *Papiriâ*, *Corneliâ*, *Æmiliâ*, *Fabiâ*, & aliis. Non tamen quod hæ familiæ rusticis accenserentur; ideo rus incolere ipsis fuit necessum, sed in Urbe quæque pro suo libito habitabat. Ut vero ad Tribum *Fabiam* redeamus, ei maxima dignitatis, & nobilitatis accessio facta fuit, quod tribulem suum *Augustum* Cæsarem numeraverit. Refert Suetonius Cap. XL. in Vitâ, hunc Imperatorem *Fabianis, & Scaptiensibus tribulibus suis die Comitiorum singula millia nummûm* divisisse. Adstipulatur lapis Brixiensis apud *Gruterum pag. 226. 3.* C. JULIO. C. F. FAB. SCAPT. CAESARI AUGUSTO. Duas Tribus retinuit *Augustus*, unam scilicet gentilem familiæ *Octaviæ*, alteram *Juliorum*, in quorum nomen per adoptionem transierat. Cujus moris exemplum aliud profert epigramma *Cordubense pag. 435. 1.* inscriptum L. MANLIO. A. F. AN. GAL. BOCHO. Nempe ex tribu *Aniensi*, & *Galeriâ*. In partem honoris,
30 quo *Augustus* tribum *Scaptiam* illustravit, mea quoque Urbs patria *Forum Julium* accedit, in quam olim Colonia ex eâdem tribu fuit deducta. Dum lapides antiquos, qui apud nos extant, congesseram, stylus in his diutius perductus, longe ab instituto distraxit. Quare, ne meritum, qualecunque apud Cives sit hoc futurum, labori depereat; consultius duxi, dissertatiunculam jam adornatam in alium locum seponere.

31 CAPUT III.

Cur vocabulum Acensus *immutatum. Accensorum quot genera apud Romanos. Singula explicantur. De Accensis* Velatis *latius disseritur. Sacrificantes velati. Scaliger notatus. Vela cubiculo Imperatorum obtenta. Magister Admissionum, & Admissionales qui. Præfectus cubiculo malè qui nunc* Mastro di Camera. *Ministri ad fores, & velarii, qui forte & velati. Vela obducere hodie* Alzar la portiera. *Tribunalia Judicum olim velo clausa. Statores qui apud D. Jo: Chrysostomum. Iidem Apparitores, & Accensi. Accensus est* adscriptus, *quæ alia nostræ inscriptionis interpretatio. Tertia demum, quæ vocabulum* Acensus *vertit in* à Censibus, *proponitur & explicatur. Censorum dignitas & nomen ab Augusto abolitum: res, & auctoritas mansit. Nomen etiam quibusdam Imperatoribus usurpatum. Dio Cassius arguitur, Censura quid ævo inferiori. Munera Censoria privatis tributa. Quid esse à Censibus Equitum Romanorum, quo officio* Aquilius *functus fuit? de ordine equestri aliqua delibata. Equites adlecti, decuria Equitum. Lipsius reprehensus. Equitum transvectio, & probatio. Suetonius illustratus.*

ACENSUS EQUIT. ROMAN.

A Censibus Equitum Romanorum.

STatim quis mirabitur, cur vocabulum ACENSUS, licet in nostro lapide nullo literarum vitio corruptum appareat, nihilominus immutaverim, atque in A CENSIBUS abire jusserim. Nam *Accensorum* nomen & officium notum apud Veteres, quo functum fuisse AQUILIUM pronum sit interpretari. Ita sane: sed & vocabulo vis esset facienda, & rei ipsi, si eam explicationem admitteremus. Quo enim sensus locutionis legibus grammaticæ consentiat, *Acensus* nominandi casu in lapide exsculptus, in dativum 32
migrare cogendus esset, poscente id AQUILIO, qui hoc eodem casu præfixus est inscriptioni, & proinde legendum: *Accenso Equitum Romanorum.* Vel subsidium relativi nominis esset quærendum, quo subintellecto, verba hoc modo efferri deberent: *qui fuit Accensus Equitum Rom.* accersito utrobique uno elemento, ne *Accensus* de jure suo duplicis C, quo Scriptorum omnium & lapidum testimonio semper usus est, decederet. A re ipsâ vero abhorret, AQUILIUM inter *Accensos* referre. Quod ut ostendam, singula eorum genera percurram. Nec operi pretium deerit, nam & eos antevertam, quibus contraria opinio arridet, & dignitati AQUILII consulam. Hinc aliam interpretationem, quæ merito suo ceteras antecellit, discutiam: demum nostram afferam & explicabo.

Romanos in Magistratibus, tum ad vim & potestatem Imperii exerendam, tum ad dignitatis honestamentum & decus, turbâ ministrorum usos fuisse compertum est. Hos inter numerantur *Accensi*, quorum munus erat *populum ad concionem seu conventionem vocare*, non solum *Consulis, & Censoris*, sed etiam *Quæstoris*, ut ait Varro de Lingua Lat. Lib. V. prope fin. unde *Accensus Consulis* in lapidibus apud Gruterum pag. 94. 11. & 460. 13. vel ut legendum esse Salmasius de Re militari Romanor. Cap. XIV. contendit, *Accensus Consuli.* Plinius hunc *Accensum Consulum* pronunciasse horam miridiei, cum inter rostra, & Græcostasim prospexisset Solem, refert *Lib. VII. Cap. LX.* quo illustratur versus comœdiæ, quem citat Varro loco mox laudato: *ubi primum Accensus clamavit meridiem.* Subdit idem Auctor, quod *in aliquot rebus idem ut præco* Accensus *acciebat, à quo Accensus quoque dictus.* Exemplo esse potest indictio silentii, quam fieri ab *Accenso* innuit Cicero *ad Q. Fratrem Epist. I. Lib. I.* at Livius Præconi attribuit Lib. VII. *Tum Scipio silentio per Præconem facto.* Adde quod & singulæ Tribus habuisse Accensum videntur, fortasse ut eas ad con- 33
cionem, quisque scilicet suam, advocaret; in lapide enim *Auximano* 683. *C. Oppius* dicitur IN TRIBV. CL. PATRVM. ET. LIBERVM CLIENTIVM. ADCENSVS. nisi adcensus stet pro *adscriptus.*

Nec tantum in Urbe, sed in Provinciis quoque, Consules, aliosque Magistratus stipabant Accensi, absque ullo tamen honoris, aut imperii insi-

insigni, quod permittebatur lictoribus, fasces suos ubique præferentibus. Cicero Lib. III. familiar. Epist. VII. *A Pausania Lentuli liberto* Accenso *meo audivi.* Tunc Imperatorem agebat *Tullius*, & *Laodiceæ* morabatur, ut ex ipsâ Epistolâ apparet. Livius Lib. III., de Magistratibus in Provincia loquens ait: *Collegis novem singuli* Accensi *apparebant*, *penes præfectum juris fasces duodecim erant*, *fasces enim à lictoribus deferebantur.*

Quisquis ergo *Accensum* velit *Aquilium*, ut sicut Consuli, Prætori, ipsisque Tribubus *Accensi* ad munia, quæ retulimus, inserviebant, ita etiam equestris Ordo suos *Accensos* ad eadem officia obeunda, detinuerit, quos inter unus fuerit ipse *Aquilius*, eum profecto ipsorum conditionem & statum non advertisse necesse est. *Accensi* plerumque ex genere Libertorum erant, ut *L. Mummius* in lapide pag. 632, 2. *C. Oppius* 68. 3. & liquet ex *Tullio* locis indicatis. Hique ex infima libertorum sorde, quippe qui Lictoribus, Apparitoribus, & Præconibus pari gradu, & æquâ conditione censerentur, quos servos fuisse, & vilibus, abjectisque officiis addictos scimus. Videas absolutissimum Laurentii Pignorii *Opus de Servis.* Quis vero inter hæc sordida, & proletaria hominum nomina projicere audeat AQUILIUM, quem statim *Præfectum* Classis *Ravennatis*, & tot præclaris dignitatum titulis perfunctum prodit nostra inscriptio? Nec, fieri potuisse, dicas, ut exinde ad majora, qui non insolens fortunæ jocus est, Reipublicæ munera conscenderit; nam anteactam conditionis vilitatem potius silentio obvolvissent
34 *Antiates*, quam publico testimonio ante omnium oculos protulissent.

Hæc eadem nos vetant, AQUILIUM secundo generi *Accensorum*, qui in militia *Romana* versabantur, adscribere. Hos duplici vocabuli significatione appellatos reperio. Alii ex quinta & infima Classe Civium *Romanorum* delecti extra legionem erant, lapidibus fundisque instructi, quare *minimæ fiduciæ manum* eos vocat Livius Lib. VIII. *eoque & in postremam aciem rejectos fuisse* ait, quo Rorarii & Ferentarii locabantur. *Adscriptitii* Festo dicuntur, quia supplendis legionibus *adscribebantur*, & in locum demortuorum militum subrogabantur. Hinc nec legionarii, nec vere milites erant. Sub extremâ Republicâ ordo hic militiæ obsolevit, una cum Velitibus, Rorariis, & ceteris levis armaturæ nominibus, qui primum Antesignani, & Vexillarii, postremo Armaturæ, & Exculptores sunt vocati, ut Salmasius in opere posthumo *de Re militari Romana Cap. XIX.* pluribus ostendit. Quæ etiam ratio est, cur AQUILIUS, qui ævo Imperatorum floruit, inter hos Accensos nequeat reponi. Alii in militia *Accensi* dicti, qui *deputabantur ad obsequia Judicum, & Tribunorum*, teste Vegetio Lib. II. Cap. XIX. imo *Consulum*, *& Prætorum*, ex Varrone apud Nonium de propriet. sermon. verb. *Accensi : ut Consules, & Prætores qui sequuntur in castra* Accensi *dicti*, *quod ad necessarias res sæpius accianţur veluti accersiti.* Notabis *Varronis* inconstantiam in etymo hujus vocis. Rursus Accensorum ministerium latius patuit. Nam Decurionibus, & Centurionibus erant attributi, ut iidem auctores tradunt, & sequiori ævo *Optiones* dicti sunt, ex *Festo.* Plura de hoc postremo nomine in rem dicenda essent, sed ad alia properamus. Jam vides utramque hanc *Accensorum* speciem infimæ inter milites, & in castris notæ fuisse, indignumque AQUILIO vocabulum.

Tertium genus est *Accensorum Velatorum.* De
35 his plurima mentio in inscriptionibus antiquis; invenies etenim apud *Gruterum pag.* 479. 1. inscriptum saxum *L. Valerio Accenso Velato*, pag. 483. 3. *L. Varronio Capitoni*, pag. 485. 6. *M. Veserio*

A *Jucundiano*, & 624. 2. *T. Statilio Apro*, qui omnes sunt Cives *Rom.* adscripta enim est de more inter nomen, & cognomen sua cuique Tribus. Contra, Libertos proferunt quatuor lapides apud Cl. Fabrettum *Cap. VI. pap.* 433. *postremi Operis Inscriptionum*, quod nuper maximo literarum bono in lucem emisit, ubi & *Accensos Velatos* in Collegium coaluisse primus omnium observat. At eorum officium & munus nullus veterum tradidit. *Festus Pompejus* verbo *Adscriptitii*, eumque sequutus Salmasius *de Re milit. Rom. Cap. XIV.* & *XV.* inter milites ascíscunt, quos jure & merito coarguit idem Fabrettus, & *Accensos Velatos* ad
B sacra pertinuisse arbitratur. Hanc sententiam, quam sane eo nondum viso animo versabam, ut paucis exornem, permittat doctissimus vir eâ humanitate, quâ me in limine ejusdem operis honorificè appellatum voluit. Ita tamen, ut alio etiam transgredi liceat, quo pluribus locis pertentatis, alicubi latentem antiquitatem fortasse expiscemur. Interim AQUILIUM inter hos *Accensos* nemo putaverit, cum in nostro lapide absit ea *Velati* nota, quam ubique ipsis affixam comperimus.

Itaque *Accensos*, licet nusquam in sacris memoratos, tamen ratio ipsa suadet iis fuisse adhi-
C bitos; cum ministerium, quod in magistratibus agebant, necessarium etiam in re sacrâ fuerit. Cieri quippe oportuit populum ad sacrificium, horam designari, & silentium, quo religionis majestas constat, indici. Quæ munia non aliis quam *Accensis* tribuenda, qui hæc eadem, ut vidimus, magistratibus commodabant. Sane Consuli, Prætori, ac Quæstori Lictores, Præcones, & Accensi aderant. Primos reperimus etiam Sacerdoti apparuisse, quod testimoniis non eget, quare nec *Accensis* destitutum par est credere. *Seneca* in fragmentis, quæ refert S. August. *de Civ. Dei Lib. VI. Cap. X.* hæc à Paganis *pu-*
D *blicatæ dementiæ* officia diis suis præstita recenset: 36
Alius numina Deo subjicit, *alius* HORAS *Jovi nuntiat*, *alius Lictor est &c.* Quis ille Jovi *horas* nuntians, nisi *Accensus*, quem eodem munere functum in re prophanâ, ex *Varrone* & *Plinio* jam diximus? Profecto & ei jungitur *Lictor*, ut communia officiorum nomina scias. Hoc prætereà suadet ipsum *Velatorum* nomen, quo Accensi vocantur. Nulli enim id magis congruit, quam rei sacræ ministris. Quod cum ostendero, simul & caussa appellationis ipsa se prodet.

Sacrificulos antiquitus operatos capite adoperto, passim in nummis, in *Columnâ Trajanâ num.*
E 76. & lapidibus apud *Choul à pag.* 262. conspicimus (& quidem vestibus ipsis ad aures obductis, quod & *Servius* notat ad locum *Virgilii* statim producendum. Ejusmodi ritus originem *Æneæ*, Gentis & Religionis principi, referunt, qui cum sacrificaret, & vereretur, ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse narrant, atque ita pleno rito sacra perfecisse. Inde posteris traditus mos ita sacrificandi. Idipsum, *Æneam* ab *Heleno* hausisse, innuere vult summus Poëtarum *Æneid. Lib.*
F *III. vers.* 405. cum hunc loquentem inducit.

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.

In quem locum Servius ait: *Sacrificantes capita velare consuetos ob hoc, ne se inter Religionem aliquid vagis offerret obtutibus*, Vellem, nostri vero Deo sacra peragentes discerent licentiam oculorum coërcere, Alia Poëtarum testimonia lubens prætereo.

Illud vero operimentum non semper togâ ad caput

A caput obductâ constabat. Sed magis propriâ vocabuli notione *Velum* erat tenue & textile, quod *Flameum* appellabant. Seneca *in Octaviâ*, si mo-
37 do is auctor Tragœdiæ, Act. II. Sc. I.

. . . . Thura cum superis dares,
Sacrasque grato spargeres aras mero
Velata *summum flamen tenui Caput.*

Ab hoc ritu capita flameolo velandi, tegumentum, quo operiebantur Sacerdotes, *Rica* fuit vocatum, quod scilicet *Romano ritu feminæ cum faciunt, capita velant:* ut tradit Varro *Lib. IV. de Lingua Lat.* De hoc vocabulo plura Andreas Dacherius *in Notis ad Festum pag.* 463. Male ve-
B ro Scaliger *in Conjectaneis ad eumdem Varronem pag.* 37. putat *Velatos* dictos, qui caput cinctum licio laneo habebant. *Velare* enim est à *Velum*, quasi *Velo tegere*, ut deducit Vossius *in Etymolog.* & licet Flamines aliquando filo laneo caput religare consuessent, ut legatus ille apud *Livium* ab ipso *Scaligero* in testem adductus, id potius per licentiam factum, quia scilicet ob æstum nimis illis molestum foret, pileum seu velamentum ferre. Et ipsa ritus origo jam tradita, docti viri sententiam convellit. Quî enim fieri poterat, ut *Æneas* hostibus sese occuleret, si filo tantum caput præcinxisset? Adde quod *velare* etiam de alio
C quovis membro, immo & toto corpore dicitur, exemplis mox recitandis.

Quæ de ritu capita velandi hucusque disseruimus, licet vere ad Sacerdotes spectent, cum alii ministri coronati incederent, ut videre est in Antiquis monumentis, & præcipue in insigni lapide anaglypho apud Casalium *de Imperio Romano. de Sacrificiis Cap. I.* attamen *velatos* etiam alios, præter Sacerdotes comperimus, ut Trojani apud Virg. Lib. III. vers. 545.

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Et mulier pro Citharœdo diis vota fundens, apud Juvenalem Sat. VI.

D *. . . . Stetit ante aras, nec turpe putavit*
Pro Cithara velare Caput.

Immo, & manus velatas supplicantes gestabant, unde *velatis manibus orare*, habet Plautus *in Amphitruone.* Et *Romanos* ideo libros Sibyllinos *velatis manibus* inspexisse ait Vopiscus *in Aurelian. Cap.*
38 *XIX.* quam lectionem ita restituit *Salmasius*, cum vulgo legatur *veteranis manibus.* Demum nummus *Lentuli* Flaminis Dialis exhibet *Camillum* puerum ei præministrantem capite adoperto, ex Gutherio *de vet. Jure Pont. Lib. II. Cap. XIII.* Et eumdem *Camillum* videre est *velatum* seu vittatum *in Columnâ Trajanâ num.* 74. Eum vero
E morem in adulationem principum traduxit, quicumque eos velut Deos colere volebat. Primus id instituit *Vitellius*, cum *reversus ex Syria* C. Cæsarem, *non aliter adire ausus est, quam capite velato*, inquit Suetonius *in Vitellio Cap. II.* Ad quem ritum forte respexit *Plinius* in præfatione Historiæ naturalis, ubi alloquens Vespasianum, *te quidem*, ait, *in excelsissimo humani generis fastigio positum summa eloquentia, summa eruditione præditum religiosè adiri etiam à salutantibus scio.*

Quare fieri potuit, ut & *Accensi* sacrificiorum, si non *velum* capitis, quod proprium Sacerdotum,
F vestem aliam ministerio peculiarem, ceterisque distinctam gesserint, eoque *Velati* appellarentur. Velati enim vestibus sacris quoquo modo dicebantur. Ovid. Lib. III. Amor. Eleg. XIII.

More patrum sanctæ velatæ *vestibus albis.*

Et Lib. X. Metamorph.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa quibus niveâ velatæ *corpora veste.*

Demum Virgilius *Æneid. XII. vers.* 120. describens ministrantes sacris, ait:

Velati *lino, & verbenâ tempora vincti.*

vel, ut alii apud Servium legunt, *Velati limo*, quod genus est vestis, quâ ab umblico usque ad pedes Popæ tegebantur. Popæ ministri erant sacrificiorum.

An vero *Accensos Velatos* ita in templis certe deprehensos credamus? Sane ut rem adhuc obscuram arbitror, sic eosdem etiam in palatiis quærere constitui. Cubiculi imperatorii foribus prætexta *Vela*, sive ut oculos arcerent, seu ad majestatem & venerationem, veterum testimoniis aperte liquet. Lampridius *de Heliogabalo*, seu mavis *Alagabalo*, scribens in Vitâ Cap. XIV. *qui subito*, inquit, *militum strepitu exterritus, in an-* 39
gulum se condidit, objectuque veli *cubicularii, quod in introitu erat cubiculi, se texit.* Etiam Caligula timore cædis perterritus *inter prætexta foribus* vela *se addidit*, teste Sueton. Cap. X. Apud *Persas* quoque regii cœnaculi januæ *obditum* fuisse *velum*, memorat Athenæus *Lib. IV. Cap. X. pag.* 145. *edit. Græcolat.* Casauboni. *Vela* igitur ad interioris cubiculi, quo aditum ad Principis consistorium patebat, fores prætendebantur. At proxima ante ipsum statio cancellis septa, clausaque erat. Intra hos cancellos admissus, adhuc *velis* à Principis aditu excludebatur; unde Sidonius Lib. I. Epist. II. *turba*, ait, *satellitum immurmurat exclusa* velis, *inclusa cancellis.* Hoc spatium, intra cancellos & & vela, *interioris admissionis* fortasse vocavit Seneca de Clement. *Cap. X. Lib. I.* & alio loco de domo privatâ loquens, *in quâ deinceps*, ait, *multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludant* Lib. VI. de Benef. Cap. XXIII. Hinc Lampridius Severi Alexandri facilitatem laudat, *quod salutaretur quasi unus de Senatoribus patente* velo, *admissionalibus remotis, aut solis qui ministri ad fores erant*, Cap. IV. *Admissionalis* ad principis colloquium confluentes admittebant, unde nominis appellatio. Refert Plinius *Lib. XXXIII. Cap. III.* Claudii Libertos *admissionem pro arbitrio dedisse.* De admissionalibus extant leges 3. & 7. *Cod. Theod. de privilegiis eorum, qui in Sacr. Palat.* Eorum quatuor fuisse decurias scribit Salmasius *ad Vopiscum in Vit. Cari Cap. VIII. in fine Adnotation.* Omnes autem suberant *Magistro admissionum*, præclarum, & nobilissimum in aula Cæsaris officium & dignitas. Ejus fit mentio *in Lib. XII. Cod. Theod. de Senator.* apud Vopiscum *in Aurelian. Cap. XII. in fin.* & Ammianum Marcellinum *Lib. XV. Cap. V.* ubi notat doctissimus *Valesius*, eum viros honoratos in consistorium Principis introduxisse: ait enim Ammianus, *Ursicinum* vocatum fuisse *per admissionum Magistrum, qui mos est honoratior.* Sane reperio Senatores, & Legatos exterarum gentium ab hoc Magistro deductos ad Principem, apud *Cassiodorum* in formulâ hujus di- 40
gnitatis *Lib. VI. Form. VI.* ibique etiam appellatur *gloriosus donator aulici Consistorii quasi quidam Lucifer.* & Corippus *de Laudibus Justini Lib. III.* ait:

Ut lætus Princeps solium conscendit in altum,
Membraque purpureâ præcelsus veste locavit,
Legatos Avarum jussos intrare Magister *&c.*

Hinc perperam, ut opinor, etiam viri docti, quem hodie *Mastro di Camera* dicimus, eum nempe, qui volentes adire Principem, intromittit, *Præfectum cubiculo* vocant. Nam vere *Magistrum admissionum* appellandum ex jam dictis constat. Et Præfecti, seu Præpositi sacri cubiculi alia erat dignitas & diversum officium. Curam enim & custodiam ipsius cubiculi seu thalami (qua voce utuntur *Græci* scriptores) imperatorii gerebat, de quo videas Panciro lum *in Notitiâ Imperii Orient. Cap. LX.* Bulengerum *de Imperio Roman. Lib. III. Cap. XXIX.* & Gutherium *de Officiis Domus August. Lib. III. Cap. XXIX.* ubi eum Gallis esse *Grand Chambellan* notat. Hanc Magistri admissionum dignitatem *tot titulis claram, tot insignibus opulentam*, ut verbis Cassiodori loco mox laudato utar, apud San-

ctissimum D. N. INNOCENTIUM XII. implet
& ornat Illustrissimus D. *Franciscus Aquaviva*, A-
ragonius ex Atriæ Ducibus, in quo videas splen-
didissimum genus & præclaras virtutes veluti de
principatu contendere.
Præter admissionales ante cubiculum Impera-
toris vidimus à *Lampridio* memoratos *ministros ad*
fores. hos puto observasse *vela*, eaque deduxisse,
ut pateret aditus introëuntibus, quod hodie dici-
tur, *alzar la portiera*: ideoque appellatos fuisse
velarios in inscription. *Gruterian. pag.* 599. 7.
THALIVS. PRAEPOSITVS. VELARIO-
RVM. DOMVS. AVGVSTAE. & num. 8.
L. FLAVIVS. SVPRA. VELARIOS. DE
DOMV. AVG. Quamvis *Ministros a foribus*, a
Velariis distinguat *Salmasius* ad *Lampridii* locum
recitatum, nullo certo testimonio. *Velarios* itaque
ut ad rem nostram tandem accedamus, *Velatos*
41 etiam dictos libenter conjicerem, eosque esse, quos
quærimus, *Accensos Velatos.* Nomen *Accensi* non
alienum videtur. Nam *Accensi* in militiâ ideo ap-
pellati, *quod ad necessarias res sæpius acciantur*, *vel-*
uti accersiti, *quos nunc dicimus*, *deputati:* Verba
sunt *Nonii Marcelli* de proprietate sermon. verb.
Accensi ex Varrone *Lib. XX. Rhetoric.* Quidni
ergo & nostri, quod sæpius *accierentur*, seu vo-
carentur ad obducenda *vela*, vel quod ad ipsa
essent deputati, *Accensi* dicti sunt? Imo etiam
fortasse, quod ad *vela* adstarent, uti mox vide-
bimus. *Velati* porro appellatio licet potius pas-
sionem, quod scilicet quis *velo* sit indutus, quam
actionem externam observandi *vela*, denotare vi-
deatur; non insolens tamen ea est notionis per-
mutatio, cujus vel ipse *Accensus* exemplum sug-
gerit, quem *Varro* loco jam adducto, dictum
ait, quia *acciebat* populum: Et tamen *Accensus*
passionem designat, ut scilicet potius ipse *accie-*
retur, ut supra ex eodem *Varrone* deduximus.
Verum sub aliis forte velamentis *Accensi* latent.
ea itaque abducamus. Sicut Principis Consisto-
rium, ita Secretarium & Tribunal Judicis *vela*
claudebant. Caussas de submersis navibus *velo*
levato cognosci, decernunt Imperatores Hono-
rius, & Theodosius *in leg. ultimâ Cod. Theod. de*
naufragiis: & *leg. primâ de officio Rectoris Provinc.*
ejusdem Codicis, *ne sit venale judicis velum*, ju-
bet Constantinus. in quam rem plura erudite con-
gerit Jacobus Gothofredus *in Annot. ad hanc* po-
stremam *legem pag.* 41. *&* 42. *Tom. I.* Hinc *ju-*
dex veli subscribit decreto *Alexii* Comneni *in* ejus
Rationario, quod vulgarunt Monachi Benedicti-
ni S. Mauri *in Analect. Græcis pag.* 380. Velami-
na hæc per publicum statorem diducebantur,
cum sententia esset proferenda. D. Jo. Chrysosto-
mus in Matth. Cap. XVII. Homil. LVI. *quem-*
admodum enim, inquit, *cum publice sententiam ju-*
dices prolaturi sunt, *velamina statores contrahunt*,
ut ab omnibus videantur, *sic &c.* Hi *statores* in tex-
tu Græco *Chrysostomi* dicuntur παρεςῶτες, quæ vox
derivatur à παρίςημι, hoc est *sisto prope*, seu *jux-*
42 *ta*, uti ostendit Henricus Stephanus *in Thesauro*
Linguæ Græc. col. 1777. *Tom. I.* & παριςάτῃ est
præsto esse, *apparere*, *apparitoris munere fungi*, ex
Budæo *in Comment. Linguæ Græc. pag.* 217. *edition.*
Parisiens. ann. MDXLVIII. unde παρεςῶτες, qui
vela judicum obducebant apud *Chrysostomum*, ipsi
erant *apparitores*; quo nomine etiam *Accensi* nota-
bantur. Profecto Reinesius Classe I. Inscript. 19.
Statorem Civitatis Viennensis, de quo apud Gru-
terum pag. 631. 3. esse *Accensum*, scribere non du-
bitavit. Ergo qui ad *vela* Judicum adstabat, vere
Accensus, atque inde *velatus*, eâ ratione, quam paul-
lo ante reputabamus. Lapis est apud *Gruterum pag.*
1109. 5. in quo *L. Largius* dicitur VELATVS.
IN. PRAET. Prætorium locus erat in provin-
ciâ, in quo Prætor, sive Proconsul jus dicebat.

A Num igitur *Largius* ex his *Accensis velatis* unus
fuit, qui ad Prætoris Tribunal adstabant?
At nos tandem ab hisce Velorum impedimen-
tis extricemus. Puras, putas conjecturas dedi-
mus, dum vela tractavimus: at dum *Accensos* tam
in foro, quam in militia lustravimus, ab eorum
numero AQUILIUM nostrum vindicasse certis
argumentis arbitramur. Secundam itaque voca-
buli ACENSUS, quo noster lapis inscribitur,
interpretationem aggrediamur. Ea commutatio-
nem casus, & literæ accessionem retinet, sed
Accensum nomen adjectivum seu participans facit,
eo sensu ut dicatur, AQUILIUM *accensum*, hoc
B est *accensitum*, seu *adscriptum* fuisse *equitibus Ro-*
manis, profertque verba in hunc modum: AC-
CENSO. EQUITIBUS. ROMANIS. Lectio-
nem hanc mihi indicavit vir summus, dignitate
juxta ac doctrinâ sacrâ & profanâ eminentissimus,
quam si paucis illustravero, id mihi in honoris
præcipui argumentum vertam.
Sane ipsa nominis originatio calculum conje-
cturæ maximum addit. *Adcensi milites dicebantur*,
ait Festus, verb. Adscriptitii, *quod ad legionum cen-*
sum essent adscripti, & verb. *Adcensi*, ita appella-
tos subdit, *quia ad censum adjiciebantur.* Ergo
translatâ vocabuli significatione à militari ad
C equestrem ordinem, apposite dicimus, AQUI-
LIUM *Adcensum*, seu *adscriptum*, & *adjectum* 43
fuisse *ad censum* Equitum Romanorum. Egregie
Varro & prope ad rem, *quosdam adcensos equiti-*
bus fuisse, ait, *Lib. IV.* & simili phrasi Lactan-
tius *Lib. V. Cap. II.* loquitur de Demosthene, *qui*
religioni, *cui fuerat accensus &c.* prout emendavit
Janus Guglielmus in Plauti *Menæchmos Cap. III.*
nam vulgo legitur *assensus.* Fortasse etiam dici
posset, extra numerum Equitibus Romanis *ad-*
censum fuisse *Aquilium*, quæ vis & significatio
ejus vocabuli aliquando est, ut apud Vegetium
Lib. II. Cap. XIX. *deputabantur milites*, *qui vo-*
D *cabantur* Accensi, *hoc est postea additi quam fuisset*
legio completa, *quos nunc supernumerarios vocant.*
Verum hos supernumerarios, qui non militabant,
sed in locum deficientium subrogabantur *incensi-*
tos, & *adcrescentes* vocatos fuisse putat Jac. Go-
thofredus *in leg. unic. Cod. Theod. de Classiariis*
Tom. III. pag. 531. Ita ergo & AQUILIUS su-
pernumerarius fuit inter Equites *Romanos.* Vi-
detur enim ex *Halicarnasseo* præfinitus eorum
numerus, licet *Salmasius* repugnet.
Libenter equidem in hanc interpretationem,
& maximi auctoris reverentia, & quod egregie
in rem concinat, me deduci paterer, nisi alia
E expeditior, eaque nullâ literarum inversione ad
casuum discrepantiam conciliandam adhibitâ, oc-
curreret. Nam parcius, quam fieri possit, ea
libido saxeas literas pro libitu recudendi, exer-
ceri debet; & nonnisi desperatis rebus, ita ut
sensus & interpretatio lapidis aliter constare ne-
queat, quo melius fidei & diligentiæ antiquorum
consulatur. Certe nostra inscriptio tam affabre
& ad politiorem delineandi regulam est incisa, ut
vix credibile sit Quadratarium in pinguem adeo
errorem impegisse, & semel iterumque in unâ
eâdemque voculâ peccasse. Et quamvis sculpto-
res rude hominum genus fuerint, & sæpe voces
F corruptissime in lapidibus efformaverint, attamen
à nostro ea suspicio amovenda, cum publico de-
creto in Coloniâ Urbi proximâ, & sub oculis
Curatorum ipsi operi à magistratu delectorum,
fuerit conscriptus; uti ad rem animadvertit Vos-
sius *de Arte Grammat. Lib. I. Cap. ult. pag.* 163.
Nec sane deceptus sum in epigrammate legendo 44
vel exscribendo, cum characteres sint nitidissimi,
& nullâ, post tot secula, labe corrupti aut pro-
triti; illudque modo etiam sub oculis habeam,
exceptum in chartâ papyraceâ ad modum, quem
docet

docet accuratiſſimus Fabrettus *in Præfatione epiſtolari* poſtremi Operis jam laudati.

At nos etiam in hanc legem peccavimus, qui vocem ACENSUS in A CENSIBUS migrare juſſimus. Verum equidem fateor: ſed cum perpetuis veterum inſcriptiones abbreviaturis (parcant Grammatici) ſcateant, noſtra non vocabuli interverſio, nec mendi Grammaticalis correctio eſt, ſed ſimplex contractionis extenſio & ſupplementum, illudque ex re ipſa promanans. Oſtendam enim, præter alia notarum contractarum exempla, quod ubi in ſaxis vocabulum *Acenſus* a caſu præſcripto diſcrepans, & per unicum C exaratum invenitur, ſemper in *à Cenſibus* ſit permutandum. Quod vero hoc officii genus, & quàm uſurpatum Cæſareo ævo fuerit, deinceps aperiam, quo magis magiſque noſtra lectio, & AQUILII dignitas illuſtrabitur.

Quod igitur primum ſpectat, ſtatim profero inſcriptionem *Gruterianam pag.* 630. 5.

L. POMPEIO. AVG. LIB
ſic FORTVNATO
NVMENCLATORI
ACENSVS. LICTORI
AVG. III. DECVRIAR
POMPEIA. PIA
VXOR. VIRO
RARISSIMO FECIT.

Marmor ipſum cum ſuâ inſcriptione ex hortis *Julii III.* Pont. Max. delineatum, & æri diligentiſſime inciſum exhibet Boiſſardus *Tom. IV. Inſcription.* ſeu *Monumentorum pag.* 82., ne quis fi-
45 dem ſcriptionis *Gruterianæ* in dubium revocare poſſit. Vides itaque nomen ACENSUS eo prorſus modo exſculptum, ac in noſtrâ inſcriptione, unico C & caſu nominativo, licet *Pompejus* & *Nomenclator*, quibus connecti debet, dativo efferantur. Quid ergo? Mendum & lapſum Marmorarii ſtatim exclamabis? Non ita certe: ſed hic etiam nomen eſt contractum, in A CENSIBUS reſolvendum. Fidem alterius lapidis appello, à quo & hic ipſe, & noſter *Antias* lucem & explicationem mutuantur. Exſtat apud *Gruterum pag.* 599. 4.

DIIS. MANIBVS
TI. CLAVDI. AVG. LIB
THALETIS. VINICIANI
NOMENCLATORIS
ACENSIBVS
THALLVS. ET. IANVARIA
LIB. DE. SVO. POSVERVNT.

Addo alium *pag. eadem num.* 5.

ZOSIMIANVS. AVG. LIB
NOMENCLATOR
A. CENSIBVS

Quid ultra quæramus? Nonne Nomenclator *acenſus* idem eſt ac *à cenſibus?* Porro ſi quæras, quid rei ſit hujuſmodi Nomenclator *à cenſibus*, docet aliud epigramma *pag.* 630. *num.* 3. L. VOLVSIO. VRBANO. NOMENCLATORI. CENSORIO. Et *pag.* 14. 13. idem fortaſſe L. VRBANVS, NOMENCLATOR. CENSORIVS. Cum enim apud Cenſores nomina ſua uxorum, liberorum, ſervorumque, Cives profiterentur, Nomenclator eorum nomina ipſis Cenſoribus in memoriam revocabat, atque inde dictus *Cenſorius.* Tranſlatâ vero in Cæſares Cenſoriâ poteſtate, Nomenclator *à cenſibus* appellatus fuit, ut notat eruditiſſimus Pignorius *in Tractatu de Servis pag.* 140. *editionis Patavinæ MDCLVI.*

Adhuc luſiſſe marmora in hac voce comperio.
46 *Maſſilienſe pag.* 403. 5. poſitum eſt L. DVDI-
A STIO. . . . ADCENSVS. PROVIN. LVGDVNENS. Cernimus hic etiam turbatam caſuum concordiam: neque enim *adcenſus* Dudiſtio convenit. Non alia in Provinciâ *Lugdunenſi* munere fungi hic potuit, quam *Tib. Antiſtius*, cui in tribus Galliæ Provinciis *primo unquam* EQ. R. A. CENSIBVS *accipiendis* Lapis 355. 6. inſcribitur. Literas ſingularias explico, *primo unquam Equitum Romanorum.* Ergo *adcenſus* commutatur in *à cenſibus*, vel ſi malueris *ad cenſus accipiendos*, quod idem eſt ac CENSITOR *Provinciæ Lugdunenſis*, in inſcriptionibus pag. 427. 5. & 1025. 2. *Cenſitor* provinciæ cenſus & tributa re-
B cipiebat. Palam igitur eſt, ex primis potiſſimum exemplis, in noſtro lapide nomen *acenſus* eſſe vertendum in *à cenſibus*, & AQUILIUM fuiſſe A CENSIBUS EQUITUM ROMANORUM. Quæ vero ea dignitas & munus fuerit, nunc explico.

Nomen Cenſoris & dignitatem, quæ florente Republicâ ſummæ auctoritatis erat ac honoris, *Auguſtus* Cæſar, arrepto imperio, abolevit extinxitque: poteſtatem vero & vim Cenſoriam in ſe traxit, ut cetera *munia Senatus, magiſtratuum, & legum*, uti ait Tacitus *Lib. I. Annal. Cap. II.* Ita ex privatis poſt *P. Æmilium Lepidum*, &
C *L. Munatium Plancum* ſub ipſo *Auguſto*, nemo eſt amplius Cenſor deſignatus. At neque Imperatores præter *Domitianum*, qui ſe *Cenſorem perpetuum* dici voluit, eo nomine uſi, cum tamen rem ipſam detinuerint. Hæc ex Dione *Lib. LIII. pag.* 509. & *Lib. LIV. pag.* 321. *editionis Hannovianæ Gr. Latin. anni MDCVI.* quod ſemel ſit præmonitum ad hunc Auctorem ſæpius citandum. Pridem vero *Pompejus*, dimiſſâ Cenſoris appellatione, corrigendis moribus delectus fuerat, ex Tacito *Lib. III. Ann. Cap. XXVIII.* & *Cæſar* æmulatione *Pompeji*, an ad nominis invidiam amoliendam, *Præfecti morum* titulo uſus
D eſt, teſte Suetonio *Cap. LXXVI.* unde per contemptum ſeu jocum *Præfectus moribus* vocatur Ciceroni *Lib. IX. Epiſt. Fam. XV.* ad *Papirium.* Sub *Auguſto* ea Cenſoris poteſtas *morum legumque regimen* dicebatur, ex nobili lapide apud Gutherium *de Offic. Domus Aug. Lib. I. Cap. XL.* Falli- 47
tur vero *Dio*, qui ſolum *Domitianum* inter Imperatores, qui poſt Auguſtum *Cenſoris* nomen uſurparunt, neque illud exinde privatis permiſſum, autumat. Nam Claudium *Cenſuram* geſſiſſe, *Cenſorem*que appellatum teſtantur Suetonius *Cap. XVI.* & nummus apud Oiſelium *Tab. IV. num.* 3. cum inſcriptione in averſâ parte CENSOR, bi-
E næque inſcriptiones apud *Gruterum pag.* 1131. & *pag.* 196. 4. quo liquet ipſum in publicis quoque monumentis Cenſoris nomen uſurpaſſe. Ex privatis unà cum ipſo *Claudio* Cenſor fuit *L. Vitellius* apud Tacitum *Lib. XII. Ann. Cap. IV.* & *Hiſt. I. Cap. IX.* in cujus rei memoriam *Vitellius* filius jam Imperator nummum cudit cum epigraphe: L. VITELLIVS CENSOR apud eundem *Oiſelium num.* 2. Præterea *Veſpaſianus*, & *Titus* Cenſores inſcripti occurrunt in lapidibus *Gruterianis pag.* 89. 10. & 176. 1. in nummis apud eundem *Tab. III. num.* 12. & *Tab. IV. num.* 1. & paſſim apud *Co. Mediobarbum* à *pag.* 108. teſtaturque *Suetonius* in utriusque Vitâ *Cap. VIII.*
F & *VI.* At poſt tempora *Dionis* ſubolet etiam in *Diocletiano* veſtigium aliquod geſtæ *Cenſuræ*, qui cum omnibus gentibus advocatis daret ludos, *parciſſime uſus eſt eâ liberalitate, dicens caſtiores oportere eſſe ludos ſpectante Cenſore*, uti narrat Vopiſcus *in Carino Cap. XX.* Et *Delmatium Hannibalianum* Conſtantini M. Fratrem *Cenſorem* diſcimus ex S. Athanaſio *Apologet. II.* quod perperam *Delmatio* filio tribuit Socrates *Hiſt. Eccleſ. Lib. I. Cap. XXVII.* ut probat *Valeſius* in hunc locum, & ad

ad Ammianum Marcellinum *Lib. XIV. Cap. I.* Ita ut immerito post eum dubitasse videatur Godefridus Hermantius *in Notis ad Vitam S. Athanasii*, Gallice scriptam *Lib. I. Cap. XIV.* Pridem vero sub Deciis *Censoris* nomen auditum, & *Valeriano* adhuc privato traditum, ut refert *Trebellius Pollio* in Vitâ *Cap. II.* Symmachus integro seculo posterior *Lib. IV Ep. XLV.* loquitur de repudiatâ censurâ, *quam totius Senatus fugavit auctoritas*: in quam rem sese orationem texuisse meminit *Lib. V. Ep. IX.*

48 Attamen rara hæc exempla & infrequentia: quo factum est, ut paulatim exolescente Censoris nomine & usu, demum etiam & memoria hominum pene exciderit. Nam, uti adnotavit *Salmasius* ad Capitolinum *in Vitâ Antonini Philosophi Cap. XXII.* scriptoribus ejus ævi *Censura*, pro gravitate vultus cum dignitate conjunctâ, accipiebatur, unde *oris censura*, quæ veteribus oris dignitas erat. Postea etiam pro ipsâ formâ, & pulchritudine oris: unde & *Censorium hominem* vulgo, qui pulcher esset, vocabant. Non omittam apud Gruterum pag. 343. num. 4. *Statuam auro superfusam* locatam fuisse *Anicio Paulino* jun. Consuli ordinario *ob meritum nobilitatis, eloquii, justitiæ, atque* CENSURÆ. Hanc vocem pro severitate morum & exactiore disciplinâ hic usurpatam arbitror, ex usu recentioris Latinitatis, quem notavit *Casaubonus* ad proximum *Capitolini* locum. *Anicius Paulinus* junior Consulatum gessit anno CCCXXXIV.

Ceteri Imperatores, abjecto nomine, non semper sibi integram & perpetuam *Censoris* auctoritatem, & jus detinuere; sed munera *Censoriæ* potestatis exercenda privatis etiam aliquando detulerunt. *Augustus* ipse, qui dignitatem Censoriam sustulit, *Triumviratum constituit recognoscendi turmas Equitum, quotiescunque opus esset* (quod munus erat Censorum) aliaque inde potestatis Censoriæ officia *inter plures divisit*, testante Suetonio *Cap. XXXVII.* L. Volusius, sub Tiberio *Censoriâ potestate legendis Equitum decuriis functus* est, apud Tacitum *Annal. III. Cap. XXX.* quo nil propius ad nostrum argumentum illustrandum, ut mox patebit. Exemplum aliud profero ex Dione *in fragmentis Lib. LXXVIII. pag.* 882. ubi sub *Caracalla* memorat, *Ulpio Juliano* commissas fuisse *Censiones*: quem locum perperam à *Xilandro* redditum, ita restituit *Leunclavius* ad marginem, doctis omnibus probatus. Porro *Censiones* facere pars erat Censoriæ dignitatis.

Ut vero hæc omnia in rem nostram vertamus, videtur certo asseri posse, non aliter intelligendam inscriptionem, quam quod Imperator aliquis, cujus nomen nobis divinare non licuit, A-
49 QUILIO potestatem *censendi Equites Romanos* detulerit, eo prorsus modo, quo apud Tacitum *Volusius* eadem *Censoriâ potestate legendis Equitum decuriis* functus fuit. Quam AQUILII dignitatem & munus *Antiates* eâ formâ expresserunt, *A Censibus Equitum Romanorum*, pro more Cæsariani ævi, ut jam ex *Pignorio* notavimus.

Ergo esse *à censibus Equitum Romanorum*, idem est ac potestate *censendi Equites Romanos* fungi, Censebantur vero Equites, vel cum adlecti in eum Ordinem spectatâ census quantitate, vel cum ad militiam delecti, vel tandem cum in transvectione in ordinem redacti seu notati. Ut de his singulis aliqua attingamus, res ipsa, & AQUILIUS postulant. Censores sicuti ceterorum Civium censum æstimabant, ut in quem ordinem referri deberent, judicarent, ita etiam Equites ex censu in tabulas describi jubebant, unde Ordo equestris conflatus est. Ex hoc vero tantum priscis temporibus Equites, qui equo publico mererent, & legionibus assignarentur, delecti. Postea ex plebe etiam ipsâ Censor eligebat, qui censum haberent equestrem, ut Equites fierent, & equi publici iis assignati, ut in legionibus militarent. Ita Salmasius *de Re militari Rom. Cap. XXI.* putat interpretandum locum Polybii satis vexatum, ubi ait: *olim quidem equites solent legere, post pedites, nunc vero priores capiunt juxta opes, secretione eorum à Censore factâ.* Census equestris, etiam Imperatorio ævo, erat quadringentorum millium sestertiûm. Martialis Lib. V. Epigr. XVI.

Quadringenta tibi non sunt, Callistrate, surge.

alia Scriptorum loca prætereo.

Legebantur ex singulis curiis, ex instituto *Romuli*, & aliqui equo publico donabantur, alii equo privato merebant. At gravis est quæstio inter doctos antiquitatum, num omnibus Equitibus publicus equus fuerit assignatus, an vero aliqui privato equo militarent. Sigonius *de Jure antiquo Civium Rom. Lib. II. Cap. III.* Rosinus, & in eum Dempsterus *Antiq. Rom. Lib. I. Cap. XVII.* putant Equites solos, qui *Romæ* in equestrem Ordinem adlecti erant, opponebanturque 50
Senatoribus, equo publico meruisse: illos vero, qui in exercitu peditibus respondebant, equo privato. *Salmasius loco indicato*, tantum ab hac sententia abest, ut existimet, nullum Equitem fuisse, nisi cui equus esset publicus assignatus: ex eo vero numero lectos, qui legionibus adscriberentur, legionarios milites. Nullus ideo erat, qui non equo publico mereret, etiam ex equitibus legionariis. Quid in hoc opinionum dissidio sit statuendum, non vacat ad examen vocare. Sane passim in veteribus inscriptionibus equi publici mentio, idque inter ceteros honores accensebatur. Quod argumento esse videtur privato equo alios meruisse. Pueris etiam id honoris aliquando tributum: ut de *Marco Antonino* adhuc *sexenni* narrat Capitolinus *in Vita Cap. IV.* quem locum ita emendarunt *Casaubonus*, & *Salmasius*.

Censores itaque Equites legebant, qui militiæ nomen darent. Hinc Volusium *Censoriâ potestate legendis Equitum decuriis* functum ait *Tacitus*, loco semel iterumque laudato. Decuria Equitum tertia pars turmæ erat, quarum decem cohortem seu alam in unaquaque legione conflabant. Lapis Reatinus 1028. 2. exsculptus est *L. Petronio equo publico ex quintâ decuriâ*, Norimbergensis 45. 4. Veteranum præfert *ex decuriâ alæ Tami*; alter 548. 10. *ex decuriâ alæ primæ.* Et *decuriati* Equites apud Livium *Lib. XXII.* quod in *decurias* essent distributi. Hinc *decuriones*, qui decuriam regebant Tacito *Ann. XIII. Cap. XL.* & *Hist. II. Cap. XXIX.* & aliis passim. Quod itaque ipse Tacitus Volusium *decurias Equitum* legisse dicat, idem est ac *delectum Equitum* habuisse, ut in *decurias* legionum adscriberentur. Ita epigramma apud Panvinium *de Civitate Rom. pag.* 63. nuncupatur cuipiam, cujus nomen detritum, PRAEF. IVVEN. EQVO. PVBLICO. ADLECTO IN. V. DECVR. Obiter noto titulum *Præfecti juventutis*, nam Princeps juventutis ubique vocatur, qui equestris Ordinis primus. Novus hic titulus fugit diligentissimum *Spanhemium*, qui plura de hoc Principe juventutis refert *in Dissert. VI.* 51
de Usu Num. pag. 664. Non moror *Lipsium*, qui in hunc *Taciti* locum dubitat, an potius Volusius *decurias Judicum* legerit, quod censorium olim munus erat. Quamvis enim judices ex Ordine equestri sumerentur, in quo etiam variatum, nusquam tamen Equitum nomine sunt appellati. Id ex Plinio Lib. XXXIII. Cap. III. mihi aperte constat. *Divo Augusto*, inquit, *decurias ordinante, major pars Judicum in ferreo anulo*

A *lo fuit: iique non* Equites, *sed* Judices *vocabantur.* Tacitus, qui rem proximam ad *Augusti* tempora narrat, & *Plinio* fuit æqualis, *Volusium* dixisset perfunctum potestate legendi *Judicum* decurias, non *Equitum.* Ita intelligo, invitis licet Interpretibus, locum Suetonii *in Tiberio Cap. XLI.* ubi ait, eum regressum insulam *Capream* adeo Reipublicæ curam abjecisse, ut postea *non decurias Equitum unquam supplerit*, sequitur enim, *non Tribunos militum*, *Præfectosque:* quo patet, utrobique de re militari, non forensi, sermonem esse. Nec censorium hoc munus erat: testante Tullio *in Cluventianâ*, Judices à Prætore Urbano selectos fuisse, in qua quidem selectione tantum abest, ut Censores quidquam juris haberent, ut nunquam sibi Prætores *Censoriam ignominiam impedimento esse duxerint*, quin ipsos Judices seligere possent. Idem Cicero *in III. de Legibus* singulatim recitat munera Censorum, quæ inter hoc legendi Judices nusquam reperies. De his largius loqui oportuit, quod *Taciti* locus de *Volusio* assertus & explicatus lectioni nostræ de AQUILII munere lucem mutuam & fulcimentum præbeat.

Alterum Censoris munus, quo *Aquilium* functum fuisse putamus, auctoritate & dignitate præcipuum, *Transvectio*, & *Probatio* Equitum erat. Idibus Quintilis ab Æde Honoris Equites equis insidentes, prætextati & oleâ coronati, in Capitolium transibant; quam pompam describit Dionysius *Lib. VI.* Id institutum *Q. Fabii*, teste Livio *Lib. IX.* Valerio Max. *Lib. XI. Cap. XI.* Adsidebant in foro Censores, & Equites per Nomenclatorem citatos, equo adducto de stipendiis confectis interrogabant, addebantque
52 examen morum, & vitæ. Si quem non probatum invenissent, equo dempto, censoriâ notâ mactabant. Insignis locus est ejusdem Valerii *Lib. IV. Cap. I. num.* 10. ubi *Scipio Africanus* Censor, centurias Equitum recognoscens, cum nemo qui accusaret *C. Licinium*, inveniretur, & ipse sciret, illum verbis conceptis pejerasse, ne Judicis & accusatoris partes ageret, *traduc*, inquit, *equum & lucrifac censoriam notam.* Vides quam, vitæ, morumque innocentiam Censores quæsierint. Equum porro traducebat Eques & transibat, cum nullius flagitii compertus, & intactis moribus esset, & inde *probatus* dicebatur. *Ovidius* veniam exilii ab *Augusto* deprecaturus, nullo se notatum probro ab eo in transvectione gloriatur, Lib. XI. de Trist. El. I.

At memini vitamque meam, moresque probabas,
Illo quem dederas prætereuntis equo.

Et mox:

Carminaque edideram, cum te delicta notantem
Præterii toties irrequietus Eques.

Sane Augustus *Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis*, inquit Suetonius Cap. XXXVIII. At *Caligula* (qui criminibus ipse & scelerum infamiâ vitam maculaverat, id in Equitibus *Romanis* non sustinuit, nam eos *severe curioseque*, *nec sine moderatione recognovit*, *palam adempto equo*, *quibus aut probri aliquid*, *aut ignominiæ inesset*, apud eumdem Tranquillum *Cap. XVI.* Narrat hic ipse diligentissimus Auctor, Cæsarem *nudatos opere censorio* restituisse, in vita *Cap. XLI.* Quod de *equo adempto* ob Equitum crimina commode potest intelligi. Nam & Cicero Lib. I. ad Attic. Ep. XIII. *nudos equites* probri plenos vocat. Et quisquis re aliqua caret, *nudus*, & *nudatus* dicitur: Sicut idem *Tullius* ad Quirites post reditum se *nudum à propinquis* queritur, & Rempublicam interitu Consulum *nudatam*, Lib. X. famil. Ep. XVII. quæ est *Planci.* Nisi *notatos* reponere velimus, quod proprium est in re censoriâ vocabulum, complectiturque tam Equites, quam ceteros Cives, in quos nota censoria fuisset inusta. Eum vero etiam Equitem, qui haberet *equum gracilentum*, *aut* 53
parum nitidum, *impolitiæ seu incuriæ* notasse *Censores*, memorat Agellius *Lib. XIII. Noct. Attic. Cap. XII.*

Porro transvectionis, & recognitionis Equitum illustre monumentum nobis exhibet nummus *Claudii* apud *Oiselium* loco jam indicato. Cernitur Imperator pro tribunali Sellæ Curuli insidens, & ante eum Eques equum adducens cum subscriptâ epigraphe CENSOR. ad designandum morem illum, quo Equites in publicâ recensio-
B ne ad Censorum Sellas venire solebant, equumque vel traducere, si innoxii, vel notam subire, si culpæ rei inventi fuissent. Hanc vero Equitum recognitionem, & recensionem privatis etiam demandatam supra ostendimus. Quare eam egisse & nostrum AQUILIUM, qui à *censibus Equitum Romanorum* fuit, ipsis scilicet *censendis præfectus*, non omnino à verisimili alienum puto.

CAPUT IV. 54

C *Nummi ad Urbem Ravennatem pertinentes explicantur. Ejus Portus antiquis celebris. Suetonius defensus adversus Cluverium. Classes toto imperio dispersæ sub Augusto ad Ravennam, & Misenum collocatæ. An Liburnæ, vel Trieres in Classe Ravennate. Vegetius assertus. Num milites Legionarii Classibus impositi. Livius defensus. Iterum Vegetius à Lipsio reprehensus vindicatur. Ravennæ rei Navalis studium, Neptuni Templum, Neptunalia festa, & Pharus in ejus Portu. Cur Classis Rav. Prætoria dicta. De Præfecto Classis. Nummi Sexti Pompeji novâ explicatione illustrati. An Cleopatra Præfecta*
D *Classis appellata. Præfecti Classis ex ordine equestri, cui AQUILIUS denuo accensetur.*

PRAEF. CL. PR. RAVENNAT.

Præfecto Classis Prætoriæ Ravennatis.

Longo itinere, quo Accensos in foro, in acie, in Palatio, Equites in Urbe, & in Castris prosequuti sumus, fatigati, Portum *Ravennatem* tenemus, quo mare superum in sinum nobilissimæ Urbis influit, & classis Prætoria *Romanorum*, tutissimâ statione collocatur. Huic
E Præfectum cum summâ potestate nostrum AQUILIUM convenimus, qui nos ideo, ut ejus dignitatem, Portum ipsum, classemque studiosâ antiquitatis investigatione contemplemur, aliquandiu moratos cupit. Urbis sane ipsius vetustatem, splendorem, & decora prætermittam, cum ea prolixe Scriptoribus celebrata, aliorum curam & solicitudinem liberent. Philippus Cluverius *in Italiâ antiquâ Lib. I. pag.* 301. & Hieronymus Rubeus *Hist. Ravenn. Lib. I.* quidquid in hoc argumentum dici possit, pene exhauserunt. Attamen nummos aliquot, quos recèns in lucem prolatos ipsi videre non poterant, collige-
F re, & levi explicatione illustrare non pigebit. 55
Eos delineatos exhibet doctissimus Cangius *de Famil. Byzantinis in Mauritio*, *Heraclio*, & *Constantino.* Insignior inter ceteros scalptum præfert *caput mulieris turritum*, vel ut ipse ait, *cum coronâ murali* additâ epigraphe: FELIX. RAVENNA. In parte posticâ *Aquilam* habet alis expansis cum *Stellâ.* Ejus typum æri incisum exhibeo *in Tab. Num. V.* ut præclarum hoc nobilissimæ Urbis monumentum nostris quoque scriptis præfulgeat. Alii produnt in latere averso

Urbis monogramma RE: ceteri in parte inferiori hos characteres RAV. Percussos merito suspicatur *Cangius* ab Exarchis, dum *Ravennæ* Græcorum Imperatorum nomine res *Italas* moderabantur. Ex quo dignoscimus, in ea Urbe tunc monetariam fuisse institutam officinam; id enim ejus nomen ubique insertum indicat. *Caput* mulieris *turritum*, *Genium* Urbis designat apud omnes rei monetariæ peritos. *Felicis* epitheton claræ Urbes sibi usurparunt. *Felix* Roma, Kartago, Berytus, & aliæ passim occurrunt. Id in adulationem aliquando excogitatum: cum enim Civitates se ab Imperatore beneficio aliquo affectas testari vellent, percusso ære publico, *Felices* se ab eo redditas fatebantur. Is mos restauratarum potissimum fuit; ut cum *Carthaginienses* vocat Tertullianus de Pallio, *vetustate nobiles*, *novitate Felices*, & nuper subjectarum Provinciarum, ut *Felix Dacia*, hoc est secundum antiquam *Trajani* inscriptionem apud Grut. 249. 4. *Cujus virtute Dacia imperio addita* FELIX *est*; *Felices* etiam Urbes dictæ magnitudine, & opibus florentes. Quæ ex Spanhemio *de Numism. Dissert. VIII. pag.* 757. sunt deprompta. *Ravenna* itaque se, uti opinor, FELICEM prædicavit, quod ceteris *Italiæ* Urbibus direptis, & barbarorum jugo oppressis (tunc enim *Longobardi* totam pene eam provinciam subegerant) sola Imperatorum præsidio servata fuisset. *Aquila* Imperium *Romanum*, sub quo eâ felicitate fruebatur, effingit, & quidem adjecta *Stella*, quæ Phosphorus, seu Lucifer, Orientis indicium, esse videtur, ipsum Orientale Imperium figurat, quod
56 solum tunc Imperatores obtinebant. Ita numisma *Leonis* Imp. in quo *Stella* scalpta est, interpretatur Jacobus Chiffletius *in Anastasi Childerici Cap. XVII.* P. Harduinus *in Nummis antiq. popul. & urb. pag.* 417. monetam *Ravennatem* ejusdem stemmatis describit, nisi quod *Aquilæ* adstant duæ *Stellæ*, non unica. Si eumdem *Chiffletium* sequamur, ea percussa est sub aliquo Imperatore, cui utrumque Imperium suberat, & geminæ *Stellæ* Phosphorum, & Hesperum, Orientem scilicet, & Occidentem designant.

Ut vero rem nostram ingrediamur, situm Urbis Portumque *Ravennatem* præ ceteris graphice describit Procopius *Rer. Gothic. Lib. I. Cap. I.* cujus verba profero ex postremâ versione Maltreti. *Est* Ravenna *plano in Campo posita ad extremum sinum* Ionium: *à quo stadiis duobus distat. Neque enim maritima est, nec videtur adiri Classibus facile posse, imo nec pedestribus copiis. Quippe naves ad littus illud appelli nequeunt, prohibitæ brevibus, quæ in mare ad XXX. saltem procurrunt stadia, ac circuitu suo longissime eos ipsos à littore submovent, qui illud habent in conspectu proxime navigantes. Pedestrem vero excludunt aquæ, quibus* Padus *amnis, quem &* Eridanum *vocant, è montibus* Gallicis *eo decurrens, aliique fluvii navigabiles, & lacus, Urbem illam undique ambiunt.* Inde narrat æstus marini reciprocationem, qua naves ad Urbem vehebantur, & revehebantur. At Lectori prolixam forte descriptionem pertæso, amœniorem elegantissimi Poëtæ Claudiani de VI. Consul. Honorii subjicio.

Dixit, & antiquæ muros egressa Ravennæ
Signa movet: jamque ora Padi, portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, & pronas puppis nunc amne secundo,
Nunc redeunte vehit, nudataque littora fluctu
Deserit, Oceani Lunaribus æmula damnis

Lusit facete, Urbem portumque ipsum describens, Sidonius *Lib. I. Epist. VIII. ad Candidianum.*
57 Horum tamen scriptorum ævo plurimum ab antiquâ amplitudine defecisse *Ravennatem* portum, A haud dubito. Nam illuvie fluminum, & maris arenam protrudentis impetu, sensim ea loca opplebantur. Quo circà Jornandes *de Rebus Get. Cap. XXIX.* ætate suâ, quæ *Procopio* par fuit, testatur, Ravennam, *quo aliquando Portus fuerat, spatiosissimos Hortos* ostendisse. Utinam hodie adhuc Hortos, non potius stagna & paludes infœcundas ostenderet. Manet tamen nominis umbra, dum locus, ubi Portum novum servandæ Classi struxerat *Augustus*, eâdem *Classis* appellatione adhuc vocatur, nobilissimo Monasterio insignis. Quo eodem *Classis* nomine procopio *Lib. II. de Bell. Goth.* & Paul. Diacono *Lib. VI. Cap.* B *IV.* indigitatur,

Ergo situs opportunitatem, & commodam navibus stationem nactus, *Populus Romanus*, ait Vegetius Lib. V. de Re Milit. Cap. I. alias Lib. IV. Cap. XXXI. *Classem semper habuit præparatam, nam apud Misenum, & Ravennam singulæ legiones cum Classibus stabant, ne longius à tutelâ Urbis abscederent, & cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent.* Tacitus Lib. IV. Annal. Cap. V. recensens, quas *Tiberius* copias in armis retineret, *Italiam* præsedisse narrat *utroque mari duas Classes, Misenum apud &* RAVENNAM. At C *Cluverius pag.* 305. carpit *Suetonium*, quasi dixisset, hoc fuisse inventum *Augusti*, cum ante ipsum, teste Cicerone *in Orat. pro lege Manil.* Pompejus *Italiæ duo maria maximis Classibus, firmisque præsidiis* adornasset: & *Vegetius* jam recitatus non equidem *Augustum*, sed populum *Romanum* id fecisse tradat, *Tacitus*que nullam ipsius *Augusti* faciat mentionem. Poterat laudare & Appianum, qui *Lib. V. de Bell. Civili pag.* 717. editionis Græco Latin. Henrici Stephani MDXCII. refert *Augustum* ante *Actiacum* prælium *Naves Ravennâ longas quamplures adduci curasse*, ut eas adversus *Sex. Pompejum* Magni filium sisteret, & *pag.* 718. D Cornuficium *à Ravennâ Tarentum* easdem traducere jussisse. Verum *Cluverius* vel *Tranquilli* sensum non est assequutus, vel consulto ei dicam impingit, ut confecti erroris triumphum canat. Ejus 58
hæc sunt verba in Augusto C. XLIX. *Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim distribuit* (Augustus) *Classem Miseni & alteram* RAVENNÆ *ad tutelam superi, & inferi maris collocavit.* Ante *Augustum* & *Actiacum* prælium vagæ erant *Romanorum* classes, eo occurrere jussæ, quo bellorum vices exposcerent: & toto Imperio distributæ, ut nationes nondum pace firmatas compescerent. Ita Polybius *Lib. II.* circa *Dyr-* E *rachium* habitam classem memorat: alias in *Siciliâ*, & *Sardiniâ* locat Livius *Lib. XXIII.* easque *Provinciarum præsides* vocat. Et omnes Provincias, non tantum *Siciliam*, classes alere consuevisse, tradit Cicero *in Verrinâ Quinta.* At *Augustus*, post *Actiacam* victoriam, toto Orbe pacato, Classes sic antea dispersas & vagas in duas maximas veluti coëgit, & apud *Ravennam* & *Misenum* ad Imperii securitatem & præsidium disposuit, ut *inter se connexæ*, uti ait *Tacitus*, utrumque mare clauderent, & inde ob stationis opportunitatem *sine mora ad omnes mundi partes pervenirent*; Nam *Classis Misenatium*, prosequitur *Vege-* F *tius*, de hac *Augusti* distributione dubio procul loquens, *Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Ravennatium Epyrum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, & Cyprum petere directâ navigatione consueverat.* Ex quibus verbis etiam liquet, nullas ad eas Provincias, ut antea, Classes relictas fuisse. Itaque *Augustus* primus quidem Classes, ex toto *Romano* Orbe collectas, *Miseni* & *Ravennæ* consistere jussit, fixasque & stabiles ordi-

ordinavit. idque voluit *Suetonius*, nec aliter intelligendus est *Tacitus*, quem planum est, *Augusti* ordinationem respexisse; sub *Tiberio* enim nil immutatum, ut docent ejus verba sequentia. Porro *Vegetius* non nominat *Augustum*, sed populum *Romanum*, quia etiam eo cuncta ad se munia trahente, adhuc tamen majestas & nomen populi *Romani* prætendebatur. Et Cicero *in Oratione pro*
59 *Lege Manil.* Pompejum duo maria maximis Classibus adornasse ait, nullâ stationum, quibus essent infixæ, mentione habitâ. Imo eas ex variis Imperii locis collectas, opportune ita ordinaverat *Pompejus* contra piratas maria omnia direptionibus infestantes, ipsique *Italiæ* imminentes. Unde *num.* 35. ait Orator: *tria frumentaria subsidia Reipublicæ*, videlicet Siciliam, Africam, atque Sardiniam, *firmissimis præsidiis, classibusque munivit*, & paullo post num. sequenti: *Missis item in oram Illyrici maris, in Achaiam, omnemque Græciam navibus, Italiæ duo maria maximis classibus, firmissimisque præsidiis adornavit.* Ita *Pompejus* tumultuario & subito ad piraticum bellum apparatu, non certis & mansuris sedibus, Classes circa *Italiam* statuerat.

Porro eâ ratione, qua maritimas Classes opportune locavit Augustus, *ex militaribus etiam copiis legiones, & auxilia provinciatim distribuit.* Cum enim prius quo bellorum pericula vocarent, eo exercitus traducerentur, compositâ pace, legiones suis quæque provinciis designatæ sunt, ad limites tuendos, & Reipublicæ robur & tutelam. Quod sane consilium inter principatus arcana retulit Tacitus Annal. I. Cap. IX. *Dum mari Oceano, aut amnibus longinquis septum Imperium: legiones, provinciæ, Classes, cuncta inter se annexa essent.*

Imperatores post *Augustum*, optimum ejus consilium sequuti, Classem *Ravennæ* habuere. Meminit *Tacitus* bello Vitelliano *Hist. Lib. II. Cap. X. Lib. III. Cap. VI.* & *XL.* Spartianus sub *Didio Juliano Cap. VI.* & *Notitia Imperii*, quam sub *Honorio* conscriptam eruditi censent. Conventum Navium ad Urbem *Ravennatem* fieri, nautasque traduci jussit *Theodoricus* ex Cassiodori *Epist. XVI.* & tribus sequentibus *Lib. V.* Nec lapidum testimoniis destituimur, quorum unicum ex *Grutero pag.* 359. 3. adscribam instar exempli: ceteros in ejus indice uno conspectu reperies.

60 T. APPEIO. T. F. VEL
ALFINIO. SECVNDO &c.
PRAEF. VEHICVL. SVB. PRAEF
CLASS. PRAEF. RAVEN. &c.

Si quæras, quo navium numero Classis *Ravennas* constaret, frustra auctores antiquiores sollicitaveris. Unus *Jornandes* sexti seculi scriptor, testimonium *Dionis*, quod nusquam hodie occurrit, nobis servavit. Ejus sunt verba *de Rebus Getic. Cap. XXIX.* ex recognitione Vulcanii: *Classem CCL. navium Dione referente tutissima dudum credebatur recipere statione.* Post *Actiacum* prælium cum *experimento tanti certaminis* patuisset, *Liburnorum naves*, quibus præcipue victus fuit Antonius *ceteris aptiores*, similitudine & nomine usurpato ad earum instar Classem *Romani* Principes texuerunt. Ita Vegetius *Lib. IV. Cap. XXXIII.* qui & Classem *Misenatem*, & *Ravennatem* eodem genere navium fuisse instructam in superiori *Cap. XXXII.* dixerat.

At epigrammata antiqua apud Cl. *Fabrettum* eas non *Liburnas*, sed *Trieres*, seu *Triremes* vocant. Tria *Ravennensia* exscribo *ex Cap. V. pag.* 365. *Inscription. Domesticar.* alia *Misenatem* Classem spectantia prætermitto.

T. FLAVIO. CANDIDIO
MILITI. CLAS. PR. RA
BEN. III. HERCVLIS
NATIONE. SIRVS

A Secunda inscriptio exhibet militem CL. PR. RAV. III. AVG. Tertia denique alium militem C. P. R. III. PACE. Quippe notam illam III. *Trierem* significare eruditus Auctor hic indicat, & *in Syntagm. de Column. Trajana Cap. IV. pag.* 113. latius probat. Quo videtur *Vegetius* deceptus, cum Classem ex *Liburnis* constructam memoriæ tradidit. At diligentissimus hic scriptor 61
mihi est defendendus.

Quodcumque genus navis militaris sequioribus temporibus, cum forte nostræ inscriptiones incisæ sunt, *Trieris*, seu *Triremis* nomine appellabatur. Livius *Lib. XXXIII. Cap. XVI.* Romanos
B ait cum *Philippo* convenisse, *ut naves omnes tectas* (scilicet militares) *traderet.* Has Zonares, rem eandem narrans τριήρεις, *Tieres*, seu *Triremes* vocat, unde Hesychio τριήρεις, *Triremis militare navigium quodcumque* dicitur. Scalptores igitur lapidum *Ravennatium* vulgato ejus temporis vocabulo usi, *Trierem* usurparunt pro omni genere navis militaris. Non tamen adeo obsoletum *Liburnarum* nomen, ut prorsus memoriæ hominum exciderit. Exstat inscriptio *Ravennatensis* apud eumdem Fabrettum *in Syntagmate Columnæ Trajan. pag.* 115., quo memoratur SVAVIS. DE. LIBVRNA. DIANA. Alias profert *Inscription.*
C *Domesticar. Lib. V. pag.* 366. quas inter eam quæ *num.* 122. signatur ex Reinesio *Caprulis* exstare, à proximâ *Aquilejâ* illuc translatam fuisse oportet, nam ibidem olim positam in meis schedis reperio. De *Liburnicis* Classis *Ravennatis* mentio est apud Tacitum *Hist. III. Cap. XIV. XLII.* & alibi. In *Terracinæ* expugnatione, quam idem Auctor describit *Cap. LXXVII.* Vitellianis Classem invadentibus *sex Liburnicæ*, inquit, *inter primum tumultum evasere, in quis Præfectus Classis Apollinaris, reliquæ in litore captæ.* Tota ergo hæc Classis, quæ *Misenatis* pars erat, *Liburnis* con-
D stabat. Hinc apparet *Trieris*, & *Liburnæ* nomen promiscue fuisse acceptum. Sane utrumque rem eamdem designare tradit Suidas: τριήρεις, *Triremes, bellica navigia, quæ Liburnæ vocantur.* At *Vegetius* licet scriptor posterioris ævi, cum tamen tempora *Augusti* respiceret, maluit eam appellationem, quam tunc usurpatam noverat, retinere, navesque Classiarias & militares, *Liburnas* vocavit. Et quidem Plutarchus quoque *in Antonio*, naves, quibus usus est *Augustus* bello Actiaco, *Liburnas* appellavit. At *Vegetium* ita 62
vindicatum dimittamus. Porro III. *Herculis*, *Augusti*, *Pacis*, *Providentiæ*, & cetera vocabula, nomen navis, seu insigne indicant, de quibus eo
E loco *Fabrettus*, Schefferus *de Militiâ Naval. Lib. III. Cap. I.* & Seldenus *de DIS Syris*, *Syntagm. II. Cap. XVI.*

Militum Classiariorum mentio ingesta quæstionem excitat, num ii legionarii essent, vel deterioris in militiâ gradûs? *Vegetius* loco jam recitato disertis verbis ait, *apud Misenum, & Ravennam singulas legiones cum Classibus* stetisse. Hunc acerbius sugillat Lipsius *de Magnitud. Rom. Lib. I. Cap. V.* classibus non legiones, quæ *Civibus* constabant, sed Cohortes *exterorum* militum impositas contendit. *Tacitus* enim non semel refert, Classiarios militiam legionariam, ut honestiorem,
F petiisse, & aliquando impetrasse. Et de Classe *Ravennate* loquens, *ambiguos*, ait, *militum animos, quod magna pars Dalmatæ, Pannoniique erant.* Locus est *Lib. III. Hist. Cap. XII.* In *Lipsii* suffragium convolant *Fabrettianæ* inscriptiones, quibus milites duo natione *Cilices*, unus *Syrus*, alter *Ægyptius*, tres *Pannones*, alter *Bessus*, & postremus *Delmata* Classibus *Misenensi*, & *Ravennati* adscripti memorantur. At variatum, ut pleraque in militiâ *Romanâ*, in delectu quoque Classiariorum militum, mihi certum videtur, vel ob

rerum difficultatem & opportunitatem, vel pro libitu Principum. Nec ea propter notandus *Vegetius*, qui, ex more sui ævi, vel potius *Augustæi*, ad quod ejus verba referri debent, loquutus fuit. Nam hac ipsâ ætate *Augusti* certo testimonio discimus Legionem XVII. Classi adscriptam. Inter nummos *M. Antonii*, quibus legionum nomina scalpta sunt, unum conspicimus cum hac inscriptione: LEG. XVII. CLASSICAE. apud *Ursinum* Patinianæ editionis *pag.* 31. Quæ eadem fortasse septima legio est, quam, tradente Tacito Histor. I. Cap. LXXX. *è Coloniâ Ostiensi in Urbem acciri Otho jusserat*, ibi detenta ut Classi instruendæ præsto esset. Nam *Ostiæ* Classem habitam hoc ævo, satis est notum. Præterea *Legio*
63 *Classica* est apud eundem Lib. I. Histor. Cap. XXXI. & *prima Classicorum Legio* Lib. II. Cap. LXII. memoratur. Ut vero saxa *Fabretti*, quæ milites externos signant, alio lapide collideremus, opportune ante paucos dies in Portu Romano *Trajani* effossum est præclarum epigramma sepulcrale, quod manu Cl. D. *Bernardi Montfouconii*, cujus alibi erit mentio, descriptum hic profero.

C. DOMITIVS. POLLIO
PATER. VETER. AVGVSTI. EX
CLASSE PRAETORIA. MISENAT
FECIT. SIBI. ET
DOMITIAE. C. F. PIAE. ET
DOMITIAE SPEI. LIB. ET CONIVG
LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERIS
EORVM
HVIVS MONVMENTI. INTROEVNTIB
sic
PARS. SINSTERIOR. AD. FAMILIAM. LSS. - -
PERTIN
IN. FR. PED. XVI. IN. AGRO. PED. XXXVIIII.

Domitius Pollio (quod cognomen genti *Domitiæ* usurpatum fortasse alibi non reperies) *Pater* vocatur, quia ejusdem nominis filius tunc vivebat. Ergo hic miles erat *veteranus* ex Classe Prætoriâ *Misenate*, Legionarius utique, cum notas omnes Civis *Romani* præ se ferat. De statu moveri nequit quæstio, indicio conjugis, quæ etiam ejus liberta dicitur. Frequentissimum enim erat, ut herilis affectus in maritalem societatem coalesceret, ideoque passim iidem *patroni & conjuges* in marmoribus inscribuntur. Octo ejusmodi exempla producit idem Fabrettus *Cap. IV. pag.* 289. In antiquâ quoque militiâ legionarii milites ad maritimas expeditiones cogebantur. Refert Polybius *Lib. I.* Claudium bello Punico primo, *remiges è vestibulo navibus imposuisse, cum selectis epibatis, qui ex universis* Legionibus *sese offerebant*, Et Livius *Lib. XXXVI. Cap. III.* ait
64 Senatum decrevisse: *Colonis maritimis* (qui cives Romani censebantur) *cum cogerentur in Classem, rei navalis vacationem non esse.*

Ante quam pedem è classe efferam, idem *Livius* ab injuriâ est vindicandus. Hæc ille scripserat Lib. IV. Cap. XXXIII. *Classibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Vejentibus, quidam in Annales retulere: rem æque difficilem ac incredibilem: ne nunc lato satis ad hoc amne, & tum aliquando, ut à veteribus accepimus, arctiore.* Tanaquillus *Faber Lib. I. Epist. Crit. XLVII.* oscitantiæ insimulat nobilissimum historiæ *Romanæ* conditorem. Si enim, inquit, scivisset, veteres *Classem* numero singulari vocasse, non modo exercitum navalem, sed terrestrem etiam; in plurium vero numero *Classes* usurpasse pro *Equitibus*, seu *Equestribus* copiis, testantibus *Virgilio, Festo, Agellio, Isidoro*, & aliis, mirari tantopere desiisset, *classibus* ad *Fidenas* pugnatum. Ejusmodi lapsum hinc fluxisse ait *Carolus Datus* in præfat. libri inscripti *Prose Fiorentine*, quod *Livius*, peregrinus homo cum esset, vim & sensum *Romanæ* locutonis perfecte callere non poterat, Eoque tam grandi exemplo suos docere putat, nil hodie quoque, nisi ex *Arno* cum lacte haustum, illime & purum fluere. At docti viri non animadverterunt ad integram narrationem prælii, in quo cum fuisset certatum tam pedestribus quam equestribus copiis, scriptores illi, qui retulerant, pugnatum *quoque classibus*, non poterant eo vocabulo denuo *equites* significare, sed reverà de navali prælio intellexerunt. Quod cum vidisset Livius, *rem difficilem* credidit, nisi forte id gestum diceretur, ut subdit, *in trajectu fluminis, prohibendo aliquarum navium concursum.*

Tanta porro rei navalis *Ravennæ* cura & nautarum frequentia fuit, ut Armamentarium exstruendis navibus amplissimum in eâ esset, teste Appiano *Lib. V. Bell. Civil. pag.* 718. quod tempore *Theodorici* adhuc manebat. Jubet enim Rex *Epist. XVIII. Lib. V.* Cassiodori, convenire *ad Urbem Ravennatum navigandi artifices, ut adventus eorum constructioni navium opportune videatur offerri.* Præterea & Templum *Neptuno* dicatum, 65
& *Neptunalia* festa instituta fuere. Exstat *Ravennæ*, testante Rubeo *Lib. I. Hist.* insigne antiquitatis exemplum, quo significatur, *L. Publicium Italicum* largitiones populo fieri jussisse IN AEDE NEPTV. QVAM IPSE EXTRVXIT. DIE. NEPTVNALIORVM. Illud recitat etiam *Gruterus pag.* 460. *num.* 3. Neptunum maris Deum præsidem omnes norunt. *Neptunalia* in ejus honorem *Romæ* celebrabantur X. Kal. Augusti, ut notatur in veteri Kalendario. Festa hæc navigiis agebantur, teste Ausonio *in Ecloga de feriis*, & eo die ferias institutas docet Varro *de Ling. Lat. Lib. V.* Immo ludis *Neptunalibus* varia spectacula edita intelligo ex Lactantio *Lib. VI. divin. Instit. Cap. XX.* quo loci *Circenses* Neptuno dicatos memorat. Eo ergo die, quo *Romæ*, etiam Ravennæ *Neptunalia*, de quibus in inscriptione *L. Publicii*, celebrata suspicari possumus, & simili, si non pari, spectaculorum genere & pompâ.

At hæc inania nautis præsidia, & vana falsi numinis religio. Portum *Ravennatem* brevia & syrtes ad triginta stadia, ut refert *Procopius* jam adductus, *Rer. Gothic. Lib. I. Cap. I.*, obsidebant. Quare Turris ædificata ad ejus ostium, quæ *Pharus*, ut celebris illa *Alexandrina*, vocabatur, teste Plin. *Lib. XXXVI. Cap. XII.* ut perpetuo lumine inter cæcos viarum anfractus nocturnos navium cursus indicio opportuno dirigeret.

Cur vero Classis *Ravennas* PRAETORIAE illustri vocabulo in nostrâ inscriptione ornata? Nomen illud in *Gruterianis* quoque sese offert. Videas *pag.* 359. 3. *pag.* 383. 7. *pag.* 562. 5. & *pag.* 1031. 8. & *Misenensis* Classis *Prætoria* identidem dicta *pag.* 521. 5. *pag.* 567. 4. & 1030. 3. Lipsius *de Magnitud. Rom. Lib. I. C. V.* ita vocatas putat Classes *Ravennatem*, & *Misenensem*, dignitatis caussâ, & quia inter minores alias, ut *prætoria* aliqua navis, eminerent. Vel exemplo *Prætorianarum* cohortium sic appellatas, quia ad *Italiæ*, & Principis tutelam excubabant: quod ex locis *Taciti*, & 66
Suetonii superius adductis colligitur. Schefferus *de Militiâ naval. Lib. III. Cap. VII.* addit, *Græcis* postea *Imperatorias* appellatas, ex *Leone* Imp. & Constantino *Novell. III.* Quorum conjecturis oppido acquiesco. Observat Fabrettus *Cap. V.* inter domestic. *pag.* 365. Castra *Misenatium* Classiariorum, & fortasse etiam *Ravennatium*, Romæ Castris Prætorianorum militum admota conspici; nam legitur in inscriptione, Turri angulari eorumdem Castrorum inhærente C. . . . . MISENATIVM. ET . . . . Huic conjecturæ nostra acce-

accedat, quod scilicet Prætorianis Castris ideo Castra *Misenatium* & *Ravennatium* adposita fuerint, quia pari nominis dignitate fulgebant: sicuti enim illi milites è Castris Prætorianis, ita hi milites è Classe Prætoria. At dum hæc sub manu Typographi sunt, ipse clarissimus *Fabrettus*, hac die VII. idus Februar. MDCC. fato non sibi jam octuagenario, sed literis immaturo, mortalitatem explevit. Post præclara volumina satis Orbi erudito nota, spem præcidit alterius operis, cui adornando vegetam & validam ad extremum usque senectutem impendebat. Descriptionem *Agri Romani antiqui* moliebatur, cujus non locus, non situs, & pene dixerim saxum nullum est, quod ingenti plurium annorum labore non perlustraverit, & eruditâ meditatione ad vetustatis exempla non comparaverit. Non pauca jam ordine suo digesserat, mappam Chorographicam, & nonnullas Iconographicas tabulas adumbraverat; at pleraque adhuc informia & indigesta in adversariis jacent, præter ea, quæ autopsiâ quæsita animo & mente complectebatur. Mihi vero inter publica damna luctuosior amicissimi viri jactura est, qui me nunquam à congressu suo nisi cum fœnore dimittebat, addebatque animos in vetustatis amorem, & meam hanc lucubrationem proniori judicio exornaverat.

Ad dignitatem seu officium Præfecturæ, quod in Classe *Ravennate* noster AQUILIUS agebat, gradum faciamus. Florente Republica, vel unum
67 ex Consulibus, vel Duumviros, vel Prætorem, rei navalis imperium tenuisse, satis ex *Livio*, & *Polybio* constat. Prima *Præfecti Classis* appellatio, ni fallor, apud eumdem Livium occurrit *Lib. XXVI. Cap. XL.* Sub *Augusto* primum hoc imperium peculiare ac perpetuum cœpisse, cum scilicet duas *Misenatium*, & *Ravennatium* Classes ordinasset, putat idem Schefferus *Lib. IV. Cap. V.* additque nihilominus eum titulum *Pompejo* antea donatum, cum ipsius potestati à S. P. Q. R. cuncta maria committerentur, idque dignosci ex nummo, in cujus uno latere insculptum est MAG. PIVS. IMP. ITER. in altero PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. At nummus hic, & alter apud Fulvium Ursinum *in secundâ Tab. familiæ Pompejæ*, non pertinent ad *Cn. Pompejum Magnum*, cujus tamen imaginem referunt, sed *Sex. Pompejum* ejus filium, qui Magni cognomine porro usus est, ut idem *Ursinus* & Spanhemius *Dissert. VI. p. 558.* ostendunt. Hæret aqua eidem *Ursino* in explicandis duobus aliis nummis, quinto nempe & quarto ejusdem tabulæ, quorum Epigraphe talis est: SEX. MAGN. PIVS. IMP. SAL. & alterius MAGNVS. SAL. IMP. ait enim in illis, præter Pietatis signum, *nihil quod notatu dignum videatur, impressum esse*; *nec enim de Salute dea, quæ fortasse notâ illâ SAL. significatur, quicquam se legisse, quod ad Sextum aliquo modo pertineat*, addit Patinus, *nisi quod profugos excepit & servavit.* * Idem *Spanhemius*, alio eruditissimo opere *Adnotationum in Cæsares Juliani*, haud melius explicat: *Imperator* SAL*utatus* vel SAL*utaris.* * At ego aliquid notatu maxime dignum in illis reperio, quodque *Sexto* mirum quantum conveniat. Ita enim eos interpretor: *Sextus Magnus Pius Imperator* SAL*acius.* Narrat Appianus *Lib. V. de Bell. civil. pag. 729.* Sex. Pompejum eo dementiæ venisse, ut se *Neptuni & Salaciæ filium appellari* sustinuerit. *Salaciam* antiqui Neptuni uxorem à *Salo* dicebant, teste Varrone *Lib. IV. de Ling. Lat.* & Festus in verbo *Salacia*, ita vocatam, ait, *deam Aquæ, quam putabant Salum ciere, hoc est mare movere.* Cum vero *Sex. Pompejus* in nummo *Q. Nasidii* apud
A eumdem *Ursinum pag. 187.* & *in familiâ Pomp. num. 2.* se *Neptunum* appellari passus sit, quocirca & ab Horatio *Epodon. Od. IX.* per derisum *Neptu-* 68
nius dictus, quid mirum, quod, cum & *Salaciæ* filium sese jactaverit, ipsum se quoque *Salacium* in nummis vocari voluerit? Primi nummi ectypum exhibui *in Tab. Numismatum num. X. pag. 6.*

Sextus ergo *Pompejus* ex Senatus Consulto *Præfecti Classis* titulo ornatus fuit. Sub idem temporis, adversus eumdem *Pompejum*, Præfectum Classis *Calvisium* constituerat *Octavius*, testante Appiano *Lib. V. pag. 718.* At non multo post eamdem appellationem usurpavit *M. Antonius*,
B quamvis in supremo Imperii fastigio positus. Unum & alterum nummum exhibet Ursinus *in duobus postremis Tabulis familiæ Antoniæ pag. 32.* quibus signatur caput ipsius *Antonii* & *Cleopatræ*, in aversâ vero facie navis cum inscriptione: PRAEF. CLASS. Licet obvia sit interpretatio, *Præfectus Classis*, ad *M. Antonium* referenda, attamen *Patinus* aliam obtrudit, & *Præfecta Classis*, legendum censet, ut ad *Cleopatram* is titulus pertineat. Novum sane vocabulum, quod nonnisi mulier impotens comminisci, & amor vesanus pati possit, & audax conjectura, ut ipsemet fatetur, sed ita ut eam adoptare videatur, in *Plutarcho* rationem appellationis sibi fingens.
C Potius alia ejusdem explicatio arridet, ut *M. Antonius* se Præfectum Classis dici voluerit, quasi à Reginâ *Classi* suæ *Præfectum.* Cuique conjectandi fas esto: nobis titulum, & dignitatem *Præfecti Classis* ante *Augustum*, ut proposueramus, in more positam satis fuit ostendisse. Ceterum ad ejusdem Imperatoris ordinationem, quod *Scheffero* placuit, & nostrum argumentum attinet, videntur referenda verba *Vegetii Lib. IV.* Cap. *XXXII.* ubi ait: *Liburnis quæ in Campania stabant Præfectus Classis Misenatium præerat, eæ vero, quæ Ionio in mari locatæ fuerant, ad Præfectum Classis Ravennatium pertinebant.* Et mansit nomen di-
D gnitatis in utraque Classe, *Tacito* non semel attestante locis inferius recitandis, & inscriptionibus, quæ sunt incerti temporis. Has, ne paginam in re certâ lapidibus obruam, petere poteris ex *Sca-* 69
ligeriano indice apud *Gruterum*, & nonnullas dabit *Fabrettus.* Porro *Præfectus Classis* proprie in milites Classiarios imperium exercebat, ne quis eum cum *Præfecto remigum*, cujus meminit Tacitus *Ann. XIII. Cap. XXX.* confundat. Hunc tamen, ut & alios variis in Classe muneribus admotos, illius dicto & supremo nutui paruisse, non ægre credendum est.

Tandem, ut propius ad nostrum AQUI-
E LIUM oratio accedat, quæramus cujus ordinis & dignitatis Præfecti Classium haberentur. *Tacitus* nobis toties laudatus *Lib. II. Hist. Cap. C.* Lucilium Bassum, *Ravennati* simul, & *Misenati* Classibus à *Vitellio* præpositum, ideo moliri defectionem *Ravennatis* aggressum fuisse narrat, *quod non statim à Vitellio præfecturam Prætorii adeptus foret.* Præfecti Prætorio ab ordine Equestri sumebantur ex *Mæcenatis* consilio, quod *Augusto* dedit, teste Dione *Lib. LII. pag. 480.* nec nisi sub *Severo Alexandro* id mutatum, *qui Præfectis Prætorio suis senatoriam addidit dignitatem*, uti refert Lampridius *in Vita Cap. XXI.* & ut rem
F præter morem narrat noster Cornelius *Lib. IV. Hist. Cap. LXVIII.* Mucianum, qui ante adventum *Vespasiani* vim & potestatem principatus *Romæ* complectebatur, *Aretinum Clementem* Prætorianis præposuisse, *quamquam senatorii Ordinis.* At disertis verbis Suetonius de Tito ait Cap. VI. *Præfecturam quoque Prætorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab Equite Romano administratam.* Quod videtur contrarium testimonio *Taciti* nunc relato de *Aretino*, qui ante *Titum* Præfectus fuit. Cum itaque *Bassus* ex Præfecto Classis *Ravenna-*

* Ea, quæ inter duos asteriscos leguntur, huc inserenda, Auctor in fine operis, prioris Editionis, monebat.

tis ad Præfecturam Prætorii evehi ambiret, tunc equestris Ordinis fuisse oportet. Ad id etiam ostendendum prælucet ipsemet Tacitus *Hist. III. Cap. XII.* quo loci *Cornelium Fuscum* Classi *Ravennatensi* Præfectum destinatum refert. Is vero *Fuscus*, teste eodem Historico Lib. II. Cap. LXXXVI. *claris natalibus primâ juventâ, quietis cupidine, senatorium Ordinem exuerat.* Ergo inter Equites mansit, & Eques ad Præfecturam Classis evectus est. Rem vero mihi nullam facessit
70 exemplum *Aniceti* Liberti, qui Classis apud *Misenum* Præfectus fuit, eodem Tacito auctore *Lib. XIV. Annal. Cap. III.* Nam *Neronem*, qui Rem publicam pessundare, & cuncta susque deque versare inter Imperii jura recensebat, hoc etiam præter morem induxisse non est mirum. Non ita *Augustus*, qui bello civili *Pompejano* non sustinuit *Menodorum* Libertum, non Præfectum modo Classis, sed Præfecti Legatum constituere, nisi prius ingenuum declarasset, teste Appiano *Lib. V. Bell. Civil. pag.* 718. Stetit ergo Præfectura Classium *Ravennatis*, & *Misenatis* apud Equites *Romanos*, & quidem illustriores, & summis in Republica dignitatibus proximos. Hinc nemo dubitet, clarum natalibus, & inter Equites *Romanos* splendidissimum AQUILIUM affirmare, quem PRAEFECTVM CLASSIS PRAETORIAE RAVENNATIS inscriptio nostra pronunciat.

71

CAPUT V.

Procuratorum Cæsaris varia genera. Patrimonium privatum, & publicum, quibus distinctus Procurator impositus, & quando id cœptum. Spartianus male à Salmasio habitus explicatur & illustratur. Aquilius patrimonium publicum administravit. Quid sit: Bona in formam patrimonii redigere, & publicare. *Aquilius Procurator patrimonii in Urbe. Ejus officium, & auctoritas. Quo tempore illud finiretur.*

PROC. PATRIM. BIS.
Procuratori Patrimonii bis.

PROCURATORES per provincias ab Imperatoribus constituti sunt, vel ut eas regerent cum potestate gladii (quod dictum intelligas de provinciis minoribus, ut duæ *Mauritaniæ*, *Rhætia*, *Noricum*, & aliæ, *quæ procuratoribus cohibentur*, inquit Tacitus *Lib I. Hist. Cap. XI.* qui etiam Præsides dicti, unde in inscriptionibus *Procurator, & Præses Alpium, Proc. & Præses Sardiniæ*) vel ut tributa exigerent, quos idem Tacitus *in Vitâ Agricolæ Cap. XV.* perstrinxisse ait, *Britannos*, qui querebantur, *singulos olim sibi Reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus Legatus in sanguinem, Procurator in bona sæviret.* quam apud Provinciales invidiam ut declinaret Antoninus Pius, *procuratores suos modeste suscipere tributa jussit*, teste Capitolino *in Vita Cap. VI.* Caveas *Sponium*, ut hic obiter cum *P. Harduino* moneam, qui libro Gallice inscripto *Recherches de l'Antiquité* pag. 143. in hunc locum *Capitolini* intrusit, addiditque *ducentesima*, quasi auctor de tributis ducentesimis mentionem faciat, cum ne vestigium quidem ejus vocis sit, nec eam dili-
72 gentissimi *Casaubonus*, & *Salmasius*, qui infinitos prope manuscriptos Codices excusserunt, usquam invenerint. Alii demum Procuratores impositi, ut possessiones & res Cæsaris in Provincia procurarent, & hic *Procuratores patrimonii*, seu *rei privatæ* vocabantur, de quibus sermo nobis est. At patrimonii Cæsaris nomen duplici subinde significatione acceptum fuit. Aliud enim erat patrimonium, quod propriam substantiam, & bona

A patrimonialia Principis complectebatur, aliud bona fiscalia: & utraque propria Principis erant. Hac tamen differentiâ, ut primi generis ea essent, quæ Princeps, uti privatus, nullo dignitatis respectu possidebat, & in ejus heredes transibant, etiam si non succcessissent in Imperio. Hujusmodi erant agri, quos *raros per Italiam* tenuisse *Tiberium*, ait Tacitus *Annal. IV. Cap VII.* qui alibi *privatam Principis fortunam* vocat, cum *Senecam* criminationibus petitum *Neroni* opes suas offerentem inducit, *Annal. XIV. Cap. LIV.* Au-
B gustus plurima bona propria *Agrippæ* donaverat, quæ ejus morte ad ipsum redierunt, uti refert Dio *Lib. LIV. pag.* 542. qui *in fine libri pag.* 495. eumdem à Neapolitanis *Capreas* permutione agri redemisse ait. Huc quoque referri debet *privatum patrimonium*, quod fratres suos, non regnum, sibi vindicare posse, ajebat *Darius* Persarum Rex apud Justinum *Lib. II. Cap. X.* Et rursus *patrimonium privatum*, quod Antoninus Pius *in filiam contulit*, qui etiam *in suis propriis fundis vixit, varie, & pro temporibus*, utrumque attestante Capitolino *Cap. VII. ejus Vitæ.* Hos sane fundos passim *pa-*
C *trimoniales* appellant Imperatores *Lib. XI. Codicis Justinianæi Tit. LXI. LXII. & LXIII.* quos etiam *rei privatæ* vocabulo designatos ibidem invenies, licet ejusdem vocis notio varia & inconstans sit, ut non semel adnotabimus.

Sub alio genere bonorum patrimonialium censebantur *fiscalia*, quæ quidem Patrimonium Principis erant, sed non proprie, quia cum dignitate, vel ejus ratione, Principi accedebant. Res enim Fiscales *quasi* propriæ & privatæ Principis sunt, ut definit Ulpianus *in l. 2. §. 4. Digest. ne quid in loco publ.* His adnumerabantur, præter 73
D vectigalia & tributa, bona damnatorum, vacantia, commissa, thesauri, quorum explicationem non vacat hoc loco aggredi. Recte quidem diximus, distinctum fuisse patrimonium *Principis*, & *fiscale*, & rursus utraque in Principis potestate & arbitrio. Nam & Dio *Lib. LIII. pag.* 511. *in fin.* licet agnoscat distinctam fuisse pecuniam Principis & publicam, fatetur tamen *satis se non videre inter hujus Principis, & publicum ærarium quid interfuerit.* In hunc sensum intelligendus est *Seneca*, ubi ait: *Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua: & universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria*, Lib. VII. de Benef. Cap. VI.

Utrumque patrimonium *Procurator* Cæsaris
E administrabat. Quod pertinet ad bona privata, extat *Tit. XIX. Lib. I. Digest.* inscriptus *de officio Procuratoris Cæsaris, vel Rationalis*, sub quo *in l. 2. & 3.* fit mentio bonorum Principi obvenientium ex hereditate, in quâ proprio & privato nomine institutum fuisse nemo dubitaverit. Eumdem Cæsaris *Procuratorem* bona fisci curasse, patet ex *l. 5. Dig. de jure Fisci*; nec aliis exemplis immoror. Porro patrimonium Principis tam privatum quam fiscale, sed illud magis proprie, sicut diximus, *privata res*, & *privata ratio* appellabatur, & hinc *Procurator privatæ rei* passim occurrit, qui posteriori Imperatorum ævo titulum *Comitis privatarum*, & *Comitis patrimonii* induit. Nos primam appellationem, quæ tempora no-
F stræ inscriptionis respicit, prosequamur. Procuratoris patrimonii meminit Ulpianus *in l. cum servus §. 10. D. de leg. 1.* & Lampridius *in Commodo Cap. XX.* Privatæ vero rei Procuratorem ante adeptum Imperium fuisse *Macrinum*, testatur Capitolinus *in Vit. Cap. VII.* & Procuratores rei privatæ *suffragiis abstinere* jubet Constantinus Imp. *in leg. 2. Cod. de murileg.* Quod est, uti explicat *Cujacius* in hanc legem *Part. II. Tom. II. Oper. pag.* 165. Procuratores pretio, vel patrocinio non esse creandos. Ceterum ejusdem notionis esse *rem privatam*, & *patrimonium*, constat

ex

74 *ex leg. 3. C. de fundis rei priv. Tit. LXVI,* & *toto Tit. LXVIII. Cod. de agric.* & *mancip.* Ævo sequiori, quo, ut supra monuimus, Procurator patrimonii vocabatur *Comes*, præter curam rei & substantiæ privatæ, solicitudinem quoque parandi mensam Principis gerebat. Utrumque liquet ex Cassiodoro *Lib. VI. Ep. IX.* ubi formulam Comitis patrimonii recitat. Moremque notatu dignum addit, hunc scilicet, finitis epulis, privato Principis colloquio fuisse donatum: *Tempora nostræ lætitiæ*, loquitur Rex, *secretaria tua sunt*, *cum pectus redditur curis alienum: & tunc tribuitur suggerendi locus*, *quando cunctis adimitur. Merito*, *ut qui es Judex tanti apparatus & epularum*, *delinitus cibis tibi animus conceditur.*

Hæc *procuratio privatarum rerum primum* sub Severo *constituta est*, ut narrat Spartianus *in ejus Vitâ Cap. XII.* invito *Salmasio*, qui in notis ad eum locum censoriam virgam in gravissimum historicum perstringit. Ait enim, jam ab *Augusti* temporibus, & rem & nomen ipsum fuisse cognitum, cum à Strabone *Lib. XVII.* munus hoc appelletur ἴδιος λόγος, hoc est ad verbum *privata ratio*, vel *rationis privatæ* procurator, qui *bona caduca*, *& vacantia*, *ut fisco Cæsaris adnecterentur*, *curabat.* Quod idem officium fuit ejus, qui procurator rei privatæ dictus est, etiam posteriorum Imperatorum ævo: & plura in hanc sententiam congerit. At Pancirolus *in Commentar. ad Notitiam Imperii Orient. Cap. LXXXVII.* putat, ita intelligendum locum *Spartiani*, ut cum antea Cæsares distinctos procuratores ad vicesimam hereditatum, & ad bona caduca haberent, tunc demum *Severus* unicum procuratorem, qui non tantum hæc administraret, sed etiam bona damnatorum, de quibus est sermo apud *Spartianum*, invenerit.

Mihi aliter evolvendus hic nodus videtur, & historici famæ consulendum ex ipso contextu narrationis, qui talis est: *Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes Civitatis, multæque feminæ illustres fuerunt, omnium bona publicata*
75 *sunt*, *ærariumque auxerunt.* In fiscum ergo relata hæc bona, vel tamquam damnatorum, vel tamquam vacantia, & per Procuratorem Cæsaris, seu Fisci, qui pridem constitutus erat, administrata. Sequitur mox Spartianus: *Filiis etiam suis ex hac proscriptione tantum reliquit*, *quantum nullus Imperatorum*, *quum magnam partem auri per Gallias*, *per Hispanias*, *per Italiam Imperator jam fecisset*, *tuncque primum privatarum rerum procuratio constituta est.* Jam intelligis, *Severum* bona alia resque proscriptorum publicasse, & fisco addidisse, alia vero additis iis, quæ *jam* fecerat, in patrimonium suum privatum, & propriam substantiam retulisse. quod patet ex quo ea *filiis reliquit*, ut supra notavimus. Nova ergo procuratio respicit hæc propriæ substantiæ bona adjecta, & relicta filiis. Statim enim subjicit, *tuncque primum privatarum rerum procuratio constituta est*; atque ita cum antea tam patrimonium fiscale, quam proprium, uno eodemque procuratore regeretur, ea officia & munia distinxit *Severus*, & antiquum procuratorem administrando fiscali patrimonio, novum vero a se institutum privato suo patrimonio, jam in immensum aucto, non tam ex bonis proscriptorum, ut voluit *Pancirolus*, sed ex auro per *Gallias*, per *Hispanias*, & per *Italiam* ante conflato, constituit.

Nec reprehendendus *Spartianus*, quod privatarum rerum nomine privatum patrimonium, & proprium Principis tantummodo designavit. Nam revera, & propriâ vocabuli significatione, res privata, & privatum patrimonium differt à patrimonio fiscali, quod improprie, & *quasi* privata Principis res dicitur Ulpiano *in recitatâ lege secundâ.* Hinc Corippus *de Laudibus Justini minoris*, eâdem vocis notione usus ait:

——— *Nos quæ tua sunt privata vocamus.*

quæ distinctio suffragio imperatorio munitur. *Theodosius* enim, & *Valentinianus* patrimonium fisco adjectum *sacrum* appellant *in l. ult. Cod. de vectigal.* cum iidem Imperatores privati patrimonii nomine designent agros, qui ad propriam, & privatam substantiam pertinent *in l. ultim. Cod. de* 76 *agricol. & mancip.* Ad quem eundem sensum nostram quoque inscriptionem revocamus: quæ cum AQUILIUM *Procuratorem patrimonii* præferat, & deinde Procuratorem *hereditatium patrimonii privati*, inter utrumque patrimonium discretam significationem ostendit.

Jam vero ex hac patrimoniorum distinctione ad ipsam nostræ ejusdem inscriptionis explicationem dilabimur. Et primum, quod ea *Patrimonium* solitarie prolatum, & *Patrimonium privatum* rem diversam & distinctum munus & officium designet, eo tempore incisam jure & merito suspicor, quo *Procurator* unus patrimonium seu sacrum, sive fiscale, vel denique publicum appelles, alius vero *patrimonium* privatum, & substantiam propriam Principis administrabat. Præterea id constare arbitror, eo ævo *patrimonii* nomen simpliciter dictum, non hoc privatum Principis, sed publicum, & sacrum significasse; atque inde cum noster AQUILIUS *patrimonii Procurator* dicatur, hoc ipsum publicum rexisse & administrasse. Testimonium nostrorum in Jure consultorum, quo non majus ac illustrius, appello. Ulpianus in l. cum servus in fine d. de legat. 1. hæc ait: *Sed ea prædia Cæsaris*, *quæ in formam patrimonii redacta sub Procuratore patrimonii sunt* &c. Prædia & bona, que in *formam patrimonii* rediguntur, publica fiunt, & regali patrimonio, non privato, accrescunt. Hujusmodi sunt bona damnatorum, vacantia, caduca, & similia, quæ fisco accedere docent Tituli in jure, *de Jure Fisci*, *ubi Causæ Fiscales*, *de Advocato Fisci*, & similes. Et tunc bona *incorporari* dicebantur *ex l. 1. Cod. Theodos. de incorporat.* Eaque fisco *addici* jubet Imp. Honorius, *in l. 23. ejusdem Cod. de bonis proscript.* seu *vindicari*, & *adnecti*, ut *in l. 4. & 12. ejusdem Tituli.* Hinc Hadrianus *damnatorum bona in fiscum privatum* (intelligo patrimonium privatum) *redigi vetuit*, *omni summâ in ærario publico receptâ*, apud Spartianum *in Vitâ Cap. VII.* Scio scriptores, præsertim mediæ ætatis, abuti his vocibus *fiscus*, & 77 *ærarium*, & privatum *ærarium* aliquando privatum *fiscum* appellare. Sed magis proprie *fiscus* de Principis *ærario* dicitur, ut notavit *Salmasius* ad hunc *Spartiani* locum, & nonnulla habet Fabrettus *Inscript. Cap. III. pag.* 196 Porro, quod bona redacta in patrimonium, publici Juris fierent, *publicata* dicebantur. *Tacitus* Imperator *patrimonium suum publicavit*, *quod habuit in redditibus HS. bis millies octingenties*, ut narrat Vopiscus *Cap. X.* Hoc est bona propria imperii dominio consecrare, & quod privatum erat, publicum & sacrum patrimonium facere, uti explicat Gutherius *de Offic. Domus Aug. Lib. III. Cap. XXVII.* id vero *Plinius*, ut opinor, *ex patrimonio referre in Imperium* vocat, *in Panegyr. Cap. L.*

Igitur ex relato *Ulpiani* testimonio duo elicimus: primum, quod bona in patrimonium redacta, publica sunt & fiscalia; alterum quod Procurator patrimonii is esse intelligitur, qui eadem bona curat & administrat. *Constantius Imp. in l. 3. Cod. Theod. de bonis proscript.* jubet, ut super occupandis rebus ob crimina damnati, officium *Procuratoris patrimonii* conveniatur. Sane etiam posteriori ævo constare videtur, Curatorem alium constitutum privatæ & propriæ Principis substantiæ

 stantiæ

stantiæ, alium vero publicæ & fiscali. Exstat constitutio *l.* 3. *C. de quadrien. præscript.* in quâ Imperator aperte meminit Curatorum, *per quos*, inquit, *solemus substantiam nostram gubernare*, & mox, *nostros Curatores*, *per quos res divinarum domuum aguntur.* Comitem privatæ substantiæ clarius explicant verba Lib. VI. Basilic. id est, eum, *qui curat res*, *in privatos principis usus assignatas.* Idem ille est apud Zosimum Lib. III. *Præpositus eorum*, *quæ ad Principem proprie*, *& privatim pertinent*, & apud Procopium in Anecdot. *Procurator privatæ Principis substantiæ.* Ab hoc ergo alius est *Procurator*, vel *Comes publicæ*, seu *fiscalis* substantiæ. Quæ sententia summo viro *Jacobo Cujacio* arrisit, qui *in Paratitl. Codicis Justin. Lib. I. Tit. XXXIII. pag.* 37. *Tom. II.* ex bonorum diversitate duos factos esse Comites, ait, unum qui
78 præesset fiscali substantiæ, alterum, qui propriæ; hunc *Comitem rerum privatarum* frequentius dictum, illum *Comitem sacrarum largitionum.* Eâ quidem notione sumitur officium primi apud Theodoretum Hist. Eccles. Lib. III. Cap. XII. *Elpidius*, inquit, *Præpositus privatis Principis pecuniis & possessionibus*, *Comitem privatarum vocant.* At, quod pertinet ad secundum, ejus munus aliquanto diversimode explicat Gutherius *Lib. III. Cap. XVI.*

Nec ea distinctio perpetua & constans, sed utrumque patrimonium Procuratori privatæ rei, vel Comiti privatarum, ut loquuta est inferior ætas, aliquando suberat. Id ultro fatemur, ut tamen nemo inficias eat, alternis hoc usurpatum: adeoque recte explicari nostra inscriptio possit, & ad ea tempora referri, quibus distincta patrimonia, & diversa Procuratorum munia erant.

An vero noster AQUILIUS *Procurator patrimonii* Cæsaris in Urbe, vel in provinciis fuerit, merito quis dubitaverit. Tùm enim si tempora priorum Imperatorum spectamus, Procuratores in provinciis constituti sunt, quos Capitolinus in Maximinis Cap. XIV. *Procuratores*, & *Rationales* vocat, passimque eorum mentio in libris juris habetur; tum etiam in ævum posterius Procurator *Gildoniaci* patrimonii, aliique *Lib. XI. Cod. Justinianæi*, & in *Theodosiano* memorantur. At in Urbe *Procuratorem* fuisse AQUILIUM, res ipsa mihi videtur ostendere. Cum enim quis in provinciis hoc munere fungebatur, nomen ejus provinciæ adnecti solemne erat. Exempla ex ipsis inscriptionibus petamus. Apud *Gruterum* (non referam Procuratores provinciarum primi generis) *pag.* 774. 4. positus est lapis *Theopraepon. Proc. ad prædia Gallicana*, pag. 575. 5. *Fortunato Proc. fisci Asiatic.* pag. 411. 1. *Flavio Proc. xx. heredit. Umbriæ*, *Tusciæ*, *Piceni*, & similis 493. 1. Unde *in Notitiâ Imperii Occid. apud Pancirol pag.* 73. Comes *Gildoniaci* patrimonii, & Procuratores rei privatæ per *Italiam*, per *Apuliam*, per *Dalmatiam*, & ceteras provincias, occurrunt. Porro
79 *Procuratoris*, qui in Urbe rationes Patrimonii agebat, major auctoritas, & dignitas illustrior erat. Si enim idem ejus officium ac posteriori ævo Comitis privatarum, quod eruditis omnibus placet, Procuratores omnes & Rationales per provincias sub se habebat, appellationes ad ipsum deferebantur, caduca, vacantiaque bona rei Principis, seu fisco incorporabat, causas incestuum, sepulcrorum cognoscebat, quæ & alia plura ejus munia videas apud Pancirol. *in Notit. Imperii Orient. Cap. LXXXVII.* & Guther. *de Offic. Dom. August. Lib. III. Cap. XXV.* nos enim ad aliud Procuratorum genus properamus.

Attamen ne adhuc hinc abeamus, una nos vocula parumper detinet, Quod AQUILIUS dicatur fuisse *Procurator patrimonii BIS*, quæret aliquis, quo tempore hoc officium finiretur? An-
A nale fuisse puto, saltem post *Severum Alexandrum*, qui *rationales cito mutavit*, *ita ut nemo nisi annum compleret*, teste Lampridio *in Vit. Cap. XLVI.* addebatque arcanum Principatus pessimi exempli, nam *eos*, *si boni essent*, *oderat*, *malum necessarium vocans. Rationalis* idem est ac *Procurator* eidem scriptori paullo ante *Cap. XLV.* Sane & inferiori Imperatorum ævo, cum nomen & munus *Procuratoris* patrimonii in *Comitem* rerum privatarum abierat, non ultra annum productum ejus officium haud modicâ perquisitione assequutus sum. Nam *Eulogius* Comes rerum privatarum fuit anno CCCXCV. ut apparet *in leg.* 10. *Cod. Theod.*
B *de infirm.* sequenti vero anno CCCXCVI. idem munus exercuit *Apollodorus*, ex *ejusdem Codicis l.* 32. *quorum appellation.* Rursus ad ann. CCCXCVII. *Cæsario*, & *Attico* Coss. *Hyperechius* Comes R. P. signatur *in leg.* 14. *Cod. Justin. de Jur. fisc. & leg.* 12. *de tiron.* at iisdem Coss. *lex.* 14. *eod.* inscribitur *Minervio* Com. R. P. In hujus locum succedit *Firminus* ann. CCCXCVIII. ut desumitur *ex leg. ult. de domib. ad rem priv.* & *leg. ult. de conlat. fund. patrim.* & perseverabat anno CCCXCIX. *ex leg.* 25. *de susceptor.* quem demum excepit sequenti anno CCCC. *Salvinus* cui inscribitur *lex* 27. *de Annon. &* 80
Tribut. ejusdem Cod. Theod. Quibus testimoniis satis claret, Comitivam rerum privatarum annum
C non excessisse: quod ad hanc procurationem patrimonii, & ad aliam hereditatum, de quo nunc dicere aggredior, facile traduci poterit.

CAPUT VI. 81

Qui Procuratores hereditatium. Male cum Procuratoribus Vicesimæ hereditatium confunduntur. Quid hæc Vicesima, & quando sublata. Hereditates, de quibus in lapide Antiati, Imperatoribus ex privatorum testamentis obveniebant. Boni & mali Principes, diverso tamen judicio & caussâ, olim ad hereditates vocati, ex quo magna iis divitiarum accessio. In patrimonio privato computatæ, & peculiaris Procurator impositus. Differentia inter hereditates privati, & publici patrimonii ex nostrâ inscriptione. Cujusnam conditionis Procuratores iis dati. Vulgaris error de Cornelio Tacito, detectus. Reinesius minus recte Procuratores semper libertos fuisse arbitratur; nam variatum arbitrio Principis. Tacitus in referendis Concionibus nimium sibi indulsit. Humphridus Prideaux notatus.

PROC. HERED. PATRIM. PRIVAT.

Procuratori Hereditatium Patrimonii privati.

Postquam semel & iterum Patrimonium Cæsaris administravit AQUILIUS, procurationi *hereditatium patrimonii privati* admotus est. Hic aliquid novi mihi deprehendere videor, nec aliis hactenus explicatum. *Procuratores hereditatium* sæpius sane offendimus in antiquis inscriptionibus, at nusquam inveni hoc additamentum *patrimonii privati.* Quærendum ergo est, quænam fuerint hereditates patrimonii privati. Primum
F repetenda sunt, quæ diximus superiori Capite de Principis patrimonio privato, atque hinc hereditates, quæ Procuratoribus regebantur, in examen vocandæ. Procuratores hereditatum, seu hereditatium (utroque enim modo eam vocem usurpatam invenies *in Pandectis*, & in veterum lapidibus, uti Vossius quoque adnotavit *de Analog.* 82
Lib. II. Cap. XIV.) apud *Gruterum* reperire est hoc modo designatos: pag. 590. 12. *Lemno Procuratori Patrimonii*, *& heredit.* eadem pag. num. 7. *T. Flavio Aug. lib. Adjutori tabulariorum rationis*

tionis hered. Cæſ. N̄. pag. 346. 1. *Q. Æl. Januario Proc. hereditat.* pag. 426. n. 5. *C. Junio Proc. hereditat.* Hos procuratores hereditatum eosdem cum procuratoribus xx. *hereditatum*, remque unam eandemque eſſe, putant Cujacius *ad Tit. XXXIII. Lib. VI. Cod. pag.* 826. *Tom. IX.* Pancirol. *in Notit. Imp. Orient. Cap. LXXIV. pag.* 122. Reineſius *Claſſ. VI. num.* 57. & Fabrettus Inſcriptionum Cap. I. pag. 37 *Præſignatorem hereditatium lapidis* Ciampiniani ad *viceſimam* pertinere arbitratur. At mihi à doctiſſimis viris liceat, etſi cum verecundiâ, recedere, & oſtendere hereditates Cæſaris, ſi ita ſimpliciter proferantur, toto cœlo diſtare à *viceſimâ* hereditatum.

Hæc quidem vectigal erat ab Auguſto inſtitutum ad alendas legiones, quo quisque heres, qui defuncto valde propinquus non fuiſſet, vel hereditas nimis tenuis non eſſet, viceſimam ſolvere cogebatur, ut tradit Dio *Lib. LV. pag.* 565. Fallitur Gutherius *de Offic. Dom. Aug. Lib. III. Cap. XXXV.* altius repetens ejus inſtitutionem, ad *P. Manlium* ſcilicet, ex Livio *Lib. VII.* nam viceſima à *Manlio* inventa, non hereditatum, ſed libertatum fuit, ut optime animadvertit Cl. *Fabrettus pag.* 35. Viceſimam, de qua loquimur, *Nerva*, & *Trajanus* in quibusdam arctarunt, quod Plinius *in Paneg. Cap. XXXVII.* & ſeq. pluribus commendat, & alias de ea leges tulit *M. Antoninus* ex Capitolino *Cap. XI.* tandemque *Gratianus* penitus ſuſtulit, laudatore ejus *Auſonio* teſtante. Huic vectigali Procuratorem conſtitutum tum in Urbe, tum in Provinciis, docent lapides apud *Gruterum pag.* 411. 1. *pag.* 589. 6. apud Reineſium *Claſſ. VI.* 126. quem integrum exhibet Fabrettus *pag.* 37. *num.* 180. ubi alios videas. Hæc porro *viceſima hereditatum* ab hereditatibus longe alia, & Procurator utrisque diverſus impoſitus. In lapide Romano 426. 5. *C. Junius* dicitur *Procurator hereditat.* & ſubinde etiam *Pro magiſter xx. hereditatium.* ergo res, & officium diſtinctum. *Pro magiſter* hoc loco vicem magiſtri, ſeu Procuratoris gerens intelligendus eſt. Ita *magiſter*, ſcilicet procurator, *rei privatæ Africæ* appellatur Dracontius *in l.* 4. *de jure fiſci Cod. Theod.*

83

Ergo hereditates, quas noſter lapis *Antiatinus* & ſimiles proferunt, eæ ſunt, meâ quidem ſententiâ, quæ Imperatoribus ex privatorum Teſtamentis obveniebant, quibus adminiſtrandis Procurator peculiaris dabatur, ideo *Procurator hereditatium patrimonii privati* dictus. Ex Civibus enim plerique, qui amicitiâ Principum florebant, grati animi ſignificationem extremis tabulis teſtati, vel ex aſſe, vel ex parte heredes eos nuncupabant. *Vellius Pollio* inter Equites *divitiarum nomine celeberrimus*, *magnam hereditatis partem*, *& Pauſylipum villam inter Neapolim*, *& Puteolos jacentem Auguſto legavit*, uti refert Dio *Lib. LIV. pag.* 537. & *Horatius* Poëta deceſſit, ex Suetonio in ejus Vitâ, *herede eodem Auguſto palam nuncupato.* Qui Imperator hanc *ab amicis mutuam benevolentiam* exigere ſolitus fuit; & eorum *ſuprema judicia moroſiſſime penſitavit*, *neque dolore diſſimulato*, *ſi parcius aut citra honorem verborum*, *neque gaudio*, *ſi grate pieque quis ſe proſequutus fuiſſet.* Verba ſunt ejusdem Tranquilli *in Aug. Cap. LXVI.* Quod honoris teſtimonium etiam mali Principes expetivere. Idcirco *Domitianum*, quod eum *Agricola* coheredem uxori & filiæ ſcripſiſſet, refert Tacitus Cap. XLIII. in fin. *lætatam velut honore*, *judicioque.* At peſſimum Imperatorem non ideo, ut amicitiam profiteretur, in partem hereditatis vocavit *Agricola*, ſed quia eum metueret, filiis ac propinquis hac ſpecie honoris conſulturus; unde acutiſſimus hiſtoricus ſubdit: *tam cæca & corrupta mens aſſiduis adulationibus erat*, *ut neſciret à bono patre non ſcribi heredem*, *niſi malum Principem.* Eo conſilio *Annæus Mella* frater *Senecæ*, mortem juſſu *Neronis* ſibi conſciſcens, 84 grandem pecuniam in *Tigellinum*, generumque ejus *Coſſutianum Capitonem* Codicibus ſcriptis erogavit, *quo cetera manerent*, inquit idem Cornelius *Annal. XVI. Cap. XVII.* delinitum quippe hoc honoris teſtimonio *Tigellinum*, penes quem vis principatus tunc manebat, ceteris ſuis facultatibus diripendis abſtenturum ſperabat *Mella*.

Frequens vero adeo erat principem teſtamento nuncupandi conſuetudo, ut mali id in tyrannidem detorquentes *etiam alieniſſimas hereditates confiſcarent*, *vel exiſtente uno qui diceret*, *audiſſe ſe ex defuncto*, *cum viveret*, *heredem ſibi Cæſarem eſſe*, ut de *Domitiano* prodidit Suetonius *Cap. XII.* Cui præluſerat exemplo *Caligula*, qui eodem teſte Cap. *XXXVIII. Teſtamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque ſe heredem reliquiſſent, ut ingrata reſcidit. Item ceterorum*, *ut irrita & vana*, *quoſcumque quis diceret herede Cæſare mori deſtinaſſe.* Quod paullo ſecus narrans Dio *Lib. LIX. pag.* 651. id etiam Senatus Conſulto edictum fuiſſe ſcribit. Quo *metu injecto*, proſequitur Tranquillus, *cum jam & ab ignotis inter familiares*, *& à parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur*, *deriſores vocabat*, *quod poſt nuncupationem vivere perſeverarent*, *& multis venenatas matteas miſit.* At boni Principes ſe nunquam ab ignotis heredes vocari paſſi ſunt, benevolentiâ & affectu honorem penſantes, neque ſi quis inſtituto Principe filios præteriſſet, ut de *Auguſto* Suetonius indicato *Cap. LXVI.* de *Hadriano* Spartianus *in Vita Cap. XVIII.* & de *Antonino Pio* Capitolinus *Cap. VIII.* tradiderunt. Ipſeque *Tiberius* quamvis avidiſſime *omnium hereditates*, *qui eum heredem dixiſſent*, *arriperet*, ut ait Dio *Lib. LVIII. pag.* 631. attamen eâ moderatione ſemper uſus eſt; ut nunquam easdem adiret, *niſi cum amicitiâ meruiſſet*, *ignotos & aliis infenſos*, *eoque principem nuncupantes*, *procul arcebat*, teſte Tacito *Ann. IV. Cap. XLVIII.* Quæ tamen modeſtia *Dioni* ignorata, qui *omnium indifferenter hereditates*, *qui eum heredem dixiſſent*, adiiſſe ſcripſit, loco nunc relato. *Nuncupatus* autem, ut ſtatim 85 ſubdit, *fuit heres à plurimis etiam iis fere*, *qui ſe ipſos interfeciſſent*, eo forte conſilio ita ab his vocatus, ne in filios & propinquos ſæviret. Verba *Taciti* ſuperius recitata eum praviſſimum morem indicant, quo aliqui ſuis, & proximis legitimisque heredibus infeſti & irati, Principem teſtamento appellabant, ne ad eos, quæſito ad litem validiori adverſario, hereditas perveniret. Quæ teſtamenta improbarunt jura noſtra *l.* 91. *Dig. de hered. inſtituen.* & *l.* 22. *de jure fiſci*, & cuncta hæc, quæ perditi ſuperiorum temporum mores induxerant, ſummâ moderatione complexus *Pertinax* Imperator, profeſſus eſt, *nullius ſe aditurum hereditatem*, *quæ aut adulatione alicujus delata eſſet*, *aut lite perplexâ*, *aut legitimi heredes & neceſſarii privarentur*, ut ſcriptum reliquit Capitolinus *in Vitâ Cap. VII.*

Itaque hereditates, ſeu a malis per flagitium quæſitæ, ſeu a bonis Principibus amicitiâ & Civium amore promeritæ, eorum patrimonio ingentem divitiarum & bonorum acceſſionem conflabant. *Auguſtus*, uti narrat Suetonius Cap. CI. *Viginti proximis ante obitum annis quatuordecies millies ex teſtamentis percepit*, *quod pene omne cum duobus paternis patrimoniis*, *ceterisque hereditatibus in Rempublicam abſumſit.* Ingens ea ſumma triginta quinque, ut cum vulgo loquar, milliones peræquans. Aliorum Principum nemo dubitaverit auctum & locupletatum fuiſſe patrimonium: quamvis enim, quod noverim, quid quisque ex teſtamentis privatorum ceperit, nullo Scriptore memoriæ proditum fuerit; attamen palam eſt

eſt nunquam defuiſſe, qui eis hereditates deferrent, quod uſque ad *Juſtinianum* invaluiſſe ſuperius vidimus. Deterioris conditionis Deos ipſos fecere, quos *Senatus Conſulto, & Conſtitutionibus Principum* inſtitui heredes vetitum fuit, ait Ulpianus Tit. XXII. qui hered. inſtit. poſſunt, *præter Jovem Tarpejum, Appollinem Didymæum, Martem in Gallia, Minervam Ilienſem, Herculem Gaditanum, Dianam Epheſinam, Matrem*
86 *Deorum Cybelem, quæ Smyrnæ colitur, & Cœleſtem Salinenſem Carthaginis.* Hereditates ergo ex defunctorum ſupremo judicio Imperatori acquiſitæ patrimonio ejus privato & proprio accedebant, quod vel exemplo *Auguſti*, paullo ante relato, patet, qui eas unâ cum paterno, certe proprio, patrimonio pro ſuo arbitrio liberaliter abſumſit. Iis vero curandis peculiaris adminiſtrator conſtitutus, ideo *Procurator hereditatium* dictus in noſtrâ inſcriptione ceteriſque, quæ procuratoris hereditatium, nullâ aliâ adjectâ notâ, meminerunt. & fortaſſe *lex.* 1. *Cod. de Uſur.* inſcripta *Procuratoribus hereditatum*, de his intelligenda eſt, non de hereditatibus *Fiſci*, ut communiter interpretes; nulla enim in corpore legis *Fiſci* mentio eſt. Eo ipſo munere functum fuiſſe *Antherum* Tiberii Libertum *ſuper hereditates*, Marcello Empyrico memoratum arbitror. Huc etiam ſpectant inſcriptiones *pag.* 589. 2. & 3. EXACTORI HERED*itatium* LEG*atorum*, & PECVLIOR*um*. Imperator enim legata, & hereditates, & peculia ex teſtamentis privatorum capiebat, quibus exigendis Servus præpoſitus, qui Procuratori hereditatum, ut conjicio, ſuberat. Alii etiam adminiſtri huic officio, ut ceteris dati. *Tabularios*, & *Adjutores* reperies in lapide *pap.* 590. 10. T. FLAVIO. AVG. LIB. CHRYSOGONO ADIVTORI TABVLARIOR*um* RATION*um* HEREDITAT*ium* CAES*aris* N̄. *noſtri* in ſeptimâ vero pag. 589. quæ ſignari debuerat 590, habes RATIONALEM. HEREDITATIVM. Hoc loco *Tabularii rationum* ſunt, qui rationes ſcribunt, alias *Calculatores* dicti, de quibus Ulpianus *in l. ult. in fin. D. ſi menſor. falſ.* & in l. 1. §. 6. D. de variis, & extraord. cogn. *Adjutorum* meminit Julianus Imp. *in l.* 8. *Cod. Th. de numer. act.* &c. Vide Pancirol. *in Notit. Imp. Orient. Cap. LXXVII.*

Non pigeat ſcrupuloſius inveſtigare, cur hereditates *patrimonii privati* appellatæ in noſtra inſcriptione, tamquam ſi aliæ eſſent hereditates publici patrimonii? Ita ſane: Hereditates enim *Caducæ* fiſco, ſeu ærario publico lege *Papiæ* de-
87 ferebantur, necnon *vacantes*, lege *Juliâ*. Hereditates ſeu dona Caduca ea ſunt, quæ jure relicta capaci, aliquâ ex cauſſâ poſt mortem teſtatoris cadunt in Fiſcum; quæ olim *Auguſto* inventa, à *Juſtiniano* ſublata ſunt *l.* 1. *Cod. de caduc. toll.* Vacantia dicuntur inteſtatorum res, qui ſine legitimo herede deceſſerunt, de quibus agitur *in l.* 1. *Cod. de bon. vacant.* Aliquando tamen hæc bona fiſco privato Principis acceſſêre, quod intelligendum ante incorporationem. *Procurator* peculiaris his caducis datus; quod diſcimus teſtimonio lapidum apud Fabrettum *Cap. III. Inſcript.* 471. 473. & 475. Prima inſcribitur ARRIO. PROC. AVGG. N̄ N̄ IN BETIC. HEREDIT. CADVC. ſecunda L. FLAVIO PROC. PATRIMONI DOMITIANI AVG...... PROC. CADVC. BIS. in tertiâ denique diſtincte *Laberius* dicitur PROCVR. CADVCORVM. ſi ad hos lapides funiculum adhibeas, primum mirari deſines *Procuratorem* peculiarem hereditatibus patrimonii privati, quas ampliſſimas oſtendimus, datum, cum etiam caducis fuerit impoſitus: deinde in ſecundo notabis, *Patrimonium Domitiani* dici, ut ſcilicet hoc eſſe pri-

A vatum & proprium ejus Imperatoris appareret, ad differentiam Patrimonii fiſcalis & publici; & tandem *Arrium* in primo ſignari *Procuratorem hereditatum in Beticâ*, ut conſtet, quod ſupra dicebamus, in more poſitum, Procuratores in provinciis ipſius provinciæ nomine diſtinguere, ſecus ac Procuratores in Urbe, qui ſolitarie efferebantur. Alia forte cauſſa, cur ea nota *patrimonii privati* fuit adjecta. Heres aliquando etiam Reſpublica nuncupabatur, & tunc hereditas publico ærario addicebatur. Illuſtre exemplum exhibet Capitolinus *in Gordiano III. Cap. XXVIII.* Miſitheus ſocer hujus Imperatoris *do-*
B *ctiſſimus, Præfectus Prætorio,* & *Parens Principum* dictus, heredem *Romanam* Rempublicam eâ conditione inſtituit, ut *quidquid ejus fuerat, vectigalibus Urbis accederet.* De hoc *Miſitheo* inſigne extat teſtimonium in lapide *Gruteriano pag.* 439. 3. quo verba *Capitolini* illuſtrantur. MISITHEO. 88
PARENTI. PRINCIPVM. P. R. TVTORI. REIP. S. P. Q. R. Igitur hereditates patrimonii Reipublicæ aliæ ab hereditatibus patrimonii privati Principis. Sane & fiſcum proprium habuiſſe Populum Urbis *Romæ* putat Jacobus Gothofredus *in Commentar. Cod. Theod. ad l.* 1. *de Decur. pag.* 141. *Tom. V.*

C Jam vero cum noſtrum AQUILIUM *Procuratorem patrimonii* fiſcalis ſeu publici, capite antecedenti, hic autem *Procuratorem hereditatum* oſtenderim, remanet inquirendum, cujuſnam conditionis homines hiſce officiis præponerentur, ut AQVILIO ſuum genus & fortunæ gradum inſcribamus. *Procuratorum* Cæſaris conditionem diſertis verbis tradit Tacitus in Vitâ Agricolæ Cap. IV. *Julius*, inquit, *Agricola veteri & Illuſtri Forojulienſium Coloniâ* (ea eſt Galliæ) *ortus utrumque avum Procuratorem Cæſarum habuit, quæ Equeſtris nobilitas eſt.* Ipſum quoque *Tacitum*, qui ſane ex eodem Equeſtri ordine fuit, pleri-
D que omnes Procuratorem rationum in *Galliâ Belgicâ* faciunt, ex *Plinio* loco ſtatim recitando. Et Reineſius præ ceteris *inſcript.* 53, *Claſſ. I.* in quâ profertur CORNELIVS. VERVS. TACITVS. RATIONATORIS. HONORE. VSVRVS. SECVNDVM, ſibi impotentius plaudit, quod *hiſtoricorum Latinorum nobiliſſimi memoriam, & verum ejus nomen, quod per tot ſæcula nos latuit, integrum nunc ediderit.* At demus, *Tacitum*, de quo *Plinius*, eum eſſe: qui hic *Ratiocinator* in Galliâ, nunquam tamen idem ipſe eſt nobiliſſimus hiſtoricus. Verba ſunt Plinii Lib. VII. Cap. XVI. *Ipſi nos pridem vidimus ea-*
E *dem fere omnia*, (puerum nempe *in tria cubita triennio adoleviſſe*) *præter pubertatem, in filio Cornelii Taciti Equitis Romani, Belgicæ Galliæ rationes procurantis. Tacitus* hiſtoricus in conſulatu *Agricolæ*, dum fere ſeptimum decimum ætatis annum ageret, ut ex ſupputatione *Lipſii* in ejus Vitâ colligo, illius filiam in matrimonium accepit, quod ipſe teſtatur in Agricol. Cap. IX. *Conſul egregiæ tunc ſpei filiam juveni mihi deſpondet, & ſtatim Brittanniæ præpoſitus eſt.* Conſula- 89
tus *Agricolæ*, qui fuit ex ſuffectis, incidit in annum Ch. LXXVII. ex Panvinio *in Faſtis* ad A. U. DCCCXXX. & *Britannica* præfectura in ſe-
F quentem LXXVIII. Atqui *Plinius* deceſſit in deflagratione *Veſuvii*, quæ peritioribus Chronologis conſignatur ad annum primum *Titi*, ſcilicet *Chriſti* LXXIX. Ergo non potuit *pridem* vidiſſe filium triennem *Taciti* hiſtorici, qui tantum ante biennium, hoc eſt anno LXXVII. uxorem duxerat, & ſane primam, ut ejus ætas jam indicata ſuadet. Si dicas, hiſtorici patrem illum *Cornelium Verum Tacitum* fuiſſe, non repugnabo.

At vero, ad rem ut redeam, hi Procuratores ex primo, vel ſecundo jam recenſito genere, & pro-

proinde à nostris alii, fuere. Quæramus itaque A *Procuratores privatæ rei*, *& patrimonio*, seu publico, seu Principum proprio, quod nostri argumenti est, præpositos. Reinesius *Class. IX. num.* 45. *procurationes rei privatæ* tam in Urbe quam in provinciis semper commissas liberis autumat. In hoc sane fallitur, quod *semper* id usurpatum putet, ut mox ostendam, & ipse haud sibi constans fateri videtur *Classe eadem num.* 18. Profecto *Antheros*, quem supra hereditates fuisse meminimus, Libertus *Tiberii* fuit. Apud Cl. Fabrettum *Cap. III. inscript.* 482. occurit P. AELIVS PROCVRATOR. ALEXANDRIAE. AD RATionem PATRIMONII. *num.* 481. LEMNVS. B PROC*urator* PATRIMONI ET HEREDI*tatum*, & VLPIVS PROCVRATOR PROVINCIARVM PANNON*iae*, & AFRICAE, omnes Liberti. Alios fuisse ingenuos ceteræ inscriptiones, quas eodem loco adducit, produnt; & pag. 37. *Stelenius* PROC. XX. aliis illustrioribus officiis, quæ ingenuos decent, ornatus reperitur. At Procuratorum dignitatem evehit *Opilius Macrinus*, qui *privatæ rei* præpositus, mox Præfecturam Prætorii, & demum Imperium adeptus est. In Gruterianis pag. 411. *Flavius Germanus Proc.* XX. HER. ET. PROC. PATRIMON. filios equo publico ornatos ha- C buisse dicitur, quo fit, ut ipse quoque Equestris
90 Ordinis sit censendus. Pag. 451. 3. *L. Petronius Sabinus* PROC. AVGG. STATIONIS HEREDITATVM. etiam Procurator Provinciæ *Narbonensis* signatur, quam dignitatem equestrem fuisse jam indicavimus. An hic ipse *Petronius* Vicarius *Hispaniarum*, ad quem extant rescripta Arcadii, & Honorii *l. unica Tit. XXI. l.* 5. *Tit. XXII. Lib. IV. Cod. Theodosiani?* Certe Vicario in provinciis tributariæ rei cura incubuit, cui cum affinis sit procuratio, ex uno ad aliud officium traductum *Petronium* non est inverisimile. Concinit & tempus, quo duo *Augusti* imperabant. *Sta-* D *tio* erat locus, in quo officiales susceptores tributorum consistebant *l.* 19. *Tit. VI. de suscept. Cod. Th.* Hic de loco officialium ad hereditates suscipiendas intelligendum, seu de ipso officio, cui præerat *Petronius.* In memoratâ *inscriptione* 5. *pag.* 426. C. Junius *Procurator hereditatium* plura alia exercuit munera, quæ tantum Equitibus demandabantur. Præterea *Claudius* Imp. in oratione ad Senatum de Civitate *Gallis* danda *L. Vestinum*, ait, *Equestris ordinis ornamentum. . . . in rebus meis detineo.* Interpretor, quod eum Imperator *rei privatæ* familiari procurandæ imposuerit. Eam orationem tabulis æreis *Lugdunenses* E consignarunt, quas demum superiori seculo in eâ Urbe repertas, exhibet *Gruterus pag.* 502. Tacitus *Annal. XI. Cap. XXIV.* hanc ipsam orationem *Claudii* expressit, sed quantum à verâ, quam Imperator recitavit, deflectat, quisquis utramque inter se componat, facile animadvertet. Longe diversus verborum contextus, sensus aliquot & sententiæ retentæ, plures prætermissæ vel detortæ. Et si mihi fas sit dicere, illa Imperatorem, quem *non infacundum*, *neque indoctum* tradidit Suetonius *Cap. XL.* hæc Oratorem loquentem statim prodit. Quod obiter adnotavi, ut hoc exemplo deprehendas, quantum in Concionibus nobilissimus hic scriptor vera confictis commiscens inge- F nio suo indulserit.

Itaque hinc ingenui & Equites, inde Liberti Procurationibus adhibiti. Quid ergo? Pro lubi-
91 tu & ex ingenio Imperatorum id factum arbitror. Si quæras testimonium, dabit idem Tacitus initio Lib. XIII. Annal. *Ministri fuere*, inquit, *P. Celer Eques Romanus*, *& Ælius Libertus rei familiari Principis* (Neronis) *in Asia impositi.* In eâdem provinciâ eandem procurationem simul agunt Eques, & Libertus. *Claudius* Imp. quem rei privatæ admovisse *Vestinum* Equitem Rom. diximus, non mirum si Libertos quoque rei familiari præfecerit, *cum eos sibi*, *& legibus adæquaverit*, ait Tacitus *Ann. XII. Cap. LX.* At pejus acceptum hoc munus ab *Heliogabalo*, qui *Mulionem*, quo non aliud genus hominum abjectius, *vicesimam hereditatium curare jussit*, teste Lampridio *in Vita Cap. XII.* Sane *Augustus* apud Dionem *Lib. LIII. pag.* 506. Procuratores, qui publicos redditus colligunt, alios ex Equitibus, alios è Libertis elegit. Id etiam in hoc nostro procuratorum genere usurpatum. Quod male in suam sententiam detorsit *Humphridus Prideaux*, qui *in Notis ad marmor Tingitanum* inter *Oxoniensia LXXXII. pag.* 137. ex eo *Dionis* loco putat Procuratores publici Fisci ex Equitibus, privati vero Imperatorum patrimonii, ex Libertis delectos fuisse; nulla enim ibi distinctio, nec verbum de procuratore patrimonii. Imo idem historicus *Lib. LII. pag.* 480. recitat orationem *Mæcenatis*, quâ inter plura reipublicæ administrandæ consilia illud etiam *Augustum* monet, *ut ærarii publici ac Fisci*, *præterea negotiorum aliorum Romæ & per Italiam administratio Equitibus mandetur.* A quo tamen aliqua ex parte discessisse *Augustum* apparet. Promiscue igitur Procuratores rei privatæ, & patrimoniis Principis ex Equitibus, & Libertis accepti: quod nobis satis est, ne quis in dubium vertat, procurationes, de quibus loquimur, Equitibus *Romanis* frequenter impositas, quo nostri AQUILII Equestris dignitas, pluribus jam titulis asserta, hujus quoque accessione firmetur: ne, si in Libertos semper collata appareret, ut placuit *Reinesio*, è gradu splendidissimi ordinis ipsum dejicere cogeremur.

CAPUT VII. 92

AQUILIO, *ob curam Operum publicorum actam, illustre genus denuo asseritur. Vespasianus Capitolium restituit. Pugna inter Tacitum & Suetonium conciliatur. Tabulæ marmoreæ Fratrum Arvalium nuper repertæ. Memorata bis Capitolii restitutio an eadem cum Vespasianæa. Titus Capitolium denuo concrematum restituere aggreditur, de quo silent scriptores; Domitianus absolvit. Aliqua hactenus ignota, quæ iisdem Tabulis continentur, explicata. Fasti emendati. Plures Consules suffecti proferuntur. Dea Dia quæ fuerit, hucusque ignoratum. Famulæ Deæ, & Virginis Deæ. Loca in Amphitheatro adsignata post dedicationem. Arvales situ nobiliori, eorum Ministri inferiori spectabant. Quot ii numero fuerint, detegitur.* Ante diem, *num diem ipsum significet? Nummi male ab Antiquariis explicati, Arvalibus asseruntur.*

PROC. OPER. PVB.

Procuratori Operum Publicorum.

At forte nutantem adhuc, incertumque ex his, quæ diximus, de AQUILII conditione, præscriptus titulus inter animi ambigua versari amplius vetat. *Operum* quippe *publicorum* curam clarissimis viris, genere & gradu commendatis, impositam, testimonio lapidum, & fide historiarum comperimus. *Aulus Vitellius* filius Consulis, & Censoris, quique postea Imperator, defunctus Proconsulatu Africæ, *curam operum publicorum administravit*, ex Suetonio *in Vita Cap. V.* *Flavium Sabinum*, sive is frater fuerit *Vespasiani* Cæsaris, qui Urbis præfecturam gessit, sive hujus filius, qui Consul anno primo *Domitiani*

93 *tiani* consignatur, *operum publicorum Curatorem* nobis indicat lapis *Romanus* 2. pag. 128. Inde, ut temporum seriem sequamur, apud Cl. Fabrettum *inscriptio* 470. *Cap. III.* nuncupatur *P. Metilio Procuratori operum, locorumque publicorum Imp. Cæsaris Trajani Hadriani Aug. Legionis III. Aug. & exercitus Africani Legato.* Sub Antonino Pio *C. Popilius Carus Pædo Curator operum publ.* scribitur in 6. *pag.* 457. *Gruteri*, & simul *Legatus* ejusdem Imp., & *legionis X.* aliisque gestis muneribus clarus. *Septimii Severi* ævo lapis *Romanus* pag. 171. 7. exhibet *T. Arrium Bassianum C. V.* CVR*atorem* OPE*rum* PVBLICORVM. Literæ singulariæ C. V. designant *clarissimum Virum*, quo titulo Senatores honestatos, testis est Lampridius *in Severo Alex. Cap. XXI.* & *in Elagabalo Cap. IV.* Imo hunc *T. Arrium* Antoninis adscribendum jure arbitror, quod cognomen familiam *Arriorum* gestasse, ex *Spartiano* infert doctissimus Casaubonus *in Notis* ad eumdem *in Hadriano Cap. XXIV.* Poterat nominare & *Capitolinum*, qui initio Vitæ Antonini Pii *Arrium Antoninum* huic avum maternum fuisse scribit. *Bassiani* vero cognomen eidem quoque genti insertum reperio apud eumdem Spartianum *in Severo Cap. X.* quo loci ait, hunc Imperatorem filium suum majorem *Bassianum* apposito *Aurelii Antonini* nomine Cæsarem appellasse. Nostro demum AQUILIO dignitatem splendoremque accersunt duo illustria patriciarum gentium nomina, quæ præfert lapis *Romanus* incerti ævi *pag.* 93. 1. M. SVLPITIVS LEPIDVS. CN. OCTAVIVS CELSVS CVR*Atores* OPE*rum* PVB*licorum*.

Et sane decebat illustres viros iis operibus curandis præfici, quæ augustis Deorum, aut Cæsarum nominibus consecrabantur. *Vespasianus* initio Imperii *Curam restituendi Capitolii in L. Vestinum* (quem superius à *Claudio* familiarissime habitum vidimus) *equestris ordinis, sed auctoritate famaque inter Proceres*, contulit, ait Tacit. *Hist. IV. C. LIII*, additque sollemnia dedicationis pro restitutione templi peracta fuisse à Vestino *XI. Kal. Julias*. Tunc aberat *Vespasianus*, uti con-
94 jicit *Savilius* ad hunc *Cornelii* locum. At Suetonius *in Vitâ Cap. VIII.* tradit, Vespasianum *ruderibus purgandis manus primum admovisse, ac suo collo quædam extulisse.* Quod mire torquet *Lipsium*, qui *nil nisi pugnam manifestam* videt, & lubens *conciliantem* se auditurum profitetur, *in Notis ad* eum *librum Taciti num.* 83. Nescio, an post doctissimos viros eam *pugnam* liceat mihi levi manu dissolvere. *Tacitus* præter loci & areæ dedicationem nil nisi jacta fundamenta memorat; at cum *Haruspices*, ut ipse ait, monuissent, *ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur*, non ante id factum fuit quam præsens *Vespasianus* esset, & *reliquias* ipsas, seu, ut vocat Suetonius, *rudera* primus efferret. Atque ita intelligendus est etiam *Dio*, seu *Xiphilinus*, qui *Lib. LXVI. pag.* 749. ait: *Templum in Capitolio statim ædificare cœpit* (Vespasianus) *primusque inde terram extulit.* Utrumque vero gestum primo *Vespasiani* anno: unde Eusebius *in Chron.* male id ad quartum refert; ingenti triennii metachronismo, ut notat *Scaliger num.* 2088. Quod indicavimus ex eodem *Tacito*, sollemnia restitutionis Capitolii absoluta fuisse *undecimo Kal. Julias*, non convenit cum alio monumento, quo *vota* nuncupata ad ejusdem *Capitolii restitutionem & dedicationem VII. Idus Decembris* consignata sunt.

Nuper viâ *Ostiensi* quarto ab urbe milliario aliquot marmorum fragmenta defossa sunt, quibus sacrificia & acta fratrum *Arvalium* continentur, qualia videre est apud *Gruterum à pag.* 117. Sponium *in Miscellan. erudit. pag.* 5. & Fabrettum *Cap. VI. à pag.* 442. At sane hæc nostra non pauca eruditæ antiquitatis argumenta recondunt, quæ in illis frustra quæsieris. Ea jussu Eminentissimi Cardinalis *Petri Otthoboni*, in quo dignitatem intuemur, amorem literarum, magnificentiam, ceteraque animi præclara ornamenta suspicimus, in ædes Cancellariæ translata, doctis omnibus, copiam faciente Illustrissimo D. *Ludovico Sergardio* non minus ornatu morum, quam eruditionis, bonarumque artium famâ commenda- 95
to, patent. In alterâ igitur earum tabularum hæc incisa leguntur: M. TILLIO. FRVGI. T. VINICIO. IVLIANO. COS. VII. IDVS. DECEMBR. IN. CAPITOLIO. IN. AEDEM. OPIS. SACERDOTES. CONVENERVNT. AD. VOTA. NVNCVPANDA. AD. RESTITVTIONEM. ET. DEDICATIONEM. CAPITOLI. AB. IMP. T. CAESARE. VESPASIANO. AVG. In *Collegio adfuerunt &c.* Quod hæc votorum nuncupatio ad *Vespasianæam*, in quâ versamur, Capitolii restitutionem pertineat, nomen ipsum ejusdem Imperatoris, quem etiam *Titi* prænomine usum aliqui putant, quos inter Panvinius *de Nominib. antiq. pag.* 71. & Rupertus *Observation. ad Synopsin Besoldianam in Vespasiano*, suadere videbatur. Consules præscripti indicium nullum facere possunt, cum sint ex suffectis, nec quo anno magistratum gesserint, uspiam constat. At eam nuncupationem filio ejus *Tito* adscribendam omnino arbitror. Mos enim *Arvalibus* fuit, filium solum, non patrem, *Titi* prænomine indigitare. Quod patet ex tabula apud Fabrettum *Cap. VI. pag.* 442. ubi primum vota nuncupantur *pro salute Imp. Vespasiani Cæsaris Aug.* & paullo post, *pro T. Imp. Vespasiano Cæsare Aug. F.* Ex nostrâ vero sic deducimus: Capitolium quod bello *Vitelliano* conflagraverat, restitui cœptum fuisse à *Vespasiano*, Tacitus & Suetonius meminerunt, ut vidimus. Solus Plutarchus *in Vitâ Poblicolæ* ab eo etiam absolutum tradidit. Denuo inde nobilissima arx Imperii, simul atque decessit *Vespasianus*, hausta incendio est, teste eodem *Plutarcho*, qui consentiente Suetonio *Cap. V.* Capitolium à Domitiano *expletum & dedicatum* fuisse scribit. Puto ergo, quod nemo unquam Scriptorum memoravit, *Titum*, statim ab hac ultimâ post excessum patris conflagratione, Capitolii restitutionem fuisse adgressum, fatis vero subito abreptum, fratri *Domitiano* perficiendam reliquisse. Hinc hujus tantum apud auctores mentio. Igitur ipse *Titus* manum operi admoturus, de more vota prius nuncupari Diis Imperii præsidibus 96
jussit, quæ expleta ad diem *VII. Idus Decembris* per Sacerdotes *Arvales* docet nostra Tabula, & forte ab aliis quoque Sacerdotum Collegiis. Vota certe nuncupabantur initio rei gerendæ, ut bene cederet, ipsâ vero perfectâ solvebantur. Ejus nuncupationis, ne à Capitolio discedamus, formulam refert Tacitus in priori Vespasianæâ: *Jovem, Junonem, Minervam, præsidesque Imperii Deos precatus, uti cœpta prosperarent, ædesque suas pietate hominum inchoatas divinâ ope attollerent.* Quod vero nostra hæc *Arvalium* nuncupatio ad *Titum* sit referenda, licet satis ostendat hoc ipsum prænomen, quod in lapidibus & nummis, ipsi, non patri, dabatur, ut monuit Pagius *in Critic. Baron. ad annum LXXVII.* attamen cum hæc *Titi* Capitolina restitutio nulli veterum scriptorum tradatur, eam ex ipsa quoque actorum, quæ in nostrâ tabulâ consignantur, serie demonstrare juvat. Quo etiam obiter rara quædam & non prius nota, in eruditorum gratiam adnotabimus: veniam interim deprecantes, si parum ab instituto recesserimus.

Vespasianæa votorum nuncupatio *Tacito* affigitur, uti

uti vidimus, undecimo Kal. Julias, noſtra vero VII. Idus Dec., quod diverſam arguit. Hanc eamdem noſtram ſequitur ſtatim *piaculum factum in luco Deæ Diæ per calatorem*, *& publicos XVIII. K. Februarii.* L. FLAVIO. SILVA. NONIO. BASSO. ASINIO. POLLIONE. VERRVCOSO. COS. Hi Conſules ordinarii proceſſerunt Kal. Januarii anno U. C. DCCCXXXII. *Chriſti* Domini LXXXI. & poſtremo *Titi*, ut inferius patebit. Eos excipiunt alii Conſules L. VETTIVS. PAVLLVS. ET. T. IVNIVS. MONTANVS ad Kal. Majas, & inde L. AELIVS PLAVTIVS. LAMIA, & Q. PACTVMEIVS. FRONTO; quos ſuffectos fuiſſe ſilentium faſtorum evincit. Primus horum is fuit *Ælius Lamia*, quem, abductâ pridem uxore, *Domitianus* interfecit, ex Suetonio *in Vitâ Cap. I.* & *X.* & meminit Juvenalis *Sat. IV.* Ejus hic habes
97 prænomen, & alterum cognomen, quæ alibi non reperies. Sub poſterioribus iiſdem Conſulibus adnotatur in tabulâ, Fratribus Arvalibus *loca adſignata* fuiſſe *in Amphitheatro ab Laberio Maximo Procuratore Præfecto Annonæ.* Fuit hic procurator *Veſpaſiani* in *Judæa* ex Plinio *Lib. X. Ep. XVI.* & initio Hadriani *ſuſpectus Imperio*, in inſula exulabat, teſte Lampridio *in Hadrian. Cap. V.* Porro hanc adſignationem *Arvalibus* fuiſſe factam ſtatim ac *Titus* Amphitheatrum dedicavit, nullus dubito. Ea dedicatio, cujus meminit Suetonius *in Vit. Cap. VII.* incidit in annum poſtremum *Titi*, ut notat Euſebius *in Chronico.* Quamvis vere ex contextu Dionis *Lib. LXVI. pag.* 757. aliqua dubitatio ſuboriri poſſit, id factum anno antecedenti. At ſeries temporum noſtræ tabulæ ſecus ſuadet. Et quidem *Dio* ipſe ſatis obſcure loquitur; nam *in ſequenti anno*, *dedicatis*, inquit, *iis quæ ſuprà dicta ſunt*, *mortuus eſt.* Narraverat ludos in Amphitheatro, aliosque alibi exhibitos. Ergo videtur dedicatio facta anno ejus emortuali. At proſequamur noſtram Tabulam, in qua poſt adſignationem locorum recenſentur vota nuncupata pro ſalute Imp. *Titi* his verbis:

L. FLAVIO. SILVA. NONIO. BASSO COS
ASINIO. POLLIONE. VERRVCOSO

III. NONAS JAN.

MAGISTER. C. JVNIVS. TADIVS. MEFITANVS. COLLEGI. FRATRVM. ARVALIVM. NOMINE. VOTA. NVNCVPAVIT. PRO. SALVTE. IMP. TITI. CAESARIS. DIVI. F. VESPASIANI. AVG. PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POTEST. COS. VIII. ET CAESARIS. DIVI. F. DOMITIANI. COS. VII. ET IVLIAE. AVG.
98 LIBERORVMQVE. EORVM. VICTVMIS. IMMOLATIS. &c. Deinde vota concepta recitantur: IVPPITER. O. M. SI. IMPERATOR TITVS. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. &c. Similem formulam aliæ tabulæ exhibent, meminitque Tertull. *de Coronâ Cap. XII.* Vota nuncupabantur annuatim ſtato hoc die, ut eſt in veteri Kal. *Titus* divi filius hic expreſſe appellatur, & conſignantur iidem Conſules anni ejus poſtremi, ne ambigere poſſis acta omnia, quæ in hac tabulâ recitantur, ad ejuſdem *Titi* Imperium eſſe revocanda: nuncupationem quidem votorum pro reſtitutione Capitolii ad annum *Chriſti LXXX.* labentem, VII. Idus Decembris, cetera vero continenter ad ſequentem, quo *Titus* ipſe idibus Septembris fato ceſſit. Habes ergo, reſtitutionem Capitolii ultimo incendio abſumpti à *Tito* cœptam fuiſſe, quam hiſtoriæ partem à Scriptoribus prætermiſſam, noſtris *Arvalium* tabulis debemus.

Ut vero promiſſi fidem liberem, ſingularia quædam ex hiſce tabulis decerpta, Eruditis hic ſepoſui. In primis Faſti hujus anni, hucusque corrupti, vel ſupplentur vel reſtituuntur. *Græci* & *Cuſpinianæi* apud *Panvinium* Conſules exhibent *Silvanum*, *& Pollionem.* At *Panvinius* ipſe, dum prænomina, & gentes addere attentat, omnia fœdius depravata obtrudit. Repoſuit enim *M. Plautium Silvanum*, & *M. Annium Pollionem*, eosdemque ab ipſo mutuatus *Leunclavius* præfixit *Lib. LXVI.* Dionis. Eminentiſſimus Cardinalis *Noriſius*, in quo, ſingulos laudum titulos, & ſummum locum doctrinâ ſibi vindicante, ampliſſima dignitas acceſſio eſt, *in Epiſtolâ Conſulari pag.* 50. eos reſtituit ex arâ apud *Gruterum pag.* 1040. 1. à *Canulejo* dicatâ Kal. Novembris SEX. ANNIO SILVANO, & T. ANNIO. VERO POLLIONE. COS. Fidem lapidi *Gruteriano* non abnuerim: at certe, poſtquam noſtræ tabulæ emerſerunt, fatendum eſt, aut exſcriptorem nomina depravata tradidiſſe, vel hoc par Conſulum ad faſtos hujus anni non pertinere, eosque inter ſuffectos incerti ævi ablegandos eſſe. Quod ſane magis arridet, cum vix credi poſſit, exſcriptorem adeo rudem & imperitum fuiſſe, ut nomina toto aſſe diſcrepantia præbuerit.

At noſtros Conſules fuiſſe ordinarios patet. Nam ſub ipſo exordio anni, quem Conſules ordinarii aperiebant, ad diem nempe tertium, & 99
decimum quintum Januarii, notantur. Quare ad annum poſtremum *Titi*, Urbis DCCCXXXIV. *Chriſti* LXXXI. qui *Baronio* eſt LXXXIII. Conſules reſtituendi ſunt: L. FLAVIUS SILVA NONIUS BASSUS, & ASINIUS POLLIO VERRUCOSUS. Quæ eadem nomina reperies apud *Dionem*, ſeu ejus exceptorem *Xiphilinum*, qui *Lib. LXVI. pag.* 757. hoc ipſo anno *Titi* emortuali reponit Conſules *Flavium* & *Pollionem.* Unde fruſtra eſt *Leunclavius*, qui in notis pro primo repoſuit *Plautium*, verum hoc eſſe ejus Conſulis nomen autumans. Hunc ipſum non ambigo fuiſſe *Flavium Silvam*, qui apud Joſephum *Lib. VII. de Bello Judaico Cap. XXVIII.* defuncto *Baſſo* adminiſtravit *Judæam*, & reliquias belli capto munitiſſimo Caſtello *Maſſadâ* confecit. Ita ut poſt decem annos Conſulatum adeptus fuerit, nam in annum *Chr.* LXXI. *Maſſadæ* oppugnatio incidit. Dubitat Glandorpius *in Onomaſt. Rom. pag.* 345. num rectius apud *Joſephum* legendum ſit, *Plautius Silvanus.* Scrupulum, illi fortaſſe ex vulgatis Faſtis hauſtum, noſtri emendati depellunt. Hinc etiam corrigendus venit *Uſſerius*, qui ad Ann. LXXIII. *Publium Silvam* vocat. Sane in Græco *Frobeniano*, & Græcolat. Genevenſi MDCXXXIV.. eſt Φούβλιος: at Latinis omnibus, quos vidi, *Flavius*, dicitur. Diſſenſus hic inter utriusque linguæ ſcripturam impulit, ut *Vaticanos Mss. Codices* conſulerem. Ex *Græcis* ſatis antiquus ſub *num.* 984. *fol.* 337. 2. habet Φούλβιος Σίλβας. cujusmodi eſt alter inter Urbinates. Rurſus in veteribus, *Vaticano num.* 148. fol. 203. *Palatino* 284. & *Urbinate* 85. ſcribitur 100
Φλούϊος Σίλβας. Demum recentior *Vaticanus* habet Φλαούϊος Σίλβας. At omnes *Latini* conſtanter præferunt, *Flavius Silvas*, quos inter duo ſunt antiquæ & probatæ notæ *num.* 1992. *fol.* 164. & *num.* 1997. *fol.* 324. ſex reliqui recentiorem manum ſapiunt. Nec dubito ita ſcripſiſſe *Joſephum* ejusque Interpretem, qui *Rufinus Aquilejenſis* putatur. Nam vero ſimilius eſt, imperitos amanuenſes potius in *Græcis* characteribus exſcribendis peccaſſe, quam *Latinis.* Præſertim cum non ſibi conſtent *Græci* Codices, *Latini* ubique eamdem vocem præ ſe ferant. Quæ omnia ex noſtris quoque tabulis firmantur. Habes etiam alterius conſulis genuinum nomen, ſeu dixeris cognomen, in *Faſtis Conſularibus* Anonymi, quos Em. *Noriſius* è Codice Ms. Bibliothecæ Cæſareæ pu-

publicavit, additâ eruditissimâ dissertatione. In his enim annus *Chr.* LXXXI. Coss. *Silvâ & Pollione* notatur.

In nuncupatione votorum pro salute domus *Augustæ* hoc anno signatur *Titi* Consulatus VIII, & *Domitiani* VII, licet eos Consulatus gesserint anno superiori, more Cæsaribus accepto, qui tamen ignoratus etiam doctis antiquitatum aliquando imposuit. Rursus inter septem illos Consulatus *Domitiano* inscriptos numerari etiam suffectos scias, qua de re videas doctissimos viros dissidentes, Card. Norisium *in Epistolâ* mox laudatâ, & Pagium *in Dissertat. Hypaticâ pag.* 64. & *Crit. Baron. ad Ann. LXXXIII.*

Præter Consules suffectos jam memoratos, alios etiam ejusdem notæ invenies in nostris tabulis. In secundâ nempe imperante *M. Aurelio* ═══ *Antonino Aug.* signantur *L. Tutilius Pontianus*, & *Gentianus Cos. VI. Id. Febr.* & in tertia *M. Herennius Secundus M. Egnatius Postumus III. Id. Maji.* Locus inter nomina *Aurelii* & *Antonini* detritus poscit *Commodum.* Ejus enim nomen post mortem, *alienis operibus incisum Senatus erasit*, teste Lampridio *in Vita Cap. XVII.* & Cap. ultimo *Cingium Severum* in Senatu cen-
101 suisse, ex Mario Maximo tradit, *nomen ejus ex omnibus privatis publicisque monumentis eradendum.* Lollianus Gentianus Consularis, de quo meminit Capitolinus *in Pertinace C. VII.* fortasse ipse est *Gentianus*, quem Consulem notat sub *Commodo* nostra tabula. At non is esse potest *Gentianus* ultimo *Severi* anno Consul, ut putat Casaubonus *in Notis*, quia sub *Pertinace* eum non vocasset Consularem *Capitolinus.*

DEAM DIAM, in cujus luco ab Arvalibus *piaculum factum* indicavimus, quæque passim in nostris, & aliorum tabulis memoratur, *JUNONEM* esse certo deprehendimus. Nam in tertia semel & iterum immolatæ dicuntur *Junoni Deae Diae oves II.* Quo videas egregie deceptum *Sponium*, qui in *Miscellaneis* eruditis pag. 6. *Deam Diam* Opim, seu Rheam esse sibi à *Basileensi* amico suaderi passus est; non alia ratione, quam quia frugibus præsideret. A quâ notâ libens exsolvo amicissimum olim *Fabrettum*, quamvis *Deam Diam* dixerit *Heben* inscript. Cap. VI. pag. 481.; Nam sibi auctorem habet Strabonem, qui Libro VIII. *Heben* Phliunte, & Sicyone sub *Diae* nomine cultam scriptum reliquit. Equidem Δῖος Græcis pro *divinus* accipitur, scilicet *habens divinum* aliquid, quo excellit. Quare sicut *Dia* antonomastice dicitur *Juno*, quasi excellentior aliis in *divinitate*, & veluti *Dearum Dea* & *Princeps*; ita Hebes *Dia* poterat appellari ob excellentem *pulchritudinem*, ob quam vere juventuti præpositam, ipsamque juventutem vocatam fabulantur Poëtæ. Unde Eustathius δῖα κάλλος ob pulchritudinem de quibusdam scribi dicit: *Helena* apud Homerum *Odyss. Lib. XV. v.* 106. δῖα γυναικῶν appellatur, hoc est *egregia* seu *divina mulierum*, & Calypso Nympha eidem est δῖα θεάων, *diva dearum*, Odyss. Lib. I. vers. 14. & alibi sæpius. Dia etiam dici potuit *Hebes*, quia filia *Diae*, hoc est *Junonis*, sicut Δῖος appellatur, qui *Jove* progenitus est. Immolatum etiam reperies *Famulis Divis Verbeces II.* Nescio, an id intelligendum de *familiaribus Divis*, nam statim sequitur, *Laribus Verbeces II.*
102 Vel in plebe ultimâ Deorum etiam *famulos Divos* commenta est superstitiosa Gentilitas. Sane nusquam id nominis observare licuit. Præterea & *Virginibus Divis oves II.* immolantur, quod vocabulum insolens porro est.

Verba ipsa, quibus loca in Amphitheatro *Arvalibus* adsignata jam indicavimus, huc transferre liceat, quoniam quid simile nusquam apud an-

A tiquos traditum fuit. Præfigitur hic titulus literis grandioribus. LOCA ADSIGNATA IN AMPHITEATRO. Inde statim sequitur: L. AELIO. PLAVTIO. LAMIA. Q. PACTVMEIO. FRONTONE. COS. ACCEPTVM. AB. LABERIO. MAXIMO. PROCVRATORE. PRAEF. ANNONAE. L. VENNVLEIO. APRONIANO. MAG. CVRATORE. THYRSO. L. . . . FRATRIBVS. ARVALIBVS. MENIANO. Ī. CVN. XĪI. GRADIB. MARM. VIII. GRADVI. P. V. GRADV. III. PED. V. S. F. PED. XXXXIIS. GRADV. I. VNO. P. XXIIS.
B ET. MENIANO. SVMMO. ĪI. CVN. V̄I. GRADIB. MARM. IV̄. GRADV. I. VNO. P. XXIIS., ET MAENIANO. SVMMO. IN. LIGNEIS. TAB. LIII. GRADIBVS. XI. GRADV. Ī. PED. V.—S.—GRAD. XI. PED. V. S.—Ͻ. F. PED. LXIIIS. SVMMA. PED. CXXVIIIIS.— Colligas igitur, ut quidem opinor, statim in dedicatione Amphitheatri loca singulis Magistratibus, Collegiis, Corporibus, ceterisque Ordinibus fuisse destinata, idque per Præfectum Annonæ. Nam eo ipso anno, *Titi* postremo, quo dedicatio peracta, ut diximus, etiam loca *Arvalibus* tradita leguntur 103
C in nostra tabula. Et sane nobiliora, in Mæniano scilicet primo, quod idem ac Podium, præeunte Lipsio *de Amphith. Cap. XI.* esse arbitror. Ad Podium enim spectare solebant primi è Senatu, unde enatum adagium. Certe Fratres *Arvales* e nobilissimis familiis sumebantur, ut videre est in nostris, & aliorum fragmentis. *Mænianum* aliud *in summo in ligneis tabulis* notatur: quo locatos puto calatores, publicos, aliosque ministros Collegii *Arvalium.* Quippe in summo Amphitheatri sedisse viliores, tritum est. Quod plures gradus in Mæniano *Arvalibus* adsignati sint, si ceteri etiam Magistratus illustriores, & primi è Senatu
D è Mæniano seu podio spectabant, necesse est, ut omnes caperet, hoc in orbem productum fuisse, & totum inferiorum ordinum spatium occupasse. Hinc lucem mutuam tribuit & accipit lapis *Eugubinus* pag. 172. 14. in quo *Sulpitius* theatrum PODIO CIRCVMSCRIPSIT., eo nempe constructo per ambitum ipsius theatri. Præterea ex spatio *Arvalibus* permisso putare poteris, quot hominum numero eorum Collegium constaret. Nam si ex calculo *Torelli* apud Lipsium *de Amphith. extra Rom. Cap. III.* singulis pes, & dimidius tribuatur ad sessionem, in spatio pedum CXXIX. sedere poterant LXXXVI. homines, quos omnes ad
E Collegium *Arvalium* pertinuisse facile judicaveris: non enim vero simile est, loca ultra numerum tributa. Hoc sane intelligas velim non tantum de ipsis *Arvalibus*, quos duodecim fuisse non me latet ex Agellio *Lib. VI. Cap. VII.* sed de omnibus eorum Collegio ministrantibus.

Dubitaverant nonnulli viri docti, an eâ loquendi formâ apud veteres frequenti, *Ante Diem*, puta *decimum*, dies ipse decimus, vel antecedens significaretur. Card. *Norisius* profusâ eruditionis copiâ, quam ceteris operibus suis doctissimis, tùm sacris cùm prophanis, ubique florescentem miramur, ipsum diem notari demonstravit, *in Cenotaph. Pis. Dissert. II. Cap. XVII. à pag.* 342. Pla-
F cet ex nostris tabulis, quibus nec scripturæ error, nec vitium ævi affigi potest, hoc ipsum certo ac luculento testimonio docere. In tertiâ fratres Arvales indicunt *sacrificium Deæ Diæ peragendum ante diem XVI. Kal. Junias Romæ: ante diem XIIII. Kal. Jun. in Luco.* Exinde paullo inferius hæc consignata leguntur: *XVI. K. Jun. in domum Licini nepotis mag. fratres Arvales prætextati sacrificium deæ diæ ture, & vino fecerunt &c.* Recitantur alii ritus sacrificii & nomina *Arvalium*, 104
qui

qui interfuerunt; & statim hæc habentur: *XIIII. Kal. Jun. in Luco deæ diæ Q. Licinius nepos Mag. ad aram immolavit &c.* *Ante diem* igitur sextum decimum, & quartum decimum ipse est *dies* sextus decimus, & quartus decimus.

Antequam fratres *Arvales* deseram, operæ pretium me facturum existimo, si iisdem nummos aliquot, qui hucusque perperam explicati sunt, afferam. Ursinus Patinianus *in Familiâ Mussidiâ pag.* 182. denarium profert, cui Imago *Cereris* binis spicis conspicua impressa est, in posticâ vero parte *spicea Corona* cum epigraphe in ejus medio: *L. Mussidius Longus.* Hanc profero in Tabulâ numism. *pag.* 6. Eum *Ursinus* ad frumentariam aliquam *Mussidii* procurationem pertinere arbitratur. Olim monuerat me *Jo. Franciscus Sinibaldus* Auximas, morum suavitate, & literarum studio, bonorum omnium amorem promeritus, eam effigiem ipsius *Mussidii* esse, spiceamque coronam unum ex fratribus *Arvalibus* indicare. Gavisus sum, cum in nostras tabulas incidi, quarum tertia conjecturam hanc pene demonstrat. Ex eâ hæc verba describo: *Sacerdotes* Arvales *in tetrastulo consederunt, & ex Sacrificio epulati sunt, sumtisque prætextis, & coronis spiceis bittatis, &c.* Hoc ipsum illustrat Agellius *Noct. Actic. Lib. VI. Cap. VII.* ubi ex Massurio Sabino ait: *Cujus Sacerdotii* (fratrum Arvalium) *insigne est spicea corona, & albæ infulæ.* Additque Plinius *Lib. XVII. Cap. II.* Spiceam coronam, quæ vittâ albâ colligaretur, & Sacerdotio huic insigni data esset, primam apud *Romanos* coronam fuisse. Libenter igitur *Ursino* consentiam, effigiem scalptam in nummo esse *Cereris*, de quâ Ovid. Lib. IV. Fastor.

105 *Tum demum vultumque Ceres animumque recepit,*
Imposuitque suæ spicea serta comæ.

Nam & imago *Mussidii* longe ab hac discrepat, ut videre est in sexto nummo. At coronam spiceam in parte aversâ, non procurationem frumentariam, quæ duobus tantummodo spicis notatur in sexto nummo familiæ *Calpurniæ*, & alibi, sed sacerdotium fratrum *Arvalium*, quo *Mussidius* fungebatur, significare omnino verum puto. Eodem spectat denarius quintus familiæ *Juniæ* pag. 144. qui idem ac primus *Postumiæ* est pag. 231. Vittam eo prorsus modo, quem *Plinius* describit, coronas colligantem utrobique advertas. Sane passim cernere est scalpta insignia, & instrumenta sacra, Sacerdotium ejus, cui nummus impressus est denotantia. Quo non mirum est *Mussidium* sui sacerdotii insigne, coronam spiceam, in nummis descriptum gestasse.

106 ## CAPUT VIII.

Rursus de Operibus publicis. Horum Procuratores à Curatore Aquæductuum, Viarum, Alvei Tiberis, & statuarum distincti. Quinam Curator operum nitentium, *unde Valesius notatus. Curatores opera publica aliquando dedicabant; & locum iis ædificandis adsignabant. Epocha temporum Cæsarianorum, in lapide Cejonii Albini notata, inquiritur, & Scaliger ac Pagius corriguntur. Nomen Operibus publicis inscribere vetitum, nisi extructis propriâ impensâ. Architectis hoc etiam denegatum. Tubi plumbei Antii, & Puteolis effossi, quorum occasione nonnulla de Acte Neronis Libertâ.*

DE Operibus publicis institutum argumentum, quod saxa *Arvalium* interceperant, prosequamur. *Procuratoris* Operum publicorum nomen, & *Curatoris* promiscue veteres usurparunt. Primum nostra inscriptio, *Gruteriana* pag. 307. 5. & *Fabrettiana* supra indicata 470. retinent; secundum passim in ceteris inscriptionibus, & *in Libris Digestorum*, & *Codicis* utriusque reperies. Hoc officium ab *Augusto* institutum tradit Suetonius in Vitâ Cap. XXXVII. *Quoque plures*, inquit, *partem administrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis &c.* Officium, seu magistratus inventus ab *Augusto*, non res ipsa, aut munus. Pridem enim hæc omnia ad Censores pertinebant, vel Ædiles. *Augustus* singula distinxit, & pluribus administranda tradidit. At Pancirolus *in Commentar. ad Notitiam Imp. Occid. Cap. XV.* ait, olim Aquæductus non B habuisse distinctos Curatores: unus enim Curator Operum publicorum vocabatur, *l.* 1. *D. de Oper. publ.* Fallitur: nam *Ulpianus* in hac lege aperte munus Operum publicorum distinguit à curâ aquæductuum. Tantum innuit, constitutum in uno etiam alterum posse suscipere. Hic *Comes* 107 *Formarum* inferiori ævo dictus, & alius est à Curatore Operum publicorum *in* eadem *Notitiâ.* Nomen à *formis* quæsitum, quæ erant conceptacula aquarum, quibus aquæductus distinguebantur. At rursus dubium instaurat lapis *Romanus* pag. 93. 1. qui à Curatoribus Operum publicorum dedicatur NYMPHIS. LYMPHISQVE. C AVG. DVLCISSIMIS. OB. REDITVM. AQVARVM. PLACIDE. PROSILIENTIVM. AB. POPVLO. ROM*ano* DIV. DESIDER. . . . . Cura ergo aquarum deducendarum, quod est aquæductuum, ad ipsos pertinebat. Observo adjectas in fine epigrammatis literas singularias D. S. I. P. C. nempe *de suâ impensâ poni curarunt.* Ex ærario publico impensæ fiebant, quibus in provinciis tertia pars redditum destinata erat, ex præscripto Arcadii & Honorii *in l. ne splendidissime* 11. *Cod. de Op. publ.* At aliquando privatâ liberalitate Opera publica complebantur. *Zeno* Imp. in l. unicâ Cod. de D ratiocin. Oper. publ. jubet *provinciarum Rectores, & Præsides discutiendis publicis Operibus, vel aquæductibus* (notanda distinctio, de qua nunc loquebamur) *qui ex Civilibus redditibus vel à quolibet spontaneâ munificentiâ facti sunt, abstinere.* Ita in hac inscriptione ideo nomen Curatorum insculptum, quia *propriâ impensâ* aquas deduxerant. Inscriptionem vero tunc privatis quoque permissam mox ostendam.

Curam *viarum*, & *alvei Tiberis* segregat Tranquillus à curâ *Operum publicorum.* Quod servatum sequutis temporibus. Plinius *Lib. V. Ep. XV.* memorat, *Cornutum Tertullum* accepisse *Æmiliæ* viæ E curam. Hinc in nostris saxis pag. 446. 9. *Curator viæ Flaminiæ*, pag. 463. 4. *Curatori viæ Salariæ*, aliarumque viarum, de quo consulas indicem *Gruterianum.* Hi singularum viarum curam gerebant: at omnium simul *Plotius* ille apud Statium Lib. IV. Silv. IX.

Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit, omniumque late
Præfecit regionibus viarum.

alia exempla ex eodem indice haurire poteris. 108

Curatoris *riparum*, *& alvei Tiberis*, cui annexæ frequenter *Cloacæ*, sæpius meminerunt Inscriptiones, uti pag. 381. 3. 454. 5. 498. 5. 1028. F 5. *In Notitiâ* Comes riparum, & alvei *Tiberis*, & Cloacarum nuncupatur. Invenio etiam distinctam fuisse curam Bibliothecarum, licet hæ inter opera publica numerentur à *Victore.* Apud Fabrettum Cap. III. inscr. 478. *T. Ælius* eques *Romanus* dicitur Procurator BIBLIOTHECAR. IVRIS PVBLICI.... PRIVATI.

Rursus peculiarem *Curatorem statuarum*, quæ sane inter opera publ. censebantur, refert *Notitia* sub dispositione P. V. Ejus munus erat noctu Urbem circumire, manu militum adhibitâ, & pro-

ſpicere, ne ſtatuæ devaſtarentur, aut furto tollerentur. *Romæ enim quidam populus copioſiſſimus ſtatuarum, greges etiam abundantiſſimi equorum* erant, ut phraſi utar Senatoris *Lib. VII. Epiſt. XIII.* ubi hoc officium deſcribit ſub nomine *Comitivæ Romanæ.* Hic videtur deceptus doctiſſimus Henricus Valeſius, qui *in Annot. ad Marcellinum Lib. XVI. Cap. VI.* hunc Comitem confundit cum *Centurione rerum nitentium*, qui in Notitiâ *Tribunus rerum nitentium* vocatur. Equidem eumdem eſſe *Centurionem rerum nitentium* Marcellini, ac *Tribunum* Notitiæ aſſentior; at hos diverſos *à Curatore ſtatuarum*, ſeu *Comite* Caſſiodori, ex eadem Notitiâ manifeſte apparet. Puto nomen ipſum diſcretum munus & rem deſignare. Tribuni ſeu *Centurionis rerum nitentium* ſolicitudo erat, ut Ædes Sacræ, Baſilicæ, Fora, Balnea, Circi, Theatra, Viæ, Bibliothecæ, & omnia denique loca publica nullis ſordibus vitiarentur, ſed *niteſcerent*, ut notavit Pancirolus *Cap. XIX.* At *Comiti Romano*, ſeu *Curatori ſtatuarum*, nil, niſi earumdem ſtatuarum cuſtodia, ad furta & damna compeſcenda, & jurisdictio in earum violatores commendata erat, ut patet in memoratâ *Caſſiodori* formulâ. Illam *rerum nitentium* Panciroli explicationem eâ obſervatione illuſtro, quod ſæpius, ad ſplendorem & ornatum operum publicorum con-

109 notandum, ſimilis loquendi forma uſurpata fuerit, ævo præſertim, quo ſcribebat Notitiæ auctor. *Venas nitentium ſaxorum*, ſcilicet marmorum, invenies in l. 2. de Metall. *Ædificia ad ſtatum priſtinum nitoris adducere* in l. 20. de oper. publ. & *publicis nitoribus faciem aſpectus deterioris inducere* (quod eſt opera publica deturpare) in l. 25. eod. tit. ex Codice omnes Theodoſ. Denique Caſſiodorus Lib. III. Ep. IX. *quæ ſitu*, inquit, *fuerant obſcura antiqui nitoris poſſint recipere qualitatem.*

Cetera ergo *Opera publica* Curatori, de quo nobis ſermo eſt, committebantur. Ea paſſim memorata videas *in Libris Pandectarum*, & utriusque *Codicis* ſub titulo *de Operibus publicis.* Inter hæc præcipua ſunt Ædes ſacræ, Templa, Prætoria, Thermæ, Theatra. At Urbis mœnia, & Amphitheatra, & quædam alia, *maxima* dicebantur, iisque proprius Curator datus *in Notitiâ.* Officium noſtri *Curatoris* erat incumbere, ea integra ſervari, collapſa reſtitui, & nova redemptoribus facienda locare. Verba ex prædictis libris juris, quibus hæc munia indicantur, non exſcribo, ut tædio legentium parcam. Alia tamen ipſis intacta ex noſtris inſcriptionibus delibo, quo etiam conſtet, quantum ad veterem eruditionem præclara hæc lapidum monumenta conferant.

Primum inter egregia Curatorum munia fuit *Operum publicorum* dedicatio. In *Rom. inſcriptione pag.* 171. 7. hæc habentur: DEDIC. XV. K. FEBR. PER. T. ARRIVM. BASSIANVM. V. C. CVR*atorem* OP*erum* PVBLICORVM. ANVLINO. II. ET. AVFIDIO. FRONTONE COS. Quodnam fuerit hoc opus ab *Arrio* dedicatum, non ſatis liquet: licet enim inſcriptio exſculpta ſit in ſiniſtro latere Lapidis, cui alia *Vettii Probiani* Præfecti Urbi *ad ſtatuam in Baſilicâ Juliâ adjectam* ſuperſcripta legitur; attamen ex prædictis Conſulibus prima ad Imperium *Septimii Severi*, ſecunda ex charactere, ut ibi notat illuſtris collector, ad ævum *Conſtantinianum* pertinere dignoſcitur. Unde patet, *Arrium* non dedicaſſe ſtatuam, quæ impoſita antiquo ejus lapidi (ut non ſemel ævo ſequiori factum obſerva-

110 mus) *Vettii Probiani* dedicatione publicata fuit. Ex hoc marmore forte reſtituendum cognomen *Probiani* Vectio Præfecto Urbi, de quo Panvinius *in Faſtis ad annum U. MLXXXVII.* Ergo Arrius *Curator*, neſcio quod aliud opus publicum dedicavit. Quod intelligendum de dedicatione

A in ſenſu profano, uti *domum Neronis dedicatam* legimus apud Suet. Neron. Cap. XXXI. *Patinam Vitelli* apud eumdem in ejus Vita Cap. XIII. & *Pontem Puteolanum* in Calig. Cap. XXXII. Non enim ſum neſcius, Templa & Ædes ſacras dedicandi jus apud Pontifices, & Imperatores ſtetiſſe; cujus exempla, præter ea quæ habet Emundus Figrelius *de Statuis Cap. XXIX.* videre poteris apud Tacitum *Annal. II. Cap. XLIX. ſub fin.* & Ciceronem *in Orat. pro domo ſua*, & *ad Attic. Lib. IV. Ep. II.* Privatis nonniſi decreto Senatus, cui aliquando juſſus populi acceſſit, dedicare fas fuit. Conſule Gutherium *vet. Jure Pontif. Lib. III. Cap. XII.*

B Præterea ſi cui Templum vel Ædem ſacram excitare in animo erat, non id licebat, quin *Curator operum publicorum* locum ad conſtruendum circumſcriberet. *Romanus* lapis *pag.* 26. 3. LOCVS ADSIGNATVS. AEDI. OPIS. ET. SATVRNI. L. MVNATIO. VERO. ET. C. TERENTIO. FELICE. CVRAT. OPER. PVBL. Magiſtratum hunc duobus viris conflatum ex hac, & aliâ proxime referendâ inſcriptione apparet. In alio Romano lapide pag. 128. 2. *Negotiatores Frumentarii Templum extruxerunt ex auctoritate Imp. Cæſaris Titi Veſpaſiani Aug. in*

C *LOCO, qui erat DESIGNATVS. per Flavium Sabinum Operum publicorum Curatorem.* Sub *Tito* Templum extructum: at locus pridem deſignatus erat, opere fortaſſis per bella civilia intermiſſo. Quo licet conjicere, hunc *Sabinum* ipſum fratrem *Veſpaſiani* fuiſſe, bello *Vitelliano* obtruncatum. Et quidem Templorum curam eos egiſſe, improbum *Vitellii* facinus demonſtrat, quem operum publicorum Curatorem, ut ſuperius indicatum eſt, *dona, atque ornamenta Templorum ſurripuiſſe & commutaſſe quædam, proque auro & argento ſtannum, & aurichalcum ſuppoſuiſſe*, ferente famâ narrat Suetonius *in Vitâ Cap. V.* 111

D Quamvis cura collocandi ſtatuas, juſſu publico præclaris viris decretas, Curatoribus ſtatuarum incumberet, locus tamen, quo ipſæ ponendæ eſſent, per *Curatorem operum publicorum* deſignabatur. Utrumque diſcimus ex illuſtri inſcriptione *Cejonii Rufii*, quæ cum apud *Gruterum pag.* 387. 3. & Panvinium *in Faſtis ad A. U.* MLXXXVII. fœde corrupta legatur, integram & emendatam proferimus ex *Tom. IV. pag.* 492. *Analectorum* Clariſſimi Mabillonii, qui eam ex antiquo *Einſidlenſi* membranaceo Codice deſcripſit. Et ne de Germanico exemplari quis dubitare poſſit, eandem prorſus ſimilem ex autographo *Joannis Marcanovæ*, qui primus omnium veteres inſcriptiones col-

E ligere aggreſſus eſt, *Venetiis* exſcriptam, mecum communicavit ornatiſſimus vir, & in literarum ſtudio optime verſatus, *Apoſtolus Zenus.* Ea vero ſic ſe habet: *Cejonium Rufium Albinum V. C. Conſ.*[sic] *Filoſophum Rufi Voluſiani bis ordinarii Conſ. filium Senatus ex Conſulto ſuo quod ejus liberis poſt Cæſariana tempora, id eſt poſt annos CCCLXXX. & I. auctoritatem decreverit Fl. Magnus Januarius V. C. Cur. ſtatuarum. Locus adſignatus ab Nigro & Coſciano Cur. operum publicorum.* Hæc poſtrema verba, quæ ad noſtrum argumentum attinent, licet apud *Mabillonium* ab aliâ inſcriptio-

F ne intercepta legantur, tamen ſic conjungenda ſunt ex *Grutero*, qui vitium ſane in ſcriptione, incorrecto exemplari uſus, admiſerit, in hoc forte deceptus non eſt, cum & res ipſa ſuadeat, ea verba ita ſolitarie ſtare non poſſe. Hoc *Romæ*: at in Coloniis & Municipiis locus ponendæ *Statuæ* deſignabatur vel à Decurionibus, quod notant hæ literæ ſingulariæ L. D. D. D. hoc eſt. *Locus datus Decurionum decreto*, in inſcriptionibus frequentes, ut *pag.* 404. 1. & alibi; vel ab ipſis Duumviris ex *pag.* 355. 1.

Cum

Cum præclaram illam Epochæ *Cæsarianæ* 112 Chronologicam notam, quâ recitatum saxum *Albini* Consulis signatur, perperam versaverint insignes temporum Magistri, parcat Lector, si rursum diverticula persequor. Scaliger *in Notis Eusebianis num.* 1969. explicaturus hanc ipsam inscriptionem, quam mutilam & incorrectam producit, Epocham Monarchiæ *Julii Cæsaris* alligat Æræ *Antiochenæ*, (scilicet anno U. C. DCCVI. Per. *Julianæ* MMMMDCLXVI.) quam cum præcessisse XLVIII. annis Epocham *Christi* dixisset, his deductis ab annis CCCLXXX. colligit annum *Christi* CCCXXXII. quo iste honor *Cejonio Rufio Albino* habitus est. Labitur vir doctus prochronismo trium annorum. Certum enim est lapidem incisum, & eum honorem delatum fuisse *Albino*, seu ejus liberis, eo anno, quo ipse Consulatum agebat: legitur quippe in nostro emendato statim ab initio: *Cejonium Rufium Albinum* V. C. CONS*ulem*. Qui Consulatus, Collegâ *Constantio*, incidit in annum *Christi* CCCXXXV, Urbis MLXXXVIII. Unde ergo illi peccandi caussa? Fortasse *Panvinium* sequutus est, qui computavit tantummodo annos CCCLXXX. abjectâ unitate. At profecto *Scaliger* non excusandus, dum in ipso exemplari, quod profert, ea unitas charactere grandiori exaratur. Quâ ratione saltem colligere debuerat annum *Chr.* CCCXXXIII. â cujus Autumno inchoabatur annus CCCLXXXI. æræ *Cæsarianæ*. Ita enim computus ab eo initus per detractionem est intelligendus. Nondum vero assequimur Consulatum *Albini*, qui decurrebat anno *Chr.* CCCXXXV. De hoc redibit sermo cum *Pagium* excutiam. Interim eumdem *Scaligerum* male conjunxisse æram *Cæsarianam* cum *Antiochenâ* est demonstrandum.

Primus errorem invexit Auctor *Chronici* vulgo *Alexandrini*, quod *Paschale* vocat *Cangius* in ejus editione paucis ab hinc annis adornatâ. Chronologi verba sunt ex translatione Raderi ad annum Olympiadis CLXXXIII. *Incipit Antiochiæ annus primus .... à primo anno C. Julii Cæsaris*, & quatuor, interjectis paginis: *A primo anno C. Julii Cæsaris, Lepido & Planco Cos. sive XII. Maji Antiocheni auspicantur suam Æram.* 113 Pessime primum annum *Cæsaris* iis Consulibus signat, ut jam viri docti observarunt. At non melius Æram *Antiochenam* cum eodem primo anno componit. Quod statim ostendo. Hujus Æræ initium, maximis Chronologis vario fato exagitatum, *Langio*, *Scaligero*, *Usserio*, *Herwarto*, aliisque, demum post *Petavium* Card. *Norisius* in elaboratissimo opere *de Epochis Syro-Macedonum Dissert. III. Cap. IV.* innumeris & invictis tum veterum scriptorum, tum Numismatum apud *Antiochiam* percussorum testimoniis, statuit in Autumno A U. *Romæ DCCV.*, Periodi *Julianæ MMMMDCLXV.* ante Epocham *Christianam* vulgarem XLIX. At certum est, *Cæsarem* labente æstate A. U. DCCVI. *Pompejum* Pharsalicâ pugnâ profligasse, unde illi singularis dominatûs fundamenta sunt jacta, & Monarchiæ constituendæ magnus dies indictus. Nequit ergo in annum antecedentem, quo nondum *Pompejum* devicerat *Cæsar*, initium ejus Imperii conferri, & cum *Antiochenorum* Epochâ comparari.

Non æram falsam *Antiochenam* Scaligeri sequitur, sed ad idem tempus exorditur Epocham *Cæsaris* Antonius Pagius *in Crit. Baronianâ ad annum CCCXIV.* explicans eosdem hos nostri Lapidis chronologicos characteres. Nimirum eam deducit ab anno Urbis DCCVI. quo pugna *Pharsalica* fuit habita, atque hinc additis annis CCCLXXXI, provehitur ad annum Christi CCCXXXV, & annum Urbis MLXXXVII,

A *qui in eo*, ait, *anno Christi inchoatur*. Nec pensi habet particulam POST in inscriptione notatam, *post annos* CCCLXXX. & I. cum modus hic loquendi *apud antiquos plerumque aliud non designet quam annum inchoatum*. Recte quidem notam eam numeralem ad annum CCCXXXV. Consulatus *Albini* consignavit vir optime de temporum doctrinâ meritus, at manifeste lapsus est in putandâ annorum ratione. Nam si Epocha *Cæsariana* init à pugnâ *Pharsalicâ*, quæ labente æstate, seu initio Autumni A. U. DCCVI. decertata est, additis annis CCCLXXXI. non provehimur ad annum *Christi* CCCXXXV, sed CCCXXXIV. B completum in Autumno. Et mirum est profecto, *Pagium* dixisse annum Urbis MLXXXVII. 114 inchoari anno *Christi* CCCXXXV, cum in tabulis Chronologicis, puta *Petavii* & *Brietii*, quas nunc ad manus habeo, pateat, eum concurrere cum anno CCCXXXIV, æræ vulgaris *Dionysianæ*, qua & ipse utitur. Sed dum sugillat *Onuphrium*, qui male unitatem ab Inscriptione detraxerat, ut annos *Cæsarianos* aptaret anno U. C. MLXXXVII. *Christi* CCCXXXV, ab eo hos eosdem annorum characteres transcripsit; non advertens ideo *Onuphrium* eos annos Urbis & *Christi* conjungere, quia æram *Christia-* C *nam* auspicatur ab anno U. C. DCCLIII. uno scilicet anno ante vulgarem. Sane ex suismet hypothesibus poterat *Pagius* lapsum antevertere, Nam cum in Apparatu *num.* 59. connectat annum U. C. DCCVI. cum anno Periodi *Græco Romanæ* MMMMMCCCCXLVI. si addamus annos CCCLXXXI. emergit annus Per. *Græc. Rom.* MMMMMDCCCXXVII. qui apud ipsum *in Criticâ pag.* 108. est annus *Christi* CCCXXXIV. Idem obtinebis ex numeris Periodi *Julianæ*. Anno Urbis eodem DCCVI. labebatur annus Per. *Jul.* MMMMDCLXVI. cui si addas CCCLXXXI. hujus postremus definit in Au- D tumno anni MMMMMXLVII. ejusdem Periodi, qui est *Christi* CCCXXXIV. Cum ergo in Autumno hujus anni CCCXXXIV. jam exactus esset annus CCCLXXXI. Epochæ *Cæsarianæ*, sequenti anno CCCXXXV, quem aperuerat *Albinus* Consul, decurrebat annus ejusdem Epochæ CCCLXXXII. Hinc *Pagius* perperam in annum CCCXXXV. Consulatus *Albini* contulit annum *Cæsaris* CCCLXXXI. Et hinc rursus falsa videtur nostra Inscriptio, quæ eundem annum Cæsarianum *Albino* Consule notavit.

Ut nodum solvam, & fidem lapidi afferam, revocanda est particula POST, quam *Pagius* ab- E jecerat. Verba inscriptionis hæc sunt: POST. *Cæsariana. tempora. idest. post. annos. CCCLXXX. & I.* liberis *Albini* Consulis Auctoritatem decrevit Senatus. Modus hic loquendi, in sensu naturali & proprio, designat tempus jam decurrens *Post* ann. CCCLXXXI. completum. (Quod non negavit *Pagius*, cum dixit *plerumque* annum inchoatum connotare.) Sola enim consuetudo induxit, ut in hanc significationem denotandi annum inchoatum abiret. Sic *ante diem* & *post diem* ex usu diem ipsum designat, non sermonis proprieta- 115 te. *Paulus* J. C. in l. anniculus 132. D. de verbor. signif. *Anniculus*, inquit, *amittitur, qui* F *extremo anni die moritur. Et CONSVETVDO loquendi id ita esse declarat, ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum, neque utro enim sermone undecima dies significatur.* Hujus Legis *malam literam*, uti vocat *Accursius*, eruditis concertationibus agitarunt doctissimi viri Card. *Norisius in Cenotaph. Pis. Dissert. II. Cap. XVII. Baluzius*, *Toinardus*, & alii, qui notas ediderunt in aureum libellum Lactantii *de mortibus Persecutorum Cap. II.* postremæ edit. Ultraject. ann. MDCXCIII. Igitur vi consuetudinis factum est, docente *Paulo*;

lo, ut eâ formulâ, *Post diem decimum*, dies ipse decimus, non undecimus, significaretur. Ceterum ex naturâ suâ eadem particula *Post* tempus jam expletum connotat. Non aliud quam alterius Juris-Consulti testimonium vocabo. Pomponius in l. si ita fuerit. 41. D. de manumiss. testam. *multum interesse*, ait, *inter hos sermones, duodecimo anno, & post duodecim annos.* Nimirum primo annus duodecimus decurrens, secundo exactus designatur. Quod exemplo sic explicat: *ut si testator dixerit, servus meus triennio POST, quam ego mortuus ero, liber esto. Non potest is servus, nisi triennio præterito, liber esse.* Eâdem prorsus loquendi formâ usus est Auctor nostræ inscriptionis. *Post Cæsariana tempora, id est post annos CCCLXXXI.* Annos istos numeratos ab initio Epochæ *Cæsarianæ*, necesse est fuisse completos, cum honor filiis *Albini* habitus fuit: sicut triennium à morte Testatoris præteritum esse debuit, ut servus libertatem consequeretur. Quod ita necessario explicandum est, cum ostenderimus, ipsum annum CCCLXXXI. cœptum anno *Christi* CCCXXXIII, exiisse in Autumno anni CCCXXXIV. atque idcirco nullo modo referri posse ad Consulatum *Albini*, qui cum sequenti CCCXXXV. concurrit.

Ac nondum acquiesco Æræ *Cæsarianæ* à *Pagio*, & *Scaligero* in autumnum anni Urbis DCVI. con-
116 jectæ; Licet enim à pugnâ *Pharsalicâ* Monarchiæ fundamenta, ut ante indicavi, posuerit *Cæsar*, exinde initum non fuisse cardinem temporum *Cæsarianorum* existimo, sed â proximis Kalendis Januariis, quo civilem annum exordiebantur *Romani.* quod exemplis, & ratione ostendo. Cum *Octavius Cæsar*, firmato sibi à Senatu Imperio, die 17. Januarii fuisset appellatus *Augustus*, non tamen ab hac die desumptos annos, sed à proximis Kal. Jan. quibus inchoabatur annus civilis, refert Censorinus de Die natali Cap. XXI. his verbis: *Annus Augustorum CCLXV. perinde ex Kal. Januarii, quamvis ex A. D. XVI. Kal. Februarii Imperator Cæsar D. F. sententiâ L. Munatii Planci à Senatu ceterisque Civibus Augustus appellatus est.* Quod idem Auctor tradit de *Alexandrinis*, qui Epocham in honorem ejusdem *Cæsaris* institutam à primâ die mensis *Thoth*, unde iis erat initium anni, auspicati sunt. *Justinus* Junior medio Novembri Imperium accepit; attamen non nisi à Kal. Januariis proximis, quibus novum Consulatum exorsus est, annos Imperii numerari voluit, ex Corippo *Lib. IV. de* ejus *Laudibus*, ubi hæc ait, loquens de processu ejusdem Consulatus:

Hinc vester primus feliciter excipit annus,
Votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis.

Quod igitur Kal. Januariæ A. U. DCCVII. propinquiores essent victoriæ, quam de *Pompejo* retulerat *Cæsar*, ab iis initium *Cæsarianæ* Monarchiæ desumptum verisimile videtur. Sane Kal. Jan. ejusdem anni Dictaturam annuam extra exemplum sibi delatam apud *Alexandriam* iniit, & Consul solus processit: quo rationem & jus Monarchiæ & legitimi Principatus stetisse nemo non videt. Unde tunc verè, ut ait Eusebius in Chronico, *singulare arripuit Imperium*; & tunc canente Ausonio in Cæsaribus:

Imperium binis fuerat solemne quod olim
Consulibus, solus Julius arripuit.

Ita etiam cum *Octavio*, ut mox memoravi, nomen *Augusti* à Senatu tributum firmatumque Imperium fuisset, *ex ea die*, inquit Orosius Lib.
117 VI. Cap. XX. *summa rerum & potestatum penes unum esse cœpit & mansit, quod Græci Monarchiam vocant.* Cui sententiæ de initio *Juliani* Imperii præluserat Joannes Herwartus *Cap. CCXVII. novæ Chronolog.* paucis hisce verbis: *Verissimum*

A *est anno U. C. DCCV. desinente debellatum fuisse à Cæsare Pompejum Magnum*, sed tamen dicendum est *annum primum Imperii seu Monarchiæ C. Julii Cæsaris coincidere anno U. C. DCCVI. proximo.* Computat hic Auctor annos Urbis *Capitolinos*, non *Varronianos*, qui vulgo usurpari solent, & ideo unum annum antevertit. Itaque ducto primordio *temporum Cæsarianorum* à Kal. Jan. anni U. C. DCCVII. annus, qui labebatur post tercentesimum octogesimum primum ab iisdem Kalendis, ipse est annus Consulatus *Albini*, U. C. MLXXXVIII. *Christi* CCCXXXV. quo noster lapis fuit inscriptus.

B At, dimissis hisce Chronologicis tricis, viam nostram jam expediti abeamus. Ubi in Operibus publicis signatum videas *Curatoris* nomen, id, ut supra monuimus, eâ tantum ratione factum intelligas, quod, vel ipse de pecuniâ suâ illud excitaverit, vel quod titulum officii præsignet. Nam cum aliquando ea ambitionis vesania quorundam ingenia invasisset, ut Operibus publicis tamquam auctores, nullâ Imperatorum, quibus impensa steterat, mentione factâ, se ipsos inscriberent, sancivit Theodosius, ut *si qui judices operi suum potius nomen quam Imperatoris scripserint, majestatis teneantur obnoxii*, in l. 31. Cod. Theod.
C de Oper. publ. Judices sive Rectores in provinciis etiam operibus publicis erant præpositi, ut in Urbe Curatores. Hanc vanitatem, quam *indomitam* subscribendi *licentiam* vocavit Horatius *Lib. III. Od. XXIV.* carpit Marcellinus *Lib. XXVII. Cap. III.* in Lampadio præfecto Urbi, qui *per omnia Civitatis membra, quæ diversorum Principum exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed conditor.* Quod in privato aucupari, fœda ambitio, in Principe respuere, summa laus erat. Hinc *magnum illud* fuisse in Severo Spartianus Cap. XXIII. ait, *quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio* 118
D *temporum labebantur, instauravit, nusquam prope suo nomine scripto, servatis tamen ubique titulis conditorum.* Immo etiam in conditis à se operibus, præter aquæductus & Urbes quasdam, quas suo nomine appellavit, titulos non amasse *Hadrianum*, memoriæ tradidit idem Historicus *in Vit. Cap. XX.* Potiori sane laudis merito, quam *Trajanus*, quem ideo *herbam parietinam jocando cognominatum* ait *Marcellinus* loco jam indicato. Ergo ea, quæ augusto Principis titulo consecrari oportebat, indignum erat nomine privatorum, veluti majestatis dispendio, corrumpi. Nisi tamen, ut innuimus, quisquis operi perficiendo præposi-
E tus, officii nomen & curam impensam inscripserit, qua ratione verba memoratæ legis *Theodosianæ* ita recte refinxit Tribonianus in l. 10. Cod. Justinian. eod. tit. *si qui Judices perfecto (publicis pecuniis) operi suum nomen, sine nostri nominis mentione, inscripserint*, ut observavit doctiss. Gothofredus *in Notis ad* eam *legem trigesimam primam.*

Quod sane vetitum, ut vides, in operibus publicâ pecuniâ extructis. Nam si muneris solicitudinem liberalitate cumulasset, & in Urbis ornatum & decus Curator, vel alius quispiam impensâ suâ ædificia publica excitasset, tunc nomen
F inscribere & titulum dicare, nec jura antiqua nec posteriora Imperatorum rescripta intercessere. Hinc adeo frequens in inscriptionibus ejus formulæ mentio, *de pecuniâ suâ, impensâ suâ* &c. operibus quoque publicis superpositæ. Unum non adeo vulgatum exemplum proferam, quod *Vesontione* tunc repertum *Cl. Mabillonius* in itinere *Germanico* ann. MDCLXXXIII. *Tom. IV. Analectorum* præfixo, publicavit. DEO MERCVRIO. CISSONIO. DVBTEATIA. CASTVLA. NATIONE. SYRIA. TEMPLVM. CONLABSVM. DENVO. DE. SVO RESTI-

STITVIT. Quotidie nobis sub oculis versatur *M. Agrippæ* nomen, quo *Pantheon*, seu ut Antiquariis placet, ejus Porticum à se extructam inscripsit.

At non idem juris artificibus & architectis, quibus, licet opus aliquod publicum impensâ suâ
119 excitassent, nomen imponere haud permittebatur. Vide Lucianum *de recta Ratione scribendi Historiam, in fine*, ubi de *Gnidio* architecto, qui Pharum fabricavit, & mero astu nomen suum occultavit, ut postea emergeret. De eodem etiam Plinius *Lib. XXXVI. Cap. XII.* sed nihil de occultatione; unde permissa à Rege videtur inscriptio. Is fuit *Sostratus Gnidius*, de quo vide etiam Strabonem *Lib. XVII. pag.* 791. Narrat Plinius Lib. XXXVI. Cap. V. in fin. *Sauron* & *Batrachum* Lacones Architectos *templa Octaviæ porticibus inclusa suâ impensâ construxisse, inscriptionem spernantes. Quâ negatâ, hoc tamen alio loco & modo usurpasse.* Nam *in columnarum spiris inscalpta nominum eorum argumenta, rana atque lacerta.* Hanc quippe Græci σαῦρον, illam βάτραχον vocant. Hinc Canonicus Blanchinus *in Commentario lapidis Antiatis* nobis *Cap. I.* laudato, severitatem ejus moris, quo architectis & artificibus nomen scalpere interdicebatur, eâ observatione confirmat, quod à tot millibus earum inscriptionum, quas *Gruterus*, & ab eo proximi descripserunt, vix aliud reperias exemplum, quam *Puteolanæ* pag. 227. 2 & alterius *Veronensis* 186. 4. in quâ *L. Vitruvius L. Cerdo Architectus* locum obtinet nominis incidendi. Notatu præterea dignum est in *Romanâ* 330. 7. non ausos architectos nomen suum proferre, ita enim literis *Græcis* exarata est: *Sapientem inter viros Augurem virum maximum Quintum Julium Miletum Artifices statuerunt.* Cui literis Latinis subscriptio adjacet: *Q. Julius Faensis Alumnus cum Artificibus posuit.* Basis est prægrandis, cui forte statua *Julii Mileti* erat superimposita. Quem metum prodit etiam ipse lapis *Antias* à *Blanchino* illustratus, in quo nomen Artificis *L. Coccei* insculptum solo latitans adhærebat.

Suspicatur idem eruditus auctor, hanc nominis occultationem indicium esse morum ac temporis *Hadriani* Imperatoris, à quo architectorum ausus usque ad necem coërciti, ideoque & dedicationes operum per literarum compendia obvolutas: permissum vero nomen artificis lateribus consignari, quorum exempla aliquot promit. At architectos operibus publicis inscribi pridem ante *Hadrianum* interdictum, ut vidimus: ne scilicet publicas ædes, magnificentiâ & nobilitate conspicuas, titulus vilissimorum hominum affixus
120 fœdaret. Contra eorum nomen occulto & obscuro loco incidi, haud vetitum, prout neque operibus privatis vulgarisque notæ & æstimationis. Ideo non tantum lateres opificis signaculo insculptos reperimus, sed tegulas quoque, aquæductuum tubos, figlina, lucernas, aliaque id genus, quorum quædam *Gruterus à pag.* 182. non pauca Fabrettus *Cap. VII. pag.* 542. plura Smetius *in Antiquitat. Neomag. pag.* 165. suppeditant. Locum hic poscit tubus plumbeus *Antii*, me præsente, in extremitate veteris portus defossus, qui hos characteres non leviter injuria ævi consumptos præferebat L. T. FLAVIVS FORTVNATVS FECIT. Notabis duobus prænominibus *Lucii* & *Titi* inscriptum hunc *Fortunatum*, quod non insolens *Romanis* fuit, uti notavit Spanhemius *Dissertat. VI. pag.* 511. Integrum nomen occurrit apud *Gruterum pag.* 796. 3. in epitaphio *Juliae Triphosae* conjugi posito. Exinde alia quoque sunt inibi effossa fistularum fragmenta. Unum hæc habet: STATIO. VRBANA. AVG. N. *Statio* officinam, qua tubi conflabantur, designat. Apud Gruterum 11. 5. *Stationis marmorum* mentio est. Ea tamen in Urbe erat, unde tubi *Antium* delati, ideo *Urbana* vocatur. *Augustus noster* forte *Vespasianus*, qui in altero obsignatur. Alterius hæc est inscriptio: M. A. CAIVS. PERITVS. FEC. Primæ literæ indicant *M. Aurelium*, ex alio simili. *Cajus* nomen Servi, post libertatem in cognomen transiit. Haud vulgare porro est, hujusmodi artifices *Periti* nomine insigniri. Etiam in alio visitur: SX. *Egnatius Peritus Fec.* Postremum PROSIAE. CRISPINAE, cujus erat officina, nomen prodit. Cum prope veterem *Antii* portum omnes hi tubi fuerint reperti, eo aquam derivasse non dubito. Memorat *Capitolinus* Antoninum Pium *Antiatum aquæductus* restituisse, *in Vitâ Cap. VIII.* Hæc
B quoque laus est SS. D. N. INNOCENTII XII. qui nobilissima magnificentiæ argumenta inter ipsas *Antii* ruinas molitur. Dum enim hæc scribimus, acto sub terram ingentis altitudinis ob soli inæqualitatem cuniculo, plurimam aquæ copiam ex longinquo fonte ad portum *Antiatem* 121
à se nuper extructum, in nautarum confluentium commodum, magnis impendiis perduxit. Utrique operi Eminentiss. Card. *Pamphilius* ab optimo Principe præfectus, consilio, solicitudine, & industriâ munus prolixe complevit; jam morum innocentiâ, multiplici literarum & doctrinæ cultu, maximisque virtutibus dignitatem ipsam supergressus.

C Dum tubos aquæductuum tractamus, duo non sunt prætermittendi, paucos ab hinc dies *Puteolis* prope mare reperti, quorum primus ita inscriptus est: CLAVDIÆ AVG. L. ACTES: secundus vero literis inversis ƆAV· ƧƎAƆ· IDAV⅃Ɔ-IT. Eorum typum vidi, cui additæ erant anonymi, antiquitatum, ut videtur, studiosi, breves notæ. Vir eruditus suspicatur, eos tubos per montis declive, quo plura veterum monumenta spectantur, impetu decidentium aquarum ad mare delatos. Pertinere autem ad aliquem aquæductum operis publici non ambigit, & observatione dignum subdit, quod operibus publicis nomen
D *Actes* Libertæ fuerit impositum. Nil tamen mirum hanc Libertam, *Neronis* gratia florentem, ut testantur *Tacitus*, *Suetonius*, & *Dio*, ausam fuisse publicum aquæductum olim à *Claudio* extructum, ut inscriptio alterius tubi indicat, à se restauratum, titulo nominis inscribere. Conjecturis manus addo. Attamen opus illud, publicum fuisse, nil nos cogit fateri. Cum *Puteolis*, & in proximo *Bajano* litore nobilissima ædificia, & villæ amœnissimæ *Romanis* essent, quisque privato sumptu & opere aquarum copiam ad usum & delicias derivabat. Nec cuiquam vetitum operi à se extructo, non tantum privato sed & pu-
E blico, titulum insculpere, ut vidimus. Potiori jure id usurpatum in his tubis, vilioris notæ operibus & in occulto latentibus. Potuit vero nomen *Claudii*, alteri fistulæ obsignatum, denotare, eo imperante aquæductum conditum fuisse, ut moris erat notas Consulum, & Principum ejusmodi operibus, quod superius observatum, 122
conscribere. Hinc inde conjectando ludimus.

At serio auguror, virum illum egregiè falli, cum certo se deprehendisse autumat, ex quo *Acte Claudiæ* nomen præferat, eam *Claudii* Imperatoris, non *Neronis* libertam fuisse. In id enim non cogimur ex *Claudiæ* nomine, cum hoc & *Nero*,
F in eam familiam à *Claudio* per adoptionem insertus, gesserit, ut passim nummi & veterum saxa testantur. *Neronem* vero libertate donasse *Actem* plane suadet profusus in eam amor, quam & paullo abfuit quin justo matrimonio sibi conjugeret, auctore Suetonio *in Vita Cap. XXVIII.* utque improbas nuptias Regiæ originis titulo honestaret (non tantum amoris violentiâ abductus, quæ *Xiphilino* Dionis epitomatori caussa traditur) eam in familiam *Attali*, quippe ex *Asia* emptam, retulit. At rem extra controversiam sistunt duæ In-

ſcriptiones apud Fabrettum *Cap. III. num.* 29. & 38. Prima hos characteres præfert:

DIIS. MANIBVS
HELIO
ACTES. AVG. L.
LIBERTO
A CVBICVLO

Alia in hæc verba ſcribitur:

THELYCO
EVTYCHI
ACTES. AVG. L. L
ALVMNO. A. MANV
VIXIT. ANN. XX

Helius, & *Thelycus* erant *Liberti Actes Auguſti Libertæ*. Alios Libertos *Actes* ceteri lapides, ibidem *Fabretto* relati memorant. Libertos non potuit habuiſſe *Acte*, niſi cum opibus & potentiâ floreret. Florebat autem ſub *Nerone*, non ſub alio Imperatore. Porro *Auguſti* nomen non-
123 niſi Imperatori viventi tributum fuit, ut verſantes vel leviter priſcam eruditionem norunt. Cum ergo Actes *Liberta Auguſti* vocetur, non is alius quam *Nero* tunc vivens, à quo in perditi amoris argumentum, divitiis & turbâ ſervitiorum auctam par eſt credere. Hinc horti & villæ apud *Puteolos*, in quibus aquæductuum tubi ejus nomine obſignati jacebant, vel à *Nerone* donatæ, vel ab ipſâ emptæ & comparatæ ſunt. *Actes* nomine dicatum fuit templum *Piſis*, ubi adhuc hoc lapidis fragmentum viſitur: RERI. SAC. AVG. LIB. ACTE: *Cereri ſacrum Auguſti liberta Acte*. Card. Noriſius *in Cenot. Piſ. Diſſ. III. Cap. I.* dubitat, num *Neronis* liberta hic deſignetur, quod eo nomine diverſorum Cæſarum libertæ nuncupatæ fuerint. De noſtrâ haud ambigendum puto.

124 CAPUT IX.

Quid Vexillarii in militiâ Romanâ? Salmaſius adverſus Lipſium acerbior emollitus, & inconſtantiæ notatus. Turnebi ſententia de Vexillationibus perſtricta. Num hæ peditum, vel equitum? ex milite legionario, vel externo? Deductæ de loco ad locum: cuinam generi Vexillationum AQUILIUS præpoſitus.

PRAEP. VEXILLAT.

Præpoſito Vexillationibus.

At ab Urbe ad Caſtra nos revocat AQUILIUS, & inter pacis opera verſatos, denuo ad belli militiæque munera tractanda deducit. Has compendio literas inciſas prodit noſter lapis: PRAEP. VEXILLAT. Quem alius apud *Gruterum pag.* 407. 1. expreſſis pene omnibus elementis ita explicat: PRAEPOSITVS VEXILLATION. Aliæ quoque inſcriptiones, quas in hujus capitis decurſu afferam, *Vexillationum* meminere. Ergo his *Præpoſitus* noſter *AQUILIUS*. Quid vero *Vexillationes*, quodve genus militiæ fuerit non ſatis veteribus traditum, nec recentioribus explicatum. In id contendam, ubi aliqua de Vexillariis tradidero. Nam res utraque mutuam ſibi invicem depoſcit opem atque lucem.

Vexillariorum plurima apud *Tacitum* eſt mentio Lib. II. Hiſt. Cap. C. *Vexillarii Legionum* Equites ſequuntur ad occupandam Cremonam, ſtatimque prima Italica cum *Vexillariis trium Britannicarum Legionum* incedit. Hos eſſe putat *Lipſius* ad hunc locum eosdem milites, qui Annal. I. Cap. XVII. queruntur, *ne dimiſſis quidem finem eſſe militiæ, ſed apud Vexillum retentos, alio*
125 *vocabulo eosdem labores perferre*; traditque duplicis generis fuiſſe, prius è veteranis, qui ſtipendiis peractis, ideſt vigeſimo militiæ anno abſoluto, ſub

A vexillis habebantur, donec præmium & emerita acciperent; alterum ex electione in neceſſitate aliquâ, cum certâ manu ex legionibus decerptâ ſub vexillo in provincias mittebantur. Has nugas eſſe audacter inclamat *Salmaſius* ad Vopiſcum *in Vitâ Probi C. VI.* & vexillarios legionum pro certo habet eos fuiſſe, quos triarios vocabant veteres, eosque fere ex veteranis, qui ſub vexillo retinebantur, aliorum omnium munerum immunes præterquam propulſandi hoſtis: nullam vero fuiſſe legionem, quæ non haberet hoc veteranorum vexillum. Livius enim Lib. VIII. *primum*, ait, *vexillum triarios ducebat, veteranum militem*
B *ſpectatæ virtutis*, qui idem paullo poſt *vexilla* vocat iſtos triarios. Eadem retexit Salmaſius *in Firmo Cap. IV.* At deinceps nil ſibi conſtans, in opere poſtumo *de Re militari Rom. Cap. XIX.* longe diverſam ſententiam ſequutus eſt. Eos enim apud Tacitum *vexillarios* legionum eſſe ait, qui in antiquiore militiâ *velites*, poſtea ſub Cæſare *anteſignani* appellati ſunt. Ergo *vexillarii* ab ipſo *Salmaſio* de gradu dejecti, & ex veteranis, quo robur militiæ conſtabat, in levis armaturæ militiam detruſi. Et ſane hæc mihi opinio verior videtur. Nam ipſe Tacitus *vexillarios* leviorem & debiliorem legionis partem aperte eſſe indicat
C Hiſt. II. Cap. LXVI. *Præcipua*, inquit, *quartadecimanorum ferocia, qui ſe victos abnuebant, quippe Bedriacenſi acie, vexillariis tantum pulſis, vires legionis non affuiſſe.* Velites vero eo vocabulo appellati, quia cum olim ſine vexillis & ordinibus vagantes paſſim ac diſcurrentes, poſtea ſub ſigna reducti operam eamdem velitarem & procurſatoriam præſtiterunt. Quæ ulterius confirmo ex eodem Cornelio Ann. II. Cap. LXXVIII. ubi de Piſone loquens ait, *concurrentes deſertores per manipulos componit, armat lixas trajectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium intercipit.* Ergo tirones, qui inter velites
D computabantur, ſub propriis vexillis erant. In- 126
de quis dubitet vexillarios dictos? Cum hic videas tirones, ſeu vexillarios in provincias deductos, *Salmaſio* non permittas in *Lipſium* debacchari, quod vexillarios certam manum in legionibus in provincias miſſam dixerit. *Cæſarem* adhuc appello in *Lipſii* cauſſam, cujus ſunt verba Lib. VI. de bell. Gall. *Erant*, inquit, *in caſtris ex legionibus ægri relicti, ex quibus qui hoc ſpatio dierum convaluerant, circiter trecenti ſub vexillo una mittuntur.* En milites ſub *vexillo miſſos*, atque inde *vexillarios*. Porro locus *Livii* ſuperius à *Sal-*
E *maſio* laudatus, ad oſtendendum veteranos vocatos vexillarios, quod ſub vexillo eſſent, nil probat. Nam ibi hiſtoricus aliis etiam infimæ ſortis militibus vexilla tradit; ſtatim enim ſequitur, *ſecundum rorarios, minus roboris ætate factisque, tertium accenſos minimæ fiduciæ manum.* Hi omnes ſub ſuis vexillis: ergo non tantum triarii ſeu veterani. Ceterum hi vexillarii legionum. Sunt enim eodem nomine apud *Tacitum* etiam milites auxiliarii. *Antonio*, inquit Hiſt. III. Cap. VI. *vexillarios è cohortibus, & partem equitum ad invadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Carus.* Auxilia
F in cohortes diviſa erant, cohortes in vexilla.

At vero qui *Vexillarii*, & *Vexilla* Tacito, *Vexillationes* aliis, & præſertim ſequiori ævo, dictæ ſunt. Suetonius *in Galba Cap. XX.* narrat omnes milites opem ferre eidem Imperatori recuſaſſe, exceptâ *Germanicorum vexillatione*. Turnebus *Adverſar. Lib. V. Cap. II.* in fin. hanc *vexillationem* cohortem militum putat, qui confectis & emeritis ſtipendiis ſub vexillis etiamnum habebantur, usque dum commoda & agros acciperent. In hoc falli videtur: quia tantum legionarii milites in commoda, & agrorum diſtributionem admittebantur, niſi de aliis præmiis intelligat. At *Ger-*

Germani inter Auxilia *Romanorum* fuere, & in *Vexilla* distribuebantur; nec opus est, tunc solum, ut commoda expectarent, eos sub vexillis locare. Hæc ipsa *Germanica Vexilla*, quæ Tranquillus
127 *Vexillationes* vocat, in eadem seditione Galbianâ, diu nutasse ait Tacitus Hist. I. Cap. XXXI. *invalidis adhuc corporibus, & placatis animis, quod eos à Nerone Alexandriam præmissos, atque inde rursus longa navigatione ægros, impensiore curâ Galba refovebat.* Idcirco tandem opem tulerunt: non vero sub vexillis detenti præmia præstolabantur. Eodem Lib. Cap. LXX. *Germanorum vexilla præmittit Cæcina*, quæ alia à superioribus erant, nam ab ipsâ *Germaniâ* in *Italiam* traducta. Porro eam Germanicorum *vexillationem* pedestris militiæ fuisse, ex ipsâ *Tranquilli* & *Cornelii* narratione conjicio.

Sed posteriori ævo *Vexillationes* constanter de equitibus sunt acceptæ. Vegetius Lib. II. Cap. I. *Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ob similitudinem alarum ab utrâque parte protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur à velo, quia velis, hoc est flamulis utuntur.* In Notitia Imperii plures *vexillationes* enumerantur. Palatinæ quinque, Comitatenses septem, aliæque. Omnes militiâ equestri constabant, non legionariâ, sed externâ. Hoc sensu *vexillationum* meminit Marcellinus *initio Lib. XXV.* & Diocletianus, & Maximianus *in l. 2. Cod. de his, qui non implet. stip. leg. 9. quando provoc. est necess.* & Constantius *l. 2. de heredit. decurion.* Jam *vexillationes* prius promiscue equites peditesque, deinde solos Equites significare habes, pro variâ temporum consuetudine. Sane *Vegetius* loco proxime recitato, alas Equitum *vexillationes* vocari, novitium fere institutum aperte indicat. Eodem modo variatum in militum conditione. Nam olim, sicuti de vexillariis diximus, etiam vexillationes tam ex legionariis militibus, quam externis seu auxiliis constabant, donec tempore *Notitiæ* sola auxilia continebant. Quod spectat superius ævum, *in lapide pag.* 256. 8. VEXILLATIO. LEGION. XX. Imperatori *Hadriano* monumentum nuncupat. At in 5. pag. 425. *C. Julius* inter alia militiæ munera etiam PRAEF. VEXILL. DACOR. PARTHIC. dicitur. Hic vides externum militem, illic legionarium.

128 In hac tam variâ *vexillationum* acceptione, quid demum de nostro AQUILIO statuamus? Eo sane ævo præpositum *vexillationibus* crediderim, quo nomen illud promiscue pedestrem & equestrem militiam designabat. Quare utri earum præfecturam affigas, nil morabor. Quod verò frequentius *vexillationes* auxiliaribus copiis constarent, his præpositum fuisse libenter annuerem. Profectò hoc munere functum putat *Pertinacem* Salmasius, de quo narrat Capitolinus *Cap. II.* per Claudium Pompejanum *vexillis regendis* ascitum, additque eo munere approbatum, inde in Senatum lectum fuisse. Videas, quo loco id officii habitum, & dignitatem AQUILII hinc conjicias. Subdit Salmasius, *vexillationibus præpositum* in saxis Ducem auxiliorum vocatum. Addo, & fortasse *Præfectum* Auxiliorum, ut in tribus inscriptionibus *Vario Clementi* dicatis *pag.* 482. PRAEF. AVXILIORVM. IN. MAVRET. TINGIT. ET. HISPANIA. MISSORVM. Nam auxilia, & legiones ipsæ ab unâ ad aliam provinciam, prout bellorum necessitas exigeret, traducebantur. Et quidem si legio integra & solida esset, suo Legato regebatur: cum vero aliqua ejus pars decerpta alio mitteretur, quod sub propriis *vexillis* incederet, ideo *vexillatio* nuncupabatur. Itaque, ut opinor, in frequentiori significatione *vexillationes* dictæ, cum vel auxilia, vel legionis pars de loco ad alium locum trans-

A ferretur; tuncque ad eas deducendas peculiaris *Præpositus*, seu *Præfectus* destinabatur. In eam sententiam ut abeam, suadent frequentia lapidum testimonia, quibus *Præpositum vexillationibus*, id muneris in earum deductione explevisse memoratur. *Romanus pag.* 407. 1. inscriptus est *CILoni Imper. Aurelii Antonini Aug.* PRAEPOSITO VEXILLATIONIBVS PERINTHI. PERGENTIBVS. *Sæpinatensis pag.* 441. 4. L. Neratio Proculo . . . . . *Misso ab Imp Antonino Aug. Pio* AD DEDVCENDAS VEXILLATIONES *in Syriam ob bellum Parthicum.* In alio Romano Attius Seneccio *emissus à Divo Hadriano in expeditione Judaica* AD VEXILLA-
B TIONES (ut supplet Reinesius *Class. VIII. num.* 9.) DEDVCENDAS. Subditque ad cohortes vexillares, seu auxiliarias deducendas *Attium* fuisse missum, & *Præpositum vexillationum* idem esse ac Auxiliorum in equitibus, horum enim tantum vexilla. Demum *Abelinus 6. pag.* 1096. scalptus est *Cn. Martio Plaetorio* PRAEPOS. NVMERORVM *tendentium in Pontum ab Saro.* Numeri vocabulo hic intelligendæ sunt vexillationes ex legionariis militibus. Sozomenus Hist. Eccles. Lib. I. Cap. XVIII. *Legiones quæ nunc Numeri vocantur.* Numeri enim sunt legiones; qua de re consulas *Salmasium* ad Vopiscum *in Vitâ Pro-* 129
C *bi Cap. XIV.* Quamvis alii aliter sentiant. *At numeros idem denotasse, ac *vexillationes*, Joannes Voëtius *de Jure milit.* pluribus ostendit ex *l.* 8. *C. de erogat. milit. annon.* Porrò adhuc incertus agor, an AQUILIUM deducendis *vexillationibus* delectum liceat conjectare, cum id in nostro lapide expressum haud legam. Sive hoc velis plurimo exemplo instructus, seu stato imperio in exercitu eas rexisse dicas, nulla religione in utram partem teneri te scias.

[*Sequentia, quæ inter asteriscos habentur, ab Auctore calci prioris Editionis adjecta, huc visa sunt locanda.*]

D * Ad *Antii* monumenta exornanda hanc inscriptionem addo, paucis ab hinc diebus inibi repertam.

EROS. AVG. L.
PROCVRAToR
CAENIDLANVS *sic*
CVM. M. ANTONO.
QVIR. CANDIDO
FILIO. SVO *sic*
TRIBVNIS. SODALBVS
D. D.

Cum de Procuratorum generibus ad inscriptio-
E nem *M. Aquilii* agerem, nunquam apud veteres occurrit mentio Procuratoris *Caenidlani*, qui in hoc lapide signatur. Notatu dignum est filium Liberti ingenuum, *Quirinæ* tribui adscribi. Aliud exemplum habes in epitaphio 366. *Cap. X.* apud Fabrettum. Cum Tribuni non tantum militare nomen, sed civile sit; quodnam hoc sodalitium Tribunorum esse possit, planè ignoro.*

CAPUT X.

Variæ siglæ P.P. & notæ FR. interpretatio. Præpositus legionis in saxis, & apud Scriptores. Quod munus in undecima exercuit AQUILIUS. Unde Legio XI. Claudia appellata. Dio Cassius 130
F *falsus. Lazius prolixè refutatus. De Provinciâ Commagenâ, quæ postea Euphratensis, & Euphratesia, addito Augustæ cognomine. Locus Concilii Chalcedonensis, & alius Seleuciensis emendantur. Undè nomen Euphratensis, & Augustæ accessio: Pancirolus & Lupus notati. Plura de Legione decimâ Fretensi, cui appellatio à Freto, forte Gaditano. Eadem conjectura de nomine Fretensis nostræ undecimæ attributo, suadente præsertim Gallieni nummo, qui cum aliis illustratur.*

PP. LEG. XI. CL. FR.

Praeposito Legionis undecimae Claudiae Fretensis.

DIu multumque hæsisse me fateor in hoc versiculo, quod sigla P.P. & nota compendiaria FR. variis interpretationibus animum in diversa distraherent. Etenim PP. *Præpositum*, *Primipilum*, *Proprætectum*, & denique *Proprætorem* designare posse, eaque nomina in Legionibus usurpari, animadvertebam. Per singula breviter excurram. *Præfectum* Legionis X. *C. Junium* tradit inscriptio *pag.* 194. 2. & *L. Vocontium* Leg. VI. *pag.* 286. 4. *Proprætectus* ejus locum, & vices in Legione explebat. At *Præfectus* non simplici P. in saxis expressus fuit, sed hac notâ PRAEF. ut in duobus nunc memoratis, & in 1. *pag.* 347. nec non 5. *pag.* 1099. utrumque una inscriptio *Romana pag.* 487. 6. luculenter ostendit: P. VIBI. . . . . PRAEF. LEG. Π. ITAL. P. P. LEG. ΙΙΙ. GALL.

131 Neque ad *Præfectum*, nec ad *Proprætectum* legionis ea sigla duplicis P. traduci potest, ob diversum scripturæ modum. Hoc ipsum de *Prætore* legionis, cujus meminerunt epigrammata *pag.* 1102. *num.* 3. & 4. statuendum arbitror. *Proprætor*, aliâ quidem notione, passim hac notâ PR. PR. signatur. Adhærebam *Primipilo*, quem aliquando duplici P. P. indicatum, observat Eques Ursatus *in Notis Rom.* simulque resolutâ ultimâ notâ FR. ita hunc versum, quem solicitamus, legebam: *Primipilo Legionis XI. Claudiæ frumentario.* Primipilus *Centurio erat dignior in legione, qui non solum Aquilæ præerat, verum etiam quatuor Centurias gubernabat, caputque totius legionis censebatur*, uti ait Vegetius *Lib. II. Cap. VIII.* Centurionis *Frumentarii* mentionem ingerit lapis Fulginas *pag.* 347. 1. L. AELIO. *Marcello* . . . *Cent. frum.* Expressum vero, quamvis in milite, ejusmodi munus legitur in Romano pag. 530. 7. *T. Aurelio Pio milit. Leg. VI. Victr. Frumentario.* Officium frumentariorum fusè explicant Salmasius *in Hadriano* Spartiani *Cap. XI.* & Bulengerus *de Imp. Rom. Lib. VI. Cap. XLII.* At AQUILIUM, post exactas amplissimas dignitates Primipilatum gessisse, non admodum verisimile mihi est. Quamvis enim id muneris *dignius* in legione dicatur *Vegetio*, hoc sanè rectè, si Primipilum cum aliis Centurionibus componas: nam Tribunum, Præfectum, Legatum legionis ei prælatos nemo negaverit. Porro *Frumentarii* officium, seu annonæ militari transvehendæ impositum dicas, seu ad res novas, & ea quæ in Provinciis gerebantur, Imperatori nuncianda, nunquam nisi infrà dignitatem & gesta ab AQVILIO munera reputabis. Tantum obest allatus *Rom.* lapis 6. 487. in quo *P. Vibium*, post illustria munera, Frumentarii officium exercuisse intuemur. Ita enim se habet: *P. Vibius Praef. Leg.* Π. *P. P. Leg.* ΙΙΙ. 7. *Frument.* hoc est *Centurio Frumentarius.* Equidem animadverti in inscriptionibus non semel ordinem graduum & dignitatum haud servari, sed de nostrâ id mihi adhuc persuasum esse nequit, nitente contra aliâ lectione, quam modo exponam.

132 Itaque hunc versum ita legendum arbitror: PRAEPOSITO LEGIONIS VNDECIMAE CLAVDIAE FRETENSIS. Non moror, si statim quæras, cur in antecedenti versiculo PRAEP. primis literis distinctis insculptus appareat, hic verò sub ejusmodi Siglæ involucro delitescat. Singula verba dum expendam & explicabo, quibus argumentis & conjecturis nostra hæc lectio obfirmetur, constabit. Quòd literas

A singularias P. P. attinet, magnum Indicis *Gruteriani* Compilatorem sequor, qui ubique eas in *Praepositum* resolvit, cum *legioni* annectuntur, exemplis plus septem, quæ videas *Cap. VI. Militari*, & *XX. de Abbreviaturis.* Et si expressum nomen *Praepositi* cupias, lapis *Strigoniensis pag.* 164. 4. votum expediet: FOSCANVS PRAEPOSITVS LEGIONIS. I. MARTIORVM. Nec historicis ignotum nomen ipsum & munus. Suetonius in Tito Cap. IV. *ex quæsturæ*, inquit, *honore legioni Præpositus &c.* & Spartianus de Severo hæc ait: *legioni IIII. Scythicæ deinde Præpositus est circa Massiliam*, in Vit. Cap. III. jam

B Legationem Proconsularem aliaque egregia munera *Severus* expleverat, quod *Præpositi* legionis dignitatem arguit. Eam legionem *Scythicam* circa *Massiliam* stationem habuisse, subdubitans *Salmasius* legit, *circa Syriam.* Prius *Moesiam* reposuerat Casaubonus: at Gruterus *Massiliam* retinuit. Sanè *Salmasio* favet *Dio*, qui ad hæc tempora scripsit, Legionem IV. *Scythicam* in *Syria* stetisse *Lib. LV. pag.* 564. Hinc *militum præpositura* etiam *Lampridio* memoratæ in Severo Alex. *Cap. XLVI.* & *Præpositos militum* vocat Suetonius *in Othone Cap. I.* & *Marcellinus* narrat Petronium ex *Præposito Martensium militum* repenti-

C no saltu Patricium effectum *Lib. XXVI. Cap. VI.* ubi vide Notas *Valesii.* Hos verò non solidæ legioni, sed certo militum numero vel generi præfectos fuisse apparet. Nobis satis hic est demonstrasse, nomen in militiâ frequenter fuisse usurpatum. Jura etiam nostra *Præpositi* meminerunt, quem à *Tribuno* distinguunt in *l. unic. Cod. Theod. de Comit.* & *Tribun.* & *in l.* 1. *de erogat. militar.* 133 *annon.* & *præpositi legionum*, uti legit Gothofredus, non *largitionum*, mentio est *in l.* 10. *de veteran.*

Præpositorum munera passim indicantur in eodem *Codice Theodosiano.* Loca haud profero,

D ne crebris citationibus lectorem onerem. Videri poterunt congesta ab eodem doctissimo hujus Codicis illustratore Gothofredo *in Paratit. Lib. VII. pag.* 257. *Tom. II.* Hoc mihi prætermittendum non est, *Præpositos* frequenter *Tribunis* comparari, modò tamen iis præponi; modò postponi, ut idemmet Auctor notavit. Quod indicio est, eorum dignitatem non multum à Tribunatu discrepasse. Parum abest, ut credam, *Præpositos legionum* alio etiam vocabulo *Præfectos* vocatos, remque unam eamdemque fuisse. Refert Lampridius *in Heliogabalo Cap. VI.* perditissimum hunc Imperatorem omnes reipublicæ dignitates prosti-

E tuisse, *militaribus etiam Præposituris*, *& Tribunatibus*, *& Legationibus*, *& Ducatibus venditis.* Nulla hic mentio de Præfecturis, quas primæ notæ in legione *Heliogabalum* præteriisse, ad pinguius lucrum captandum, non est verisimile. Quare eas sub *Præpositurarum* nomine latere conjicio. Sanè & eadem utriusque vocabuli vis est & notatio. Tacitus *Hist. IV. Cap. LXVIII.* Varum Arrium prætorianis *Præpositum* memorat, quem anteà *Præfectum* Prætorii appellaverat *Cap. II.* Nostrum itaque AQUILIUM *Præpositum legionis XI. Claudiæ*, si sculptam in saxo notam spectemus, at si rem ipsam, *Præfectum* dicere pro li-

F bito erit.

Porrò legionem hanc *undecimam*, sicut & septimam, *Claudiam* appellari voluit *Claudius* Imp. quòd adversus se in seditione à *Camillo Scriboniano* Delmatiæ Præfecto concitæ non rebellasset, ut refert Dio *Lib. LV. pag.* 664. & *Lib. LX. pag.* 674. Hoc posteriori loco subdit historicus, Scribonianum, cum milites *dicto non audientes* metueret, *in Issam insulam delatum, ibi mortem voluntariam oppetiisse.* At Tacitus *Hist. II. Cap. LXXV.* in eâdem seditione, cujus etiam meminit *Lib. I.* 134 *Cap.*

Cap. LXXXIX. & Annal. XII. Cap. LII. *sub Claudio interfectum* scribit, ipsumque *percussorem* nominat *Volaginium*. Suetonius in Claud. Cap. XIII. *oppressum* ait *intra quintum diem*, quæ loquendi forma *Tacito* accedit. *Apertius* loquitur Epitomator Aurelii Victoris in Claudio: *Hujus tempore*, inquit, *Scribonianus Camillus intra Delmatias Imperator creatus, continuò occiditur.* Falsus itaque *Dio*, qui eum sibi ipsi manus intulisse tradidit; nam certè *Tacito*, qui proximus rei gestæ, amplior fides adhibenda est, in partes ejus *Suetonio* & *Victore* euntibus. Nec verò fortasse in Interpretem labem refundas, quòd malè *Græcam* vocem reddiderit. Nam hæc verba Dionis: ἐνταῦθα ἐκεῖνος ἀπέθανε, de morte sibi illatâ intelligenda esse non dubitat à me consultus *Bernardus Montfauconius* è Congregatione Parisiensi *S. Mauri* O. B., cujus, præter omnigenam eruditionem, in linguâ *Græcâ* peritiam testantur edita nuper ab eo absolutissima *S. Athanasii* opera, iterque *Italicum* susceptum lustrandis & colligendis *Græcis* M. SS. sicut quatuordecim ab hinc annis eamdem operam *Latinis* navavit *Joannes Mabillonius* Socius alter ejusdem celeberrimi Cœtus, doctrinâ & editis libris Orbi jam notus. Par hoc doctissimorum hominum libenter nomino, quòd primum, plurimâ ab eo familiaritate donatus, nunc *Romæ* præsentem colam, alterius absentis benevolentiam literarum commercio comparaverim.

Legionis *undecimæ Claudiæ* frequens in *Gruterianis* inscriptionibus mentio habetur, ubi etiam *Pia*, & *Fidelis* vocatur, quæ nomina Senatus addidit, teste *Dione*. Iis prætermissis, quæ obviæ sunt in indice Gruteriano, *Aquilejenses* tres, quòd nondum sint editæ, in gratiam eruditorum hic
135 proferam.

1.

D. M.
AVREL. DIZO. MILEX
LEG. XI. CLAVD. VIXIT
ANN. XXVII. MILIT. ANN
QVINQVE. OBITVS. IN
MAVRETANIA. BENE
MERENTI. CIVES. ET
COMMANIPVLI. DE. SVO
FECERVNT

In quadam domo Capituli.

2.

L. POMPONIVS
SILVANVS
MILES. LEG. XI
H. S. E.

Utini ex Aquileja apud Nobb Gurgos.

3.

D. M.
AVRELIVS. SVDLCEN
T. CVS. MILEX. LEGIO
NIS. XI. CALVIE

Olim in ædibus V. Capitanei.

Postrema hac ita fœde corrupta, cum *Aquilejæ* amplius non extet, cum suis plagis relinquenda fuit.

Optanda nunc *Accii Navii* manus, quâ cotem secuit, ut lapidis nostri difficilem notam FR. in partes explicando dissolvam. Eam in hanc vocem FRETENSIS traducendam jam indicavi. Sane ubi Legioni decimæ affixam legimus, semper ita interpretatum observamus. In lapide 2. *pag.* 442. signatur LEG. X. FR. quæ alibi expresse LEG. X. FRETENSIS. dicitur, *pag.* 354. 5. 457. 6. 480. 6. At novum & insolens hoc cognomentum; nec uspiam legio undecima ea appellatione notata invenitur. Fateor equi-

A dem: sed neque sextam decimam nisi in 1. *pag.* 407. cum appositâ eâdem notâ FR., neque duodecimam cum expresso cognomine FRETENSIS. nisi in 30. *Class. VIII.* Reinesii legimus. Quare, ut iis ejusmodi denominatio rata manet, frustra ipso *Reinesio*, ut solet, mendum in numero XII. somniante; ita nostræ non est invidenda. Potuit enim eadem nominis caussa & ratio adfuisse. Quod ut pervestigemus, prius de decima, cui id vocabuli certum, paullo diligentius est agendum.

Lazius *Lib. V. de Rep. Rom. Cap. XVII.* appellationem legionis X. *Fretensis* se acceptam re- 136
B ferre ait *Eutropio in* Historiâ *Vespasiani*, ubi hæc verba scripta ipse repetit: *Trachæa, Cilicia, & Commagene, quam hodie Augusto Fretensem nominamus, quæ sub Regibus amicis fuerant, tunc primum rediere in provinciarum formam.* Ita Legio *Fretensis* à Provincia Augusto *Fretensi* nomen sumpsit. Porro se invenisse autumat, illam usque ad seculum deflorescentis Imperii in *Palæstinæ* stativis mansisse eodem *Fretensis* cognomento, ex Codice Notitiarum. At pluribus peccat hic Auctor, qui aliunde non leviter in antiquitatum *Romanarum* studio versatus fuit. Primum eam vocem *Augusto Fretensem*, à qua legionis decimæ
C denominationem accersit, ex corruptis exemplaribus hausit; non quidem veri *Eutropii*, & qualem postea edidit *Vinetus*, à quo eadem vox omnino abest, sed ex historiâ Miscellâ, quam *Paullus Diaconus*, seu quisquis fuerit, non tam ex ipso *Eutropio*, sed aliis etiam superiorum temporum historicis consarcinavit. In hac siquidem historiâ *Lib. VIII.* genuina lectio habet *Augustophratensem*, quod vocabulum ipsius Miscellæ auctor addidit ex Aurelii Victoris epitome in Vespasiano, cujus sunt verba: *Syria, seu Palæstina nec non Cilicia, Trachea, & Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessere.*
D Jacobus Gothofredus *ad l. 2. Cod. Theod. Tit. ne Comit. & Tribun.* in Victore legit *Augusteuphratensem*; eandemque vocem restituit Valesius *in Notis ad Marcellinum Lib. LIV. pag.* 42. qui hoc loco ait: *Commagena nunc Euphratensis clementer assurgit.* At rectius ad fidem veterum monumentorum illud vocabulum in duo est secandum. Nam. *in l. ult. Cod. de diversf. offic.* Leo & Zeno Imp. appellant Comitem *Augustæ Euphratensis*, & in Synodico, quod post *Christianum Lupum* edidit V. C. Stephanus Baluzius *Tomo primo*, & adhuc *postremo, novæ Collectionis Concilior. pag.* 699. subscribunt *Theodoretus* Episcopus Cyri *Augustæ*
E *Euphratesiæ*, & *Meletius* Episcopus Cæsareæ 137
Augustæ Euphratesiæ. Porro, ut vides, hæc provincia promiscue *Euphratensis*, & *Euphratesia* appellatur. Primæ nomenclaturæ exempla alia, præter *Marcellini* mox laudatum, habes in Codice Theodosiano *leg. 2. ne Comit.* & *Tribun.* & *lege* itidem 2 *de venat. ferar.* ubi limitis *Euphratensis*, & Præsidis *Euphratensis* fit mentio. Provincia *Euphratensis* dicitur *in l. 10. Cod. Justinian. de ædific. privat.* & *in Notitia Provinciarum*, quæ extat *Tomo secundo postumo Antiquit. illustratæ* Emanuelis Schelestrati *pag.* 712. Secundæ appellationis unum & alterum testimonium ex Synodico supra recitavimus. *In eodem Synodico Cap. CLXXXIII.* laudatur *Flavius Lybianus* Præses
F *Euphratesiæ* Provinciæ, & *Cap. LXXXI.* Alexander *Euphratesiæ* Provinciæ Metropolitanus. Adde etiam *Cap. VII.* ac *XIII.* nec non *Notitias* apud eumdem Schelestratum *pag.* 651. & 685. Hæc vero differentia non ex libito Scriptorum, sed à proprietate diversi idiomatis profluxit. Nam quæ Εὐφρατησία Græcis, *Euphratensis* Latinis dicitur, ut observavit *Lucas Holstenius*, utriusque linguæ peritissimus, *in Notis ad* Stephanum

E 3 *de*

de Urbibus verb. *Germanicia*; addiditque ideo male apud Nicephorum Εὐφρατησίας verti in *Euphratesia*. Hinc allata omnia exempla, quæ ex *Græcis* monumentis translata sunt, veniunt corrigenda. Sane eam legem servarunt doctissimi viri *Jacobus Gothofredus*, & *Henricus Valesius*, qui *in* suâ quisque *Philostorgii versione*, ubi *Lib. III. Cap. VIII.* & *Lib. XI. Cap.* pariter *VIII.* in Græco est Εὐφρατησίων, ipsi transtulerunt *Euphratensem*.

Optime notavit idem *Valesius* loco mox allato *Marcellini*, corruptam esse subscriptionem Concilii *Chalcedonensis*, ubi legitur *Augustus Euphratensis*, quasi Episcopi nomen sit, cum sit provinciæ. Corruptius adhuc idem vocabulum exhibet editio *Labbeana* Conciliorum Tom. IV. col. 788. *Augustus Euphrasiensis*. Reponendum itaque *Augusta Euphratensis*, vel *Augusteuphratensis*. Sed quid nomen hoc Provinciæ in eo Concilio nudum
138 & solitarium, absque Urbe, absque Episcopo? Nil ultra *Valesius* tentavit. Quare mihi castigandus is locus est, & veræ lectioni restituendus. Subscriptiones exhibet *Labbeus* loco indicato ex apographo *Sirmondi*, qui eas olim descripserat *Romæ* ex antiquissimo mille annorum Codice. Distributæ sunt per Provincias, & unusquisque Episcopus post suum Metropolitanum subscribit. Laterculum, quod rem nostram spectat, oculis subjicimus ex eadem col. 788.

Provinciæ Arabiæ Episcopi XV.
Constantinus Bostren.
Eulagius Filadelfiensis
Proclus Adraonensis
Theodosius Canothasiensis
Ormisda Philippolitanus
Flaccus Geronosotanus
Augustus Eufrasiensis
Stephanus Hierapolitanus.

Sequuntur alii septem, *Samosatenus*, *Cyropolitanus*, *Germaniensis Doliches*, *Zeugmatos*, *Perrensis* & *Neocæsariensis*.

Falsus in primis est titulus: nam post *Constantinum Bostrensem*, quinque tantum, qui sequuntur, Episcopi ad Provinciam *Arabiæ* pertinent. Hos statim excipit *Augustus Eufrasiensis*, & inde subsequitur *Stephanus Hierapolitanus*, aliique septem Antistites. *Bostra* Metropolis erat *Arabiæ*, Hierapolis *Euphratesiæ*, ut cuilibet Geographiam sacram versanti patere potest. Itaque duo hic Metropolitæ, *Bostrensis*, & *Hierapolitanus*. Quare duæ Provinciæ sunt distiguendæ. Si ergo ubi *Augustus* tamquam Episcopus *Euphratensis* collocatur, levi adhibitâ castigatione legas, Provincia *Augusta Euphratensis*, jam habebis secundam Provinciam, sub quâ, ordine non immutato, agnosces recte consignari *Stephanum Hierapolitanum* Metropolitam, & ceteros Episcopos, qui re vera omnes eidem suberant. Ita non tam explosus *Augustus* fictitius Episcopus, sed etiam sui Antistites Provinciæ *Euphratensi* & Metropolitano
139 restituti, qui antea perperam *Arabiæ* accensebantur.

Discedam hinc, ubi alterius Concilii simili labe depravatum locum emendavero. In *Seleuciensi* anni CCCLIX. Episcopi *Ariani* expositionem fidei emittunt, cui inter alios subscribunt: *Cyrion Episcopus Doliches*, *Augustus Episcopus Euphratesiæ*. En *Augustus* importune rem iterum miscet. Quod si Episcopum patimur, jam *Euphratesia* Urbs est, non Provincia. Arbitror unum tantum hic esse Episcopum *Doliches*, adjectâ Provinciâ, in quâ verè ea Urbs sita est. Quare expunctâ voce illâ *Episcopus* secundo loco positâ, omnino legendum: *Cyrion Episcopus Doliches Augustæ Euphratesiæ*. Qua eadem subscribendi formulâ usos *Theodoretum*, & *Meletium* Episcopos ejusdem Provinciæ, jam vidimus. Miror oculatissimum *Baluzium*, qui eam expositionem fidei

A primus edidit *in* citatâ *Collectione col. 66.* hoc mendum non advertisse, cum profecto doctissimam operam, ut ceteris suis præclaris operibus, in his sacræ antiquitatis monumentis castigandis & illustrandis contulerit.

Ex tot igitur illustribus veterum scriptorum testimoniis plane constat, deceptum *Lazium*, qui, ut nomenclaturam legioni decimæ assereret, Commagenem *Augustam Fretensem* dictam existimavit. Sane si ad hujus Provinciæ situm parumper animum intendisset, vel *Procopium* consuluisset, veri nominis caussam edoctus, haud ægre errorem poterat exuere. *Commagena*, quæ *Syria*
B secunda est, ad *Euphratem* porrigitur, cujus Urbs olim illustrior *Samosata* ponte jungebatur, atque exinde appellationem *Euphratensis*, & Græcis *Euphratesiæ* adepta est. Profero verba Procopii *Lib. I. de Bello Pers. Cap. XVII.* ex postremâ versione Maltreti. *Porro*, inquit, *plagam, quæ à Samosatis trans Euphratem est, vocarunt veteres Commagenen, nunc à Fluvio ductâ appellatione, dicitur Euphratesia. Euphratensis* reddere debuerat interpres. *Augustæ* nomen additum putat Pancirolus *in Comment. ad Notit. Imp. Orient. Cap. CXIII.* ab *Augusto* Cæsare, quando *Armeniam* 140
cum signis *M. Crasso* ademptis recuperavit. In
C quam sententiam abripi se passus est etiam Christianus Lupus *in Notis ad Cap. CLXXXIII.* Synodici supra laudati *Tom. II. variar. Epistol. pag.* 534. At ea nomenclatura recentior est, quam ut *Augusto* adscribi possit. Suetonius Cap. VIII. *Vespasianus*, ait, *Thraciam*, *Ciliciam*, & *Commagenem ditionis Regiæ usque ad id tempus in provinciarum formam redegit.* Verba eadem pene descripsit *Aurelius Victor*, quæ jam retulimus, nisi quod de suo addidit, *quam hodie Augusteuphratensem nominamus.* Ergo post *Tranquillum* enatum hoc nomen, & non longe à *Victoris* ævo, qui sub *Juliano Apostata* scripsit. Quo eodem
D tempore simili phrasi usus Marcellinus, *Commagena nunc Euphratensis*, indicavit, recentem fuisse hanc quoque *Euphratensis* appellationem. Quo recidit etiam *Procopii* loquendi forma. Sane nusquam apud veteres scriptores, *Strabonem*, *Plinium*, *Tacitum*, *Ptolemæum*, qui *Commagenes* meminerunt, *Euphratensem* vocatam invenies.

Rursus quod in Palæstinâ *Legionem X. Fretensem* collocet *Notitia*, non ideo *Lazius* in caussâ suâ proficit. Nam cum eadem *Notitia* inter provincias sub dispositione Comitis Orientis recenseat *Euphratensem*, dici nequit, legionem *Fretensem* ab hac eadem provincia nomen derivasse. Et prætereà *Lazius* perperam confundit *Fretensem*, quæ
E in *Palæstinâ* stativa habuit, cum *Ferratensi*, seu *Ferratâ* Judaicâ, quia hæc sexta apud *Dionem*, loco non semel relato, & in marmore *Capitolino*, in quo singulæ legiones prostant *pag.* 513. 2. illa decima erat.

At cur vim nomini inferamus, cum ipsum se statim prodat, originemque suam præ se ferat? *Fretensis* legio, ait Lipsius *Analect. de Militiâ Rom. Lib. II. Dial. V.* quia *Freto* assita: vel à *Freto* aliquo unde extracta est, uti suspicantur Pancirolus *in Notit. Orient. de Duce Palæstinæ pag.* 217. & Turnebus *Adversarior. Lib. XVIII. Cap. X.* Cum *Lipsio*, opinor: nam plerumque
F legiones à loco stationis appellatæ, uti *Macedonica*, *Mœsiaca*, ne alias referam. Et quod pro- 141
ximum ad rem nostram exemplum est, *Ripuarienses* legiones passim *in Notitia*, & *l.* 14. *Cod. de re milit.* quod in *ripis* fluminum essent locatæ, vocantur. Quodnam vero illud *Fretum*, à quo legio decima nomen mutuavit? *Fretanam* legionem in *Apuliâ* apud *Plinium* loco non indicato, videre sibi visus est *Pancirolus* mox allegatus, eoque à vicino freto *Siculo* forte appellatam dixit.

Verum *Plinius* nusquam id habet, ut evolventi
magnum indicem *Harduini*, in quo non res tan-
tum sed vocabula pene omnia & voces digessit,
apparebit. Puto, doctissimum Virum vel corru-
pto Codice usum, vel memoriâ lapsum, *Regio-
nem Frentanam* in Apuliâ, cujus quidem meminit
ipse Plinius Lib. III. Cap. XI. in *Legionem Freta-
nam* commutasse. Mihi ad Gaditanum *fretum*
eam nominis originationem referre omnino arri-
det. Nam certum est, sub *Augusto* Legionem
X. in *Hispaniâ* constitutam, diu in eâ provinciâ
excubasse: & illinc tandem à Ducibus *Vespasiani*
accitam, ut refert Tacitus *Hist. IV. Cap. LXVIII.*
dum in *Italiam* iter pararet, in *Germaniam* diver-
tisse, ubi *Cerealis* exercitum supplevit, eodem
historico testante *L. V. Cap. XIX.* Cum ergo in
Hispaniâ manserit, quid vetat opinari, stativa ad
ipsum *Fretum* Gaditanum traxisse, atque inde
Fretensis nomen fuisse adeptam? Certe cum tres
legiones, tertia, sexta, & decima *Hispaniam*
tenuerint, solam hanc *decimam*, Lucejo Albino
Mauretaniæ Præposito hostilibus signis, *Hispa-
niæ augusto freto diremptæ*, imminente *propinquare
litori*, *ut* fretum ipsum *transmissurus jussit* Cluvius
Rufus, uti narrat Tacitus *Hist. II. Cap. LVIII.*
Quod eam haud longe ab ipso Freto locatam ar-
guit. Cur enim hanc potius, non alias *propin-
quare* jussisset *Rufus*? Ceterum non abnuerim,
legionem decimam *Hispanicam* Geminam utcum-
que appellatam, id enim non uno lapidum scri-
ptorumque testimonio docemur. At *Fretensem*
nihilominus etiam dictam, asserere non dubito.
Extant exempla vetustatis in *Germaniâ*, quibus
142 insculpta est LEGIO X. FRETENSIS; scili-
cet *paginâ* 354. 5. *pag.* 475. 1. *pag.* 1068. 2. quæ
quisque consulere poterit. Ea ergo legio deci-
ma, quæ ex *Hispaniâ* in *Germaniam* traducta fuit,
ut vidimus, *Fretensis* appellabatur. At quæ in
Palæstinâ excubabat *Fretensis decima*, aut ex ipsâ
Hispanicâ olim divulsa, nomen simul in *Judæam*
transvexit, vel ipsa *Germanica* inclinante Imperio
eo deducta, & veteri decimæ addita fuit. *De-
cumanos fortenses* memorat Marcellinus *sub finem
Lib. XVIII.* eosque ex legione *Fretensi*, quod no-
men in *Fortensem* degeneravit, esse alii putant.
Id negare non ausim, cum non vacet rejicere.
At video in Notitiâ, & *Fretensem legionem*, &
Fortensem memoratam, quod argumento est, dis-
crimen inter ipsas intercessisse.

Ergo ne longe conquisitis etymi argumentis
pretium quoque rei pereat, *Fretensis* vocabulum
à *Freto* simpliciori derivatione formaveris. Nec
à nomine purioris seculi auctoritas abest. Illud
enim ipse Tullius usurpavit *Lib. X. Epist. VII. ad
Atticum*, ubi ait, *Adriatico mari Dolabella, Fre-
tensi Curio.* Quam lectionem quibusdam suspe-
ctam firmat *Turnebus* loco superius indicato, am-
plectitur *Bosius*, nec *Lambinus* damnat, in Notis
ad hanc uterque Epistolam. Quare ut *decimæ* le-
gioni ab *Augusti* ævo, ex *Hispanicâ* ad *fretum*
statione, id nominis quæsitum; ita sequiori Im-
perio nostræ *undecimæ*, quantum conjecturâ asse-
qui possumus, similis appellatio ob eamdem caus-
sam indita fuit. Nam non semel, prout hic il-
lic, bellorum necessitate poscente, variis statio-
nibus hæc mansit, ita nomen quoque commuta-
vit, sicuti de aliis legionibus legimus. Stante
Republicâ adversus *Annibalem* in *Africâ* fuit, te-
ste Livio *Lib. XXX.* inde dicta *Africana*: Postea
Macedonicæ nomen adepta est, quod in hanc Pro-
vinciam eam *Cæsar* deduxerit, ut ipse narrat *Lib.
III. Bell. Civil.* Post *Pharsalicam* pugnam in *Del-
matiam* proximam *Macedoniæ* regionem transmis-
sam verosimile est; nam sub *Claudio* Imperatore,
cum *Scribonianum* nova molientem deseruit, inibi
143 degisse jam vidimus, appellationemque *Claudiæ*

A suscepisse. Inde in *Italiam* traducta fuit jussu
Othonis adversus *Vitellianos*, teste Tacito Hist.
II. Cap. XI. ubi cum *è Delmatiâ, & Pannoniâ*
motas *legiones* ait, *septimam Galbianam*, *undeci-
mam*, *& tertiamdecimam*, hæc *undecima* ad Del-
matiam est referenda, quod distinguere neglexit
historicus. Unde *Lazio* error, qui nunc eam
Delmaticam facit, postea *Mœsicam*, perperam in-
tellectis hoc ipso & aliis proxime afferendis *Taci-
ti* locis, de *Repub. Rom. Lib. V. Cap. XVIII.* De-
nuo autem suis hibernis reddita fuit, ex eodem
Cornelio *Lib. II. C. LXVII.* quam tamen profectio-
nem non explesse puto, cum paullo post ceteris
B *Vespasiani* copiis adjunctam scribat *Lib. III. Cap.
L.* Tunc cum ex *Delmatiâ* in *Italiam* profecta
est, aliquandiù *Aquilejæ* moratam fuisse non dubi-
to; sicuti non de *Mœsicis* tantum, sed de hac
etiam, quæ adventantem exercitum conflabat, in-
nuere videtur Tacit. *Lib. II. Cap. XLVI.* unde
militibus inibi tunc fato functis lapides emortua-
les, quos adduximus, positos fuisse suspicor. At
tempore *Dionis*, scilicet sub *Severo Alexandro*,
stativa in *Mœsia* agebat, ideoque & *Mœsica* ei-
dem appellatur. Nolo hic miscere quæstionem,
an legionum stativa *Dioni* recensita referenda sint
ad tempora *Augusti*, vel ad ea, quibus ipse scri-
C psit. Hoc mihi verius est: nam præter argumenta
Casauboni *Exercitat. XIV. Cap. X.* & Reinesii
Ep. XXXI. ad Rupertum pag. 163. cur *Dio*, si æ-
vum *Augusti* respexisset, nostram undecimam
Claudiam appellasset, quod nomen nondum ena-
tum erat? Ad *Hispanica* stativa, quod in rem
nostram est, tandem traductam, omnino evincit
Notitia Imperii Occidentalis, penes quam *Undecu-
mani* sub spectabili Comite *Hispaniarum* recen-
sentur. Additque Pancirolus *Cap. XXIII.* hos
esse ex legione *undecimâ Claudiâ* in Mœsiâ olim
collocatâ. Quod si in *Hispaniâ*, cur non etiam
ad fretum Gaditanum excubasse, indeque nomen
D *Fretensis* traxisse divinare nobis non liceat?
* Legionem XI. appellatam *Fretensem* à *Gadita-
no* freto mirifice firmat inscriptio, quam *Floren-
tiæ* in vinea *Strozzia* extantem descripsit Cl. *Mont-
fauconius.* Legitur etiam apud Gruterum *pag.*
466. 5. sed valde corrupta.

D. M
A. SEIO. ZOSIMIANO
EQVIT. ROM. PRAEF. CO
HORT. III. BRACAR. AVG
TRIB. LEG. XI. CL. SVCCVVIAE
ET. DEC. ANTIATI. A. SEIVS.
E AFRICANVS. PAT. PIISSIM. B. M. FECIT

Zosimianus militiam in *Hispania* agebat, ubi
functus est Præfectura Cohortis III. quæ à loco
stationis *Bracarensis Augusta* vocabatur. Nam
Bracarum opidum Augusta, Plinio *Lib. IV. Cap.
XX.* ponitur in provincia Tarraconensi, & Pto-
lemæo est *Bræcara Augusta*, *Lib. II. Cap. VI.* I-
taque Legio quoque XI. *Succuvia* dicitur, ab alia
Hispaniæ urbe *Succubo*, (nam frequentissime B
& V permutantur) quam in *Bætica* locat idem
Plinius *Lib. III. Cap. I.* Et *Succubitanum Munici-
pium* vocat Capitolinus *initio Vitæ M. Antonini
Philosophi.* Provincia *Bætica* ad fretum *Gadita-
F num* porrigebatur. Hinc facile fuit, Legionem
XI. mansisse etiam ad eundem fretum; atque uti
Succuviam à priori statione, ita ab hac *Fretensem*
appellatam. Habes in quinta linea *Zosimianum*
fuisse Decurionem *Antiatem*; quo monumenta
hujus Coloniæ, de qua dixi *Cap. I.* locupletabis.*

Sane ea à *Gallieni* ævo maritimæ alicui oræ
imposita fuerat, adeoque jam à statione *Mœsia-* 144
câ

* Ea, quæ inter duos astericos leguntur, à *pag.* 392. *Editionis prioris* huc transposuimus, ut ibidem Auctor monebat.

cè, quæ regio tota mediterranea est, recesserat. Nam Vaillantius *Tom. II. Numismat. Imp. pag.* 168. profert nummum ejusdem Imperatoris, cui in aversâ parte scalptus est *Neptunus* dextrâ *Tridentem*, sinistrâ *Delphinum* gestans, cum hac epigraphe: LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. scilicet *Legio undecima Claudia sextum pia, sextum Felix.* Has ultimas notas numerales ita ab *Harduino* expositas *pag.* 298. *de Nummis populor.* nolo ad eruditorum tribunal vocare. Cum decem & octo alias legiones iisdem signatas apud *Vaillantium* videam, nescire me fateor, cur omnes in eumdem numerum conspiraverint. At hoc extra aleam nostram. Illustre illud symbolum usurparunt *Laodicenses* in nummo *Alexandri Theopatoris* apud eumdem *Vaillantium*, sed alio opere, *Historiæ* scilicet *Regum Syriæ pag.* 262. inscriptis hisce verbis ex Græco: *Laodicensium qui sunt ad mare.* Alia numismata Urbium maritimarum cum iisdem insignibus, vel cum Delphino, passim videre est apud rei monetariæ scriptores. Potuit ergo quod oræ maris, seu freto accubaret *legio undecima*, Neptunum delphino, & tridenti insignem gerere. Certe inter numismata unius & viginti legionum, quæ inibi exhibet *Vaillantius*, sola hæc eo symbolo utitur: quod indicio est, illud singulare & proprium undecimæ fuisse, & nonnisi à maritima statione acceptum. Utique & *mare* ipsum, latiori vocabuli significatione, passim à Poëtis, & non semel ab aliis scriptoribus, *fretum* vocatum scimus. Quare quacumque statione ad maris litora nostram legionem locemus, ab eo *Fretensem* dictam suspicari fas erit. Ut vero obiter lucem aliquam ipsis numismatibus afferam, tunc ea à *Gallieno* percussa crediderim, cum demens Imperator, interfectis apud *Byzantium* rebellantibus militibus, quasi magnum aliquid gessisset, vesanâ pompâ, & novo genere ludorum & voluptatum decennia celebravit. Quæ sollemnia Trebellius Pollio *in* ejus *Vita Cap. VIII.* fusius enar-
145 rans *vexilla centena* subdit, *& præter ea, quæ collegiorum erant dracones, & signa Templorum omniumque LEGIONUM ibant.* Hæc *signa legionum* certe non alia quam quæ iisdem nummis, tunc sane cusis, expressa conspicimus: *Capricornus* videlicet primæ Adjutrici attributus, *Mars galeatus* primæ Augustæ, *Neptunus* cum delphino & tridente nostræ *undecima*, ceteraque videnda apud eumdem celeberrimum Antiquarium.

Adhuc per immensa pelagi spatia nos legio undecima traducit, ut aliud cognominis indicium persequamur. Reinesius *Class. VIII. num.* 17. hanc inscriptionem *Vicentiæ*, seu rectius *Vicetiæ* in *Venetis*, extantem, sibique à Cl. *Bartholino* traditam profert: quam tamen aliter exhibet Fabrettus *pag.* 716. *Cap. X. num.* 371.

M. BILLIENVS. M. F.
ROM. ACTIACVS
LEGIONE. XI. PRAE
LIO. NAVALI. FACTO
IN COLONIAM. DE
DVCTVS. AB. ORDI
NE. DECVRION. ALEC
. . . . O . . . CERV. . .
COSS

Jacobus Marzarius *Lib. I. Hist. Vicetinæ pag,* 37. legit in secundo versu: *Romac. Leg. XI. &c.* omittitque ea vestigia Consulum. Sed alias potuit acutiori oculo uti. *Reinesio* sunt hi Consules: *Sossias Falco* & *Erucius Clarus*, qui Consulatum inierunt A. U. DCCCCXLVI. *Christi* CXCIII; quo scilicet *Pertinax* & *Didius Julianus* occisi sunt, & *Septimius Severus* ad Imperium evectus. Prælium navale, cujus in hoc lapide fit mentio, illud esse subdit vir doctus, quo *Byzantini* obsessi à *Severianis*, & fame coacti, se navibus, ut effuge-

A rent, crediderant, quibus confractis & submersis ad unum omnes interfecti sunt, eamque cladem mox sequuta est deditio Urbis. Si clausis oculis *Reinesio* manus darem, compendio rem 146
meam agerem. Statim enim Legio XI. ideo *Fretensis* esset, quod prælium hoc ad *fretum* Byzantinum feliciter gesserit. At magis est, ut veritatis obsequio alucinationem *Reinesii* detegam. *Septimius Severus* inclinante anno eodem CXCIII. rerum potitus, bellum adversus *Pescenium Nigrum* movit, & subinde *Byzantinam* Urbem, quæ ab ejus partibus stabat, obsidione cingi jussit; quæ tandem nonnisi post triennium capta
B est, dum ipse in *Mesopotamiâ* degebat, ut narrat Dio *L. LXXIV. p.* 847. Hæc quidem gesta esse jam elapso Consulatu *Falconis* & *Erucii*, nemo est qui dubitet. Quamobrem *Billienus*, qui post prælium navale redux in patriam, & honore quopiam à decurionibus suæ coloniæ honestatus, lapidem sculpsit iisdem Consulibus, huic postremæ ad *Byzantium* pugnæ interfuisse non potuit, immo neque initia obsidionis vidisse. Præterea idem historicus *pag.* 846. diserte ait, *Byzantinos* eâ clade vi tempestatis obtritos fuisse, *nullo facto prælio navali.* Ad horum Consulum tempora, vel paullo ante, aliam pugnam navalem commis-
C sam non reperi. *Erucium* alterum, forte hujus patrem, signant Fasti Consulem cum *Claudio Severo* sub *Antonino Pio* ann. CXLVI. cui ætas lapidis alligari posset, si expeditio aliqua maritima simul occurreret. At vero, quocumque velis loco aut tempore, certo discimus ex hac inscriptione, Legionem XI. prælio navali aliquando decertasse, & sane victoriam fuisse adeptam; neque enim, si secus, rei male gestæ memoriam *Billienus* saxo inscripsisset. Ob eam igitur caussam *Fretensis* dici potuit, nomine à maritimâ expeditione traducto; & simul maritima symbola, quæ scalpta nummo *Gallieni* memoravimus, usur-
D passe. Id quippe in more positum alia ejusmodi numismata ostendunt. Apud Oiselium *Tab. XXXVI.* 10. nummus est *M. Agrippæ*, quo *Neptunus* dextrâ Tridentem, sinistrâ Delphinum præfert. Ejusdem schematis alter visitur *Augusti*, nisi quod *Neptunus* dexterâ, pro Delphino, acrostolium navis detinet. Uterque victorias navales his signis denotare voluit.

Scrupulus adhuc remanet dissolvendus. Quid 147
nempe sibi velit interpunctio illa, seu signum ⁊ quod ubi fractus est noster lapis, ante notam FR. incisum conspicitur? illud esse ex iis, quæ pro marmorarii libito frequenter in inscriptionibus
E offendimus, nihilque omnino significant, arbitror. Plura ejusmodi exempla apud *Gruterum*, & *Fabrettum* reperies. Hic cum in angulo, oscitantiâ fabrili, spatium vacuum fuisset relictum, signum illud loco implendo exsculptum divino.

CAPUT XI.

Mos cooptandi Patronos à Romulo. Formula rogati, & suscepti patrocinii. De Municipio Civi-
tatino in Africâ, Vaillantius & Harduinus erroris, quem sibi invicem regerunt, ambo notati. Tabula patrocinii in domo suscipientis asservata. Quodnam Patronorum munus. Hi aliquando in tutelam, & mox in fraudem tributorum. Etiam
F *feminæ in Patronas Urbium electæ. Statua plerumque Patrono posita, quâ Aquilium ab Antiatibus donatum verisimile est.*

PATRON. COL. OBMER. EIVS. ANTIAT. PVBL.

Patrono Coloniæ ob merita ejus Antiates publice.

PRIMA tantum hujus postremi nostræ inscriptionis versiculi pars nobis nunc versanda est, cum

A cum aliam, quæ Coloniam *Antiatem* spectat, olim in ipso limine Dissertationis abunde fuerimus prosequuti. Cum *Antiates* pridem in *Patronum* Coloniæ M. AQVILIVM adoptassent, isque eos beneficiis, & collatis tutelæ præsidiis jugiter demeruisset, lapidem hunc, tot inscriptis dignitatum titulis illustrem, decreto publico posuerunt,
148 quod ultima ejus particula indicat. Eum quoque pro ædibus publicis locatum fuisse pronum est credere. Quo argumento publicum aliquod ædificium stetisse eo loci, quo repertus fuit, non male conjicio. In nobiliori Urbis parte, qua in subjectum portum aspectus patet, visitur porticus subterranea lunato fornice in orbem à circu- B lari deflectentem, ad modum amphitheatri, producta, in cujus medio satis ampla ejusdem figuræ area superne expanditur. Substructionem hanc putaverim ad sustinendum ædificium, quod eamdem aream circumplectens, columnis per ambitum dispositis porticus publicas, ubi *Aquilii* monumentum fuerat positum, efformabat. Etenim stylobatæ, capitella ordinis Corinthiaci eleganter elaborata, epistylia, aliaque columnarum fragmenta inibi jacent, pristinam magnificentiam loquentia. Has fuisse *publicas porticus*, opinor, quas Neronis *Libertus*, *cum daret Antii munus* C *gladiatorium*, *investivit picturâ*, *gladiatorum*, *ministrorumque omnium veris imaginibus redditis*, ut memoriæ prodidit Plinius *Lib. XXXV. Cap. VII.* *Antii* porro non tam gladiatorii, sed alia quoque ludorum genera per triduum agebantur. Cicero *ad Atticum*, se *Antium* profecturum scribit, *ludi enim*, inquit, *Antii futuri sunt à IV. ad pridie Non. Maji*, Lib. II. Ep. VIII. Quamquam eos spectare noluit, ut vitaret *omnium deliciarum suspicionem*, sequenti *Ep. X.* Domum quippe *Antii* secessus caussâ possidebat *Tullius*, cujus sæpe meminit *in Epistolis ad* eundem *Atticum*: ibique li- D brorum *festivam copiam* paraverat, *eodem Libro Ep. VI.* Quam postea domum *Lepido* vendidit, ex *Ep. XLVII. Lib. XIII.* Hæc quoque auctarii loco accedere velim ad ea, quæ Capite primo de *Romanorum* apud *Antium* secessibus notaveram.

Ejusmodi aliarum Urbium grati animi, quem erga *Aquilium* Antiates produxerunt, in Patronos suos monumenta, sub hac eadem verborum formulâ, plurima reperire est in magno Gruteri *Inscriptionum Thesauro*, quæ passim occurrentia consulas. Sollemne enim Coloniis, & Municipiis fuit, se in præpotentium Civium *Romanorum* clientelam adscribere. Quam consuetudinem 149
Romulus ipse in Rempublicam invexit, teste Halicarnasseo *Lib. II. pag. 85.* editionis Francofurdiens. ann. MDLXXXVI. *Nec tantum*, inquit, *in ipsa Urbe plebs sub patriciorum erat patrocinio, sed & Coloniarum, & sociarum, atque amicarum Civitatum, & bello subactarum, suos quæque habebat tutores, & patronos quoscumque vellet è Romanis, & sæpenumero Senatus controversias Civitatum, ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque judicia rata habuit.* Eminentissimus Norisius *in Cenotaph. Pisan. Dissert. II. Cap. VII. in fin.* plures Urbium, ac Provinciarum Patronos, Cives *Romanos*, produxit, quo aliorum diligentiam studiumque occupavit. Formulam etiam, quâ Civitates suos sibi Patronos cooptabant, integram ex *Grutero pag. 362.* recitat, aliaque id genus decreta apud eumdem indicat, ex quibus demonstrat, Patronos nobilissimorum Civium, immo ipsorum magistratuum legatione destinatâ, Civitatum tutelam suscepisse, in quorum etiam Palatiis Cives, si quando *Romam* venirent, hospitarentur, is enim honor erat tesseræ hospitalis.

Purpuræ pannum assuam, si post summum dignitate & doctrinâ virum, aliqua in hoc argumentum addidero. Et primum ne, dum de Patronorum cooptatione agimus, lectoris curiositatem aliò ablegemus, unam ex formulis hic exscribam, eamque ipsam *Gruterianam* jam indicatam, tum quia inter alias forte illustrior, cum etiam quod ejus autographum in fragmento laminæ æneæ apud Cl. *Fabrettum* viderim, unde ipse correctiorem in opere suo inscriptionum *Cap. V. pag. 364.* traduxit, suppletâ ex *Grutero* ea parte, quæ in eodem autographo confracto desideratur, hic designatâ minutioribus characteribus.

150

PRAESIDI. PROVINCIAE. *Val. Byzac.*
DD NN. CRISPO. ET. CONST*antino juniore*
NOBILISSIMIS. CAES. S. COSS. IIII. *Kal. Sep*
MVNICIPES. MVNICIPII. AELII. *Hadriani. Aug. Civiu*
LITANI. Q. ARADIVM, RVF*inum. Valerium. Proculum*
V. C. LIBEROS. POSTEROSQ*ue. ejus. sibi. liberis. poste*
RISQVE. SVIS. PATRONV*m. cooptaverunt. tesseram*
QVE. HOSPITALEM. CVM. *eo. fecerunt*
Q. ARADIVS. RVFINVS. VALERIVS. PROCV*lus. liberi*
POSTERIQVE. EIVS. MVNICIPES. MVNI*cipii. Aeli. Ha*
DRIANI. AVG. CIVIVLITANI. LIBEROS. *posterosq. eorum*
IN. FIDEM. CLIENTELAMQ. SVAM. RECE*perunt. in. quam*
REM. GRATVITAM. LEGATIONEM, SV*sceperunt*
INSTEIVS. RENATVS. ET. APOLLONIVS. *Gallientius &c.*

Vaillantius *de Coloniis Tom. I. Edit. 2. pag. 169.* & *Tom. II. pag. 31.* inscriptionem hanc *municipii Civilitani*, ut male ex *Grutero* legit, intelligendam esse ait de Opido Plinio *Cullu* vocato, & *Chulli* Antonino, quæ Urbs est *Numidiæ* litoralis, & huc etiam revocandum nummum *Antonini* Imp. cum epigraphe AEL. MVNICIP. COEL. nempe *Ælium Municipium Coelli.* Eum ob id acerbe perstringit Harduinus *in Anthirretico de Nummis antiquis pag. 84.* & vicem reddit ab eo reprehensus, quod scripsisset *in Notis Plinianis p. 496.* illud Municipium, nostræ inscriptioni memoratum, ad *Gibilitanos* Lusitaniæ Populos spectare, quam porro sententiam mordicus defendit. At dum Adversario, in quem integer ille libellus calamo plus nimium atrociori con- F scriptus est, oculos configere vult, suos ipse confodit. Videre siquidem poterat in ipsâ Inscriptione *Gruterianâ*, quam citat, literis penuncialibus in fronte hæc verba, quæ jam retulimus, exarata: *Valerio Proculo V. C. Præsidi Provinciæ Val. Byzac.* Sed laboris forte pertæsus evolvendo grandi illo Inscriptionum volumine, contentus est nil ultra scivisse, quam quod ab aliis didicerat. Ergo ex recitato titulo constat, Municipium *Civilitanum* (seu verius *Civiulitanum* ex autographo *Fabrettiano*) in *Byzacenâ* Provinciâ fuisse, cujus Præsidem *Vale-* 151
rium Proculum in patronum adoptabat. Nam, & dum munus hoc ageret *Proculus*, aliæ quoque Coloniæ ejusdem provinciæ honorem hunc ei detulerunt, *Adrumentina* scilicet, *Mercurialis*

Theanites, & *Zama* regia, ut eadem paginâ, & duabus sequentibus apparet. Quorsum igitur *Harduinus*, similitudine nominis fretus, Municipium *Civilitanum* ex *Africâ* in *Lusitaniam* transplantavit? Vidit *Vaillantius* eam epigraphem, & elogium *Præsidi provinciæ Byzacenæ* dedicatum fassus fuit, sed nihil profecit. Nam *Civilitanum* Municipium ex *Byzacenâ* in proximam *Numidiam* traduxit, & in *Coellitanum*, seu *Coellutanum* migrare jussit. Vellem doctos hos viros, & de antiquitate nummariâ plurimum meritos, manu ducere in celeberrimum conventum *Carthagine* habitum ab Episcopis Catholicis diversarum provinciarum ad fidei rationem *Hunerici*, regis Vandalorum, *Ariani* jussu reddendam. Ibi digito ostenderem, inter Episcopos *Byzacenæ* provinciæ, Fortunatianum *Cilitanum*, quam Urbem haud negaverint, opinor, eandem esse *Civiulitanam* nostræ laminæ, adeoque ex hac etiam ejus nomen corrigendum. *In Collatione* quoque *Carthaginiensi Cap. CXXVIII.* memoratur *Tertiolus* Episcopus plebis *Cillitanæ*. Et, si Antoninum *in Itinerario* sequi non pigeret, eis occurreret *Cilio* inter *Suffetulam* & *Meneggerem*, quæ *Byzacenæ* provinciæ sunt opida, nam & eorum Episcopi *Præsidius* & *Servus* in eadem provinciâ locantur proxime ad Cilitanum. *Cilio* vero corruptum esse ex *Civiulio*, à quo *Civiulitani*, facile mecum consentient. Catalogus ille Episcoporum conventus *Carthaginiensis* prostat apud Labbeum *Tom. IV. Conciliorum pag.* 1142., Ruinartum *in Historiâ Persecutionis Vandalicæ pag.* 123. & Schelestratum *Tom. II. postumo Antiquitatis illustratæ pag.* 656.

Revertamur unde divertimus. Decretum, quo Urbes & Coloniæ Patronum eligebant, tabulâ æneâ incidi curabant, eamque per Legatos, ut
152 permitteret suis Ædibus reponi, Patronum rogabant. In *Romano* lapide *pag.* 456. 1. Ferentini *Pomponium Bassum* in Patronum hac decreti formulâ adoptant: *Placere conscriptis legatos ex hoc ordine mitti ad T. Pomponium Bassum clarissimum Virum, qui ab eo impetrent, in clientelam amplissimæ domus suæ Municipium nostrum recipere dignetur, Patronumque se cooptari tabulâ hospitali incisâ in hoc decreto in domo sua posita permittat.* In his postremis verbis Hypallage est pro, *decreto hoc tabulæ hospitali inciso.* Hinc ejusmodi tabulæ fere *Romæ* repertæ sunt, quo à Legatis deferebantur in domibus Civium clientelas suscipientium. Animadverti omnes jam memoratas *Aradii Proculi* fuisse eodem loco in *Cælio* monte inventas, ubi dubio procul domus ejus sita erat. Duas quoque profert æneas idem Collector *pag.* 470. 1. 2. & quatuor Tomasinus *de Tesseris hospital. Cap. II.* Brixiæ effossas in Vico *S. Zenonis*, quo à totidem Municipiis *Africanis* fuerant transmissæ ad *C. Silium Aviolam* ab ipsis in Patronum delectum. Mos idem Collegiis & Corporibus Artificum fuit usurpatus. Docet decretum *pag.* 1101. 1. quo Collegæ Fabrûm, & Centonariorum *Regiensium* Ju. Silium Julianum sibi Patronum cooptantes *Tabulam aeream cum inscriptione hujus decreti nostri domo ejus poni censuerunt.* Scilicet cum Urbes, & Collegia non tam tunc electum, sed etiam *liberos posterosque ejus* Patronos adsumerent, clientelæ & hospitalitatis sancitæ perenne testimonium apud ipsos manere volebant. Susceptas in tutelam Civitates & Populos apud Senatum & Magistratus, quocumque res & negotia eorum postularent, Patroni defendebant fovebantque. *Halicarnasseus* loco proxime recitato, munera, quibus Patroni erga clientes in Urbe adligabantur, & vicissim quid clientes ipsis præstare tenerentur, describit. Quæ etiam Patronis, clientibusque Coloniarum & Urbium, communia fuisse indicat.

Aliud Patronorum genus inclinante Imperio, memorat Valesius *in Notis ad Marcellinum Lib. XIX. Cap. XI.* Cum enim in exigendis tributis 153
susceptores avaritiâ & rapacitate cuncta miscerent everterentque, moris erat ut provinciales sese in potentiorum ac militarium maxime ducum, patrocinia conferrent, ut sibi adversum susceptores auxilio forent. Verum id sensim in fraudem versum, quod prætermisit doctissimus vir adnotare; nam etiam, ut justas tributorum exactiones declinarent, agricolæ & rustici in potentiorum tutelam confugiebant. Quare severissimis pœnis ejusmodi fraudulenta patrocinia coërcita sunt & vetita, primò per *Constantium*, deinde per alios Imperatores. Adeas, si lubet, eorum leges congestas *in Cod. Theod. Lib. XI. Tit. XXIV. de Patrociniis vicor.* easque erudite exornatas à Jacobo Gothofredo *in Commentariis.* Patrociniis quoque, quæ potentiores negotiatoribus in fraudem Fisci, seu lustralis collationis præbere consueverunt, occurrunt *leges* 12. 15. *& ult. Tit. de lustral. conlat.* ejusdem *Cod. Theodosiani.*

Porro non tam Civitatibus honor, quod Optimates earum tutelam susciperent, sed ipsis etiam Optimatibus hoc patrocinii munus dignitatis accessio fuit. *Curatores* enim, quos sub *Patronorum* censu refero, idcirco *Marcus Antoninus* Imp. multis Civitatibus è Senatu dedit, ut notat Capitolinus in ejus Vita Cap. XI. *quo latius Senatorias tenderet dignitates.* At mirum, feminas ipsas & nobilissimas matronas in Urbium populorumque *Patronas* adoptatas, decreto publico, legatione illustri, ceterisque præclaris ad dignitatem & honestamentum argumentis. Extat insigne exemplum apud *Grut. pag.* 443. 6. in quo Peltuinates in Vestinis *Nummiam Variam Sacerdotem Veneris, Patronam fieri decernunt, eique pro splendore dignitatis suæ, patrocinium offerre, petique ab ejus claritate, & eximia benignitate, ut honorem oblatum libenti, & prono animo suscipere dignetur.* Neque in ejus Clientelam se, remque publicam eorum nomine tantum, & titulo tenus commendatam profitentur, sed ut *in quibuscumque ratio exegerit intercedente auctoritate dignitatis suæ, tutos* 154
defensosque præstet. In alio pag. 322. 2. videas Cantiam Saturninam *Patronam Coloniæ Arminensis*, & num. 8. Albinam Balbinam *Municipii Pitinatium Pisaurensium Patronam*, utrasque Sacerdotes Flaminicas. Quid vero feminæ præsidii & tutelæ clientibus suis præstare poterant, quibus nec caussas agere, nec Senatui publicisque negotiis immisceri permissum? Sane in potentiam & ambitionem feminarum *Severus Cæcina* acerbe invehitur apud Tacitum *Annal. III. Cap. XXXIII.* cum legem a Senatu ferri censuit, irrito tamen conatu, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. Inter cetera queritur, quod mulieres *Oppiis quondam aliisque legibus constrictæ, nunc vinclis exsolutis, domos, fora jam & exercitus regerent.* At hæc ad invidiam sexus exagitata. Inter monstra est, quod Alagabalus *matrem in Senatu rogari jussit*, teste Lampridio *in Vita Cap. IV.* quo interfecto, ne probrum in posterum exemplo esset, cautum fuit *ne unquam mulier Senatum ingrederetur* Cap. XVIII. Matronas, in quorum patrocinium memoratæ Coloniæ venerant, *Sacerdotes* fuisse observo. Quare non tam natalium splendore & familiæ merito, sed etiam, ut ipsum Peltuinatensium decretum indicat. *Sacerdotis dignitatis intercedente auctoritate* apud Senatum, magistratus, summosque in republica viros officiis & commendatione Clientibus suis prodesse poterant. Nemo ignorat quanta *Vestalibus* auctoritas & gratia apud *Romanos* inesset. At honores, tum feminis Cæsarum sanguine & affinitate conspicuis, cum aliis quoque ma-






Pag. 87




UNIVERSITARIA

matronis habitos, fuse prosequitur Spanhemius *de Præst. Numism. Dissert. VII.*

Ceterum *Patronis* suis Urbes, & Provinciæ plerumque statuas ponere consueverunt. Exempla inscriptionum *Grutero* debemus *pag.* 446. 1. & 2. *pag.* 491. 1. 2. & 3. & alibi. *Manlium Theodorum* æreo signo *Patronum* testata est *Africæ* pro-
155 vincia, quam proconsulari Imperio rexerat. *Claudianus* in Panegyrico de ejus Consulatu vers. 24. hæc ait:

Hic te pars Lybiæ moderantem jura probavit,
Quem nunc tota probat, longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ, populumque Clientem
Publica mansuris testantur vocibus ÆRA.

Postremum enim hoc verbum de *æreo* simulacro *Manlii*, potius quam cum interprete ad usum Serenissimi *Delphini* de tabulis *æris*, quibus inscriptæ res ejus, intelligo. Nam & Virgilius Æneid VI. *spirantia mollius æra* dixit, & Horatius Epist. I. *Lysippo duceret æra*, & Claudianus ipse eadem significatione illud non semel usurpavit *in Eutrop. v.* 71., *de primo Consul. Stiliconis v.* 177. Appulejum ita adloquuntur magistratus *Hypatæ* Civitatis, Metamorph. Lib. III. *At tibi Civitas omnis pro ista gratia honores egregios offert. Nam & Patronum scripsit, & ut in* ÆRE *stet imago tua decrevit.* Auctor est Cicero *in Verrem Art. IV.* Siculos posuisse statuas *Marcellis*, ut *Patronis.* Qui *Philipp. VI.* indignatur, statuam *L. Antonio* tamquam populi Romani *Patrono* positam fuisse: *Adspicite*, inquit, *à sinistrâ illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? Quinque & triginta Tribus Patrono Populi Romani. Igitur est Patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem.* In id forte *Catonis in Censurâ vociferationes* erant, *Mulieribus Romanis in Provinciis statuas poni*, ut narrat Plinius *Lib. XXXIV. Cap. VI.* Nam & ipsas Patronas adscitas jam vidimus.

Ea vero veluti lex & perpetuus mos Urbibus populisque fuisse videtur, ut statim ac *Patronum* sibi aliquem decrevissent, *statuam* quoque in tutelæ susceptæ argumentum ipsi publice ponerent. Indicat hoc *Plinius*, qui de origine & honore *statuarum* loquens: *Prius*, inquit, *honos Clientium instituit sic colere Patronos* Lib. XXXIV. Cap. IV. in fin. & ad finem itidem Cap. VI. *passimque*, ait, *Clientes* (aptius alii legunt *gentes*) *in Clientelas ita receptæ.* Scilicet dedicatione *statuarum.* Si- 156
mul se Patronum à *Capuanis* appellatum, donatumque statuâ innuit Cicero *in Pisonem* his verbis: *Me inauratâ statuâ donarunt, me Patronum unum adsciverunt, à me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrantur.*

Antiates statuam AQUILIO Patrono suo collocasse, hæc omnia suadent. Nunc marmor tantummodo, quod amplissima dignitatum ejus ornamenta & gesta officia complecteretur, inscripserunt. Nempe statuam, delatâ statim *Clientelâ* in patronatus testimonium, Inscriptionem postea, cum in suscepto munere plurimis magnisque beneficiis Civium animos provocasset, merita ejus, & decora posteritati tradituri, dedicarunt.

157

PARS ALTERA,
DE
M I T H R A
EJUSQUE TABULIS SYMBOLICIS.

CAPUT I.

Figuræ simulacri Mithriaci in lapide Antiate exsculptæ describuntur. Indicatis locis, ubi similes tabulæ extant, notatur symbolorum inter ipsas diversitas. Quid his repræsentaverint veteres; unde falsa quorundam opinio arguitur.



SImulacrum MITHRÆ, quod hic spectas æri eleganter incisum, idem est, quod in præfatione ex *Antii* ruderibus effossum dixeram. Eodem fato & tempore, post diutinas ævi intercurrentis tenebras, cum *M. Aquilio* luci traditum, par erat eadem manu & consorti curâ illustratum, utinam non potius fœdatum, in literatorum conspectum prodire. Scio equidem doctos viros *de Mithra* ejusque *Tabulis* jam olim dicere occupasse, sed scio iterum, ex his neminem earum symbola & significationes per partes singulas explanare fuisse adgressum; ita ut pene integrum hoc argumentum reliquerint, & plura etiam de *Mithra* vel non observata, vel secus explicata nobis, qui spicas colligimus, dimiserint. Quare æqui bonique consulant eruditi, quorum manibus, si tanti res erit, meam hanc lucubrationem versari contigerit, cum vel quædam prius dicta vel alia minus fortasse ad seculi palatum composita, offenderint. Nam omnes, qui in
158 hæc studia incumbimus, ex iisdem veterum fontibus nostra haurimus, eademque omnes refundere cogimur. At sane, præter novam fere symbolorum explicationem, in id curam proferre conatus sum, ut *Mithram* toties ab aliis, ut ita dixerim, recusum, ad gratiam novitatis revocarem, vel superfusâ obscuris luce, vel evolutis plerisque quæstionibus, aut tandem rebus suo ordine digestis, & in integram & justam *de* MITHRA *Commentationem* compositis. Nam licet suscepti operis occasio intra explanationem tabulæ *Antiatis* nos cogeret; attamen non tam ad alios similes lapides stylum produxi, sed etiam universam, quantum ingenii exilitas ferre possit, *Mithræ* caussam & argumentum complexus sum. In quo nescio an liceat mihi præfari, quod Plinius initio naturalis Historiæ usurpavit: *Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ suæ omnia. Itaque etiam non assequutis, voluisse, abunde perpulchrum atque magnificum est.*

Itaque quamvis oculos non fallat appositus nostræ Tabulæ typus, ejus nihilominus partes & figuras describam; tum ut fax veluti prælata lucem dicendis ingerat, cum etiam ut aliorum, qui alibi extant, lapidum *Mithræ* discrimina quædam & varietates facilius internosci, & distingui queant. Adstat juvenis, ut vides, fusâ in auras chlamyde succinctus veste breviori, recurvâ tiarâ seu mitrâ Persicâ, *Tauri* jacentis tergum premens sinistro genu, altero pede ad caudam dejecto. Dexteram manum, cujus partem extre-

mam longa ætas detrivit, ad collum admovet, sinistrâ dexterum cornu apprehendit. Adsiliunt ad caput Tauri *Canis* erectus & *Serpens*: sub ventre *Cancer* repit. Ab unâ parte caput Juvenis radiatum, *Sol* scilicet, sub quo geminæ *Aves*, & inferius *Puer* tunicatus & mitratus facem demittens, quem prope ad pedes *Vas* quoddam informe jacet. Ad sinistram stat *Puer* alter, eodem habitu, facem erectam tenens, supra quem
159 pars lapidis fracta *Lunæ* effigiem abstulit. Tabula marmorea est, figuræ semiextantes, seu operis anaglyphi, satis affabre exsculptæ. In longum ad sex palmos protenditur, latera tres & dimidium complent.

Quinque ejusmodi thoreumata, ut vocat *Sponius* (an satis recte?) describit *Gruterus pag.* 34. Capaccius *in Historia Neapol. Lib. I. Cap. XIV.* & Summontius *Lib. I. pag.* 77. *postremæ editionis*, alterum delineatum exhibent. Laurentius Pignorius *in Auctario ad Cartarium pag.* 294. aliud producit, rudibus typis excusum, quod idem antea retulerat Marlianus *Lib. VII. Topograph. Urbis p.* 153. Et quoniam tam *Gruterus*, quas exponit, quam alii Scriptores plures *Mithræ* tabulas *Romæ* extare testati sunt, ita iis conquirendis incubui; ut tandem, amicorum monitu vel propriâ diligentiâ, octo fuerim nactus, locis tamen diversis omnes quam quæ iisdem Auctoribus notantur. In Palatio *Pincianæ* nobilissimæ Principis *Burghesii* Villæ tres adsunt externis parietibus infixæ: prima ad latus septentrionale, in occiduo altera, tertia ad ortum. Rursus alia in palatio Ducis *Matthæi*, Ducis *Sanesii* secunda, & in ædibus *Burattianis ad S. Angeli Custodis* harum postrema. Tandem sub pariete internum viridarium ejusdem *Pincianæ* Villæ ambiente, duo non operis anaglyphi, ut cetera, sed solida & extantia *Mithræ* simulacra reperies. Has inter tabulas, binas æri incidendas curavi: *Burattianam*, quod detrimenta longioris ævi felicius evaserit, & in figuris quædam à nostrâ diversa ostentet. Nam *Mithra* stat in rupe excavatâ, seu antro, Tauri humerum parazonio feriens: Canis ac Serpens ad vulnus adsiliunt, manantemque sanguinem lambunt, & pro Cancro Scorpius adest, qui videtur Tauri testes chelis circumplecti, quod in *Burghesianis* duabus manifeste deprehenditur. Alterius ad latus occiduum, in ipsâ scilicet facie & prospectu Palatii *Pinciani*, ectypum exhibui, quod singulare aliquid, nusquam in aliis expressum, nec
160 scriptoribus memoratum repræsentet; *Mithram* nempe puerumque facem gestantem *alatos*. Cum hoc simulacrum æri jam mandassem, incidit dubitatio, num vere *Mithram* exprimat, quod species oris & mammilla exerta mulierem prodere videatur. Cogitabam Victoriæ effigiem esse, quæ ubique alata pingitur. Nam & in nummo aureo *Augusti*, quem vidi in Museo Illustrissimi *Leonis Strozzii*, variis & pretiosis cimeliis refertissimo, Victoria taurum procumbentem calcat, cum epigraphe: *Armenia capta.* Quomodo taurus *Armeniam* figuret, videas apud Oiselium, *Tab. XIX. num.* 2. At sane in nostro lapide taurus parazonio petitus, & puer facem præferens, propria sunt *Mithræ* symbola, cui alæ quoque conveniunt quam maxime, ut alio loco explicabo. Quid ni etiam liceat augurari, qua parte marmor est mutilum, alium puerum stetisse, & fortasse cetera quoque *Mithræ* signa. Potuit ergo opifex, ut *Mithram* juvenculum fingeret, ita lascivienti scalpro indulsisse, ut prope in feminam emolliret; detracto etiam capitis integumento. Liberum sit eruditis decernendi arbitrium. Ceteris tabulis manet antrum, & *Mithra* feriens: *Canis* solus in *Burghesiana* vulneri imcumbit: aliæ *Cancrum* retinent. In Sanesianâ *Tauri* cauda in spicas desinit, ut in *Neapolitana* Capaccii. *Burghesiana* ad latus septentrionale eadem est, quæ apud *Gruterum* 4. *pag.* 34. Adhuc in ventre Tauri exsculpta prostant verba: DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE, & ad collum: NAMA. SEBESIO. *Sol* specie juvenis quadrijuges agitat, *Luna* sub forma mulieris bigâ vehitur: quos inde *puer* nudus antecedit. *Arbores* tres in summo antri frondescunt, *Corvus* crepidini insidet. Adstantes pueri erectam facem ambo gestitant. Deraserat edax vetustas caput *Mithræ* partesque nonnullas hujus lapidis, quas recentior manus sarcivit. Iconem hic profero ex munere egregii viri *Dominici Montelatici*, qui cum plurima signa, statuas, aliaque antiqua monumenta, quæ in memoratâ *Burghesianâ* Villâ magnifice sane ac splen-
dide habitant, tabulis æreis incisa, dum hæc scri- 161
bo, evulgaverit, hanc ipsam perhumaniter mihi largitus est.

Neminem arbitror non secum statim reputaturum, tot varia & inter se diversa symbola & simulacra, non casu aut ex arbitrio ficta, sed ad occulta mysteria gentilitatis, vel ad rerum naturalium caussas significandas, sic in unum fuisse composita & concinnata. Quare facturum me operæ pretium existimavi, si singula diligenti examine discuterem, & ex arcanæ antiquorum philosophiæ penu interpretationem depromerem. Sane, ut antea monui, plures viri docti hisce tabulis *Mithram* seu *Solem* repræsentari recte animadverterunt, sed neque solliciti de ceteris symbolis, nec de mysticâ significatione, penè tantum, quæ ad *Mithram* spectant, veterum testimonia congesserunt. *Marlianus* tabulam, quam excusam prodidisse diximus, munus optimi *Agricolæ* significare arbitratus est, & figuras singulas in hanc explicationem aptavit. Ea tunc opinio viguit: nam *Joannes Macarius* in libello, cui titulus *Abraxas* pag. 14. memorat fuisse editam *Romæ* imaginem tabellæ fictilis, eique nomen inditum, *Typus Agriculturæ*; idemque tradit Joannes Chiffletius, *in Commentariis ad eundem Macarium*, *Cap. III. pag.* 71. & *Pignorius* loco superius indicato. At eam interpretationem explodunt, illumque esse typum *Mithræ*, seu *Solis* optime censent, ceteris figuris pene delibatis. De his neque laboravit, ad alia properans, Gisbertus Cuperus *in* eruditissimo *Opere de Harpocrate*, contentus *pag.* 65. *Camerarium*, non satis feliciter de Agriculturâ hanc *Mithræ* picturam explicantem, notasse. *Capaccius* denique eundem errorem induens, partes singulas ad Agriculturam refert, sed verbis tenus & ex ingenio, nullo fultus veterum præsidio, utpote qui omnia ex *Marliano* hauserat.

CAPUT II. 162

Mithra Invictus *Deus: quem è petrâ natum tradidit antiquitas. In eam rem versus Commodiani ab Hieronymo Aleandro explicati. Mithra boum fur habitus, unde Julius Firmicus à Barthio expostulatus defenditur. Mithra idem ac Sol, primum Persis, deinde ceteris Gentilibus. Divino cultu acceptus ab iisdem Persis, non tantum civili, ut Auctor nuper opinatur. Mithra Sol est in numeros resolutus. Cur Mithra alatus? Diverso nomine appellatus, unde explicantur gemmæ Basilidianorum. Difficilis locus Herodoti expenditur. Hinc lux Julio Firmico. Vetus Inscriptio explanata. Cur Mithra* Invictus.

Mihi igitur singula, quæ in *Mithriacis* tabellis scalpta sunt, simulacra interpretanti, primum ea tradenda sunt, quæ fabulosa de *Mithrâ* prodiderunt veteres, mox mythologica & physica reserabo. *Commodianus* Poëta *Christianus*, ævo

DEO.SOLI.INVICTO.MITHRAE



ævo *Constantini Magni*, in libro cui titulus est *In-*
structiones, primum à *Rigaltio* edito ann. MDCL.
in Instruct. XIII. hæc ait, *mediocri sermone quasi*
versu, plane ut de eo scripsit Gennadius,

Invictus *de petrâ natus, si deus habetur,*
Nunc ergo retro vos de istis date priorem,
Vicit petra deum, quærendus est petræ creator.

Idem *Rigaltius* in Notis putat, his versibus re-
spexisse *Commodianum* ad historiam *Agdestis*, qui
fuit Magnæ Matris filius, *Agdi* petræ in *Phrygiæ*
finibus inauditæ per omnia vastitatis nepos, uti
tradit Arnobius *Lib. IV. adversus* Gentes ex *Timo-*
theo Theologo, nec aliunde petendam esse hisce
versibus lucem; *Invictum* tamen deum & *Mi-*
thram fuisse appellatum, cum eo nomine in anti-
163 quis inscriptionibus donetur. At Hieronymus A-
lexander Junior *in primâ* ex *Dissertationibus Phi-*
lologicis, quæ manu ipsius exaratæ, ut alibi memo-
ravi, extant in Bibliothecâ Barberinâ, *Invictum*
hunc deum esse *Mithram* pro certo habet. In
apographo *Commodiani*, quod ei *Jacobus Sirmon-*
dus commodaverat, legebatur, *de Patre natus*;
at ipse restituendum omnino, *de petra natus*, pu-
tavit. Quam correctionem fortasse amico *Sirmon-*
do communicatam, ab hoc *Rigaltius* hausit, &
editioni suæ postea inseruit. „ Itaque, ait Ale-
„ ander, ex *petra* genitum fuisse *Mithram* fabu-
„ lati sunt veteres. S. Hieronymus Lib. I. ad-
„ versus Jovinianum: *Narrant & gentilium fa-*
„ *bulæ Mithram & Erichthonium, vel in lapide*
„ *vel in terrâ, de solo æstu libidinis esse generatos.*
„ Ideo in Mithræ mysteriis enunciari solitum
„ erat Θεὸς ἐκ πέτρας, quod profanum appellat sa-
„ cramentum Julius Firmicus *Lib. de Errore pro-*
„ *phanæ Relig.* Signum hoc prophani sacramenti
„ esse putat Petrus Faber *Lib. III. Semestr. Cap.*
II. pag. 37. lapidem *tetragonum* Arabibus cultum, te-
stante Maximo Tyrio *Orat. XXXVIII.* quem *infor-*
mem lapidem vocat Arnobius *Lib. VI. advers. Gentes*
Porro *Mithram* ortum fuisse è petrâ retulit quo-
que Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone
pag. 296. *quando illi qui Mithræ initia tradunt, è*
petra eum natum esse memorant &c. „ Hunc Deum,
„ pergit, *Aleander*, ex petrâ ortum, si *Mi-*
„ *thriaca* adyta penetrabimus, quem dicemus,
„ nisi ignem è silice excussum? Nam & Persa-
„ rum *Mithriaca* mysteria nil aliud quam ignem
„ respiciebant, testante eodem Firmico: *Sacra*
ejus ad ignis transferunt potestatem. Subdit
„ præterea ex *Strabone*, & Q. Curtio, *Mithram*
„ ignem fuisse interpretatum apud *Persas*, eos-
„ que Solem, *Mithram*, ignemque in invoca-
„ tionibus annectere solitos. Quæ testimonia
alibi afferemus. Sed quoniam fabula fabulam
„ gignit, nil mirum si *Mithras*, qui ex petra
„ ortum traxisse dicebatur, filium quoque ex
„ petra progenuit. Id tradidit Plutarchus *in*
164 „ *libello de fluminibus*, ubi de *Araxe* loquitur:
„ *Mithras filium habere cupiens, & perosus mulie-*
„ *bre genus, cum petrâ quadam concubuit, ea vero*
„ *prægnans effecta, post statutum tempus juvenem*
„ *progenuit nomine Diorphum.* Obiter addo,
hunc locum illustrandum *ex Notis* Mussaccii, quas
in calce *Operum Plutarchi* edit. Parisiens. Græco-
lat. pag. 83. T. II. reperies. „ Dum vero,
„ prosequitur noster Auctor, ait Commodia-
„ nus,

—— *vos de istis date priorem*
Vicit petra deum, quærendus est petræ creator,

„ hoc utique voluisse videtur: Vos Ethnici,
„ qui *Mithram* vestrum, sive Invictum ex pe-
„ tra natum fatemini, dicite per vestram fidem,
„ quisnam prior antiquiorque fuit, Invictus an pe-
„ tra? Certe ipsa petra Invictum vincit, (sic
„ fortasse legendum) ætate nimirum vincere ne-
„ cesse erat, quæ ortum dei dederat. Non e-
„ quidem ignoro diversa significatione vincendi
„ verbum usurpari solitum, quod docet Servius
„ ad XI. Æneid. *Veteres*, inquit, *vivendo vin-*
„ *cere dicebant supervivere: ut multa virum volvens*
„ *vincendo sæcula vincit, nam & in Togatis victri-*
„ *ces appellantur, quæ viros extulerunt.* At non
„ miror, bellum hunc poëtam novam ejus verbi
„ notionem excudisse; cum acrostichidis lege
„ coarctatus non *pariendi*, non *gignendi* verbo,
„ aliove hujusmodi uti posset: nam *vincendi* ver-
„ bo simpliciter uti pro eo, quod est ætate an-
„ tecedere, haud ita facile videtur concedendum.
„ Fortassis etiam elegans illi jocus visus est, *vi-*
„ *ctum* dicere, qui *Invictus* audiebat. Postquam
„ vero fateri coëgisset, deum illum ætate poste-
„ riorem esse petrâ genitrice, nunc (subdit) quæ-
„ rendum superest, quis petræ ipsius Creator fue-
„ rit atque opifex. perinde atque vellet per hos-
„ ce gradus Ethnicos ducere ad veri Dei cogni-
„ tionem. Ita *Aleander*: cujus opera inedita
licet brevi lucis usuram adeptura speramus, atta-
men pauca hæc, quæ nostrum argumentum spe-
ctant, eruditis veluti prægustanda obtulisse,
haud alienum duximus.

Tradidit præterea fabulosa antiquitas, Mi-
thram *Boum furem* fuisse, eosque in speluncam 165
raptos abegisse. Sane in nostris tabulis, quæ *Mi-*
thram sub antro bovem cornibus per vim torquen-
tem, inflictoque vulnere veluti prædam mactan-
tem, repræsentant, id expressum designatumque
videretur, nisi cetera Symbola mysticum aliquid
arcanumque denotari suaderent. Quod tamen
Gasparem Barthium *in Animadversion. ad Statii*
versus, quos inferius proferam, induxit, ut ca-
lumniam fingeret *Julio Firmico*, quem quod vi-
derit imaginem *Mithræ* in antris taurum cornibus
ducentis, ideo ait commentum fuisse ipsum fu-
rem & *boum abactorem.* Parcerem viro do-
ctissimo, & conjecturam alucinationis utcumque
probarem, si *Firmicus* id dixisset solus. At *Com-*
modianus, post versus superius exscriptos, Ethni-
cos redargens hoc ipsum tradit:

Insuper & furem adhuc depingitis esse,
Cum si deus esset unquam non furto vivebat.
Terrenus utique fuit, monstrivorâ naturâ.
Vertebatque boves alienos semper in antris,
Sicut & Cacus Vulcani filius ille.

Quod si aliquem ex Gentilibus id fatentem po-
sceret, *Porphyrium* profero, doctissimum super-
stitiosæ religionis æque ac veræ infensissimum,
cui Mithras *boum fur deus* diserte dicitur, in li-
bello, *de Antro Nympharum apud Homerum pag.*
262. inter ejus opera ab *Holstenio* Latinitate dona-
ta, & impressa *Cantabrigiæ* ann. MDCLV. Quod
moneo, quia sæpius deinceps erit mihi hic au-
ctor appellandus.

Mithra itaque, qui in nostris hisce tabulis, ce-
terisque antiquæ gentilitatis monumentis frequen-
ter memoratur, cujusque ortum & studia mox
retulimus, *Sol* ipse fuit habitus, vel sane epi-
theton nomenque, quo *Sol* significabatur. Do-
cet in primis lapis *Burghesianus*, cui sub ipsâ
Mithræ imagine sculpta est epigraphe: *Deo Soli*
Invicto Mithræ. Plura id genus vetustatis exem-
pla describit *Gruterus pag.* 33. & 34. quorum hic 166
duo apponam, quod mentionem Spelæi præ-
ferant.

1.

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE
FL. SEPTIMIVS. ZOSIMVS. V. P.
sic
SACERDVS. DEI. BRONTONTIS
sic
ET AECATE HOC SPELEVM
CONS TITVIT

2

SOLI INVICTO MITHRAE
TIBERIVS. CLAVDIVS. TIBERI. F. THERMODORVS
sic
SPELEVM CVM SIGNIS . . . CETERISQ.]
VOTI. COMPOS. DEDIT.

Vocabulum hoc & significatio primum à *Persis* accepta, quibus *Mithras Sol* est, teste *Hesychio*, *Suida*, Strabone *Lib. XV. pag.* 732. *Edit. Parif. MDCXX.* aliisque. Hinc non male conjicit *Salmasius* ad Vopiscum *in Aureliano Cap. V.* Solem pateræ, quam Persæ *Aureliano* donaverant, eo habitu insculptum, quo colebatur in eo templo, quo mater ejus fuerat Sacerdos, eundem hunc fuisse *Mithram*, facie leoninâ, cum tiarâ seu mitrâ. Nam *Persæ* eo Leonis vultu *Mithram* colebant, apud *Luctatium* seu *Lactantium* veterem Commentatorem *Statii*, & in ejus sacris multa Leonis mentio. *Mithram* tamen *Medum* facit Lucianus *in Dialogo*, quem *Deorum Concilium* inscripsit, ubi Momum inducit deastrum hunc barbarum facetissime ita irridentem: *Aut etiam Mithres ille Medus, qui indumento Persico amictus, & tiarâ redimitus est, neque Græcam vocem sonans; adeo ut si quis illi nectar propinet, præbibentem non intelligat.* At gens utraque, uti sub uno imperio, ita eidem religioni addicta, & ut ait Strabo eod. Lib. XV. *Persici mores cum Medis iidem sunt.* Quæ verba oscitanter omissa in memoratâ *edit.*
167 *Græcol.* extant apud Casaub. *in Notis*, & in aliâ *Latinâ*. Equidem & origo vocis petenda à *Persis*, si credimus *Scaligero*, qui Lib. VI. de Emendat. temp. pag. 588. *Mithri*, *Mithir*, aut *Mether* iisdem esse *Dynastam* ac *Dominum* scribit. Quo referri poterit testimonium *Hesychii*, qui *Mithren* apud Persas *πρῶτον deum* vocari tradidit: *primum* scilicet, seu *majorem* ac si dixeris inter deos *Dynastam.* At hæc apposite observo inscript. 1. pag. 36. *Mithræ aram* dicatam, *cum ornamentis, & tabellas*, ut corrigit Gutherius, *insignia* DOMINI, nempe ipsius Mithræ, *habentes.* Et Solem seu Mithram passim vocat *Dominum*, *& Regem* Julianus Orat. IV. Si *Persicum* vocabulum ad *Græcam* significationem fas esset traducere, plausu exciperem commentum *Tristani Santamantii*, qui in præclaro opere Gallico *ad Historiam Imperator.* explicans nummum *Aureliani pag.* 245. *Tom. III.* Persas ait, Solem (qui Mithra est) vacasse Κύριον, hoc est *dominum*, indeque *Cyro* nomen inditum ex Plutarcho, cujus locus, ab eo non citatus, est *in Vita Artoxerxis.* Sed *Tristanus* de suo addidit, apud *Persas* vocem Κύριον esse *dominum*, nisi eo jubente Græcam civitatem aliquando fuerit adepta: nec *Plut.* id somniavit. Ceterum quod *Mithra* præcipuus inter deos haberetur, sollemne *Persis* erat illius numen juramento contestari, ut *Dario* idem Plutarchus *in Alex.* de *Cyro* Xenophon *in Oeconom. Lib. V.* & de *Tyridate* Dio *Lib. LXIII.* memorant. Ejus vero nominis vestigium hodie quoque inesse libris *Persarum*, quibus Sol dicitur *Mihr*, testatur Spanhemius *in Notis* Gallice scriptis *ad Cæsares Juliani pag.* 317.

Cum huic lucubrationi fastigium imposuissem, animadverti, *Mithræ* de statu quæstionem moveri, tanquam Deus apud *Persas* non fuerit, neque divinis honoribus cultus. Cogor itaque vestigia relegere, & pauca raptim adnotata, nam Typographus à tergo instat, in ejus caussam hoc loco attexere. Inter Diaria erudita Amstelodamensia, vulgo *Novelles de la Republique des Let-*
168 *tres*, proxime elapsi Decembris, hic titulus prostat: *Historia Religionis veterum Persarum, eorumque Magorum. Ubi etiam nova Abrahami, & Mithræ, & Vestæ* &c. *Historia. Auctore D. Hyde*
A *Linguarum Orientalium in Academiâ Oxoniensi Professore.* Egregium Operis specimen duorum capitum brevis conspectus præbet; nam eruditus Auctor se demonstraturum promittit, *cultum divinum apud veteres Persas datum fuisse Soli Deo: Mithræ & Igni cultum tantum civilem, & falli contrarium affirmantes, atque Sacerdotum eorum ad hoc responsum: Mithram præterea ab ipsis nunquam vocatum Deum, uti neque Ignem, nec necessitatum petitiones eis unquam exhibitas.* Nescio quid vir doctus sit prolaturus: at scio equidem disertis verbis inter alios *Hesychium*, loco jam indicato, tradidisse, Mithram *Deum* habitum apud *Persas*, &
B profecto non vulgarem, sed *supremum* & *maximum.* idque non apud vulgus tantummodo, & recenti religione, sed ab antiquissimo tempore, quo scilicet *Zoroaster*, primus Persarum magister, *Mithræ* cultum induxit. Ille siquidem *antrum in Perside in honorem creatoris patrisque omnium Mithræ consecravit; ita ut conditi à Mithra Mundi figuram præberet*, inquit *Porphyrius*, alibi productus, ex *Eubulo*, qui luculentissime de cultu & mysteriis *Mithræ* scripserat. At quomodo fieri possit non video, ut *Mithra* Deus non fuerit à Magis *Persarum* habitus, quem omnium creatorem & patrem mundique opificem credebant. Præter-
C ea & Deum putasse, ac in necessitatibus invocasse palam est, nam *mediatorem* inter *Oromazam* & *Areimanium*, bonum malumque deos, statuebant, eique *votivas & pro gratiis agendis oblatas victimas* immolabant, ex ejusdem *Zoroastris* instituto, teste Plutarcho *de Iside & Osiride pag.* 396. quem locum inferius laudavi. Rursus si *Mithra* Sol est, ut nemo dubitat, utique Persæ *Solem unum Deum esse credunt, & equos eidem Deo sacratos ferunt*, ait Justinus ex Trogo *Lib. I. Cap. X.* De *Massagetis*, quæ natio fuit *Persis* contermina, idipsum tradit Herodotus *Lib. I. Cap. CXVI.* & Strabo 169
Lib. XI. pag. 513. Obiter notabo, *Vossium* eo-
D rum testimonia perperam de *Persis* citasse *Lib. II. de Idololatr. Cap. IX.* Necessitatum quoque petitiones fuisse exhibitas, ostendit Darius *Solem, Mithrem, sacrumque, & æternum invocans Ignem*, dum esset cum *Alexandro* congressurus, ut militibus *dignam vetere gloriâ majorumque monumentis fortitudinem inspirarent*, apud Curtium *Lib. IV. Cap. XIII.* Ex quo loco & Ignem invocatum discimus, & proinde Deum habitum. Accedit vetustissimum *Herodoti* testimonium, qui libro III. Cap. XVI. *Persæ*, ait, *Deum Ignem esse arbitrantur.* Ideoque & cadavera ab ipsis non cremabantur, *quia nefas esse Deo* dicebant *depasci cada-*
E *vere hominis.* Recentior testis est D. *Joannes Chrysostomus* in Homilia IV. de patientiâ & tolerantiâ: *Deus apud Persas Ignis esse putatur, ipsumque multo cultu venerantur.* Uti etiam *Sidonius Apollinaris*, qui in Panegyr. Anthem. vers. 84. ait: *Magis juratur ab illis, Ignis & unda Deus.* Nec non Theodoretus *Lib. V. Hist. Cap. XXXIX.* & Evagrius *Lib. V. Cap. XIV.* ubi *Persis* ignem Deum habitum prodiderunt. At his non immoror, cum antiquioribus exemplis res sit agenda. Originem religionis repetit *Clemens* à *Nemrothe*, qui *Persas docuit ignem colere*, Lib. I. Recognitionum *in Bibliothecâ P. P. Tom. II. Part. I. pag.*
F 391. Et *Lib. IV. pag.* 423. hæc subdit: *Busti cineres tanquam fulmine ignis reliquias colligentes hi qui erant primitus decepti, deferunt ad Persas, ut ab eis tanquam divinitus è cœlo lapsus ignis, perpetuis consecraretur excubiis, atque ut cœlestis Deus coleretur.* Lapsum hunc ignem, foculisque sempiternis custoditum memorat Ammianus Marcellinus *Lib. XXIII. Cap. VI.* Foculos vocabant *Pyræa* & *Pirathæa*, de quibus plurima est mentio apud Scriptores. Adeo autem ceteris Diis Ignem præferebant *Persæ*, ut unicuique *Deo sacrificent*, *primum*

A *primum Igni preces faciunt*, ut emendavit *Casaubonus*, nam Xylander *imprecationes* verterat, apud Strabonem *Lib. XV. pag.* 733. ubi & sacrificia
170 Igni exhibita, ejusque sacra describit. Nam sacrificiis Ignem apud *Persas* fuisse cultum, docuit etiam Laërtius *in Proœmio sub initium.* Petitum porro precationibus ostendit insanus & ridendus mos *Persarum*, cum ignem ad fluvium delatum mersuros se aquâ minarentur, ni voti compotes fierent, ut narrat Plutarchus *de primo frigido pag.* 970. Quæ fortasse tantummodo in vulgus credita. Nam facile assentior, Sapientes *Persarum* & Sacerdotes non aliter Ignem hunc terrenum divinis honoribus coluisse, nisi quia cœlestem
B Ignem, nempe Solem, repræsentaret, unde originem duxisse putabant, ut vidimus. Auctores habeo Maximum Tyrium, qui *in Dissertatione* XXXVIII. quæ est *de Statuis Diis dicandis:* ait Persas *Ignem* coluisse veluti *imaginem seu statuam Dei*, unde eos increpat, quod *elemento immanissimo omnium violentissimoque* adhæsissent, cum Deum aliis signis repræsentare potuerint. Loquitur Philosophus in suum argumentum, quo conatur ostendere, statuas omnes, quas veteres Diis dicabant, positas fuisse, ut Dei memoriam mentibus revocarent. Clemens quoque Alexandrinus *Admonit. ad Gentes pag.* 43. ex Dinone refert. Ma-
C gos Persarum *sacrificare sub dio, sola Deorum simulacra Ignem & aquam putantes.* Itaque Magi cultum ignis ad Deum referebant. Deus vero non alius ipsis quam *Mithra* seu Sol, cujus portio Ignis hic terrenus & *quotidianus*, uti vocat *Tyrius* eodem loco, credebatur. Quodnam fuerit illud *Sacerdotum responsum* à viro clarissimo doceri cupio. Nisi intelligat de responso regi *Perosæ* à Magis reddito, cum ab *Euthalitis* captivus detineretur, quo videntur comparasse adorationem Regis & Solis. Rem narrat Procopius *de Bello Persico Lib. I. Cap. III. in fin.* Sed non is Mago-
D rum fuit sensus. Ceterum cum ignorem, plerisque Gentilium sapientibus, tam *Græcis* quam *Romanis*, imo & Barbaris, ratione magistrâ patuisse, unum esse Deum, rerum principium & moderatorem, neque in divinitatis consortium corpora creata, Solem, Sidera, hominesque, esse
171 adscribenda; eodem modo & *Persarum* Magos de Deo cogitasse libenter addiscam. Adhuc tamen & demonstrandum est, publicum cultum *Mithræ* & Soli tributum, fuisse tantummodo civilem. Nam is non congruit rerum mundique Opifici, qualem Magi *Mithram* putabant; & sacrificia precationesque divini & latreutrici honores sunt.
E Ea nihilominus de clarissimi viri doctrina opinio mihi est, ut non ambigam promissis liberaliter responsurum, meque in ejus sententiam pleno suffragio concessurum.

Quod Solis appellationem spectat, *Basilidiani* superstitiosâ numerorum resolutione *Mithram* in Sole quærebant, teste D. Hieronymo in Cap. III. Amos: *Basilides*, inquit, *omnipotentem Deum portentoso nomine appellat Abraxas, & eundem secundùm Græcas literas & annui cursus numerum, dicit in Solis circulo contineri; quem Ethnici sub eodem numero literarum vocant* MITHRAM. *Abraxas* Græcis literis redditus statim producit numerum
F 365. quot diebus cursus Solis completur. Non ita *Mithra*, quem *Hieronymus* Latinis literis & inflexione concludens, negotium curiosis facessivit. Siquidem Joannes Macarius *de Abraxis num.* 3. ex *Græca* voce ΜΙΘΡΗΣ efformans numerum 365. necesse habuit tribuere θ numerum 8. & η. numerum 7. contra rectam numerandi rationem. *Kircherus Oedypi Ægyptii Part. II. Tom. II. Class. XI. Cap. VI.* felicius *Mithram* hisce elementis *Græcis* extulit, quibus ad amussim respondet numerus 365. simul & Abraxas resolutum in numeros conspicies.

M	E	I	Θ	P	A	Σ	
40	5	10	9	100	1	200	365
A	B	P	A	Ξ	A	Σ	
1	2	100	1	60	1	200	365

Mithra quoque Solem monstrat in gemmâ, quæ *contra Solem variè refulgens Mithrax Persis* appellabatur, teste Plinio *Lib. XXXVII. Cap. X.* Vulgati codices legunt *Mitrax* absque aspiratione, quam reponendam rectè censuit Salmasius *in Exercitat. ad Solinum pag.* 712. Ipsi Solino *Mithridax* mendosè dicitur, uti adnotavit idem celebris Criticus. 172

Præterea Gentiles per symbola *Mithræ* physicas Solis affectiones expresserunt. Illustre exemplum præbet marmor *Burghesianum* in parte inferiori secundæ nostræ tabulæ delineatum, in quo *Mithra*, (si *Mithram* esse consentias, ut superius monui) vulnus Tauro intentans, *alatus* repræsentatur. Solis enim simulacra veteres *pinnata fingebant, quæ res monstrat ejus velocitatem*, inquit Macrobius *Lib. I. Saturn. Cap. XIX.* & Martianus Capella *de Nuptiis Philolog. pag.* 20. *pennata vestigia* eidem tribuit. Eodem recidit puer, qui cùm diem figuret face elatâ, merito fugientia tempora *alis* indicare conjicias. Cuperus *in Harpocrate pag.* 34. ectypum juvenis *alati* producit, quem *Mithram* esse arbitratur. *Solem* libenter fatear eo symbolo expressum, non *Mithram:* cum ex ejus signis, præter tiaram capitis, nullum ostentet. Nam sub diversis figuris diei lucisque dispensator pingebatur. Hinc licet *Solem* dicat numisma *Melitense* apud *Sponium* libro Gallicè inscripto *Recherches curieus. d'Antiq. Dissertat. XXVIII.* cùm juvenem *alas* quatuor humeris gestantem præ se ferat; non tamen *Mithram*, ut ipse cum amico, qui sibi ejus copiam fecerat, opinatur, monstrare crediderim. Quippe tiara seu mitra bifida & superne secta in acumen desinens, ad modum prorsus episcopalis phrygii, quâ caput ornat, non convenit *Mithræ*, qui *Persicam* mitellam, qualem in nostris tabulis conspicimus, sibi vult. Præterea juvenis ille sinistrâ flagrum, dexterâ baculum seu sceptrum gerit, quibus insignibus Sol quidem, sed sub nomine *Abraxas* seu *Jao* depingi solet, ut videre est in quamplurimis gemmis *Macario* & *Chiffletio* alla- 173
tis. Nonnulla Imperatorum numismata Solem flagello armatum exhibent. *Alis* etiam ea imaginum portenta donantur, ut in gemmâ *Chiffletianâ* secunda. & *Harpocrates*, qui Solis significationem assertam eidem doctissimo *Cupero* debet, in *alatam* effigiem consurgit. Attamen nemo suspicetur, me communionem significationis & rei velle discindere, cùm *Mithram*, *Abraxam*, *Harpocratem*, & si quæ sunt alia vesanæ superstitionis ejusmodi monstra, inter se difformia & diversa pronunciavi. Nam id intelligendum ratione habitâ ad varios gentium populorumque mores & ritus, quibus Numen unum idemque frequenti nominis & appellationis dissensu colebatur. De Sole accommodè ad rem nostram hæc habet Capella *Lib. II. de Nupt. Philologiæ* pag. 43. Edit. Plantin. MDXCIX.

Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Osirim,
Dissona sacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem.
Attis pulcher item, curvi & puer almus aratri,
Ammon & arentis Lybies, ac Biblius Adon.
Sic vario cunctus te nomine convocat Orbis.

Unde apud Nonnum *in Dionysiac. Lib. XL. vers.* 405. *Mithra*, seu *Phaëton* πολυώνυμος *multinominis* dicitur. Quod etiam de *Iside* tradidit *Appulejus* in Milesiis seu Metam. Lib. II. pag. 241. *cujus numen unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis.* Exempla alio-

aliorum deûm passim reperies. Nec ideò tamen minus rectè, ni fallor, prædixi, imaginem & effigiem, quâ *Abraxas*, *Harpocrates*, & similes repræsentantur, eam ipsam *Mithræ* non esse, licet omnes ad unam Solis significationem revocentur, & ob hanc rursus naturæ communionem etiam inter se conferri, & alter alterius notionem induere possit.

Nimirum hac quoque viâ evolves difficilem locum, qui crucem eruditis imposuit, apud *Herodotum* Lib. I. Cap. CCCXXXI. ubi ait: *Vo-*
174 *cant autem Assyrii Venerem Mylittam, Arabes eandem Alitam appellant, Persæ Mitram.* Ex quo fortasse hausit D. Ambrosius *Lib. II. contra Symmachum pag.* 840. *T. II.* Editionis P. P. Benedictinorum: *Cum Cælestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate.* At Strabo *Lib. XV. pag.* 132. *Mithram* aperte vocat solem, deamque ab eo distinctam apud *Persas* Venerem facit; *Colunt Solem, quem Mithram vocant, item Lunam, & Venerem.* Et veteres penè omnes non alium quam Solem fuisse *Mithram* apud *Persas* pronunciant. Petrus Faber *Semestr. Lib. III. Cap. II. pag.* 35. cùm in textu Græco *Herodoti* observasset scribi *Mitram* absque aspiratione, eandem lectionem esse quoque reponendam apud *D. Ambrosium* asseverat. Ita ut Persæ *Mithram* & *Mitram* coluerint: Deum Solem, Deamque *Venerem.* At lubricum iter pergit doctus vir unius literulæ, imò aspirationis, indicio. Barthius *ad Statium pag.* 249. *Herodotum* ceteris contradicere negat, sed *Persas*, ait, masculo Soli etiam feminam deum *Mithram* adjecisse, cum non sit verisimile in sexu tam crassè errare ipsum potuisse. Hùc recidit sententia Thomæ Gatakeri, qui *in Adversariis Miscellan. Cap. XXI. pag.* 238. existimat apud Persas *Mithræ* nomen & Soli & Veneri tributum fuisse, sed de illo formâ masculinâ usurpari consuesse, de ipsâ femineâ. Unde *Herodoto* pro linguæ suæ ratione nomina efformanti Sol *Mithras* seu *Mithres*, Venus *Mithra* sive *Mithre* dicta fuerit. Rem hanc disquirendam relinquit Cuperus *in Addendis ad Harpocratem pag.* 53. Animadvertebam utrumque Scriptorem, *Herodotum* & *Strabonem*, eadem fermè de *Persarum* religione tradidisse. Ille enim in hunc ferme modum loquitur: *Persis neque statuas neque templa, neque aras extruere consuetudo est.* Et post pauca: *Editissimis montibus Jovi hostias immolant, omnemque gyrum Cœli Jovem appellantes. Soli, Lunæque sacrificant, & telluri, igni, aquæ, atque ventis. Uraniæ quoque sacrificant, sic nimirum ab Assyris, Arabibusque edo-*
175 *cti. Vocant autem Assyrii Venerem Milittam, Arabes eandem Alitam appellant, Persæ Mitram.* Verba Strabonis hæc sunt: *Persæ nec statuas, nec aras erigunt: sacrificant in loco excelso: Cœlum Jovem putant, colunt Solem, quem Mithram vocant; item Lunam, & Venerem, & ignem, & tellurem, & ventos, & aquam.* Rursus eundem *Strabonem* in Perside fuisse versatum notavi, religionemque *Persarum* curiosè pervestigasse. Nam paucis interjectis lineis, describens eorum sacra & ritus subdit: *Ista nos vidimus.* De *Herodoto* id compertum non habemus, sed ex *Græcis* scriptoribus, quæ de *Persis* scripsit, sumpsisse videtur, uti observat *Gatakerus*, qui & linguæ *Persicæ* ignorantiam in ipsum effundit, plura ab eo errata recensens. Potior itaque fides *Straboni* testi oculato esse debet. Qui dum *Venerem* Persis cultam refert, non omisisset, eam quoque *Mithram* vocatam docere. At *Herodotus* cùm vulgatissimam apud *Persas* Solis appellationem siluerit, vero admodum simile est, memoriâ lapsum, vel falsâ traditione deceptum, *Mithræ* nomen, quod Solis erat, *Veneri* tribuisse.

Ad Solem itidem eum cæcutiisse oportet, cùm narrat *Lib. VII. Cap. XXXVI.* Xerxe in *Græciam* exercitum ducente, Solem subitò sereno cœlo disparuisse. Quod ostentum cùm Rex à Magis quæsiisset, quid portenderet, *illi*, inquit, *responderunt, Deum significare Græcis civitatum defectionem, quòd dicerent, Solem Græcorum, Lunam ipsorum* (Persarum) *esse præsidem.* Etenim nihil profectò certius est, quam Solem, non Lunam *Persis* summum deum præsidemque stetisse. Imo ipsemet *Herodotus* mox recitatus digniori loco apud *Persas* Solem collocat. Sanè vel comicus *Aristophanes* historici lapsum coarguit. Cùm enim tempore belli *Peloponnesiaci* Sol & Luna defecissent, inducit *Trygæum* vinitorem, qui grande arcanum *Mercurio* aperiens, Solem & Lunam, ait, propitia *Persis*, à quibus colebantur, numina, consilia in necem aliorum deorum agitasse, ut perditâ deletâque *Græciâ*, ceteris numinibus sublatis, sibi solis cultus haberetur. Verba ipsa le- 176
pidissima ex *Comœdiâ*, quæ *Irenes* seu *Pax* inscribitur, *pag.* 649. *Edit.* 1607. hìc in scenam producam.

TRYG. *Nam Luna jampridem atque Sol nefarius*
Consilia vestrûm moliuntur in caput,
Qui Græciam omnem prodiderunt Barbaris.
MERCUR. *Quidnam ista faciunt?* TR. *Quod solemus per Jovem,*
Litare vobis subque placare, iis solent
Voluntque Barbari: inde jure postulant
Omnes semel nos funditus perbitere:
Quo nempe sacra cœlitum cedant sibi.
MER. *Ergo dierum hinc illa diminutio,*
Et prava detritæ orbitæ aurigatio.

Quòd si adhuc rem salvam velimus *Herodoto*, *Mithra* esse non potuit *Venus*, ut paullò ante memorabam, nisi participatione virtutis, & similitudine potestatis, quâ *Venus* quoque rerum genitrix, uti mox exponam, fuit habita; ideoque eadem res ac numen cum *Mithrâ* seu Sole censebatur. Quæ explicatio lucem affundit Julio Firmico *de Errore Prof. Religion. Cap. V.* ubi hæc ex Persarum doctrinâ profert: *Hi itaque Jovem in duas dividunt potestates, naturam ejus ad utrumque sexum transferentes, & viri & feminæ simulacra ignis substantiam deputantes: & mulierem quidem triformi vultu constituunt, monstrosis eam serpentibus illigantes . . . . Virum vero abactorem boum colentes, sacra ejus ad ignis transferunt potestatem . . . . Hunc Mithram dicunt.* Femineam hanc potestatem triformem, Lunam fuisse vel *Isidem*, inferius ostendam. Rursus patebit, utroque nomine etiam *Venerem* fuisse appellatam. Quare *Herodotus* unam ex his potestatibus, feminam scilicet potuit *Venerem* indigitare, eique ob virtutis communionem cum viro, qui altera socia potestas *Firmico* est, idem quoque *Mithræ* nomen affige- 177
re. Et vero utraque cum ad *ignis* communem *substantiam* referatur, eadem censeri poterat. Ipseque ignis nil aliud quam Sol, fons luminis & caloris, à quo generationum omnium est principium. Porro *Jupiter*, ut rerum auctor, in *duas* hasce dividitur *potestates*, quia Sol ad ipsum refertur, ex Oraculo apud Julianum *Orat. IV. pag.* 254. edit. Petavii Ann. MDCXXX.

Unus Juppiter, unus Pluto, unus Sol est Serapis.

quo nomine & *Venus* generationis præses, seu Luna, sive *Isis* in idem consortium assumitur. Hinc quoque hæsitare desinat *Nicetas*, qui sibi dubius, quodnam numen *Mithra* fuerit, hæc ait ad Steliteuth. I. Nanzianzeni; *Mithram alii Solem, alii renem ignis, nonnulli peculiarem quandam potestatem esse volunt.* Nam quodcumque ex his *Mithram* esse putes, sub diverso nomine rem eamdem invenies. Ceterum non is scrupulus est *Eliæ Cretensi* & *Nonno*, qui *in Scholiis ad* eundem *Nazianzenum* alibi producendis diserte *Mithram* Solem asserunt.

Quo-

Quocumque igitur rem vertamus, nil tandem A *Mithra* nisi *Sol* est, vel potestas aliqua ad Solem referenda, ubi alio nomine & appellatione notatus reperiatur. Quare cogor discedere à Cl. *Muratorio*, qui *ad vers.* 112. postremi poëmatis *S. Paulini*, quod cum aliis, duos ab hinc annos, maximo literarum bono, ex Bibliothecâ *Ambrosianâ* in lucem protulit, & eruditis Annotationibus exornavit, fretus testimonio *Nicetæ* & *Firmici*, in saxo *Gruteriano pag.* 22. *num.* 12. D. I. M. ET. SOLI SOCIO. SAC. nempe *Deo Invicto Mithræ & Soli socio sacrum*, arbitratus est, *Mithram* aliud numen esse à Sole diversum, non ipsummet Solem *tanquam alienigenam*, ut parum B recte, inquit, opinatur Reinesius *ad Inscript.* 48. *Class. I.* Dixerat doctus hic Auctor, singulare esse hominibus Romanis *Mithræ* tanquam extero à *Persis* accepto, Solem veluti proprium & indigenam jungere, quasi diceretur σύνθρονος σύνναος. Quæ vocabula explico, *Assessor*, seu *in eodem*
178 *throno* sedens, & *in eodem templo* cultus. Nec sane ita male *Reinesius*. Potuit enim *Romanus* ille, qui lapidem exsculpsit, ob nominis differentiam, alium populari opinione *Mithram* à Sole putare. Cum vero sciret etiam utrique eandem inesse potestatem & consortium religionis, idcirco *socios* eos appellavit. Quâ profecto ratione Julianus C Imp. *in Orat. IV.* mox indicata, *Apollinem* vocat Solis *assessorem* σύνθρονον pag. 269. & pag. 285. dicitur *regni consors* & *SOCIVS* συμβασιλεύων uti has voces vertit ejus interpres *Petavius*. Quia *Apollo* idem est cum Sole physiologice, ratione potestatis & significationis, diversus fabulose, & ut deus animalis, quâ de re nos fusius *in Dissertatione de Beleno*.

At quid si literas illas singulares alias modo explicando, litem omnem & scrupulum, quamvis cum *Mithræ* injuriâ, succidamus? Mihi sane arridet hæc lectio: *Deæ Isidi Matri & Soli socio sacrum.* Isis celebre & æque insanum numen apud D *Ægyptios* fuit, in *Romanam* Urbem, omnium gentium superstitioni servientem, invectum, uti omnes norunt. Passim cum Serapide *junctâ religione colebatur*, ait Macrobius *in fine Cap. XX. Lib. I. Saturn.* idemque produnt gemmæ utriusque effigie scalptæ, apud *Chiffletium num.* 112. 113. & 114. & nummus *Juliani* Imp. apud Oiselium *Tab. XLVII. num.* 7. Pausanias *in Corinthiacis* pag. 151. memorat erectum *Serapidi* & *Isidi* fanum; ut & *Romæ* quoque aderat. Porro *Serapis* idem omnino est ac Sol, ut sæpius docet *Macrobius eodem capite*, & versus Oraculi apud *Julianum*, quem paullo ante exscripsi. Recte igitur Sol, qui *Serapis* est, *Socius* Isidis in lapide, E quem exponimus, appellatur. De nomine *Matris* Isidi attributo non est cur ambigamus. Siquidem expressis verbis apud eundem Reinesium *Class. I. inscript.* 213. legitur: ISIDI. MATRI. Quod nomen ideo tributum, quod Isis *Terra sit & natura rerum*, ex eodem *Macrobii capite & sequenti*, Julio Firmico in libello sæpius citato, & *Isidoro* ex Servio *Lib. VIII. Cap. XI.* Terra autem passim rerum omnium *Mater* vocitatur, ut in lapide 38. *Class. I.* apud Reinesium, & *Terræ*
179 *uni rerum naturæ partium.... nomen indidimus maternæ venerationis*, ait Plinius *Lib II. Cap. LXIII.* F Quamobrem fortasse in *Gruteriano* epigrammate pag. 82. num. 2. *Isis* dicitur *Dea quæ est omnia*. Igitur ex ea inscriptione nihil proficit *Muratorius*, ut *Mithram* à Sole sejungat. Allata ab eo *Herodoti* & *Nicetæ* testimonia jam exposui.

In veterum monumentis frequentissime, & pene individuâ appellatione, *Mithra* vocatur INVICTVS. Binas inscriptiones jam dedimus ex *Grutero*, qui alias profert *pag.* 33. apud Reinesium quatuor extant *Class. I. à num.* 45. Plerumque Soli jungitur hoc modo: SOLI INVICTO MITHRAE. Quod nomen utrique alligatum invenies. Nam Sol idem ac *Mithra*. Huic solitarie tributum docuit *Commodianus*, & *Julianus* Imperator, pluresque inscriptiones. Soli autem monstrat *Inscriptio* 236. *Class. I.* apud Reinesium: SOLI. INVICTO. PACIFERO. In nummis *Gallieni*, *Quieti*, *Aureliani*, *Probi*, aliorumque Imperatorum, Sol gradiens specie juvenis, vel in quadrigis, aut capite radiato, nudus, dexterâ elatâ, sinistrâ globum gestans, cum stellâ, & epigraphe, SOLI INVICTO, repræsentatur. Non semel solus titulus cusus, ut in numismate *Victorini*, in quo juvenis eodem typo ac in aliis, nisi quod sinistra flagrum quatit, cum inscriptione INVICTVS. Immo & Imperatores ipsi *Invicti* nomen usurparunt, quorum eruditum indiculum texit Cl. *Bonarota* in suo Numismatum præclaro Opere *pag.* 359. Tradit *Reinesius* ad inscriptionem postremo loco laudatam, nomen hoc Soli tributum fluxisse ab illo Homeri & Hesiodi ἥλιος, ἀκάμας, ἀκάμαντος, quod continenter laborans laborem non sentiat: vel quod nunquam in suo cursu victus vel interceptus fuerit. Unde Tristanus *Tom. III. pag.* 54. ait, Imperatores cusis his nummis, sibi auguratos esse, Solis præsidio, eandem felicitatem adversus hostes. Id illustrat exemplum *Aureliani*, qui templum Solis *Heliogabali* Emessæ situm maximis donis ornavit, quia *illic eam formam numinis reperit*, *quam in bello sibi faventem vidit*, inquit Vopiscus *in Vitâ Cap.* 180 *XXV.* Aliam caussam appellationis alibi attingam. At de his hactenus.

CAPUT III.

Progressus ad symbolorum interpretationem, quæ singula ad rerum generationem *&* conservationem *referri ostenditur. Mithra Tauri cornua contorquens, & cur sub Antro? Sol seu Mithra siderum moderator. Locus Porphyrii productus & illustratus. Quid Mithra fur boum? Taurus Lunam figurat, quæ cum Sole vires socias habet; unde explicatur vetustum simulacrum, & locus Julii Firmici. Taurus signum Veneris, quæ eadem ac Luna & Isis: eo etiam Terra designatur. Quid Mithra Taurum feriens, & animalia sanguinem lambentia?*

CUm *Mithram* esse *Solem* jam constet, ad Tabulæ explicationem progredior, quæ ipsius Solis lumine perfusa & illustrata symbola in obscuro arcanæ significationis latentia in conspectum educit & prodit. Nam statim GENERATIONEM rerum iis figurari contendo, *Mithræ* Solis vi & potestate cuncta ad productionem agente, & vivificâ virtute fovente conservationem. Primum itaque MITHRA & TAVRVS sub antro occurrunt, cujus ille, specie juvenis, cornua per vim torquet. Rem hanc, non secus atque sculptor in lapide, nobilissimus Poëta *Statius* versibus expressit *in fine Libri primi Thebaidos*, ubi *Adrastus* Solem invocat variis nominibus appellatum:

Adsis ò memor hospitii, Junoniaque arva
Dexter ames: seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu: seu præstat Osirim
Frugiferum: seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua MITHRAM.

Hunc locum *Lactantius*, aliis *Luctatius* vetus *Sta-* 181 *tii* interpres, ineunte hoc seculo ex Bibliotheca *Francisci Pithoei* editus, ita explicat, ut prorsus ad nostram Tabulam illustrandam scripsisse videatur. *Persæ*, inquit, *in spelæis coli Solem primi invenisse dicuntur. Et hic Sol proprio nomine vocatur* Mithra. *quique eclypsim patitur, ideoque in-*

tra antrum colitur. Est enim in spelæo Persico habitu, Leonis vultu cum tiara utriusque manibus bovis cornua comprimens, quæ interpretatio ad Lunam *dicitur. Nam indignata sequi fratrem occurrit illi, & lumen subtexit. Sol enim Lunam minorem potentiâ suâ & humiliorem docens taurum insidens cornibus torquet, quibus dictis Statius Lunam bicornem intelligi voluit.* Profecto in spelæo jacentem *Mithram* & nostræ tabulæ repræsentant. Perperam Pierius Valerianus *Hieroglyph. Lib. III.* qui alios etiam seduxit, putavit bovem cornibus arreptum eductum fuisse ex antro in sacrificium, atque in id detorquet versus *Statii* proxime recitatos. Addit Marianus Victorius *in Notis ad S. Hieronymi Epistolam VII.* & *contra Jovinianum Lib. II.* taurum excantatum carminibus à Sacerdote ex antro prodiisse ad victimam. Nemo veterum id docuit. Alia siquidem & magis arcana ejus rei fuit ratio, quam modo indicabam, & nunc uberius explicare pergo. Porphyrius in libello de antro Nympharum pag. 254. *Zoroaster*, ait, *primus omnium montibus Persidi vicinis antrum nativum floridum fontibusque irriguum in honorem creatoris patrisque omnium Mithræ consecravit. Ita ut antrum conditi à Mithra mundi figuram ei præberet: ea vero quæ intra antrum erant certis invicem intervallis disposita, elementorum climatumque mundanorum symbola seu figuras gererent.* Insana hæc mendacia & commenta, apud Gentiles Mithræ *rerum creationem* tributam ostendunt. Postrema verba illustraveris ex Origene, qui Lib. VI. contra Celsum, *Mithræ sacris*, inquit, *apud Persas duplex stellarum circumactio prætenditur, affixarum & erronum, & per has animarum transitus. Ideo scala erigitur*
182 *in septimæ portæ aditu.* Pergit portas enumerare, atque alia ad symbola *Porphyrio* indicata fortassis pertinentia. Porro & in antris sacra *Mithræ* agebantur, plane nonnisi ex *Zoroastris* instituto, & in argumentum rerum *generationis* & *creationis* Mithræ attributæ. At de his alibi.

Ceterum ut *Lactantii* interpretationem illustremus, *Sol* seu *Mithra* Lunam, *cujus exaltatio est Taurus*, notante *Porphyrio pag.* 262. indignantem sequi, trahit veluti cornibus apprehensam, & motu suo moderatur, non secus ac alia sidera. Unde Claudianus Lib. I. de Laudibus Stiliconis ait:

Et vaga testatur volventem sidera Mithram.

Et egregie Martianus Capella de Nupt. Philolog. Lib. II. pag. 53. de Sole loquens:

Nam medium tu curris iter, dans solus amicam
Temperiem superis, compellens atque coërcens
Sidera sacra deûm, cum legem cursibus addis.

Hinc Sol Ciceroni in Somn. Scipionis *dux, princeps, & moderator luminum reliquorum* vocatur. Quem locum explicans Macrobius Cap. XX. hæc scribit: *Moderator reliquorum dicitur, quia ipse cursus eorum recursusque certâ spatii definitione moderatur. Nam certa spatii definitio est, ad quam cum unaquæque erratica stella recedens à Sole pervenerit, tanquam ultra prohibeatur accedere, agi retro videatur, & rursus cum certam partem recedendo contigerit, ad directi cursus consueta revocatur.* En aberrantis Lunæ aliorumque luminum conatus à Solis vi & potestate subactos & perdomitos. Ideo INVICTI nomine passim, ut diximus, donatur *Mithra* & Sol: & apud *Persas* Leonino vultu effingitur, quod *hic deus*, ait Lactantius, *ceteros sui numinis & potentiæ impetu excellat, ut inter ceteras feras Leo.* Mithram, Leonis vultu apud *Persas*, dum *Romani* in suam religionem invexissent, satius duxerunt in humanam effigiem mollire, ut videmus in nostris tabulis: neque tamen Leonina symbola in ejus sacris neglexerunt, ut postea explicabo.

183 Ex hac *Solis* & corporum cœlestium pugnâ,

A omnia in sublunaribus *generantur*, efficiente caloris vi & potentia. Nam & *Mithra* aliquando *ignis* appellatur apud *Q. Curtium*, qui de *Dario* loquens ait Lib. IV. Cap. XIII. *Solem Mithrem sacrumque invocans ignem*, quasi hæc omnia unum sit numen & res eadem. Et Firmicus *sacra ejus*, inquit, *ad ignis transferunt potestatem.* Ideo de *petra* natum dixerat *Commodianus*, quo nihil aliud significari nisi *ignem* è silice excussum, ex *Aleandro* supra monuimus. Et sane omnia, quæ *Mithræ* tribuuntur symbola, ad rerum GENERATIONEM referri, docet *Porphyrius* p. 265. ubi describens animarum generationem, earumque B ascensum & descensum per portas cœli varie apud *Romanos* & *Ægyptios* acceptas, subdit, hæc verba, quæ mire tabulas *Mithriacas* illustrant: *Quocirca Mithræ peculiarem sedem juxta æquinoctia attribuerunt: Ideo Arietis, Martii signi, gladium gestat, vehiturque Tauro signo Veneris; nam Mithra æque ut Taurus* AVCTOR PRODVCTOR*que rerum est, &* GENERATIONIS *dominus.* Concinunt quæ de *Sole*, quem *Mithram* etiam appellat, disserit Julianus Orat. V. pag. 322. ex versione Petavii: *in primis quod à terrâ Sol trahat omnia, quod ea velut fomento quodam & admirabili calore suscitet ac vegetet.* Idque C moliri Solem subdit *per arcanam corporisque prorsus expertem ac divinam sinceramque radiis illius insidentem naturam, fierique in mundo nostro tum soleat, & dies esse longior nocte, quando Arietem permeare rex Sol incipit.* Latentem & occultam hanc Solis generandi virtutem ut exprimerent mythologi, Mithram *boum furem* finxerunt, quod scilicet *clanculum* GENERATIONEM *promoveat*, inquit *Porphyrius pag.* 262. Nam quemadmodum quod agunt furtis, clam agunt, ita vivificus & genitalis calor sensim permeans, rerum *generationem* furtim & latenter promovet. Porro *bos* quoque ad *generationem* pertinet, nam ex eo *procreantur* D *apes*, quæ sunt *animarum symbola*, ut pergit disserere idem Philosophus. Si vero velimus ad *Taurum* in nostris tabulis expressum iterum respicere, eo nomine *Lunam* vocatam ait, GENERATIONIS *præsidem.* Nam Luna cum sit bicornis, ut dixit *Luctatius*, Tauro significatur. 184
Unde Orpheus *in Hymno Dianæ*, Bovis cornua Lunæ fuisse gratissima scripsit; & in nummo *Caracallæ* apud Patinum *de Numism. Imp. pag.* 296. Luna vehitur bigâ, quam gemini Boves trahunt; idcirco *Boum agitatrix* dicta Nonno *in Dionysiac. Lib. VIII.* Immo *Hecate*, quæ Luna est, *Tauri nomine fuit appellata*, inquit Porphyrius de *Abstin. Lib. III. Cap. XVII.* Hinc duo hæc *Mi*E *thræ*, & *Bovis* symbola in nostris saxis, Solis, & Lunæ efficientiam declarant, qua cuncta *generantur* & *conservantur* & *utriusque beneficio*, ait Macrobius in Somn. Scip. Lib. I. Cap. XIX. *hæc nobis constat Vita, qua fruimur.* Quem inter hæc cœlestia lumina nexum & societatem, ad rerum perpetuitatem significandam, produxit antiquitas in illustri simulacro, quod delineatum exhibet Spanhemius *in Notis* Gallice scriptis *ad Cæsares Juliani pag.* 460. Mulier veste longiori stans, dexterâ puerum radiatum sustinet facem manu præferentem, sinistrâ puellam Lunulâ bicorni capite insidente pariter cum face, peplo seu velo F à dexterâ ad sinistram supra caput ipsius mulieris circumvoluto, ita ut circulum quendam constituat. Subjecta est inscriptio, quam nusquam antea editam clarissimus Auctor profert *pag.* 485. eamque hic libenter exscribo, quod novum sit *Mithræ* monumentum.

M.POPILIVS.M.F.OVF.LVPERCVS.SACERD
D. SOL. INVICT. MITHR. ET. LVNAE.
AETERNAE. VOT. SVSCEP. L. M.

Eâ mulieris figurâ *Æternitatem* designari ait vir doctis-

A doctissimus. Sanê reperio in nummo *Hadriani* apud Oiselium *Tab. CV. num.* 8. eadem plane formâ mulierem stantem, alterâ manu Solem, alterâ Lunam præferentem, cum inscriptione: AETER. AVG. & *Tab. CVI. num.* 4. mulier simili prorsus specie velum ad caput in orbem circumvolvit,
185 adjectâ epigraphe: AETERNITAS. Hinc apud *Gruterum pag.* 32. 9. extat saxum, AETERNITATI. SACR. SOLI ET LVNAE. Nam veteres *Ævum designantes*, *Solem & Lunam pingunt*, *quod æterna sint elementa*, ait Horus Apollo *in Hieroglyph. in princip.* Circulum vero *Æternitatem* monstrare, satis est notum. Ita *Mithra*
B & Luna, quorum Sacerdos erat *Popilius*, sociâ virtute cuncta *generando* & *conservando*, rebus omnibus, ut erat falsa quorundam antiquorum opinio, *Æternitatem* inducunt. Recte hæc quidem: at liceat aliam interpretationem afferre. Mulier *Juno* est, aërem figurans; nam *Juno* ipsa est aër Poëtis, qui ut eleganter ait Firmicus, *effeminarunt hoc elementum*. In aëre collocata sunt duo lumina, Sol & Luna, ideo *Junonis* manibus imposita. Supra aërem cœlum, in gyrum protensum, *velo* seu *peplo* Junoni circumducto, (nam & Juno *peplum* gestat apud Martianum *Lib. I. pag.* 18.) designatur. Ideo & *Cœlum dictum Templum*,
C ait Varro *Lib. V.* ob concavam convexitatem, templorum concamerationi similem. Servius ad illud Æn. Lib. I. vers. 507. *mediâ testudine templi*, *testudine* inquit, *camerâ incurvâ*, *vel fornicatâ*, *quæ ideo sic fit*, *ut simulacro cœli imaginem reddat.* Et ad formam hanc in gyrum ductam respexit Regius Vates, cum inquit Ps. 103. v. 2. *qui extendis cœlum sicut pellem*; ad modum scilicet tentorii militaris incurvi, quod pellibus tegebatur. Hinc idem Varro Lib. VI. de Ling. Lat. *cœlum cortinæ Apollinis* assimilat. In plerisque nummis antiquis hæc cortina exhibetur modo formâ sphæræ dimidiatâ, modo veluti sphæra integra. Demum hanc interpretationem digito
D monstrat *Porphyrius* in sæpius laudato libello pag. 259. *antiqui*, ait, *ipsum cœlum* PEPLVM *vocarunt*. Itaque *velum* seu *peplum* simulacro aeris seu *Junonis* circumdatum *cœlum* ipsum est. Quod ideo sub figura *veli* expressum, ut denotaretur à cœlo corporum *generationem* & *conservationem*, Sole & Lunâ agente, derivari; unde *Homerus* dixit, Nymphas in Antro *texere purpureas telas*;
186 ut interpretatur eodem loco Porphyrius, qui subdit, ea de causâ *ab Orpheo Proserpina*, *omnium ex semente nascentium præses*, *telam texens inducitur*. Quare Popilius eo simulacro Mithram & Lunam, omnium in mundo tam cœlesti quam terreno *ge-*
E *nerationum* auctores, potuit designasse.

Eandem Mithræ & Lunæ sociam virtutem contexuêre veteres sub iis geminis utriusque sexus potestatibus, in quas *Jovem* divisisse diximus ex *Firmico*. Virum aperte *Mithram* cognovimus. Mulier vero *triformi vultu* quid aliud est quam *Luna*, *triformis* passim appellata? Subdit Firmicus, *monstrosis eam serpentibus* illigasse. In tabulâ *Mithriacâ* apud Marlianum *Lib. VII. Topograph. Urbis* visitur figura mulieris alata, quam serpens à pedibus ad humeros circumambit: eademque extat *in*
F *Schemate Mithræ* Burghesiano, quod delineatum profert Begerus *in Spicilegio antiquo pag.* 97. Quis statim non sibi persuadeat, hanc ipsam esse mulierem *Firmici* monstrosis serpentibus illigatam, quæ cum sociam habeat potestatem cum *Mithrâ*, ideo in ejus tabulis repræsentetur? Huc referas, quod *Hierapolitani* juncta Solis simulacro statuunt *signa feminarum*, quæ *cingit flexuoso volumine draco*, ait Macrobius *Lib. I. Sat. Cap. XVII.* In gemmâ *Abraxeâ* 57. apud *Chiffletium* extat monstrum triformi facie manibus *serpentes* gestans. Quidquid hoc portentosum simulacrum fuerit, certe in speciem nostri effictum apparet. At in tabulâ Bembinâ *serpens* Isidis capiti est impositus. Ejus tabulæ eruditus explanator *Pignorius pag.* 26. docet ex Æliano *Lib. X. Cap. XXXII.* Ægyptios *Isidis* simulacra *serpentibus* coronasse. Unde Flaccus *Lib. IV. Argon.* de *Iside* canit:

——— ——— Et procul Io
Spectat ab arce Poli jam Divis addita, jamque
Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.

Et nummus apud Oiselium *Tab. XLVII. num.* 6. duas *Isides* alatas aspidem in capite cum caudâ sinuosâ versus tergum habentes, repræsentat. Alas gestat etiam mulier in tabula *Mithræ*. Porrò *Isis* 187
apud *Ægyptios* Luna est, uti mox dicemus. Quod si velis Lunam ipsam, seu Dianam *serpentibus* implexam spectare, adeas Pausaniam *in Arcadic.* Duas ergo illas *potestates* Firmici, *Mithram* seu Solem & *Lunam* esse constat. Quæ cum *ad ignis substantiam* deputentur, eodem auctore, patet iis inesse GENERATIONIS significationem, quæ vi caloris perficitur.

At rursus *Porphyrius* dixerat verbis supra recitatis, Mithram *Tauro signo Veneris* vehi. Quo fortasse respexit ad commercium, quod *Venus* habet cum *Mithrâ*, in quem sensum explicavimus *Herodotum*, & *D. Ambrosium*. Ex hoc verò consortio & nexu omnium genitrix & parens *Venus* est, sicut de eâ scribens philosophatur Julianus Orat. IV. pag 281. *Cælo temperiem optimam inducit: terræ fecunditatem affert: non minus & animalium propagationi perpetuitatem tribuens. Cujus ita penès regem Solem caussa est primaria*, *ut in ejus quoque* COMMUNIONEM *Venus adsciscatur*; est enim, ut pag. 287. subdit, *Solis administra & cognata*. Quippe cùm signum illud *Veneris* Taurum Sol scandit, depulsâ hieme & nivibus, germinatio & fecunditas terræ promovetur, & omnia, quæ ipsa *continet*, *aperire se in germen* incipiunt, ait Macrobius *Lib. I. Saturn. Cap. XII.* ubi addit, apud Athenienses ἀνθεστηριών Aprilem vocari, *eo quod hoc tempore cuncta florescant*. Hinc, puto, *Venus physica* dicitur in inscriptione apud Reinesium *Class. I. num.* 18. quòd præesset rerum naturalium generationi. Nec quispiam, quòd nunc *Venerem* sub Tauri symbolo, superius Lunam latentem dixerimus, dissona & pugnantia obtrudere nos arguat. Nam *Phylocorus* apud Macrobium Lib. VIII. Sat. Cap. VIII. *Venerem eandem esse Lunam* affirmat; & utraque non femina tantum, sed mas quoque putabatur. De primâ testantur *Calvus* & *Lævinus* eodem *Macrobii* loco, unde & apud *Cyprum* ejus simulacrum barbatum colebatur, *Lunam* appellatam *Lunum*, maremque Deum mysticè dici, auctor est Spartianus *Cap. VII.* ubi videas adnotata à *Salmasio*, & *Tabulam Palmyrenam* Sponii *Antiquit. Erudit. Cap. I.* Luni effigiem dabit nummus *Antiochensium* apud Patinum *de Numism. Imp. in Antonino pag.* 218. Imò, quæ est fabularum inconstantia, vel apud varias gentes diversa rerum physicarum interpretatio, & deorum dispar acceptio, sub Bovis vel *Tauri* symbolo figuratur *Isis*, quæ eadem est ac *Luna* & *Terra* Plutarcho, Macrobio, & ceteris veterum Mythologis. *Isis* vero *naturæ ea pars est*, inquit idem Plutarchus de Iside & Osirid. pag. 372. etitionis Paris. Græcolat. *quæ quasi feminea omnes in se recipit ortus*, *tanquam nutrix quædam & omnium commune receptaculum.* Et Macrobio Lib. I. Sat. Cap. XX. dicitur *natura rerum subjacens Soli*. Hinc Taurus substratus est *Mithræ* in tabulis. Quocunque igitur pergamus, sive *Taurus* Mithriacæ Tabulæ *Luna* sit, sive *Venus*, sive *Isis*, vel *Terra*, (nam & Terram sub bovis figurâ significasse *Ægyptios* prodit *Macrobius eodem Lib. & Cap.*) res eadem censeri debet, & nihil aliud tandem quam virtus Soli sociata

Ph. à Turre. G 2

ciata ad promovendam GENERATIONEM, vel natura rerum Soli subjacens, aut demum subjectum ipsum GENERATIONIS, quod Sol calore suo pervadens & radiis veluti penetrans, omnia in naturâ rerum procreantur & generantur.

Hinc, ut opinor, Mithra *gladium* apud *Porphyrium* gestat, quo in nostris tabulis *Taurum* transfodit; ad significandum scilicet Solem vi & potentiâ radiorum subjectum GENERATIONIS, quod per *Taurum* figurari diximus, penetrare, & veluti inflicto vulnere pervadere. Quò spectant verba Martiani Capellæ *Lib. I. pag. 6.* ubi de Sole loquens *hinc quoque*, ait, *sagittarius*, *hinc quoque vulnificus*, *quod possit radiorum jaculis icta penetrare.* Quamobrem & Poëtis dictus fuit ἑκηβόλος & ἑκατηβελέτης, seu *eminus jaculans*, quasi radiis velut jaculis feriat. Qua vi radiorum solarium seu caloris pervadente, ut mox notatum, subjectum GENERATIONIS, sanguis quasi ex vulnere elicitur, semen nimirum genitale ad
189 rerum omnium procreationem & alimentum. Unde *canis* & *serpens*, in Tabulâ secundâ hic depictâ, guttas sanguinis ex *Tauri* vulnere manantes lambere conspiciuntur, quo denotatur, animantia singula inde vim *geneticam* & *nutritionem* haurire & educere. Hinc ad canem ipsum, & serpentem, ceteraque symbola progredior.

(*Sequentia ad* Caput III. *addenda legebantur in priori Editione* pag. 249. 250. 251.)

249 Cum in Museo *Strozzio* gemmas antiquas, earumque innumeros ectypos cretâ vel sulphure expressos evolverem, inter hos occurrit simulacrum *Mithræ* novo symbolorum apparatu spectabile, & uberiori, quam saxa in Opere mihi descripta figurant. Curiosè & intente singula perlustrantem animadvertens Illustrissimus *Leo*, quæ humanitas ejus est nobilissimo generi par, nil moratus est, quin eo ipso ectypo, nonnullisque aliis me liberaliter donaret. Igitur quæ scripseram animo revolvens, & cum hac *Mithriacâ* gemmâ componens, observabam plura à me jam fuisse explicata, non pauca vero novi argumenti segetem parare. Sane *Mithram* in gemmâ *Abraxeâ* sculptum nondum sciebam, neque pro amuleto superstitiosâ religione usurpatum cognoveram. Quare *Leonardi Augustini* opus Italicum *de Gemmis antiquis* perlustrans, *in II. Parte*, cujus tunc primum copiam mihi feceram, ipsam hanc gemmam delineatam offendi *num.* 77. Cujus iconem cum ob temporis angustiam huc transferre nequeam, describere saltem non prætermittam. *Mithra* eodem prorsus habitu & formâ ac in nostris Tabulis, Taurum procumbentem calcat & ferit. Canis adsilit ad vulnus, Delphinus, in meo ectypo Serpens, prope jacet. Scorpius testes Tauri invadit: Testudo sub caudâ, quæ in spicas desinit. Duo juvenes mitrati, quorum unus semen ejicit, alter reducta veste sinum explicat. Hinc Cornucopia, inde ramus Palmæ, cui appensa est hominis calvaria. Superne caput juvenis radiatum, ut in nostris, cum flagro; ab alio latere caput itidem mulieris, cui Luna falcata insidet. Subtus alam Solis radiatam effigiem sculpsit *Augustinus*, mihi corona est. Septem Stellæ (Planetas putat idem
250 Auctor) Fulmen, Caduceum, Sagitta, binæ volucres spatium inter Solem & Lunam occupant. Figuras has singulas interpretatione accommodâ percurrit ipse *Augustinus*. Quem gavisus sum nonnulla, quæ mihi jam explicata fuerant, judicio suo & auctoritate obfirmasse. Symbola enim *Mithriaca* ad generationem pertinere ait. Atque inde Taurum prostratum repræsentare Tellurem, quam radiis, veluti gladio Sol *Mithra* penetrans, fecunditatem inducit. Vel cum in Tauri signo Sol versatur, terram fœtam aperit, & calore suo semina ad rerum productionem educit. Porro Octobri mense Solis virtute diminutâ semina, agente frigore intra sinum terræ reconduntur, quod Scorpius testes constringens significat. Cetera haud refero, apud ipsum videnda. Tantum moneo, septem illa sidera mihi Planetas non esse. Quippe cum jam Solem & Lunam effigie humanâ expressisset sculptor, quid opus erat iterum figurare? Imo non septem, sed octo Stellæ in nostrâ gemmâ numerantur, inter quas una illustrior & grandior Solem antecedens. Illas fixas esse, hanc *Venerem* arbitror. Ceteros Planetas sub aliis figuris video. Nimirum Fulmen indicat *Jovem*, Caduceum *Mercurium*, Sagitta *Martem*, quæ vulgata sunt eorum symbola. Hinc male *Augustinus* his denotari cœlum, aërem, & amorem dixerat. *Saturnus* fortasse latet sub alio signaculo informi, in nostrâ gemmâ fulmini adposito; quod aliud fulmen *Augustinus* fecerat. Rursus duos juvenes vel ipse perperam expressit in suo schemate; vel in nostro diversimode repræsentantur. Quippe eorum alter non veretrum, sed facem demissam è regione inguinum manibus tenet, unde non semen, sed flammula manifeste prodit. Nam & alter juvenis facem attollit. Ita ut utrique idem sit habitus ac in aliis tabulis *Mithriacis*.

Partem aversam hujus gemmæ delineatam exhibet *Augustinus* proxime sequenti *numero* 78. Stat Leo ore Apem præferens, quem literæ obscuræ significationis undequaque ambiunt, septemque sidera. Leonem *Mithræ* signum esse sa- 251
tis in Opere ostendi; Apem quoque & mel ejus sacris adhibitum. Literas ignorabiles, uti vocat *Appulejus*, nequaquam solicito. Ejusmodi stellarum numerus in gemmis *Abraxeis* apud *Chiffletium* passim occurrit. Nostram itaque hanc *Mithriacam* gemmam, ex iis unam esse, quas *Gnostici* & *Basilidiani* pro amuleto usurpabant, nullus dubito. Nam *Mithra*, qui Sol est, peculiari religione monstris *Abraxeis* accessit, tanquam malorum depulsor, & felicitatis arbiter ac dispensator. Hinc etiam in saxis vota nuncupantur *Mithræ* pro salute, & prospero rerum bellorumque successu, ut vidimus.

Hic *Mithram* gemmâ, toto opere saxo expressum conspeximus. Non prætermittam æneum quoque ejus simulacrum memorare. Extat apud Reinesium *Class. I. num.* 277. hæc inscriptio. M. *Ulpius* &c. IN. HONOREM. DEI. SOLIS. INVICTI. MITHRAE. SIGNVM. AENEVM. P. N. LXXXXV. DONVM. DEDIT. Hanc notam P. N. compendio sculptam, PoNdo significare nullus dubito. Ut tot pondo fuerit signum illud æneum *Mithræ*. Quo figuras expressas puto, quibus constant *Mithriaca* simulacra ex solido marmore, nempe *Mithram* Taurum, Canem, Serpentem, & Scorpionem; cujusmodi duo extant in *Burghesiano* viridario nobis descripta *Cap. I. pag.* 159. aliudque pulcherrimum ex nigro marmore nuper vidi in aulâ Palatii Eminentiss. Cardinalis *S. Crucis*.

CAPUT IV.

Animalia in Tabulâ exsculpta ad Solem referuntur tamquam generationis auctorem. Scorpius testes Tauri complectens, & baculi Solis apud Ægyptios, explicantur. Vas in tabulâ Mithriacâ, cauda Tauri in spicas desinens, pueri facem gestantes, & Solem Lunamque præcurrentes, quid significent. Nama Sebesio, *& inde locus Isaiæ expositi.* Triplicis *Mithræ nomen variè tentatum. Apud* ANTIUM *Mithra cultus, & spelæum dicatum.*

Qua-

QUatuor animalia, CANIS, CANCER, SERPENS, & CORVUS ex singulis scilicet generibus, quadrupedum, piscium, serpentium, & avium, ideo, ni fallor, in tabulâ *Mithriacâ* exculpta sunt, ut ea omnia animantium genera ortum & conservationem *Mithræ* seu *Soli* acceptam præferant. Hæc vero selecta præ ceteris, ob peculiarem aliquam rationem & proprietatem ad Solem seu *Mithram* referendam. *Canis* & *Cancri* sidera, hoc principium anni, illud generationis apud *Ægyptios* fuit, testante *Porphyrio* toties laudato pag. 265. Apud quos etiam quâ insaniâ cultus fuerit Canis notum est. *Cancer obliquo gressu*, ait Macrobius Lib. I. Sat. Cap. XXI. *quid aliud nisi iter Solis ostendit, qui viam nunquam rectam, sed per illam* (legerim *obliquam*) *semper meare sortitus est?* Cancrum in dexterâ cujusdam monstri *Abraxei* vidit *Macarius*, quo res à Sole *productas* significari ait *pag.* 17. Duas statuerunt
190 Solis portas physici, unam in signo Cancri, Capricorni alteram. Per illam fieri somniarunt descensum animarum in terras, ideo hominum dictum: quæ idem Macrobius *in Somnium Scipionis Lib. I. Cap. XII.* refert, & summus Poëtarum *in VI. Æneid.* jam indicaverat. Ergo *Cancer* Solis signum, & per *Cancrum* transitus animarum ad hominum vitam informandam.

Serpentem ad Solis naturam referri idem *Saturnalium* auctor pluribus demonstrat *Lib. I. Cap. XX.* eundemque in *Mercurii* caduceo Solis esse symbolum dixerat capite antecedenti; cui & sacrum facit Artemidorus *in Oneirocrit. Lib. II. Cap. XIII.* Nil frequentius in nummis & ceteris veterum monumentis notatur, quam Serpentem *Apollinem* comitari. Quod vero ad *generationem* spectat, Arnobius *Lib. V.* & Firmicus *de Error. profan. Rel. Cap. XI.* tradunt consecratis *Sebazio Jovi* anguem in sinum dimitti solitum, & rursus eximi ab inferioribus partibus: quo denotabatur rerum omnium GENERATIO & productio, quas Solis opus esse, jam satis superque ostendimus.

Corvus denique *Mithræ* peculiari religione dicatus fuit. Ideo enim *Coracas* seu *Corvos subministrantes* ejus *sacris* vocatos testatur Porphyrius *de Abstinentia Lib. IV. Cap. XVI.* In lapide Romano pag. 27. 4. *Ulpius Egnatius* dicitur PATER ET HIEROCORAX. D. S. I. M. hoc est *Dei Solis Invicti Mithræ*. Et hinc *Ægyptios* coluisse volucres, quia *Coracina* sacra habebant, colligit vetus Commentator *in Epist. I. ad Roman. vers.* 23. qui fallo putatur *D. Ambrosius*, ideoque à PP. *Benedictinis* doctissimis ejus editoribus *ad appendicem Tom. II.* rejectus. Quæ verba interpolata retulit Reinesius *Class. I. Inscript.* 48. Ea sacra HIEROCORACICA appellat lapis alius *Romanus pag.* 303. 2. in Gemmâ 21. apud Chiffletium *Corvus* appositus est *sideri*, addito *Lauri* ramo. Sidus forte Sol, & Laurus *Apollini* sacra. sane ipsi *Apollini* ubique hæc avis comes, ut in nummo *Faustinæ*; & in Gemmâ apud Gor-
191 læum num. 3. *Apollo* nudus tripodi sinistro cubito incumbens, dexterâ manu ramum protendit ad *Corvum* adstantem, & in gemma anulari num. 9. *Corvus* ad tripodem sistitur. Optime ad rem nostram animadvertit Cuperus *in Harpocr. pag.* 71. in gemmâ alterâ (est inter gemmas anulares ejusdem *Gorlæi num.* 71.) binos *Corvos* insistere Cornucopiis, & inter illos cerni papaverum capita & binas spicas; quia Sol, subdit eruditus Auctor, omnis fecunditatis parens habebatur. Hunc consuie, si *Corvum* Apollini sacrum plenis veterum suffragiis testatum cupias.

In lapide *Burattiano*, quem delineatum damus, non Cancer, sed *Scorpius* sub ventre Tauri jacet. Hunc *naturam Solis* repræsentare prodidit sæpe laudatus Mocrobius *Lib. I. Cap. XXI. prope fin.* At cur in hac ipsâ tabulâ, & in *Burghesianis* haud obscurè, *Scorpius* testes *Tauri*, chelis apprehensos, circumplectitur? Latere arcanam significationem & ad nostrum argumentum mirè appositam divino. Diximus Sole in Tauri signo versante rerum omnium vegetationem promoveri. Quo signum oppositum Scorpionis scandente, vegetationem ipsam, ob decrescentem ipsius calorem, minui & deperire necesse est. Itaque appictus est Scorpius Tauri genitalia constringens, ut significaretur, tunc in subjecto GENERATIONIS vim seminalem repressam esse & debilitatam. Hinc *Ægyptii* post Æquinoctium autumnale, Sole nimirum ad Scorpii signum appropinquante, festum quendam diem celebrabant, *tunc Solis baculos natos esse dicentes, quo innuebant*, *inquit Plutarchus de Iside & Osirid. p. 372. *Solem veluti fulcro & baculo indigere, & caloris ac luminis aliquam passum esse diminutionem*, & quidem in Scorpione Solis natura *torpescit*, inquit Macrobius *Lib. I. Sat. Cap. XXI. prope fin.* In eam significationem fabulæ referunt genitalia *Attidis* recisa & dissecta, ad rerum nempe vim generatricem & conditricem cohibitam ac debilitatam ostendendam, ut inter alios pluribus ratiocinatur Julianus Imperator *Orat. V.* in Matrem Deorum, & innuit Sallustius Philosophus *de Diis & Mundo Cap. IV.*

*Leonardus Augustinus *de Gemmis antiq. Parte II. num.* 82. delineatum præbet senem alatum, qui sinistrâ Scorpionem & baculum apprehendit, altero baculo dexteræ imposito, veluti iis innitatur, cum aliis symbolis. Solem hunc esse rectè arbitratur, alatum ob cursus velocitatem; Scorpionem verò indicare ait, gemmam illam *Abraxeam* sub ejus signo scalptam fuisse, & baculos utrimque stantes ortum & occasum Solis. At non aliundè petenda est explicatio hujus simulacri, quam ex recitato loco *Plutarchi*. Sol enim dum in signo Scorpionis versatur, baculis innititur, tamquam fulcris, ob caloris diminutam virtutem, ideoque & specie senis fingitur. *

At quoniam, ut *Thales Milesius* ajebat, & nunc 192
Chymiathræ jactant, aquâ omnia constant, & in aquam resolvuntur; & ex sententiâ *Orphei* apud Athenagoram Apol. pro Christian. *aqua rerum omnium principium est*, Vas positum ad pedes dexteri pueri jacet in tabulâ *Antiate*. Et sane *Crater juxta Mithram* poni consueverat *pro fonte*, eo quia *aqua concurrit ad* GENERATIONEM, inquit *Porphyrius pag.* 261. Quod dubio procul exprimere voluit sculptor nostri lapidis.

†In inferiori cubiculo Palatii Principis *Justiniani* Tabula extat *Mithriaca*, in qua præter alia symbola, *Vas* quoque ante pedes juvenis apparet, non informe, ut in nostrâ *Antiate*, sed maxime conspicuum, ansulis utrimque manifesto instructum. Quo probe firmatur conjectura hic exposita. †

Præter genera animalium jam recensita, aliæ figuræ extant in aliis tabulis *Mithriacis* incisæ. In *Neapolitano*, & *Sanesiano* cauda Tauri desinit in *Spicas*. Burghesianus præfert *Arbores*. Quo designari, *generationem* & *vegetationem* frugum ac plantarum *Mithræ* seu Soli tribuendam nullus dubito. Spicas ad fertilitatis symbolum in nummis aliisque monumentis, vel solas vel cornucopiæ insertas, passim intuetur.

Pueros utrimque *facem* demissam & erectam gestantes, diem & noctem designare, luce ipsâ clarius est. Nam & hinc Solis imago, & inde Lunæ superimposita conspicitur. At variant in hoc sche-

* Ea, quæ inter Asteriscos leguntur, a *pag.* 251. & 252. prioris Editionis juxta monitionem Auctoris huc locata sunt.

† Hæc pariter a *pag.* 252. prior. Edit. huc transposita.

ſchemate lapides. Plerumque quâ parte Sol radiatus refulget, puer facem erigit, è regione Lunæ deprimit; hoc noctis, illud diei ſymbolum. Contra, in noſtro fax dejecta jacet, ubi Sol eminet, ſub Lunâ elata prælucet. Fortaſſe ita explicandum, ut cum dies eſt, & Sol cuncta lumine ſuo illuſtrat, face amplius opus non ſit, ideoque eam puer demiſſam extinguit. Alter ſublimem geſtat, quaſi noctis tenebras diſcuſſurus. At in *Burgheſianâ* Septentrionali, cujus ectypum exhibui, uterque faculam extollit. Luſerunt marmorarii, vel utcumque lumen ſolare præfigurarent, nil penſi habuere ſitum facis componere. Aut cum hanc tabulam recentiori manu interpolatam non uno loco appareat, fortaſſe in alterâ face peccavit imperitus artifex. Cui tamen ſi fidem manere velis, faces duæ erectæ lumen Solis & Lunæ indi-
193 cabunt. Nam utrumque ſidus, licet diſpari modo & virtute, lucem emittit. Ita in ſimulacro *Spanhemii*, quod deſcripſi *ſuperiori Capite*, Sol æque ac Luna facem præfert. Huic rurſus Tabulæ *Burgheſianæ* ſingulare eſt, juvenem quadrigâ vehi, mulierem bigâ: ne locus dubitandi eſſet, hac Lunam, illo Solem figurari, ut canit Poëta Aſtronomus Lib. V.

Quadrijugis it Phœbus equis, & Delia bigis.

Licet Pauſanias *in Eliac. prior. pag.* 307. unicum equum Lunæ tributum referat; imo & mulis vectam quosdam tradidiſſe. Pueruli qui utrumque antecedunt, Phosphorum ſeu Luciferum, & Heſperum ſignant; quorum primus diem denotat, alter noctem. Ideo ille facem erectam, hic depreſſam geſtat. Cicero Lib. II. de Nat. Deorum, *Stella Veneris*, inquit, *Phosphoros Græcis*, *Latine Lucifer*, *dicitur*, *cum antegreditur Solem*, *cum ſubſequitur autem*, *Heſperus*. Scio Poëtas duo hæc ſidera, licet vere unum ſit, modo curru vecta, modo equo finxiſſe. At nihilominus potuit opifex noſtri marmoris pueros ſculpere, tanquam ſtellas Sole & Lunâ minores, qui juvenili facie etiam abſque curru depingebantur. Nam & Lucifer *Sol alter* dicitur Plinio, & Veſper *vicem Lunæ reddens*, Lib. II. Cap. VIII. Si Lucifer ille eſt Posphorus, de quo in inſcriptione *Grut. pag.* 88. 13. *BONO. DEO.* PVERO. POSPHORO. jam expreſſam in noſtro ſchemate pueri imaginem aſſequuti ſumus. Et non ſemel PH permutatum in P. plura exempla docent. Ita in ſaxis *Spairiſterium* pro Sphæriſterium, *Pilippus* pro Philippus, & ſimiles. Utique hæc ad arbitrium ficta: ſic in gemmâ apud Pignorium *in Notis ad Cartarium pag.* 297. Luciferi currus, non equis, ſed duobus gallis trahitur.

Adhuc *Mithriacæ* Tabulæ non omnia ſunt exhauſta myſteria. Sculptum in collo Tauri *Burgheſiani* & apud *Gruterum* notatum, ænigma difficile & inexplicatum remanet, duabus hiſce voculis latens: NAMA. SEBESIO. Perſica eſſe vocabula ait *Gruterus* in margine. *Bulengerus* Lib.
194 I. de Magiâ Cap. IV. falſo legit *Nannae Sebeſio Deo Mithrae*; non enim eſt *Nannae*, nec duo poſtrema nomina primis adjacent, ſed procul in ventre Tauri ſcalpta ſunt, ut videre eſt in ipſo ſchemate, quod delineatum dedi *pag.* 160. inde *Nannam* eſſe *Mithram* autumat. *Muratorius*, loco quem olim retulimus, magis apte tria numina efformat, niſi quod, cum inſcriptionem apud *Bulengerum* viderit, *Nannam* retinet, & ea vocabula juncta. Attamen libenter ex *Nanna* in lapidem irrepſiſſe *Nama* crediderim, & numen hoc *Nanneam Dianam* intelligendum, ipſo præeunte ex teſtimoniis à *Bulengero* mutuatis. Nam *Diana*, ut omnes ſciunt, eadem cum Luna eſt. At ſi ulterius ariolari liceat, utriusque nominis ſchema propiori affinitate me inveniſſe gratulor. S. Epiphanius *Lib. I. Hæreſi. XVI.* quæ eſt Phariſæorum *num.* 2. hos memorat *Græca* fere omnia aſtrorum vocabula totidem *Hebraicis* reddidiſſe, ſubditque *exempli cauſſâ Sol* HAMMA *&* SEMES *iis appellatur*. Ita vertit Petavius. Qui in primo vocabulo non *Græcam* vocem Epiphanii ἧμα ſequutus videtur, ſed ipſam Hebraicam *Chammah*, quo modo apud *Nicolaum Serrarium* redditur in Minervali Cap. III. *Hamma* itaque quam proximum ſit *Nama* nemo non videt. *Semes* literulâ permutatâ abire potuit in *Sebes*, & inde more inflexionis *Latinæ* dici *Sebeſius*. Unde *Nama Sebeſio* collo Tauri inſculptum nil aliud eſt, quam *SOLI*, eademque ipſa epigraphe in ventre, *Soli Deo invicto Mithræ*, barbaris & myſticis characteribus expreſſa. Nam ex *Hebraicâ* linguâ plures voces in ſua portentoſa myſteria, quorum pars *Mithra* fuit, *Baſilidianos* traduxiſſe palam eſt. Porro *Sebeſius* aliunde quoque Sol audit. Nam ipſe eſt *Sebaſius*, *Sebadius*, vel *Sebazius*. Quæ nomina *Bacchum* ſane, ſed & Solem præ ſe ferunt. Auctorem habeo *Macrobium*, qui Lib. I. Sat. Cap. XVIII. hæc ſcripſit: *In Thraciâ eundem haberi* SOLEM *atque Liberum accipimus*; *quem illi* SEBADIVM *nuncupantes*, *magnificâ religione celebrant*. Bacchum Solem eſſe, poſt Macrobium pluribus docet Aleander *in Tabulâ Heliacâ pag.* 23. Sabazium vero non tam 195
Jovem, ſed *Bacchum*, quoque appellatum nemo eſt qui ambigat. Ita ut valde mirer, cur doctus vir *Muratorius*, dum pro *Jove* ſtat, ſe neſcire faſſus ſit, quâ auctoritate Heinſius in Ariſtarcho ſacr. *Sabazium* etiam *Bacchum* dixerit. Hic ſane *Cap. I. pag.* 705. auctorem nullum laudat: at aliunde id diſcimus. Loca tantum indico apud *Heſychium*, Diodorum Siculum *Lib. III.* ex quo Euſebius *de Præp. Evang. Lib. II. Cap. II.* Scholiaſten *in Ariſtophanis Veſpas ſub initium*, quibus addas, quos citat Voſſius *de Idololatr. Lib. II. Cap. XIV.* Rurſus ſi adhuc literis velimus ludere, *Nama* ore Romano prolatum *Menin* eſſe poterit. *Menin* Luna eſt, accepto nomine à menſe, quo curſum ſuum conficit. Vel barbarus ille deus eſt, de quo meminit Iſaias *Cap. LXV. verſ.* 10. ubi in textu *Hebræo* legitur: *Et me requiſierunt* MENI *implentes*, alia lectio habet: *Qui libatis* MENI. Conſule Polyglott. Angl. Tom. III. pag. 170. Varie explicant Interpretes, & inter eos aliqui, quos videre poteris in Synopſi Critic. Tom. V. *Stellas*, ſeu *Planetas* intelligunt. *Nama* itaque ſeu *Meni* Luna eſt. Ita his duobus nominibus, *Nama Sebeſio*, notavit opifex lapidis *Solem* & *Lunam*, quos curru per aëra vectos jam expreſſerat. Sic omnia in hac tabulâ *Mithriacâ* inter ſe connexa & ad mutuam ſignificationem compoſita dignoſcas.

Hic extra Tabulam manum pono, non extra argumentum, quippe arcanam *Mithræ* appellationem, doctis varie vexatam, explicaturus, ut ad rerum *generationem* traducam. S. Dionyſius Areopagita *Epiſtolâ ſeptimâ ad Polycarpum* (nolo enim litem verſare de vero auctore) narrans retroceſſionem umbræ in horologio *Ezechiæ*, Soliſque motum tunc, ex ejus ſententia, per decem horas contractum, in miraculi teſtimonium ſubdit hæc verba ex verſione Corderii Tom. II. Operum pag. 91. *Attamen id vel maxime ſacris Perſarum monumentis celebratur*, *atque etiamnum Magi* TRIPLICIS τριπλασίου *Mithri*, *ſive Solis memoriam recolunt*. Pachymeres *in Paraphraſi* diſtinctius 196
S. Patris ſenſum exponit; cui addas S. Maximum *in Scholiis*, & eundem Corderium, qui *in Notis* hæc ſubjicit: *Et quia dies tempore Ezechiæ fere in morâ ſeu duratione triplicatâ fuit*, *ideo ait Dionyſius*, *Perſas triplicis*, *ſeu triplicati Solis memoriam celebrare*. Voſſius *de Idololatr. Lib. II. Cap. IX.* SS. Patrum teſtimoniis late oſtendit, hanc ſententiam de triplicato illius diei ſpatio eſſe ſuſpectam, & propterea nomen *triplicis* Mithræ inde peti

peti non posse. At dum veram ipse caussam appellationis quærit, fatetur *facilius esse quid sit falsum videre, quam verum perspicere.* Tres vero conjecturas subinde profert, quæ nullo sunt veterum fundamento innixæ. Joannes Seldenus *de DIs Syris in Prolegom. Cap. III.* rejicit *Græcorum* hanc interpretationem, nihil ultra Mithram *triplicem* solicitans. Mihi in re obscurissimâ conjectanti, primum occurrit Arnobius, qui *Lib. III.* adloquens & irridens Gentilem, *cum Liberum*, inquit, *Apollinem, Solem unum esse contenditis numen, vocabulis amplificatum* TRIBVS, *nonne sententiis vestris deorum imminuitur census?* Sol ergo *triplex*, trium numinum vocabulis compactus, ut Diana *Trivia* seu *Triformis*, quia etiam Luna & *Proserpina* seu *Ceres*. Quod cum vulgo satis sit notum, placet nihilominus ex eodem obfirmare: *Dianam, Cererem, Lunam caput esse unius dei* TRIVIALI *germanitate pronunciant, neque ut sunt* TRINAE *dissimilitudines nominum, personarum differentias tres esse.* In Sole quoque latet *triplicitas*, quod *præterita noverit, & præsentia cernat, & futura visurus sit*, ait Fulgentius Mithol. Lib. I. Cap. XVI. *ideoque* TRIPVS *Apollini adjiciunt.* Concinit Suidas in verb. Tripus. *Apollinis* TRIPVS *fatidicus dictus, vaticinans* TRIBVS *temporibus, præsenti, præterito, & futuro.* Si *Persas* ipsos consulamus, quibus Sol *triplex* fuit dictus, *Darius* apud *Q. Curtium*, verbis ante recitatis, contestatur *Solem, Mithram* sacrumque *Ignem*, numen unum, ut ostensum est, *tri-*
197 *plici* vocabulo appellans. Hæc profecto nominis caussa potior mihi est. Pergam tamen, cum in *Juliano*, qui plura de Sole ex *Persarum* & *Ægyptiorum* philosophia ineptivit, nomen hoc ipsum & significationem hucusque traditam, deprehenderim. Nam Solis, quem *Mithram* quoque vocat, *triplicem efficientiam* commemorat, *in Orat. IV, pag.* 294. quæ appellatio ad ea refertur, quæ ante *pag.* 278. paullo obscurius disseruerat. Sol enim ait *quadrifariam* signiferum circulum secat, *unde* TRIPLEX *ad nos gratiarum largitio proficiscitur, ex iis videlicet circulis, quos deus ille quadrifariam tribuens, quadripartitam annuarum tempestatum gratiam immittit.* Hæc ex Mathematicis sunt desumpta, qui in quatuor partes Zodiacum secantes, cuique tria signa, quatuor anni tempestates discriminantia, deputant, quas partes ideo TRIGONOS appellant. Hinc igitur *triplex* Solis efficientia, ob quam *parens tempestatum* Sol est, & Zodiacum quadrifariâ triplicitate distinctum percurrens, singulis anni temporibus fecunditatem dispensat,

—— *Eoque*, ut ait Aratus, *circa hunc eunte Circulum, adolescunt omnes frugiferæ tempestates.*

Et hinc denique *triplicis* nomen apud *Persarum* magos adeptus est *Mithra*. Plutarchus quoque rerum genesim *triplici* ratione constare docet in libello de Iside & Osirid. pag. 373. ubi *Ægyptios*, ait, *universi naturam comparasse triangulo, cujus linea rectum angulum alteri insistente marem, basi feminam, subtendente prolem utriusque repræsentari.* Ergo ex *triplici* hac terminorum communione tota rerum omnium GENERATIO consurgit. Cujus equidem generationis cum toties Solem seu *Mithram* auctorem & patrem ostenderimus, jam nil mirum videtur *triplicem* eum fuisse appellatum. *Macrobius* quoque *Tricipitem* Solem facit *Lib. I. Cap. XX.*

* Reinesius *Lib. III. var. Lect. pag.* 603. uno verbo ænigma hoc, nobis fusius agitatum, absolvit. NAMA. SEBESIO, inquit, *manifestò est ex Græco*, νᾶμα σεβέθιον, nempe *Fluvius Sebethus.*
A Νᾶμα utique Græca est vox, *fluentem*, seu *aquæ scaturiginem* denotans. At quousque doceam, cur simulacro *Romæ* sub Capitolium olim, ut diximus, posito, & nunc in ædes *Burghesianas* translato, *Sebethus Neapolitanus* inscribi debuerit, & rursus, quid rei esse possit fluvio cum *Mithra*, in sententiam doctissimi Antiquarii ire nequeo. *

At vero ut tandem nostram tabulam *Antiatem* ceterasque dimittamus, hoc unum reliquum est observatione dignum, eam ipsam ostendere, apud Antium *Mithram* cultum, & sacra *Mithria-* 198
ca celebrata fuisse. Præterea & *Antrum* seu *Spelæum* inibi conditum & dicatum, in quo ipsa sa-
B cra agebantur. Nam uti testatur Porphyrius pag. 263. *ubicumque Mithram agnoverunt Gentiles, eidem deo specubus sacra faciebant.* Sane ubi nostræ Tabulæ fragmenta reperta sunt, quo nempe vetus navale desinit, & solum veluti in collem, cui Civitas erat imposita, assurgit, quædam adhuc visuntur loca cavernosa & interni recessus, quorum aliquem Mithræ *specum* fuisse facile judicaveris.

CAPUT V. 199

Ad sacra Mithræ prælusio. Ea sub antris agebantur, ubi & initia sub figuris ferarum tradita,
C *earumque vocabulis Sacerdotes appellati. Erasmi allucinatio. Marianus Victorius, Bulengerus, Pamelius, & Faber notantur. Sacrorum Mithræ varia genera. Quid sit* tradere *Leontica &c. & ostendere Cryphios; unde inscriptiones antiquæ explicatæ. Sacerdotes formis animalium induebantur. Archelai locus emaculatus. Undenam Manetis error de duobus principiis. Quid sit* Cervulum *facere. Initia sacrorum Mithræ ex Christianæ religionis ritibus & Sacramentis petita. Quis deus* Pileatus *apud D. Augustinum. Per immania varii generis tormenta initiandi*
D *transibant. In sacrificiis Mithræ humanæ victimæ immolabantur. Lampridius explicatus. An Mithræ lucus sacer? unde Græca inscriptio Divionensis explanatur, & Liceti interpretationes expenduntur.*

HActenus superstitiosa Gentilitas, pene dixerim innocenter, ineptiisse videbatur, dum abditas rerum caussas & naturæ majestatem sub fictis MITHRAE vocabulis & sculptis imaginibus ac symbolis recondere, atque à vulgi oculis arcere conata est. At supra fidem sunt & rationis aleam, quæ inter ejus sacra & initia immiscuit
E superstitionum deliramenta & religionis portenta: polluta sacrificia, nefandas ceremonias, scelesta mysteria, profana sacramenta, sacerdotesque suo simul cruentatos & initiatos sanguine. Hæc dum horrenti & attonito calamo persequor, ne quis existimet *Christiano* viro, ac veri Numinis sectatori alienum, falsos & inanes Ethnicorum deos ritusque vanos ab obscurâ antiquitatis latebrâ in lucem revocare & legentium oculis prodere. Nam id in religionis nostræ argumentum conducet & Dei O. M. laudem, qui discussâ pridem 200
erroris caligine & impio idolorum cultu profligato, verum sanctumque Evangelii patrimonium nobis in hereditatem reliquit, & fidem, sangui-
F ne Filii sancitam, in symbolum & tesseram æternitatis condidit. Ut dum Gentilium insanias horremus & proscindimus, maneat nostræ religionis amor; & pietas, comparatione indictâ, altius animis insideat. Narrat *Socrates* Histor. Eccles. Lib. V. Cap. XVI. *Theodosium*, qui pietate potius quam rerum gestarum famâ *Magni* nomen adeptus est, cum idololatriæ reliquias acerrimo edictorum gladio præcideret, ex innumeris deorum signis, quæ in alios usus conflari jusserat, unum

* Ea, quæ inter Asteriscos leguntur, a *pag.* 252. prioris Editionis, huc locanda, ibidem monebat Auctor.

unum reservasse omnino turpius ceteris, quod ad posteritatis memoriam in loco celebri & propatulo defixit. Quo facto Gentilibus adeo displicuisse subdit historicus, ut *Ammonius* Grammaticus dicere soleret, male cum deorum veneratoribus unâ re hac actum esse, quorum ad ludibrium & dedecus perpetuum id monumentum esset erectum. Hoc utilitatis argumentum revelata impiorum mysteria conferent: & *Mithræ* sacra ex antri sui latebris educta, turpitudinem falsæ religionis & Dei potentiam & gloriam in conspectum producent.

Dixi ex Porphyrio, *Zoroastrem* primum omnium montibus Persidi vicinis *antrum nativum, floridum, fontibusque irriguum, in honorem Mithræ* consecrasse. Hoc more, simul cum *Mithræ* religione, à barbaris in *Romanum* Orbem invecto, passim *antra* & *spelæa* ei dicata & condita sunt, quæ Templorum vice sacris peragendis deputabantur. *Romæ* non unam ejusmodi speluncam fuisse exempla lapidum, quæ jam exscripsi, palam faciunt. Ibi enim DEO SOLI INVICTO MITHRAE ZOSIMVS SPELEVM CONSTITVIT, aliudque simile SPELEVM TIBERIVS CLAVDIVS VOTI COMPOS DEDIT. In eâ Capitolii parte, quæ Aquilonem spectat, templum subterraneum, ibique *Mi-*
201 *thræ* simulacrum repertum fuisse ex *Mormillio* refert Gruterus *inscript.* 4. *pag.* 34. easque cavernas, cum effigie & inscriptione, à se visas testatur *Justus Rycquius* de Capitol. Cap. XLII. in fin. *Spelæi* Mithriaci meminerunt, Tertullianus *de Corona mil. in fin.* Justinus Martyr *Dialog. cum Tryphone pag.* 296. & 304. & S. Hieronymus *Epist. VII. ad Lætam.* Quorum loca jam viris doctis haud semel sunt producta. Nondum vero quisquam retulit egregium testimonium *S. Paulini*, cui Cl. *Muratorius* cum aliis ejusdem operibus recens lucis usuram donavit. Perstringens S. Vates falsa gentilitatis numina & insanam superstitionem, de *Invicto* seu *Mithra* hæc canit:

Quid quod & Invictum spelæa sub antra recondunt,
Quæque tegunt tenebris, audent hunc dicere Solem.
Quis colat occulte lucem, sidusque supernum
Celet in infernis, nisi rerum caussa malarum?

Eodem argumenti genere usus est *Firmicus* de Error. prof. relig. Cap. quinto sæpius mihi laudato. *Hunc*, inquit, *Mithram dicunt. Sacra vero ejus in speluncis abditis tradunt, ut semper obscuro tenebrarum squallore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant.* Profecto tenebris damnanda erant deliria sacrorum & impiæ ceremoniæ, quæ antris *Mithriacis* peragebantur. Reperies barbaras vocabulorum effigies, auribus quoque graves, & ut ait *S. Hieronymus* loco proxime indicato, *portentosa simulacra quibus Corax, Niphus,* alii rectius legunt *Gryphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius, Pater initiantur.* Erasmus pessime corrupit hæc vocabula, dum ea non intelligens, ingenti allucinatione, in Urbes singulas transformavit. Perperam quoque *Marianus Victorius* putavit, deorum nomina hujusmodi formis insignia esse, quod belluas omnis generis veteres colerent, & sub animalium specie deorum simulacra efformarent. Nam dum S. Pater *Coracem, Gryphum* &c. *initiari* dicat, manifestum est de hominibus loqui, qui sub iis figuris *Mithræ* sacra suscipiebant. Quibus susceptis adhuc eadem appellatio manebat, teste *Porphyrio* Lib. IV. de Ab-
202 stinentia Cap. XVI. ubi hæc ait; *Magi apud Persas sacrorum Mithræ participes, symistas* Leones *vocabant, homines scilicet, feminas vero* Leænas, *subministrantes autem* Corvos; Quo testimonio deceptum Bulengerum apparet, qui *Lib. I. de Magia Cap. IV.* licet *Persis* idem *Mithram* & Solem fuisse fateatur, distincta tamen sacerdotia, &
A feminas Solis, mares *Mithræ* sacerdotes fuisse autumat. Unde *Justinus*, quem in argumentum vocat, ubi Lib II. Cap. X. *Artoxersem* narrat Solis Sacerdotio *Aspasiam* Cyri pellicem præfecisse, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur, de *Mithrâ* certe est intelligendus. Subdit Porphyrius, qui *illis sacris quorum symbolum est Leo, initiatus est, omnimodis animalium figuris induitur.* Distincta & multiplicia fuere sacra *Mithriaca:* nam *Leontica, Coracica, Gryphia* memorantur in inscriptionibus. Soli ergo initiati *Leonticis*, ut innuere videtur *Porphyrius*, plures animalium figuras induebant; ceteri, ut
B puto, eam tantum effigiem, cujus nomen gerebant, ut initiati *Coracicis* Corvi, Gryphi quorum sacra ad *Gryphios* pertinebant. Tertullianus *Lib. I. adversf. Marcion. Cap. XIII.* Mithræ sacerdotes eodem vocabulo *Leones* vocavit: *Sicut aridæ & ardentis naturæ sacramenta, Leones Mithræ philosophantur.* In quem locum male notavit *Pamelius*, Deo Mithræ *Leones* attributos currum ejus traxisse. Eumque pejus detorquet Petrus Faber *Lib. III. Semestr. Cap. II. in fin.* ad Leones currum *Cybeles* aut *Junonis* trahentes, ut *Mithram* Deam feminam faciat. Nam Leones philosophatos fuisse, nec fabulæ unquam somniarunt.
C Loquebatur *Septimius* de sepulturâ & inventione *Osiridis*, quæ profana mysteria *reciprocationem frugum & vividorum elementorum* interpretabantur *Leones Mithræ*, ejus scilicet sacerdotes, quos *Leones* vocatos mox ex *Porphyrio* didicimus. Ceterum eodem loco ait *Porphyrius* magos *Persarum* hisce *Mithræ* mysteriis significasse transmigrationem animarum; *nostram enim cum animalibus convenientiam subinnuentes, eorum nominibus nos indigitare solebant*: licet ex vulgi opinione subdat, ea 203
animalia *ad Zodiaci circulum respicere.*

Tam ergo initiandi quam Sacerdotio jam inaugurati singula nominum portenta, quæ *B. Hie-*
D *ronymus* recitat, induebant. Hinc diversa sacrorum *Mithræ* genera fluxerunt, iisdem vocabulis appellata, puta *Leontica, Eliaca, Patrica, Persica, Coracina*, quorum mentio est in inscriptionibus apud *Gruterum* locis inferius indicandis, ubi & *Gryphios* reperies. Reinerius *Class. I. inscript.* 48. & *in Epist. LXIX. ad Rupertum pag.* 647. dum nomina *Hieronymo* memorata explanat, singula hæc erudite percurrit. Egregiam quoque iisdem operam navavit Gutherius *de vet. Jure Pontif. Lib. I. Cap. XXV.* cui tantum aliquid de laude demas, quod ad sacra *Isidis* & *Osiridis* pertinere voluerit. *Macarius* non pauca tradidit, plu-
E ra *Chiffletius*, in suo quisque eleganti *de Gemmis Abraxeis* libello. At in hæc sacrorum arcana non satis, opinor, viri docti introspexerunt. Nam cum *lapis* 4. *pag.* 1087. ita loquatur:

DATIANO. ET. CEREALI. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C
PP. AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C. P
TRADIDERVNT. PERSICA. PRI. NON. APRIL. FEL.
CONS. SS. TRADIDERVNT. ELIACA
XVI. KAL. MAI. FELIC
OSTENDERVNT. CRYFIOS. VIII
KAL. MAI. FELIC

F Eodemque modo in aliis *tradita* dicantur *Leontica, Coracica, Patrica* & *ostensi Cryfii*, arbitrati sunt, hæc Sacra *Mithræ* referenda esse ad initiandos. Quippe *tradere* & *accipere* verba sacrorum sunt, & traditio ab initiatis accepta dicitur, inquit *Gutherius*. Quem fugit egregius locus Appulei *Lib. postremo Metamorph. in fin.* ubi dum tertium esset suscepturus sacra *Osiridis*, cogitabat suspensus, *quod subsecivum, quamvis iteratæ jam* traditioni *remansisset*: & paullo post Dei imagine se monitum ait, quod *futura sacrorum* traditio 204
perne-

pernecessaria esset. Poterat etiam *sacra initiato ostensa* & ipse videre apud *Themistium*, qui *Orat. XX. in Patrem pag.* 235. edit. Harduini, ab Antistite simulacrum Dei *initiato* conspiciendum præberi refert; & Dio Chrysostomus *Orat. XII. pag.* 203. edit. Paris. *initiandum* multa videre arcana spectacula ait. At vero quamvis iis nominibus initiari novitios sacrorum *Mithræ*, & figuris animalium indui, ex *Hieronymo* & *Porphyrio*, non negaverim, attamen *Leontica*, *Coracica* &c. de quibus nostri lapides, non initiandis, sed populo, cum sacra *Mithræ* & sacrificia publice agerentur, *ostensa* & *tradita* fuisse arbitror. Suadet quod privata hominis alicujus inauguratio publicis monumentis, & sollemni Consulum adnotatione, non fuisset exsculpta. Præterea statis diebus, & quidem diversis, singula hæc spectacula peracta fuisse observo. In inscriptionibus pag. 303. & 1087. *tradiderunt Eliaca* XVI. KAL. MAI. *Persica* PRI. NON. APRIL. *Leontica* XVI. KAL. APR. & V. ID. MART. *Coracica* VI. ID. APRIL. *Ostenderunt* vero *Crysios* uno & altero anno VIII. KAL. MAI. Quo patet hæc sacra fuisse stata & sollemnia, ut vocat *Festus*, quæ singulis annis peragebantur, ut *Eleusina*, *Isiaca*, & alia quæ notantur in veteribus Kalendariis, & passim apud Scriptores. Hinc Langius *Lib. I. de Annis Christi Cap. XII.* quod hæc sacra anniversaria essent, & singulis annis instaurarentur, demonstrare contendit, annos Lunares ex 360. diebus à *Græcis* usurpatos fuisse. Nam cum in saxis indicatis tradita dicantur *Leontica* XVI. *Kal. Apr. Daciano & Cereale Coss.* & iterum IV. *Idus Martias Eusebio & Hypatio Coss.* priora scilicet anno *Christi CCCLVIII.* posteriora anno proxime sequenti *CCCLIX.* à die 17. Martii primi anni ad 12. ejusdem mensis anni sequentis, evoluti erant dies 360. At præterquam in *Gruteriano* lapide, quem ipse *Langius* laudat, non dies IV. Idus Martias, sed V. signatur, unde ab uno ad alium annum decursi erant tantummodo dies 359. vix induci possum, ut cre-
205 dam post *Julianam* correctionem *Romanos* unquam annos ejusmodi Lunares, & menses tricenarios in usu habuisse. Nostri enim lapides non in *Græciâ* sed *Romæ* scalpti sunt. Præterea apud *Gruterum* duabus inscriptionibus *p.* 303. 2. & *p.* 1087. 4. notatur eodem ipso die VIII. Kal. Maji ostensos fuisse *Cryphios*, ann. CCCLVIII. & CCCLXXVI. unde patet evolutis annis octodecim ad eundem diem hæc sacra peracta fuisse. Quod si anni fuissent Lunares, non ita accidisset. Hinc stato annuatim die tam Cryphii ostensi, quam Leontica tradita, & hæc quidem semel & iterum, videlicet undecimo & septimo decimo die Martii. Non prætermittam omnia, quæ memorantur in saxis, sacranea *Mithræ*, *Eliaca*, *Coracica*, *Leontica* &c. Martio & Aprili tradita fuisse, vere scilicet decurrente, sub Ariete & Tauro, quæ *Mithræ* sunt signa dicata, ut ex *Porphyrio* didicimus *Cap. III.* quia tunc Sol omnia ad generationem aperit & provehit.

Porro sacra *Mithriaca* præscriptis diebus peculiari ritu & pompâ publice spectanda ab Epoptis, & reliqua sacerdotum & ministrorum turbâ ducebantur. Nostra inter hæc esse censenda, videntur palam facere præsertim inscriptiones, quibus *ostensos* fuisse *Cryphios* memoratur. In Bacchanalium pompâ, quam ducebat Liber, *alter erat*, inquit Firmicus de Error. prof. relig. Cap. VI. *nigro amictu teter*, *alter* OSTENSO *angue terribilis*, *alter cruentus ore &c.* Eodem modo *ostensos* Cryphios, eorum scilicet figuras, publice festis diebus *Mithræ* arbitror. Nam *ostensio* proprie de pompâ & publico spectaculo dicitur. Isidorus Lib. XVIII. Cap. II. *Pompa dicta est Græ-*

A *ca significatione à* πεμπεύειν, *hoc est publice* OSTENTARE. Et Statius Theb. VIII. v. 239.

——— nigri vexilla triumphi
Liber & ignotos populis OSTENDERET *Indos.*

Apud Lampridium *in Alex. Severo Cap. XXXIII.* OSTENSIONALES milites sunt, qui ad solam pompam & *ostensionem* adhibebantur, uti explicat *Salmasius*; qui subdit *ostensionem* idem esse ac Græcis φαντασίαν, quæ vox *publicam pompam* signat. Quamobrem *Leontica*, *Coracica* &c. per sacerdotes Mithræ publice spectanda populo ex- 206
hibebantur. Et sane diverso ceremoniarum ritu: nam diversis diebus & nominibus commissa sunt.
B At quænam eæ ceremoniæ fuerint, præsertim in *Eliacis*, *Persicis*, & *Patricis* non ausim divinare. Tantum constare videtur, prima à *Sole* denominari, secunda à *Persis*, unde religionis *Mithræ* origo, postrema à *Patribus* vel *Patratis*, qui *Mithræ* sycophantæ & digniores sacerdotes erant, ut in lapide *pag.* 28. 2. & 34. 9. Et ideo distincta nomina, quia quodque sacerdotum genus sua sacra distinctis diebus celebrabat. Cetera sacra, quæ ab animalibus nomen accepere, ut *Coracica*, *Leontica*, & *Gryphia*, nullus dubito, sub figuris eorundem animalium tradita fuisse. Et quidem vel sacerdotes vestes iisdem simulacris ferarum de-
C pictas & figuratas gestitabant, ut de se ipso, cum initiaretur, refert *Appulejus* dicto libro non longe à fine: Nam iisdem & postea usos vel ex hoc patet, quod sacerdos quam vestem in auguratione induisset, nunquam postea abjiciebat. Vel etiam sacerdotes ipsas imagines animalium assumebant, cum *Porphyrius* asserat *omnimodis ferarum figuris* indutos fuisse, & ita sacra peragebant. Unde ea fluxerunt sacrorum nomina, ut scilicet quæ ducebantur à sacerdotibus formis Leonum indutis *Leontica* dicerentur, & ita de aliis. Quod sane ridendum spectaculum, & histrionicam repræsentationem, nonnisi insanis Gentilium oculis dia-
D boli fraude obcæcatis in re sacrâ tolerandam, sapiebat. Quo respexisse puto *Archelaum* Episcopum *Mesopotamiæ* in disputatione habitâ cum *Manete*, ubi eum peregisse ait mysteria *Mithræ* tanquam *ludionem* & *mimum*: cum scilicet *Manes* illius Sacerdos, sub hujusmodi ferarum imaginibus scenicam personam repræsentans, ludicra sacra exhibuisset. Egregium hoc testimonium in nostram sententiam, acceptum fero *Laurentio Zacagnio*, doctrinâ & omnigenâ ecclesiasticæ eruditionis peritiâ Præfecturam Bibliothecæ *Vaticanæ* promerito, qui eam disputationem, una cum aliis Patrum ineditis monumentis, nuper vulgavit. 207
E Verba sunt hæc ex pag. 63. *Barba* (editor recte restituit *Barbare*) *Sacerdos Mithræ & collusor*, *Solem tantum coles Mithram locorum mysticorum illuminatorem*, *ut opinaris*, *& conscium*, *hoc est quod apud eos* LUDES, *& tanquam elegans* MIMUS *perages mysteria.* Amice ferat Cl. *Zacagnius*, me manum in ejus messem ponere. Legendum arbitror *ludus*, vel *ludius*, ut sit casus nominandi respondens sequenti vocabulo *mimus*. Veteribus enim *ludio* dicebatur etiam *ludus* & *ludius*. Juvenalis Sat. VI. vers. 82.

Nupta Senatori comitata est Hippia ludum.

ut legit Salmasius: & Satyr. XI. v. 20.

——— veniunt ad miscellanea ludi.

F *Ludium* usurpavit Cicero pro Sex. *ille ipse maximus* Ludius, *non solum spectator*, *sed actor.* Et Ovidius de Arte Lib. I. vers. 112.

Ludius *æquatam ter pede pulsat humum.*

Porro licet Juvenalis *Ludum* pro gladiatore accipiat, frequentius ea vox *histrionem* ac *mimum* significabat, ut in ceteris exemplis, idemque erat ac *Ludio.* Manes igitur Archelao est *Mimus*, & *Ludus*, qui sub ferarum formis more histrionico mysteria *Mithræ* peragebat, unde & ejus *collusor* dictus.

Ph. a Turre. H

dictus. Conjecturam hoc loco addam, quoniam de *Manete* sermo est. Narrat Plutarchus *de Iside & Osirid. pag.* 369. Persarum Magos ex *Zoroastris* sententiâ, duos Deos statuisse inter se contrarios, *Oromazan* & *Areimanium*, quorum unus mala, alter bona conficeret, interque eos medium esse *Mithram*, quem idcirco μεσίτην, idest *mediatorem* seu *intermedium* nuncupabant. An non igitur à *Mithræ* Sacerdotibus nefaria *Manetis* doctrina de duobus principiis, uno bono, altero malo, fluxit, quam primum *Scythianus*, deinde *Terebinthus*, è cujus libris *Manes* ipse hausit, impie docuerant? *Mithra* certe Deus ille *mediator* idem est ac *murus*, quem fingebat *Manes* intermedium inter bonum & malum, de quo plura in
208 memorata disputatione *Archelai* pag. 39. Porro *Terebinthum*, seu *Buddam* sermonem habuisse de duobus principiis cum *Mithræ* æditituis & sacerdotibus refert Epiphanius *Hær. LXVI. de Manichæis num.* 3.

Si quis modum quærat, quo sacerdotes *Mithræ* animalium figuras induebant, dabo exemplum non dissimilis spectaculi apud ipsos *Romanos*, quod describit Halicarnasseus Lib. VII. pag. 477. *amicti erant*, inquit, *tunicis villosis, quas quidem appellant scorteas, amiculisque consertis ex omni florum genere: qui vero satyrorum speciem induerant, hircinis se pellibus ineinxerant, horrentesque in capite gerebant setas.* Propius expressere SS. Patres, dum *Christianos* increpant, qui morem insanum nondum cum gentilitate exuerant. S. Augustinus *Serm. CCXV. de tempore*, qui in edit. Monachorum S. Mauri tribuitur *Cæsario* in appendice Serm. CCLXV. Tom. V. Part. II. *Si adhuc agnoscatis aliquos illam sordidissimam turpitudinem de hinnicula vel cervula exercere, ita durissime castigate, ut eos pœniteat rem sacrilegam commisisse.* Induebantur enim horum animalium figuris, ut idem *Cæsarius* explicat Sermone CXXIX. ejusdem append. *quis enim sapiens poterit credere inveniri aliquos sanæ mentis, qui cervulum facientes, in ferarum se velint habitum commutare? Alii vestiuntur pellibus pecudum, alii assumunt capita bestiarum, gaudentes & exultantes, si taliter se in ferinas species transformaverint, ut homines non esse videantur.* Bollandus sermonem hunc adscribit *Faustino* Episcopo, ad diem 1. Januarii *Tom. I. pag.* 2. Agebantur hæc larvatorum ludicra Kalendis Januariis, ut ex hoc sermone & sequenti CXXX. apparet. Unde in Concilio Antissiodorensi Can. I. statuitur: *Non licet Kalendis Januariis vetulâ aut cervolo facere.* Videas etiam, si lubet, Burchardum *Lib. XIX. Cap. V. & Epistolam* S. Bonifacii Episcopi Moguntini *ad Zachariam P. C. VI.* Quæ Conciliorum & Patrum monita frustra sunt, dum eadem larvata deliria per licentiam dierum bacchanalium adhuc in nostros mores invadunt.

Verum ad *Mithræ* initationes redeo, quæ impio mysteriorum ritu perficiebantur. Iis quippe
209 ad imitamentum sanctiorum *Christianæ* religionis Sacramentorum compositis, per gradus profanæ augurationis teletæ ad sacra capessenda informabantur. Nec ausim secus ea describere, quam ipsismet verbis Tertulliani de Præscription. Cap. XL. *Tingit & ipse diabolus quosdam, utique credentes & fideles suos, expositionem delictorum de lavacro repromittit*, in libro quoque de Baptismo Cap. V. initiatos fuisse per *lavacrum* commemorat) *& si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat panis oblationem, & imaginem resurrectionis induit, & sub gladio redimit coronam.* Ut vero Eucharistiæ imago luculentius adumbraretur, *panis & poculum aquæ* ponebatur, *verbis quibusdam additis*, uti refert Justinus Martyr *Apolog. II. p.* 98. edit. Græcolat. Parisiensis MDCXV. Qui rursus in Dialogo contra Tryphonem pag. 296. Sacerdotes *Mithram è petra natum* docentes, & suos *initiantes in specu*, imitatos fuisse ait prophetica verba Danielis & Isaiæ, ubi ille Cap. II. *lapidem absque manibus de monte abscissum* memorat, hic verò Cap. XXXIII. de Christo prophetat: *Habitabit in excelso specu petræ fortis. Panis dabitur ei, & aqua ejus fidelis.* Iterum Tertullianus de Coronâ mil. in fin. exprobans fidelibus, quod caput, *Christi* diademati reservatum, rosis & auro damnarent, initia sacerdotum Mithræ eleganter sic exponit: *Erubescite commilitones ejus* (Christi) *jam non ab ipso judicandi, sed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiatur in spelæo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrii, de hinc capiti suo accommodatam, monetur obviâ manu à capite pellere, & in humerum, si fortè, transferre dicens, Mithram esse coronam suam.*

Huc refero egregium locum *S. Augustini*, qui victum Leonem diabolum sanguine Dominici Agni enarrans hæc ait in Cap. I. Joan. Tract. VII. num. 6. Benedictin. Tom. III. Part. II. pag. 344. *Ergo nescio quid simile imitatus est quidam spiritus, ut sanguine simulacrum suum emi vellet, quia noverat pretioso sanguine quandocumque redimendum esse genus humanum.* Deus Mithra 210
hic est impius *spiritus*, qui suos milites mimos martyrii cogebat redimere coronam interposito gladio, ut ait *Tertullianus*; & sanguine inter immanes cruciatus, quos inferius describam, *simulacrum* suum, ipsis ità initiatis concreditum, emi volebat. Nam & apud eundem Septimium *Mithram*, eo cruento pretio emptum, dicebant *esse coronam suam.* Sequitur Augustinus: *Usque adeo ut illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici miscent præcantationibus suis nomen Christi: quia jam non possunt seducere Christianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id quod dulce est, lateat, quod amarum est, & bibatur ad perniciem.* Nomen Christi magicis præcantationibus immixtum arguit designari *Basilidianos* & ceteros portentosæ artis magistros, & diaboli discipulos, qui divino illo nomine aliisque ex Sacrâ Scripturâ depromptis abutebantur in amuletis suis & telesmanicis præstigiis. Porrò illi & *Mithram* invocabant colebantque. Cujus quoque Sacerdotes *mel* initiatis tradidisse, ex *Porphyrio* mox ostendam. Tandem *Augustinus* digito monstrat *Mithram* his quæ statim subdit: *Usque adeo ut ego noverim aliquo tempore illius Pileati Sacerdotem solere dicere: & ipse Pileatus Christianus est.* Quis iste *Pileatus* nisi *Mithra*, quem passim pileolum seu mitram aut tiaram gestare videmus & legimus? Hæc enim vocabula idem sonant vel uno *Hieronymo* teste ad Fabiolam: *Quartum genus est vestimenti rotundum pileolum . . . . hoc Græci & nostri* τιάραν, *nonnulli galerum vocant.* Augustinus vocem Latinis frequentius usurpatam scribere maluit, quam alias barbaras & peregrinas. Imo & *Pileus* Persarum fuit, attestante Herodoto *Lib. VII. Cap. LXII.* ubi hac ipsâ voce πῖλον utitur, & Strabo *Lib. XV. pag.* 733. Itaque *Pileatus* Mithra est. Cui enim alio ex diis, quos pileatos confinxere antiqui, ea omnia, quæ suo *Pileato* tribuit *Augustinus*, aptari possint non video. Pileo donatur *Mercurius*, *Castores* pileati incedunt, *Ulysses* cum pileo seu 211
galericulo pingitur, Attidem *Phrygia* tiara quandoque exornat. At nusquam in eorum sacris & mysteriis vel simulacrum sanguine emptum, aut mel exhibitum, aut magica incantamenta, seu denique *Christi* symbola & nomen usurpata simul comperimus. Porro si hoc *Augustini* cum ceteris, quæ produxi, sanctorum Patrum testimoniis conferas, ita omnia *Mithræ* mysteria ad *Christiano-*

stianorum rituum & Sacramentorum imitamentum ficta & composita reperies, ut mirum non sit, sacerdotem illum, ad seducendos impiâ nominis profanatione *Christianos*, suum *Pileatum* Mithram *Christianum* vocasse. Imò *Manichæi*, quorum nefarium ducem *Mithræ* addictum vidimus, Solem, qui *Mithra* est, ipsummet *Christum* putabant, teste eodem Augustino in *Joan. Cap. VIII. Tr. XXXIV. pag. 534.*

Quæ sequuntur militum *Mithræ* initia, non ad timoris speciem comparata, sed sincera & vera martyrii argumenta sunt. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione III. Stileut. in Julianum pag. 77. Tom. I. edit. Paris. MDCXXX. *in sacris Mithræ adhibitos*, ait, *cruciatus, justasque, aut etiam mysticas ustiones*, & Orat. XXXIX. in sancta lum. pag. 626. vocat *justum* eorum *supplicium, qui Mithræ sacris initiari sustinent.* Nullus quippe sacris *Mithræ* initiari poterat, nisi plura probationum genera & cruciatus corpore suo excepisset, fortitudinisque in perferendis laboribus specimen, & *se sanctum & perturbationum immunem esse demonstrarit*, ait Suidas in verb. Μίτρας pag. 162. Tom. II. Eò spectat ritus ille: ut *qui Leonticis sacris initiabantur, aquæ loco mel manibus lavandis* affundebant, quo jubebantur, inquit Porphyrius de antro Nymph. pag. 260. *manus ab omni malo noxioque scelere puras habere.* Immo & *linguam melle ab omni peccato* expurgabant. Gradus tormentorum *octoginta* enumerat *Nonnus* (non *Elias Cretensis*, uti malè citat *Barthius* ad *Statii* locum sæpius laudatum) *in Collectione Historiarum ad eandem Invectivam Nazianz. advers. Julian. num. 5.*
212 *& 45.* Hi verò serie quadam suscipiebantur, *primum quidem levioribus suppliciis, deinde atrocioribus* inflictis. Nam *primum ei diebus multis aperienda est aqua. Deinde necessario ipsi faciendum est, ut se in ignem conjiciat: postea in solitudine versari, sibique ipsi inediam imperare necesse habet: atque ita ad alia pergere, quousque LXXX. suppliciorum genera defunctus fuerit. Quibus si supervixerit, tunc demum sacris Mithriacis initiatur.* Sunt verba Nonni *num. 45.* Immanis tamen hic numerus corrigendus videtur eidem *Barthio* & ad duodecim probationum gradus arctandus, ex Eliâ Cretensi *in Oratione III.* ejusdem Nazianzeni *num. 64. & 83.* At is eum numerum ad *tormentorum genera*, ustionis, famis, flagellationum & hujusmodi definivit, quæ potuerunt repetitis vicibus usque ad octoginta gradus iterari, ut sic *Nonno* cum *Eliâ* conveniat. Nam & *Nicetas* Episcopus ad eundem Nazianzenum, *in ipso probationis ingressu*, inquit, *per quinquaginta totos dies eos fame cruciant, deinde duos dies flagris cædunt, tum in nivem viginti dies immittunt.* Imò in antiquissimo Ms. Codice septingentorum annorum, qui in Bibliothecâ *Laurentianâ* Serenissimi Magni Ducis asservatur, hic ipse *Nicetas* octoginta probationes recenset, quo *Nonni* testimonium amplius fulcitur. Cum hisce jam scriptis prælum propè immineret, clarissimus *Montfauconius*, quæ ejus est humanitas, & in hac nostrâ lucubratione, cui aliquandò calculum suum detulit, exornandâ studium, dum *Florentiæ* moratur in itinere ab Urbe in *Galliam* suam suscepto, textum ipsum *Græcum* ex eodem Codice descriptum ad me datis literis transmisit, additâ eleganti interpretatione *Latinâ.* Hæc autem Scholiastæ sunt verba: *Mithram alii alium esse arbitrati sunt: quidam scilicet Solem, alii inspectorem seu moderatorem ignis, alii propriam quandam virtutem. Hujus autem Mithræ mysteriis quædam initiationes sunt maximè apud Chaldæos. Qui Mithræ mysteriis initiabantur, quibusdam ceu gradibus cruciatibus probari solebant: ita ut primum leviore pœnarum genere adficerentur, ac deinceps ve-*
213 *hementiore. Exempli caussâ, primo initiandos fame*

A *adfligebant quinquaginta diebus, ac si hæc constanter tolerarent, illos biduo cædi curabant, ac deinceps eodem pœnæ genere singulos exercebant viginti octo diebus: eoque pacto auctis cruciatibus, si, qui initiabantur, hæc patienter ferrent, tunc demum perfectiora mysteria educebantur.* Si numerum colligas probationum, quinquaginta scilicet famis, duo flagellationum, repetito eodem genere pœnæ per alios viginti octo dies, ipsosmet octoginta gradus *Nonni* deprehendes. Vides præterea *Mithram* aliquibus fuisse *inspectorem* seu *moderatorem* ignis, quem *Renem ignis* in vulgatâ *Nicetæ* versione vocatum alibi diximus. In Codice *Florentino* est ἔφορον, quæ vox corruptè potuit immigrasse in
B νεφρὸν, hoc est *renem.* Et sanè ea lectio magis arridet; nam *inspector* & *præses* ignis terreni est *Mithra* seu Sol, qui eum conservat & fovet, uti putarunt veteres maximè *Persæ.* Quos inde nil mirum ejusdem ignis cultum retulisse ad suum præsidem & conservatorem, Solem videlicet seu *Mithram*, ut observabam capite secundo.

Polluisse hæc profana mysteria sacerdotum sanguine per tormenta & cruciatus non satis fuit, nisi & victimarum humanarum crudeli & immani sacrificio contaminarentur. Homines enim mactatos *Mithræ* innuit Porphyrius *de Abstinentia Lib. II. Cap. LVI.* ubi ex *Pallante*; qui collegit *Mithræ* mysteria, narrat, *Hadrianum* Imp.
C propè omnes *humanæ hostiæ mactationes sustulisse.* Nonnullis placuit cruentum morem instaurasse *Commodum*, qui teste Lampridio in ejus Vitâ Cap. IX. *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit.* At cùm historicus subdat, *cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat*, quo videtur respexisse, ad metum & fictum pavorem, qui militi *Mithræ* initiando, interposito gladio, injiciebatur ex *Tertulliano*, ideo magis est ut credamus, *Commodum* vano timore in verum traducto, ipsum initiandum gladio transverberasse. Non obscura tamen alia patrati humanæ hostiæ sacrificii testimonia extant. Refert Socrates *Historiæ Eccl. Lib.* 214
III. Cap. II. versionis Valesianæ, locum fuisse
D *Alexandriæ* jam inde à priscis temporibus vacuum & neglectum, in quo Gentiles *Mithræ* mysteria peragentes immolare homines consueverant. Eum dum repurgare vellent *Christiani*, adytus repertus est seu specus immensæ altitudinis (hunc *Mithrium* vocasse *Alexandrinos* memorat Sozomenus *Lib. V. Cap. XVI.*) in quo mysteria Gentilium erant recondita, scilicet complures hominum calvariæ, juvenum pariter ac seniorum, qui olim mactati dicebantur. Ea circumlata sunt per Urbem, ob idque à Paganis ingens orta seditio, quam narrare pergit historicus; qui denuò *Lib. V. Cap. XVI.* cruenta *Mithræ* sacra publice spe-
E ctanda fuisse proposita repetit. Ex priori loco *Socratis* disces, homines in *Mithræ* sacris mactatos fuisse, *ut divinatione, quæ per extorum inspectionem fit, uterentur Gentiles, & magica sacrificia ad animas incantandos peragerent.* Sanè raro exemplo tam immania sacrificia Soli, miti Deo & benigno, imputata sunt, & divinatio, cui ipse præerat, ita per scelus tam grande quæsita.

Dum antra seu spelæa dicata vidimus *Mithræ*, disquirendum est, an Lucos quoque sacros habuerit; cum nobilis inscriptio lapidis *Divionensis* id primore adspectu suadeat. Eam ex archetypo
F descripsit *Andreas Taurellus*, & *Fortunio Liceto* communicavit, ab eo explicationem quærens. Celebris tunc Philologus prolixè votis annuit *Epist. XXV.* inter ejus responsa ad quæsita per Epistolam *pag. 185. Tom. I.* Epitaphium *Græco* idiomate & literis exaratum est. Nos interpretationem Latinam *Taurelli* hic producimus. IN MITHRAE LVCO *tumulus hic corpus tegit Chyndonactis sacerdotum Principis. Impie abstine: Dii libe-*

liberatores cineribus favent. Non parum negotii
facessivit *Liceto* explicatio hujus lapidis. Post-
quam enim rejecit *Taurelli* sententiam, qui, quòd in
marmore scribatur Μίθρης inflexione femineâ, pu-
taverat *Mithrem* Solem seu *Apollinem* esse non vi-
rum, sed femineæ naturæ participem, tres sub-
215 indè procudit interpretationes. Primæ non im-
moror, quòd ipsi quoque haud probetur. *Mi-
threm*, igitur, in cujus luco *Chyndonactes* prin-
ceps sacerdotum tumulatus fuit, *Venerem* omni-
no autumat, fretus in primis testimonio *Hero-
doti* nobis alibi excusso. Cum autem sepulcralia
attineant ad *Venerem*, quæ *Libitina* antiquis vo-
cabatur, idcirco, ait *Chyndonactem* in luco eidem
dicato fuisse conditum. At præterquam suble-
stæ fidei testimonium *Herodoti* est, ut jam osten-
dimus, constat *Gallos* Deum marem, non femi-
nam putasse *Mithram*. Extat Inscriptio *Lugdunensis*
apud Gruterum *pag.* 33. 11. & *Nemausensis* apud
Sponium *Recherch. d'Antiq. Diss. III. pag.* 71.
quæ dicatæ sunt, *Deo invicto Mithræ.* Qui non
alius quam Sol, uti satis superque demonstratum
est. Nec vox *Mithres* femineâ inflexione quid-
quam movet; cum ea ad mares fuerit *Græcis* tra-
ducta, cujusmodi non unum exemplum dedi, &
mox alia proferam. Et *Latini* eandem femineam
terminationem, *Mithræ*, usurpare non sunt veri-
ti. At lapidi *Divionensi* nequaquam Deum *Mi-
thram* inscriptum, nec ei dicatum lucum sepul-
cralem *Chyndonactis* arbitror. Nam interdictum
fuit religione veterum in loca Deo cuipiam con-
secrata cadavera inferri, quod res sacræ non tam
contactu, sed vel solo eorum aspectu contamina-
ri putarentur. Quamobrem Flamini Diali non
licebat locum, in quo bustum erat, ingredi, vel
mortuum attingere, teste Agellio *Lib. X. Cap.
XV. Tiberius* cum laudaret pro rostris filium, *ste-
tit in conspectu*, ait Seneca de Consolat. ad Martiam
Cap. XV. *posito corpore, interjecto tantummodo ve-
lamento, quod Pontificis* (ipsius Tiberii) *oculos à
funere arceret.* Videsis Kirchmannum *de Funeribus
Rom. Lib. II. Cap. XXI.* Quâ de caussâ intra Ur-
bem condi cadavera vetitum fuit lege duodecim
Tabularum, *ne funestarentur*, inquit Paullus Lib.
I. Sentiar. Tit. XXI. *sacra Civitatis.* Qui mos vi-
guit in aliis quoque urbibus, *ne sanctum Munici-
piorum jus pollueretur*, ait Diocletianus Imp. in
216 l. mortuorum C. de relig. *sed incolarum domicilio
sanctitas relinqueretur*, subdit Theodosius *in l.* 6.
de sepulcro viol. Cod. Theod. Quare lucus *Divio-
nensis Mithræ*, sive Deo sive Deæ, sacer esse non
potuit, ubi cadaver *Chyndonactis* fuerat colloca-
tum.

Tertia *Liceti* interpretatio monstrat iter, non
ducit ad metam. *Mithræ* lucum esse ait nemus
peculiare destinatum sepulcris sacerdotum *Drui-
darum*; cum alii defuncti tumularentur in alio lo-
co. Quippe *Mithra* cognomen erat proprium Sa-
cerdotum primariorum, sive principis sacerdotum
ex Appulejo Lib. XI. Metam. *ipsumque Mithram
illum suum sacerdotem præcipuum divino quodam
stellarum consortio, ut ajebat, mihi conjunctum,
sacrorum ministrum decernit.* Addas etiam eundem
prope finem: *complexus Mithram sacerdotem, & meum
jam parentem* &c. Et rursus, si placeat, *Arche-
laum* in disputatione cum *Manete* non semel mihi
laudatâ, pag. 97. *Parcus vero quidam Propheta,
& Labdacus Mithræ filius arguebat eum* (Tere-
binthum) *mendacii*; tanquam *Mithra* hic quoque
sit cognomentum primarii Sacerdotis. Attamen
magnopere dubito, num *Mithra* apud *Appulejum*
sit cognomen primariorum sacerdotum; imo po-
tius nomen proprium sacerdotis illius præcipui,
qui eidem *Appulejo* initia *Isidis* tradiderat. Quod *Rei-
nesius* quoque indicat *Epist. LXIX. ad Rupertum
pag.* 655. Equidem video in *Ægypto*, ubi hæc gesta

A sunt, aliis etiam, non tantum primario sacerdoti,
commune fuisse ejusmodi nomen. Quippe au-
ctore Plinio Lib. XXXVI. Cap. VIII. *Mitres* rex
fuit *Ægyptiorum*, qui primus obeliscos fecit. Nec
juvat sequi Kircherum, qui *Lib. I. de Origine Obe-
lisc. Cap. IV.* legit *Mestres.* Præterea frequenter
Mithræ nomen occurrit promiscue hominibus im-
positum, ut inferius ostendam. Quod ad locum
Archelai attinet, suspecta mihi lectio est, & in-
terpretis fides. Nam *Epiphanius* in hæresi Mani-
chæorum num. 3. ait *Terebinthum disputasse
cum Æditui & sacerdotibus Mithræ, imprimisque
Parco quodam, ac Labdaco prophetis de duobus prin-
B cipiis.* En *Labdacus* propheta est seu sacerdos dei
Mithræ, non filius *Mithræ* hominis. Hæc hau- 217
serat *Epiphanius*, sicut & cetera, & eademmet
disputatione *Archelai.* Cui sane potior fides esse
debet, quam interpreti *Latino*, quem plura pec-
casse in suâ versione notavit eruditissimus Editor
Zacagnius *in Præfat. pag.* 5. & passim *in Notis.*
Fortassis cum vidisset in *Græco* vocem Μίθρου, trans-
tulit *Mithræ filius*, quod apud *Græcos* mos fuerit
filium designare nomine patris gignendi casu ela-
to. At potius cum Epiphanio *Labdacum* dei *Mi-
thræ* prophetam seu sacerdotem dicere debuerat.
C Ceterum *Mithra* & *Mithres* nomen quoque
fuit hominis nullo sacerdotio insigniti. Extat
saxum apud *Gruterum pag.* 269. 3. inscriptum *C.
Rutilio* MITRHAE Centurioni cohortis II. Vi-
gilum. *Calpurnius* MITHRES visitur in 3. pag.
1140. Et *C. Firmius* METRAS monumentum
ponit *Fyrme* METRAE filio pag. 685. 1. *C. Cur-
tius Mithres* Libertus Postumi memoratur Tullio
Epist. Fam. LXIX. in princ. Lib. XIII. Apud Dio-
genem Laërtium *Mithres* est procurator Lysima-
chi, *Lib. II. pag.* 58. edit. Græcolat. Londin.
MDCLXIV. & *sub initium Lib. X.* eodemque
libro *pag.* 273. Epicurus inscribit librum senten-
tiarum ad *Mithrem*; idemque nomen invenies a-
D pud Plutarchum *contra Colotem prope fin.* Itaque
meâ quidem sententiâ, locus in quo tumulatum
fuit cadaver *Chyndonactis*, non lucus *Mithræ* deo
sacer erat, nec nemus peculiare, quod appella-
tionem â cognomine sacerdotii primarii traxerit;
sed vel lucus, vel ager hominis cujusdam, qui *Mi-
thres* vocabatur. Nam vox ὀργάς, quæ legitur in
epitaphio, apud Lexicographos non tam locum
Deo sacrum, sed etiam eum quem colere nefas
est, ut luci & campi inculti, imo & agrum &
vineam designat. Quamobrem Μίθρης ἐν ὀργάδι
commode reddi potest, *in agro Mithres*, homi-
nis scilicet, qui ejus olim dominus fuerat, & for-
E tasse sacerdotibus *Druidarum* ad sepulturam dona-
verat, unde nomen mansit. Et ager ille, seu et-
iam velis lucus, illatione cadaverum religiosus ef-
fectus & incultus, ὀργὰς dici potuit etiam magis 218
propriâ vocabuli significatione. Ergo inscriptio
Divionensis ita intelligenda est, ut *Chyndonactem*
sepultum præferat in agro, qui fuerat *Mithres*
viri cujuspiam, non deo sive deæ sacro. Quâ lo-
quendi formâ *Suetonius* ait, *Caligulæ* cadaver *in
hortos Lamianos* asportatum, & tumultuario rogo
semiambustum, levi cespite obrutum fuisse, *in
Vitâ Cap. ult.* & reliquiæ Hadriani *in hortis Do-
mitiæ* collocatæ sunt apud Capitolinum *in Anto-
F nino Pio Cap. V.* Corvusque à populo *Romano*
celebri pompâ æque ac insanâ elatus, *in campo
Rediculæ* concrematus est, auctore Plinio *Lib. X.
Cap. XLIII.*

CAPUT VI. 219

Natalis Invicti *in veteri Kalendario male à Buche-
rio & Lambecio explicatus. Is Mithræ seu So-
lis est; cui eo die Circenses dicati. Mithræ Fe-
stum aliis gentibus solemne. Quid feriæ natalitiæ
Ori.*

Ori. Annus apud Ægyptios. Cur natalis Mithræ die 25. Decembris, qui Christi Domini Nativitati sacer est, à Paganis celebratus? In id dissertatio inedita Hieronymi Aleandri producitur. Sol post hibernum solstitium antiquis renasci creditus, unde & Sol novus dictus. Quæ est vera caussa natalis Mithræ. Nativitas Dominica non fuit à Christianis in diem natalis Mithræ translata, sed semper in Ecclesiâ Romanâ acta est die 25. Decembris, unde refellitur opinio P. Harduini. Locus S. Lucæ de vigiliis Pastorum nocte Natalis Domini expositus. Quæ prima pluvia apud Hebræos, & quænam pecora deserti. Hinc duo textus Talmudici explicantur.

RELIGIO *Mithræ* adeo *Romanorum* animos invaserat, vt etiam dies ejus natalis, festo sollemni instituto, fastis publicis fuerit consignatus. In Kalendario sub ævum *Constantini* condito hæc adnotantur: VIII. KAL, IAN. N. INVICTI. CM. XXIV. Ægidius Bucherius *de Doctrinâ temp. pag.* 288. optime siglam N. *natalis* interpretatus est; at minus recte *Invicti* nomen *Constantium* detorsit, putant eo die natalem ejusdem Imperatoris fuisse celebratum. Eodem lapsus est Lambecius *in Notis ad* ipsum *Kalendarium pag.* 300. *Tom. IV. Bibliothecæ Cæsareæ.* Viri Eruditi has notas ita explicant: *Octavo Calendas Januarias Natalis Invicti, Circenses, Missus XXIV. Invictus* est *Mithra* tot jam argumentis assertus. Circenses ludos eo tempore in ejus honorem actos fuisse, docet Julianus Imp. Orat. IV. pag. 292. *Itaque statim exacto ultimo mense, qui Saturno dica-*
220 *tus est, ante initium anni magnificentissimos ludos in honorem Solis committimus, quos* INVICTO *Soli nuncupamus.* Quomodo exacte in hanc diem VIII. Kal. Jan. incidant hi ludi, egregie explicat *Petavius* ad hunc locum *Juliani.* Dixerat hic ipse Imperator paullo superius pag. 290. se *recentiora* proferre cum *Mithræ* cultum & *agones in honorem Solis* memoraret. Fortassis respexit ad tempora *Aureliani* Imp. qui teste Eusebio *in Chron. ad Annum CLXXV.* agonem Solis primus instituit. Porro hi ludi seu agones agebantur sollemniori pompâ & celebritate, quod indicat nota apposita in Kalendario MISSVS XXIV. In Circo emittebantur ad ludos quadrigæ equorum, quarum quæ prior in septimo curriculo metam circumflexisset, palmam adipiscebatur. Hinc editi equorum tot *missus* dicebantur. Et quidem uno die viginti quatuor exhiberi, solemne & legitimum erat. Quo numero *missuum* celebriori constabant Circenses *Natali Invicti* dicati. Eadem sollemnitate natales quoque Imperatorum celebrari consueverant. *Cajus Caligula* arrepto Imperio varia spectacula edidit. Inter quæ, ait Dio Lib. LIX. pag. 644. & *equi certaverunt duabus vicibus, priore vicies, posteriore vicies quater.* Statimque reddit rationem secundi hujus numeri missuum, *natalis enim erat Caji.* Passim in eodem Kalendario ad Natales Cæsarum id genus *Circensium* adnotatur. Ceterum proscriptâ Gentilitatis superstitione, *Circenses* quibus *natalis* Solis seu *Mithræ* colebatur, in adulationem Principum *Christianorum* sunt traducti. Testis est Corippus Poëta Christianus *de Laudibus Justini Lib I.* ubi post versus inferius recitandos, quibus *novo Soli* spectacula ab antiquis sancita dixerat, hæc subdit:

Hunc veterum primi ritum non rite colentes,
Esse Deum Solem rectâ non mente putantes,
Sed factor Solis postquam sub Sole videri
Se voluit, formamque Deus de Virgine sumpsit
Humani generis, tunc munere Solis adempto
221 *Principibus delatus honor, mundusque Latinis*
Et jocunda novæ Circensia gaudia Romæ.

Apud alias quoque gentes *Mithræ* sollemnia statis
A diebus colebantur. Athenæus *Lib. X. Cap. X.* ex *Ctesia* & *Duride* narrat, eo die tantummodo, quo Persæ *Mithræ sacra* facerent, licuisse Regi usque ad ebrietatem bibere. Ludis equorum exhibitis hæc sacra fuisse acta conjicit Casaubonus *in Animadv. ad eundem Lib. V. Cap. V.* cum in alium usum verisimile non sit adhibita fuisse viginti millia equorum, quæ mitti solita refert Strabo *Lib. XI.* ad Regem *Persarum* sub illud tempus, *quo festum Mithræ celebrabatur.* Ita enim eum locum *Strabonis* ipse interpretatur, secus ac *Xilander*, qui è *Mithriacinis* vertit. Equos sanè sacros fuisse Soli apud *Persas* tradit Justinus *Lib. I. Cap. X.* & Xenophon *Cyropæd. Cap. VIII.* Unde &
B ejusmodi mos fortasse, cum ceteris Mithræ ritibus, fluxit ad *Romanos*, qui, ut diximus, equorum ludis ejus sollemnia peragebant. Nescio an dies ille apud *Persas* perinde quoque fuerit natalis *Mithræ.* At utique *Ægyptios* hunc coluisse, non videtur ambigendum. Plutarchus *de Iside* & *Osir. pag.* 372. refert, eos ultimâ die mensis Epiphi, Sole & Luna *in eadem lineâ coëuntibus*, *ferias* egisse *natalitias oculorum Ori.* Subditque, *oculos Ori Solem & Lunam* censuisse. *Ægyptii* post victoriam *Augusti*, ut id honoris in eum conferrent, initium mensis *Thoth*, à quo annum exordiebantur,
C in diem 29 Augusti fixerunt. Inde *Epiphi* apud ipsos (uti apparet in diagrammate apud Eminentiss. Norisium *de Epochis Syromaced. Dissert V. Cap. II.* desinebat in diem 25. Julii, quo *feriæ* illæ *natalitiæ* Solis celebrabantur. Secus esset, si tempora ante hanc Epocham acceptam, quibus annos vagos usurpabant, spectaremus. Nam vel ob intercalationem quinque dierum in anno solari, quod menses omnes triginta dierum facerent, seu quia *Thoth* annum quidem ducebat, sed in novilunio ab ortu Caniculæ, quilibet mensis sedem mutabat, & proinde dies certus huic sollemnitati constitui non posset. Fortasse *Plutarchus*, qui 222
post novam Epocham scribebat, de annis fixis in-
D tellexit. At nodus alius emergit. Si feriæ natalitiæ Solis in novilunio agebantur, nimirum Sole & Lunâ in eadem lineâ coëuntibus, non video, quî fieri possit, ut *Plutarchus* de annis fixis intelligat, & statâ die ultimâ mensis Epiphi ejusmodi feriæ inciderent; cum certum sit in anno solari, quo utebantur *Ægyptii*, Sizygias Lunæ singulis annis antevertisse. Nisi dicamus, indictas fuisse ferias in neomeniâ, quæ proxima esset diei ultimo mensis Epiphi. Vel cum feriæ in plures dies protraherentur satis habuisse Sacerdotes, si postremus Epiphi unum aliquem eorum perstrinxisset. Hæc scripseram, cum animadverti, Josephum
E Scaligerum *Lib. IV. de Emend. temp. pag.* 237. editionis MDCXXIX. lapsum hunc gravissimum *Plutarchi* jam adnotasse, quod nimirum menses fixos *Ægyptiis* ab ultimâ antiquitate attribuat, & deinde hoc loco, & alio, quem refert, lunares faciat.

Porro NATALIS INVICTI *Mithræ* seu *Solis* uberiorem nobis differendi segetem suppeditat. Quærendum enim est, cur die VIII. Kal. Januar. seu XXV. Decembris, in quem Natalis pariter *Christi* Domini incidit, à Paganis fuerit constitutus. Inter scripta *Hieronymi Aleandri*, quæ non
F semel laudavi, extat brevis dissertatio in hunc diem Kalendarii veteris, ubi explicato nomine *Invicti*, hæc quoque quæstio eleganter agitatur. Integram enim commentationem in illud Kalendarium scripserat, testantibus viris doctis, qui eo, dum viveret, familiariter utebantur. Gassendus *in Vitâ Peireskii* sæpius commemorat, *Aleandrum* in eâ adornandâ laborare. Pignorius *in Dissert. de magna Deûm Matre* propediem prodituram spondet. At *Leo Allatius* tanquam de opere jam perfecto loquitur, illud-

 que

que inter alia ejus monumenta poſt obitum reli-
cta enumerat, in libello cui titulus, *Apes Urbanæ*
pag. 124. Neque alteri id perſpectius eſſe potuit
quam *Allatio*, qui nobiliſſimæ Bibliothecæ *Bar-
berinæ*, in qua *Aleandri* fœtus inediti fuerant
223 reconditi, curam agebat. In hac quidem plura
ejus ſcripta autographa adhuc ſervantur; quæ
cum Eminentiſſimus Card. *Franciſcus*, cui inter
ampliſſimas virtutes literarum patrocinium in cen-
ſu Majorum eſt, non tam luſtrare, ſed etiam ex-
ſcribere permiſiſſet, nusquam Commentarium
illud reperire licuit. Tantum in unum volumen
conjecta viſuntur plurima veterum ſcriptorum lo-
ca & teſtimonia, veluti in adverſariis deſcripta,
ex quibus opus ſuum concinnaſſe virum eruditum
facile intelligas. Quare illud periiſſe, vel alicu-
bi inter tineas jacere dolemus. Ne vero cetera
ſcripta idem fatum maneat, ea undique collecta
editioni parat *Juſtus Fontaninus*, Scriptoribus
Forojulienſibus, de quibus eruditum opus & multi
laboris in Patriæ communis ornamentum jam mo-
litur, auctoritatem facturus, *Aleandro* veluti in
exemplum famæ præmiſſo. In eo igitur volumi-
ne adverſariorum memorata elucubratio in hunc
diem Kalendarii integra & abſoluta ſupereſt.

A Quam, veluti ex pretioſæ ſupellectilis naufragio
ſervatam purpuræ laciniam, ſi hic attexuero,
jure aliquo meo id videbor feciſſe; ut quoniam
eadem mihi cum *Aleandro* provincia *Forojulien-
ſis* patria eſt, ſit etiam quædam inter ingenii fœ-
tus communio.

„ *VIII. Kal. Jan. N. Invicti.* Jovis Invicti
„ Templum *Romæ* fuiſſe conſtat. *Herculem*
„ quoque hoc cognomento ſæpiſſime inſignitum
„ reperi, ſed & *Martem* reliquosque Deos. Ve-
„ rum natalem hunc diem non alium eſſe quam
„ *Mithræ* Perſarum Dei autumo, quo die *Romæ*
„ dedicatum ei fuerit templum, ſeu potius ſpe-
B „ læum, etenim antra loco templorum huic Deo
„ ſtatuebantur. Jam dudum enim ejus ſacra re-
„ cepta *Romæ* fuerant; cum de *Commodo* Impe-
„ ratore referat Lampridius, ſacra *Mithriaca* ho-
„ micidio vero polluiſſe. Sed & ante *Commodum*
„ privata ſaltem veneratione *Romæ* cultum fuiſſe,
„ indicant plura vetera monumenta, quibus ſi-
„ gna araſque & ſpelæa fuiſſe illi dicata demon-
„ ſtratur. Porro ſimplici appellatione INVIC- 224
„ TI *Mithram* intelligi, alibi docuimus, *Commo-
„ diani* carmina quædam explicantes. Id etiam
„ elicitur ex antiquæ inſcriptionis fragmento.

M. D. M. IDEÆ ET ATTIDI MINOTAVRANO
NOBILIS. IN. CAVSSIS. FORMA. CELSVSQVE . . :
HIC. PATER. INVICTI. MISTICA. VICTOR HABET
SERMO. DVOS. . . . . RESERVAT
ET . . VENERANDA. MOVET. CYBELES. TI . . . :
AVGENTVR. MERITIS. SYMBOLA. TAVROBOLI.
RVF. CEIONI. CAES. SABINI. F. V. C.
PR. PATER. SACRORVM. INVICTI
MITRAE. TAVROBOLINVS.

„ nam qui *Invictus* ſimpliciter fuerat appellatus,
„ *Invictus Mithra* poſtmodum dicitur. Auge-
„ ſcenti *Chriſtianæ* Religioni multis machinamen-
„ tis ire obviam conatus eſt diabolus, ac cum
„ omnes fere peregrinas ſuperſtitiones *Romam* in-
„ vexiſſet, *Mithræ* cultu profano incrementum
„ *Chriſtiani* cultus remorari tentavit, Deum hunc
„ *Perſarum* fictitium vafro quodam fuco *Chriſto*
„ vero Deo opponens. Itaque quod de *Chriſto*
„ dictum eſſet, vicit Leo de tribu *Juda*, non
„ tantum Invicti nomen *Mithræ* fuit inditum, ſed
„ Leonina quoque facie efformari ſolitum tradit
„ *Luctatius* Statii interpres *ad primum Thebaidos*.
„ *Mithram* quoque eundem cum Sole fuiſſe cre-
„ ditum, teſtantur *Strabo*, *Heſychius*, *Suidas*,
„ aliique: nimirum quia *Chriſtus* Sol Juſtitiæ ap-
„ pellaretur, ſeque ipſe lucem mundi dixerit.
„ Ignem ſe in terras attuliſſe *Chriſtus* docebat,
„ ideoque ſacra *Mithriaca* ad ignis transferebant
„ poteſtatem, ut conſtat ex *Julio Firmico*. Quid
„ quod ejus myſtæ dicebantur milites; annon quia
„ *Chriſti* martyres hoc nomine inſigniri conſue-
„ verant? nam martyrii quodammodo mimum
„ agere (ut loquitur *Tertullianus*) videbantur,
„ dum coronâ, quâ in martyriis donabantur, è ca-
„ pite in humerum rejectâ, ſuam coronam *Mi-
225 „ thram* eſſe teſtabantur, ut idem auctor eſt *Lib.
„ de Corona mil.* Lavationes etiam in iisdem my-
„ ſteriis adhibebantur; nimirum eodem *Tertul-
„ liano* conquerente *in Lib. de Baptiſm.* ut Ba-
„ ptiſmi adumbraretur Sacramentum. Euchari-
„ ſtiæ quoque imaginem ingerere voluerunt, dum
„ panem & poculum in iisdem *Mithræ* initiis po-
„ nerent, ut conſideravit Juſtinus Martyr *Apolog.
„ II. pro Chriſtianis*. Ex petra vero prodiiſſe *Mi-
„ thram* prædicabant, ut imitarentur, quod de
„ *Chriſto* dictum fuit, petram eſſe ex monte ex-
„ ciſam, ſive lapidem in fundamentis locatum;
„ quemadmodum & idem Juſtinus *in Dialogo cum
„ Tryphone Judæo*, & Julius Firmicus *de Error.

C „ prophan. relig.* aſſerunt. Addit etiam eodem in
„ libro *Juſtinus*, ideo in ſpelæo *Mithriaca* initia
„ peragi ſolita, ut ad *Bethleemiticum* antrum al-
„ luderetur, ubi conſtat natum *Chriſtum* fuiſſe.
„ Ut vero fabulam hanc omnibus abſolutam par-
„ tibus egregie pravus dæmon clauderet, palam
„ eſt ex Kalendario noſtro Natalem *Mithræ* hac
„ die VIII. Kal. inſtitutum, qua die *Chriſti* Na-
„ talem veri Dei, vere Invicti quotannis ſolemni-
„ ter celebramus.

Ita *Aleander* docte & ingenioſe ſententiam
ſuam de *Mithræ* natali à Paganis in diem Nativita-
D tis CHRISTI conſtituto proſequitur. Profecto tot
exempla, Sanctorum Patrum ſuffragio munita,
in hoc quoque redemptionis noſtræ Sacramentum
nefariâ imitatione diabolum invaſiſſe ſuadere poſ-
ſunt. Qui quia noverat, ut de futurâ per ſangui-
nem redemptione ajebat *S. Auguſtinus* loco ſupe-
rius recitato, *Chriſtum* ſolem, Ignem, Leonem-
que appellatum iri, *Mithram* eadem ſymbola in-
duere, etiam ante ipſius adventum, juſſit, & ſub-
inde potuit quoque diem ejus natalem occupaſſe.
At nihilominus aliò pergere fas mihi ſit, & alie-
nis conjecturis dimiſſis, ex re ipſâ promere cauſ-
ſam, cur Gentiles Solis ſeu *Mithræ* natalem die
E xxv. Decembris ſollemnem agerent. Quod nunc
expono. Sol integro Zodiaci circulo per anni
tempeſtates emenſo, cum ad extrema hiberni tro- 226
pici delapſus eſt, tunc quaſi ab imo & profundo
loco emergens, ad ſuperiora revertitur, novum-
que curſum inchoando quodammodo renaſci vi-
detur. *Julianus* Imp. de hac ipſâ die ſollemnita-
tis *Mithræ* diſſerens, non aliam rationem indica-
vit. *Tunc enim*, inquit Orat. IV. prope finem, *rex
Sol extremo meridiano limite derelicto, rurſus ad nos
revertitur, & ad Capricornum, tanquam ad metas,
F curſum reflectens ab Auſtro ad Septentriones progre-
ditur, ut annua commoda nobis impertiat.* Nam So-
lem anni curriculum permeantem veluti per æta-
tum vices tranſire fingebant antiqui, & ita cum
ad

ad ejus finem perveniſſet, tanquam completo vitæ ſpatio, ad ſenectutem delapſum eſſe dicebant. Ita eum ad Deorum conſiſtorium accedentem deſcribit Capella Lib. I. de Nupt. Philolog. pag. 20. *Facie autem mox ut ingreſſus eſt, pueri renidentis, in inceſſu medio juvenis anheli, in fine ſenis apparebat* OCCIDVI. Itaque occiduus Sol in extremâ ſenectute, dum novum curſum inſtaurat, quaſi in novam vitam prodeat, nil mirum quod denuo *naſci* crederetur, dieſque is ejus *natalis* appellaretur. Nam vere tunc *parvus & infans videtur, qualem Ægyptii proferunt ex adyto*, ait Macrobius Lib. I. Sat. Cap. XVIII. qui luculentius ita rem noſtram attingit Cap. XXI. *Cum*, inquit, *ad minimum diei Sol pervenit ſpatium, quod veteres appellavere brumale ſolſtitium, brumam à brevitate dierum cognominantes. Ex quibus latebris vel anguſtiis rurſus emergens, ad æſtivum hemiſphærium tanquam* ENASCENS *in augmenta porrigitur.* Cum igitur bruma ſeu Solſtitium contingeret ipſo die VIII. Kal. Januarias, ſeu XXV. Decembris, ex ordinatione *Julii Cæſaris*, licet octo ante diebus præcederet (nam antiqui cardines temporum in octavis ſignorum partibus fieri arbitrabantur, uti obſervat *Petavius* loco ſuperius notato, & *de Doctr. temp. Lib. IV. Cap. XXVII.*) ideo die illo Solem veluti natum putantes, NATALEM ejus colebant, ludiſque inſtitutis ſollemniter celebrabant. Hinc hac ipſâ de cauſſâ SOLEM NOVVM eum diem Solſtitialem, ſeu XXV. Dec. eſſe dicebant, veluti tunc Sol innovatus & recens natus eſſet. Au-
227 ctores laudo, Cenſorinum de *Die Natali C. XXI. in fin.* ubi annum incipere ait *à NOVO SOLE, id eſt à brumâ, aliis ab æſtivo Solſtitio &c.* & Servium, qui Lib. VII. Æneid. ad verſ. 720. *Vel cum Sole novo*, hæc ſcribit: *licet Poëta intelligat de primâ æſtatis parte, proprie tamen* SOL NOVVS *eſt octavo Kal. Januarias.* At Corippus, quem ſupra retuli, non tam *Solem novum* digito oſtendit, ſed etiam ipſos Circenſes in noſtro Kalendario in hunc diem conſignatos. Ita enim canit:

SOLIS *honore* NOVI *grati ſpectacula Circi*
Antiqui ſanxere patres, qui quattuor eſſe
Solis equi &c.

S. Ambroſius *initio Sermonis X. de Nativitate Domini*, vel quiſquis ejus auctor ſit, nam Monachi *Benedictini* falſo ei adſcribi cenſent, ideoque ad calcem ſecundi Tomi rejecerunt, ubi eſt ſextus: *Bene quodammodo*, inquit, *ſanctum hunc diem natalis Domini* SOLEM NOVVM *vulgus appellat, & tantâ ſui auctoritate confirmat, ut Judæi etiam atque Gentiles in hanc vocem conſentiant. Quod libenter amplectendum nobis eſt, quia Oriente Salvatore non ſolum humani generis ſalus, ſed etiam* SOLIS *ipſius claritas* INNOVATVR. Gentiles ſcilicet in hanc vocem conſentiebant, non ut myſterium Nativitatis CHRISTI imitarentur, ſed quia tunc *Sol innovari* & quodammodo renaſci videretur; ideoque ſuperinductâ ſuperſtitione, natalem ejus ſollemni Circenſium pompâ celebrabant. Hinc etiam *Leo Magnus* apud *Chriſtianos* ſui ævi ex Gentilium more traductam appellationem perſtringit, nomen *natalis Solis* expreſſe deſignans, Sermone II. de Nativit. Dom. Cap. V. *Illudens ſimplicioribus animis de quorundam perſuaſione peſtiferâ, quibus hæc dies ſollemnitatis noſtræ, non tam de Nativitate Chriſti, quam de* NOVI, *ut dicunt,* SOLIS ORTV *honorabilis videatur.* Et ſubinde originem inſani cultus monſtrat; *trahuntur enim adhuc ſtultiſſimis gentilitatis erroribus.* Eodem
228 reſpexit auctor *Homiliæ in S. Lucam* de Nativit. *Joannis Bapt.* quam licet docti abjudicent *Joanni Chryſoſtomo*, attamen antiquiſſimam eſſe patet, & fatetur Cave de *Scriptor. Eccleſiaſt. pag.* 186. Ejus hæc ſunt verba *Tom. II. Oper. Chryſoſt.* edit. Ven. Latinæ MDLXXXIII. pag. 432. nam in Græcis non extat: *Sed &* INVICTI NATALEM *appellant. Quis utique tam invictus, niſi Dominus noſter? qui mortem ſubactam devicit. Vel quod dicant* SOLIS *eſſe* NATALEM: *ipſe eſt Sol juſtitiæ, de quo Malachias Propheta dixit* (Cap. IV.) *orietur vobis timentibus nomen ipſius Sol juſtitiæ, & ſanitas eſt in pennis ejus.* Quo illuſtri teſtimonio non tam iterum diſcimus, *natalem Solis* hac die creditum Paganis; ſed etiam *Invictum* eadem die notatum in Kalendario non alium eſſe quam *Solem.* Quod igitur VIII. Kal. Januar. ſeu XXV. Decembris *Sol novus* eſſet, & quodammodo *naſci* antiquis diceretur, idcirco NATALIS INVICTI, qui Sol ipſe eſt & *Mithra*, eo die ſollemni nuncupatione colebatur. Nec alia cauſſa quærenda eſt.

Attamen P. Harduinus *in Antirrhetico de Nummis antiq. pag.* 65. in aliam ſententiam abiit, quam ut adſtrueret, ipſum diem Natalis *Chriſti* Domini, perpetuâ Eccleſiæ traditione ſancitum, de loco ſuo dejicere adgreſſus eſt. Cum enim, inquit, à primus temporibus *Chriſtianos* lateret dies, quo natus eſt *Chriſtus*, ſapienter fuit inſtitutum die XXV. Decembris, eo nimirum conſilio, ut quoniam dies ille ab ethnicis natali Solis dedicabatur, religione mutatâ JESV CHRISTI noſtri natali tribueretur. Præmonuerat natalem *Chriſti* verius Septembri menſe incidiſſe, cum in eum non in Decembrem conveniant Paſtorum vigiliæ ſuper gregem ſuum, quas *Lucas* commemorat. Et quidem ante ævum *D. Chryſoſtomi* in obſcuro fuiſſe natalem Domini, & tunc ſolum morem celebrandi diem 25. Dec. tranſiiſſe ad Orientales, ipſo teſte Chryſoſtomo *Homilia XXXI. Tom. IV. de Natali Chriſti.* Profert ſubinde verba noſtri Kalendarii, quæ recte ait intelligenda eſſe de natali Invicti *Mithræ* Solis & demum concludit: in 229
eum ergo diem natalis *Chriſti* Romæ primum translatus eſt: ut dum Gentiles profano ritui vacarent, ſacris ſuis *Chriſtiani* libere operam darent. Profecto *P. Harduinus* in oppoſitum prorſus ab *Aleandro* disceſſit. Hic *Mithram* in diem natalem *Chriſti* invaſiſſe arbitratus eſt: ille *Chriſtum* cum *Mithrâ* ſollemnitatis conſortium iniiſſe autumat. Utrique ſatis eſſent, quæ in explicandâ verâ cauſſâ natalis *Mithræ* congeſſimus. At quoniam *Harduinus* per inania & falſa ad *Mithram* pergit, iis refellendis operam aliquam proferre cogor.

Sane non una fuit antiquitus de vero Dominici Natalis die in Eccleſia Orientali ſententia. In *Ægypto* celebriori ſuffragio ſextus dies Januarii, quo Epiphania celebrabatur, ſollemniis quoque Nativitatis dicatus fuit, ut inter alios teſtatur Epiphanius *Hæreſi LI. num.* 24. Quidam apud Clementem Alexandrinum *Lib. I. Strom.* eligebant 24. vel 25. Pharmuthi, hoc eſt 19. ſeu 20. Aprilis; ipſeque *Clemens* omnino favebat Novembri. At plerique ex nuperis Sectariis, cum quibus ire *Harduinum* doleo, Septembrem præferunt, ut Calviſius *Cap. XLVIII. Iſagoges*, Scaliger *in Notis poſt opus de Emendat. temp. pag. ult.* quamvis poſtea ineuntem Octobrem adoptaverit *in Canone Iſagog. pag.* 301. & alii. Singulas opiniones ad criterium non revocabo, quod jam viri docti præſtiterunt. Id tamen conabor evincere, perpetuo more & ab Apoſtolis tradito in Eccleſiâ *Romanâ* natalem *Chriſti* Decembri fuiſſe celebratum, & nonnulla in *Harduinum* pro Septembri pugnantem reponam; ut conſtet, falſum eſſe, apud eandem *Romanam* Eccleſiam diem Domini natalem *obſcurum* & *incertum* fuiſſe, & ideo ad XXV. Decembris conjectum, quod ethnici eodem die natalem *Mithræ* colerent.

Et primum eruditus auctor, pro ſuâ, quâ pollet in antiquitate perquirendâ, ut tot edita ab eo

scripta testantur, peritiâ, hoc nos docere debuerat, fuisse aliquando *Romæ* extra Decembrem ce-
230 lebrata Nativitatis Domini sollemnia, diemque & mensem prodere; tunc enim grandi aliquâ caussâ mutatam religionem fateremur, & fortasse hac eadem, quam ipse commentus est. Sed nusquam, aut ego fallor, veterum aliquis est, qui id mandaverit scriptis: & si quando *Latini* Patres Nativitatis CHRISTI meminerunt, semper eam in Decembrem conferunt. *S. Augustinus* in Psalm. CXXXII. & de Trinit. Lib. IV. Cap. V. *à majoribus traditum* testatur, *Christum* fuisse natum VIII. Kal. Januar. Quam phrasim cum usurpat S. Pater tempora Apostolica respicit, ut videre est *in Epist. CXVIII. ad Januarium.* Evodius in cathedrâ Antiochenâ *S. Petri* successor, peperisse Virginem ait vigesimâ quintâ die mensis Decembris, teste *Nicephoro*, qui ejus sermonem inscriptum *Lumen* recitat *Lib. II. Hist. Cap. III.* Præterea antiquissimum Auctorem, quisquis ille fuerit, *Constitutionum Apostolic. Lib. V. Cap. XIII.* Ambrosium *Serm. VIII. X. & XII.* Prudentium *Hymno XI. Cathemer.* pluresque alios, ut uni *Chrysostomo*, quo utitur seu abutitur *Harduinus*, caussam pene dixerim religionis assertam referam. Ante ævum *Chrysostomi* sane in obscuro erat apud Orientales verus dies natalis *Christi*. In prolato enim *Sermone XXXI.* qui in editione Parisiensi *Frontonis Ducæi* ann. MDCXXXVI. qua utor, est *Tomo V. pag.* 417. satis indicat S. Doctor nondum decimum annum fluxisse, ex quo ipse dies iis regionibus innotuerat. At si de Occidentali ipsaque *Romanâ* Ecclesiâ, de quâ quæstio vertitur, loquamur, non alium locupletiorem, quam ipsum *Chrysostomum* testem quærimus. Quippe in eodem sermone dum morem à *Romanâ* Ecclesiâ in suam *Antiochenam* traductum tuetur, hunc diem natalis Dominici *cognitum* fuisse, ait, *ab* EXORDIO *iis qui in Occidente habitant*, & paullo post: *jam inde à* PRIMORDIO *ab ipsâ Thraciâ Gades usque incolentibus* MANIFESTUS *& celebris fuit.* Videat Harduinus, qui *à primis temporibus* in Romanâ Ecclesiâ *latuisse* verum diem natalis Christi dixerat. Pergit *Chrysostomus* demonstrare, ex monumentis de censu hunc diem fuisse deprehen-
231 sum, & vetustam traditionem hucusque ab ineunte Ecclesiâ promanasse: *Ex his*, inquit, *liquet, primæ descriptionis tempore natum esse. Et cui veteres historiarum codices, qui Romæ publice adservantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus hujus descriptionis accurate discere poterit. Ceterum quid hoc ad nos, dicat aliquis, qui illic neque sumus, neque fuimus unquam? Ausculta neque diffidas, si ab illis, qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam Urbem inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipsi, qui illic commorantur, multo ante ex* ANTIQVA TRADITIONE *ipsum celebrantes, ad nos usque illius notitiam nunc transmiserunt.* De censu seu descriptione, cujus hic meminit *Chrysostomus*, frigida est observatio *Calvisii*, loco, quem præmisimus, & *Basnagii* in libro, de quo infra. Nimirum non convenire hiemale tempus ad eum censum agendum, ne patres familias cum uxoribus & liberis ad locum destinatum longinquis itineribus proficisci cogerentur. Scilicet publicæ utilitati & *Cæsaris* præscripto præferenda erant privata *Judæorum* commoda. At quam grandis hæc erat viæ molestia, cœlo iis regionibus etiam hiemis tempore placidissimo? vel quælonga peregrinatio, dum *singuli profiterentur in suam Civitatem*, ut textus Evangelii loquitur, ad quam certum est brevi itinere opus fuisse, urbibus in *Judæâ* non admodum inter se dissitis? Porro Codices census seu descriptionis, ex quibus ait *Chrysostomus* exscriptum fuisse verum diem natalem Dominicum, *Romæ* extitisse, testatur *Justi-*

A *nus* antiquissimus scriptor sub *Antonino Pio*, qui rem certo scire poterat, nec si falsa fuisset, ausus esset proferre *in Apologiâ*, quam eidem Imperatori obtulit. In secundâ enim, *pag.* 75. loquens de Christo in Bethlehem nato, *quemadmodum*, inquit, *& ex descriptionibus census acti, quæ sub Quirino primo vestro in Judæa procuratore sunt confectæ, intelligere potestis.* Et Tertullianus paullo Justini ævo inferior *Lib. IV. contra Marcionem Cap. VII.* de hoc censu Augusti verba faciens, *quem*, ait, *testem fidelissimum Dominicæ Nativitatis Romana Archiva custodiunt.* Ab hisce igitur fidelissimis 232
testibus *Romana* Ecclesia verum diem Natalis *Chri-*
B *sti*, ut dixerat *Chrysostomus*, didicit.

Non moror Joannem Nicænum, qui *in Epist. ad Zachariam Catholicum Armeniorum* vulgatâ à Combefisio *Tom. II. Auctarii SS. Patrum pag.* 310. refert *Julium Romanum* Pontificem ex libris *Judæorum* cognovisse *Christi* natalem in diem XXV. Dec. incidisse, atque *ex eo tempore*, inquit, *cœpit Romana Ecclesia lætis gaudiis celebrare natalem Salvatoris diem 25. Dec. tradiditque celebrandum universis Ecclesiis.* Certe falsa est hæc narratio, eamque convulsam prosternit grande *Chrysostomi* testimonium, quo ab *exordio* Ecclesiæ viguisse *Romæ* hunc morem dicimus. Et aliunde quoque
C ejus epistolæ fides plane suspecta est viris doctis, uti animadvertit Cotelerius *in Notis ad Lib. V. Constitut. Apostol. Cap. XIII. pag.* 234. ubi fragmentum ejus recitat.

At non tantum *Antiochiæ*, quo eum sermonem habuit *Chrysostomus*, perperam nonnullis *Constantinopoli* dictum censentibus, tunc temporis celebritas natalitia ad 25. Dec. agebatur, sed in aliis quoque Orientis Ecclesiis. Cl. *Zacagnius* in opere olim laudato protulit quatuordecim Epistolas *S. Gregorii* Episcopi *Nysseni*, quarum prima pag. 354. statim ab initio hæc habet: *Cum superiores cœli partes cursu suo Sol repetens, hiberno tem-*
D *pore, diurni spatii mensuram auget, veræ lucis per carnem humano generi affulgentis apparitionem festivâ sollemnitate celebramus.* Et post aliqua: *quid est quod nocti ad longitudinis summum jam provectæ, nulla cum fieri potest accessio, tunc nobis in carne apparet, qui cuncta complectitur &c.* Quibus sane verbis nemo est, qui non videat Solstitii hiemalis tempus designari: tunc enim tantummodo *nocti ad longitudinis summum provectæ nulla fieri potest accessio*; ac perinde neque scrupulus inesse potest, de Epiphaniâ non de Nativitate, diverso die ipsoque Solstitiali celebratâ, loqui *Gregorium*. Nimirum & in aliis Ecclesiis Orientis, secus ac
E in *Ægypto*, eæ festivitates discretis diebus age- 233
bantur, ut notavit idem vir eruditus in præfat. pag. 40.

Nondum P. Harduinum desero, qui ut Christi Nativitatem de loco moveat, *multo verius*, ait, *in Septembrem conveniunt pastorum vigiliæ super gregem suum, quas Evangelista Lucas* Cap. II. vers. 8. *commemorat, quam in Decembrem, quo sane per hiemem ea campestris stabulatio sub dio non fiebat. Nam Shaabb. fol. 45. 2. & Bezah. fol 41. 1. Hæc sunt pecora eremi, ea nempe quæ prodeunt pastum circa tempus paschatis, & pascuntur in campis & domum redeunt ad pluviam primam. Nedarim fol. 63.*
F *1. Taanith fol. 6. 1. Quænam est pluvia prima? Incipit tertio mensis Marcheshuan. Qui mensis partem habuit cum Octobri nostro ac Novembri.*

Futilem hanc argumentationem, toties Sectariis recoctam, quam frigidis plane momentis defendit Samuel Basnagius *in Exercit. ad Baronium A. XXXVII.* §. 13. non alio telo conficiam, quam quod in ipsam pridem intorserunt nonnulli ex ipsismet Heterodoxis. Casaubonus Exercitat. in Baron. 2 num 14. *non esse inverisimile*, ait, *Pastores in Judæa, locis maxime meridionalibus, noctu man-*

A *mansisse sub dio, nam & in Angliâ, quæ frigidissima est regio, saltem armenta toto anno in agris pernoctant, neque propter frigus aut pluviam aut ventos tecto unquam subeunt.* additque Epiphonema: *Quare vetusta traditio Ecclesiæ, ad 25. Decembris Nativitatem recolentis, non temere nobis rejicienda.* Wilhelmus Langius de annis Christi Part. alterâ Lib. II. Cap. II. scribit hoc argumentum Scaligeri (addamus & Harduini) *ne hili quidem esse*, subditque: *sane in Daniâ meâ oves totâ hieme in agris degunt, nisi terra ita penitus nive tecta sit, ut nihil pabuli extra villas habere possint. At quid Judæa ad meam patriam gelidis trionibus subjectam? Certum igitur est ac demonstratum verum Christi*
B *Natalem incidere in 25. Decembris.* Addo Vossium de Tempore Nat. Christi Part. alterâ Cap. ultimo, & Richardum Montacutium Originum Eccles. Part. I. pag. 47: ubi ait, *perridiculum* esse, quod *Scaliger & similes ineptissime* scripserunt. Quasi Jacob non dixerit de se ipso vitam pastoritiam a-
234 pud Labanem exercente: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ob oculis meis.* Genes. Cap. 31. 40. Testaturque in suâ Angliâ sub *Jove* frigido, pluvio, nivoso, per dies noctesque greges, etiam agnos tenellos, in Decembri mense stabulari. Quem etiam videas *in Apparatu XI.*
C *ad Origin. Eccles.* pluribus propugnantem sententiam de Nativitate *Christi* ad diem XXV. Decembris.

His acquiescerem, nisi *Talmudica* illa testimonia, quæ *Harduinus* suppresso nomine descripsit ex Lightfooto *in Horis Hebraicis ad Evangelium Luc. Cap. II. vers.* 8. *Tomo II. Operum pag.* 496. rursus evocarent. Sane pecora eremi, quæ vox regionem campanam denotat, ubi non distinguitur sæpibus ager hujus ab agro alterius, uti explicat idem Auctor Anglus *in Decade Chorograph. ad Evangel. Marci Cap. II. pag.* 401. pecora, inquam, eremi utique domum redierint ad primam pluviam, hieme ingruente; at quis despondeat, ea cum domum rediissent, hoc est in locum ubi Pastores
D habitare consueverant, non sub dio mansisse? Certe in locis *Casaubono* & *Langio* appellatis, & passim hic in agro *Romano*, videmus armenta tota hieme intra septa in aperto degere. Pastores autem etiamsi sub tecto diceremus habitasse, saltem alternis vicibus, quod *vigilias* agere est, ad modum militarem, aperto cœlo vel tenui sub tentorio, ita ut possent vidisse lucem circumfulgentem, & voces Angelorum audivisse, noctem insomnem ducebant, ut armenta à latronibus, lupis, & aliis noxiis animalibus defenderent. At gratis eam vocem *domum* in textum *Talmudicum*
E intrusit *Lightfootus*, & ex eo *Harduinus*. Cum enim consuluissem *Joannem Pastricium* in Collegio Urbano de Propaganda Fide Polemicæ Lectorem, Græcæ & Orientalium linguarum eximie peritum, vir humanissimus juxta ac doctus mihi nuncupatâ epistolari Dissertatione, non tam ea loca *Talmudica* impensius excussit, sed plura ex *Hebraicis* ritibus ad argumentum composita erudite congessit. Hic pauca admodum delibabo, quæ jugulum caussæ propius im-
235 petunt. Primum itaque textum *Sciabbath*, seu de *Sabbato*, fol. 45. 2. in *Ghemarà* ita interpretatur: *ea sunt deserti animalia, quæcumque exeunt*
F *in Paschate, & intrant ad pluviam primam:* alter vero *Bezà*, nempe *Ovum*, qua dictione tractatus ille inchoatur, sic se habet: *Deserti animalia sunt, quæ pernoctant in prato.* Accedit *Ghemarà*, ubi ad explicationem hujus textus hæc scribunt Rabbini: *Deserti animalia sunt, quæcumque exeunt in Paschate, & pascuntur in prato, & intrant in Rebingà* pluviâ primâ. Nusquam hic reperies animalia intrasse in *domum*. Potuit decipi, vel decipere Lightfootus sumendo vocem *Baytoth*, nempe *domestica animalia*, quæ inchoat versum sequentem, & eam applicando ultimæ, in quam desinit proxime antecedens sententia significationem *domus* confinxisse. Nam iis textibus fit distinctio inter *animalia deserti*, & *domestica*. Ea pernoctant extra limitem, & veniunt in *Revingà* scilicet *ad primam pluviam*, quod dicitur in primo versu. Post quem statim sequitur secundus: *Baitoth*, nempe *domestica animalia quæcumque exeunt & pascuntur extra limitem, veniuntque, & pernoctant intra limitem.* Limes erat terminus Sabbaticus bis mille cubitorum, extra quem Sabbato non licebat egredi. Ergo *deserti animalia* cum redeunt, non intrant in *domum*, sed in locum, unde in Paschate exierant. Qui sane locus non erat habitabilis, sed in agro & in aperto. Nam in primo textu Talmudico *Sciabbàth* hæc subduntur: *deserti animalia non intrant in habitabilem locum neque in diebus æstus, neque in diebus pluviarum*, scilicet in hieme. Quare optimè inferimus, pecora, super quibus vigilabant Pastores in nocte Dominici Natalis, fuisse pecora deserti, & mansisse utique sub dio, etiam in Decembri & hiemis tempore, quo, ex ipsis *Talmudicis* testimoniis ab adversariis prolatis, constat non intrasse *in habitabilem locum.*

Manet ergò, non Septembri, sed ipso XXV. Decembris die, *Christum* Dominum mundo in salutem prodiisse: neque diem illum ad usque exordia Ecclesiæ *latuisse* fideles, nec in *obscuro* 236
fuisse, nec demum, saltem *Romæ*, ullo tempore ejus *mutatam religionem.* Quare ineptè translatus dicitur à *Christianis* ad XXV. Decembris, ut quoniam is apud ethnicos sacer Soli seu *Mithræ* habebatur, JESU CHRISTI quoque veri Solis sollemnitati dicaretur. Quorsum hoc, ut eodem die, quo Gentiles ritus impios agebant, Sacramenta sua, quasi religionis consortio, ex compacto profanarent *Christiani*, qui toties sancitâ lege vetuerunt, ne dies Sacrosanctus Paschatis eodem quo *Hæbræi* celebraretur, hac sanè ratione, ait *Constantinus Magnus* in Epistolâ ad Concilium Nicænum, *ut nihil nobis COMMUNE sit cum inimicissimâ Judæorum turbâ?* Nempe, prosequitur Pius Imperator, *aliam nos viam à Servatore accepimus.* Recitat eam epistolam Eusebius *Lib. III. de Vitâ Constantini Cap. XVIII.* An ergo dies ille, quem *Christiani* traditione *acceperant*, ad alium erat traducendus; & *Christus* velut de suo loco defigendus, ut inter profana falsi numinis spectacula versaretur? Quamquam scio placere nonnullis, plures ritus induxisse *Christianos* exordientis Ecclesiæ, ut gentilitatis superstitiosas ceremonias eodem die actas abolerent. Quod malignè ab Heterodoxis detortum, ansam in nos deblaterandi præbuit. At longum hæc quæstio examen posceret, à quo nostri argumenti ratio arcet. Ritus quosdam eâ de caussâ invectos non abnuerim: de festis & sanctioribus sollemniis aliud judicium. Ratio itaque utrisque suâ stetit, *Christianis* & Gentilibus, celebrandi Natalem *Christi* & *Mithræ* eodem die VIII. Kal. Januarias. Illis quòd verè hac die *Christus* ortus fuisset: his quoniam tunc *Sol novus* prodiret, & veluti *nasceretur.* Utrumque egregiè in rem nostram complexus est Sanctus Pater *Augustinus* sermone CXC. editionis Benedictin. Tom. V. qui alias est LXI. de diversis: *Habemus*, inquit, *sollemnem istum diem, non sicut infideles propter hunc* SOLEM, *sed propter eum*, CHRISTUM scilicet, *qui fecit hunc Solem.* Hæc caussa & ratio celebritatis natalitiæ inter utrosque: Pagani ut Solem materialem impie colerent; fideles ut *Christum* auctorem Solis sanctè venerarentur. Neque illi ergò ut 237
his se opponerent, quod *Aleander* putavit: nec isti ad illorum exemplum, ut *Harduinus* commentus est.

CAPUT VII. & ULTIMUM.

Mithræ cultus quam late per Romanas provincias effuſus. Lux plurima Vopiſco: & vetus lapis explicatus. Lectio Epiphanii aſſerta: vera Ariſtotelis producta, unde Eraſmi lapſus detegitur. Metragyrtæ quod hominum genus. Quandonam apud Romanos myſteria Mithræ primum cognita, & demum abolita. Exponitur locus S. Hieronymi de tempore Præfecturæ Gracchi, & excidio Mithræ, quod variis chronologicis obſervationibus contra Gothofredum ſtatuitur. S. Paulinus explicatus; & quiſnam Antonius, cui ultimum ſuum poëma nuncupavit.

PUdeat ulterius ſacra noſtra profanis Ethnicorum immiſcere. *Mithram* ergò ex inſtituto perſequamur. In Urbem *Romam*, quæ ut ait *Leo Magnus* Serm. I. in Natal. Apoſtol. *omnium gentium ſerviebat erroribus*, turba deorum ex omnibus undique toto Orbe acceptis ſuperſtitionibus invaſerat. Unde eleganter *Tertullianus* Apolog. Cap. X. apud Romanos ait, *quodvis colere jus eſt præter verum Deum*. Et Minucius in Octavio indignatur *eos initiaſſe ritus omnium religionum*. At nullius forte numinis, cultus inſanis mentibus altius inſederat quàm *Mithræ*. Monſtrant tot lapides, quos recenſuimus, pluresque alii apud Gruterum, *Mithræ* myſteriis dicati, & veterum Patrum Scriptorumque profanorum teſtimonia. Plerumque iisdem lapidibus leguntur vota vel nuncupata vel ſoluta, non ſemel etiam pro ſalute Imperatorum, ut in 9. *pag.* 1066. SOLI. INVICTO. MITHRAE *pro ſalute Commodi Antonini M. Aurelius Stertinius votum fecit*. Alium dabo inferius.
238 Unde inter Deos Servatores accenſum fuiſſe *Mithram* apparet. Bello quoque invocatum docet inſcriptio 3. pag. 34. *Vibius Pius* SOLI INVICTO *aram dedico ut ſis mihi propitius militibus Centurionibusque meis*. Legatus erat vel Tribunus alicujus legionis in *Dalmatia* degentis hic *Vibius*, atque Invictum ea religione bellicis rebus præeſſe putabat; quâ affecti Imperatores aliqui numiſmata percuſſere INVICTO, & SOLI. COMITI. ut olim memoravimus. *Julianus* Imperator, qui à vero Sole *Chriſto* impiè deſciverat, *Mithram* Solem inſaniori cultu proſequutus eſt. Eum nempe non tam in rebus agendis perfugium, ſed etiam cum vitâ migraturus eſſet, ducem propitium ſibi ſpondet. Verba recito, quibus librum ſeu Satyram de Cæſaribus concludit: *Tibi autem, Mercurius ad me ſermonem dirigens inquit, feci ut Solem*, (in Græco eſt *Mithram*, quam vocem minus aptè mutavit Interpres) *Patrem cognoſceres. Tu vero ejus præceptis obtemperato, illum tibi tutum portum & perfugium, dum in vivis agis, comparans, & quando oportebit hinc excedere, bonâ ſpe tibi Deum propitium Ducem conſtitue*.

Hinc igitur longè latèque falſa MITHRÆ religio promanavit. Non pigebit regiones nonnullas, quibus *Mithriaca* monumenta veterem cultum produnt, peragrare. Sub Urbe ipſa *Antium*

A *Mithræ* devotum fuiſſe, jam ſatis noſtra Tabula indicat; ibique etiam antrum conditum olim deduximus. *Ticuli* in regione Urbevetanâ *Soli Invicto Mithræ* dicatum *ſpelæum* docet epigramma *Gruterianum*, quod pridem deſcripſimus. *Capaccius* loco pariter jam adnotato *Neapoli* extantia monumenta profert, & *Cumis* Gruterus *pag.* 33. 6. SPELEVM RESTITVTVM D. S. I. M. hoc eſt *Deo Soli Invicto Mithræ*, fuiſſe *Mediolani*, monet lapis *pag.* 34. 9. & *M. Valerius Maximus*, quem celeberrimum Scriptorem eſſe cum *Alciato* Mediolanenſes, nullo certo indicio, exiſtimant) SACERDOS. D. S. I. M. viſitur in alio *pag.* 313.
B 4. In *Galliam* quoque *Mithra* religionem tradu- 239
xit, nam *Lugdunum* DEO. INVICTO, MITH. monumentum poſuit, *pag.* 33. 11. ac *Nemauſum* eodem titulo, apud Sponium *Recherch. d'Antiq. Diſſert. III. pag.* 71.

Jam inter barbaras gentes *Mithræ* cultus irrepſerat. Nam in *Daciâ* ſtetiſſe marmor inſcriptum INVICTO MITHRAE, refert *Gruterus pag.* 34. 3. imo & tabulam ſymbolicam noſtris ſimilem cum epigraphe, S. I. M. nempe *Soli Invicto Mithrae*, eadem *paginâ num.* 10. Reflectimus iter in *Pannoniam*, ubi apud Petovionem *Aurelius Juſtinianus Templum* DEI. SOL.
C INV. MIT. *labefactatum reſtituit*, pag. 35. 4. Indicio hujus lapidis me aſſequutum puto Templum illud, in quo mater *Aureliani* erat ſacerdos, patriamque ipſius Imperatoris, quibus inveſtigandis mirum ſe torſit *Salmaſius*. Nam ad Vopiſcum *in ejuſdem Vitâ Cap. XXXIX.* primum templum *Beleni* putavit; inde, ex quo idem hiſtoricus *Cap. V.* dixerat, huic Imperatori, cum legatus eſſet apud *Perſas*, pateram donatam à Rege, in quâ Sol inſculptus erat eo habitu, quo colebatur in eo templo, in quo mater ejus fuerat ſacerdos, optime conjectatur, ut monui *Cap.*
D *II.* hoc ipſum templum *Mithræ* dicatum fuiſſe, quia apud Perſas *Mithra* ipſe erat Sol: habitum vero eundem fuiſſe, quem *Perſæ* tribuebant *Mithræ*, Leoninâ ſcilicet facie, & tiarâ capiti impoſitâ. Unde inquirendum relinquit in *Pannoniâ* templum aliquod, ubi *Mithra* eſſet cultus, quo etiam patria *Aureliani* certo poſſit deprehendi; nam, eum *Pannonem* fuiſſe, teſtatum reliquit idem *Vopiſcus*. Cum ergo ex hoc lapide conſtet, apud *Petovionem*, quæ *Pannoniæ* Urbs eſt, ſtetiſſe templum *Mithræ*, ſane in hoc ipſo mater *Aureliani* fuit ſacerdos, nec alibi natale ſolum ipſius Imperatoris eſt quærendum.

E Ita proximâ quoque *Norici* provinciâ Templum *Mithræ* dicatum nuper didici. Dum enim hæc prælo eſſent ſubjicenda, R. P. *Antonius Morettus* Utinenſis S. I. Græcio Styriæ tranſmiſit aliquot inſcriptiones repertas prope *Clagenfurtum* Carinthiæ circa campum *Solfeld*, ubi olim ſita erat 240
Solva urbs *Norici* mediterranei, *Plinio Lib. III. Cap. XXXIV. Flavium Solvenſe* appellata. Earum alteram, quæ ad rem noſtram attinet, huc transfero.

PRO. SALVTE. AVG. IN. HONOREM. DD. SOLI. INVICTO
MYTHR. HILARVS. AVG. LIB. TAB. PR. N. ET. * EPICTETVS
ARK. AVG. N. TEM. VETVSTATE. CONL. SVMPTV. SVO
CVM PICTVRA. REFE. IMP. D. N. GORDIANO. AVG. ET. AVIOLA
C. ROM. D. N. LICIN. MARCELLO. PAT. D. VIII. K. IVLIAS.

Duo hi homines Romani *pro ſalute Auguſti*, Gordiani III, *in honorem Deorum* (ita repetitum D.
F interpretor, vel ſi malueris, in honorem *domus divinæ*, uti expreſſum legitur apud *Grut.* 163. 4. &

* *In calce Operis, prioris Editionis, monebat Auctor, quæ huc pertinent, ſequentia:*

In Inſcriptione *Solvenſi*, quamquam in exemplari ad me tranſmiſſo legatur *Epicetus*, (*ſic erat & impreſſum*) emenda, ſi placet, *Epictetus*, nam nomen hoc frequens eſt in ſaxis, primum haud notum, quod ſciam. In explicatione ejuſdem Inſcriptionis timidior alicui videbor, quod faſſus fuerim, me neſcire, quid ſignificent literæ ſingulariæ D. N. & nota compendiaria PAT. cum obvia ſit interpretatio, *Domino Noſtro*, & *Patrono*, ad *Licinium Marcellum*, Libertorum *Hilari* & *Epicteti* Patronum, referenda. At ſane id auſus non fui, quia appellatio *Domini Noſtri*, quæ in verſu antecedenti tribuitur Imperatori, haud videbatur convenire homini privato. Præterea *Licinius* eſſe nequit Patronus *Hilari*, qui in ſecundâ lineâ dicitur *Auguſti* Libertus.

4. & 92. 1. domus scilicet & familiæ ipsius *Gor-* A *diani* Imperatoris) *Soli Invicto Mithræ templum vetustate conlapsum sumptu suo cum picturâ refecerunt, die VIII. Kalendas Julias, Gordiano Augusto & Aviola Coss.* anno scilicet CCXXXIX. æræ Christianæ. Notam *C. Rom.* explico, *Consulibus Romanis*, quæ sane insolens, ita fortassis expressa est, quia Magistratus simili nomine etiam in *Coloniâ Solvensi* esset. Nam Consules in Coloniis quoque & Muncipiis quibusdam creatos non uno testimonio comperimus. Quid literæ singulariæ D. N. ante *Licinium Marcellum*, & sequens nota PAT. significent, plane nescire me fateor. Nisi mendum quadratarii, vel exscriptoris dicamus. B Hilarus signatur TAB*ularius* PR*ovinciæ Norici*, quod rationes tributorum ejus provinciæ tractaret. Ejusmodi characteres visuntur in saxo apud *Gruterum pag.* 63. 10. TAB. P. H. C. *tabularius provinciæ Hispaniæ citerioris. Epicetus* AR-*Karius* suscipiendis *Augusti* redditibus, qui in arcam seu mensam fiscalem vel privatam Cæsaris inferebantur, erat præpositus. *Arkarii*, qui plerumque per K. scribitur, exempla profert index *Gruterianus Cap. VII.* Utriusque quoque officii plurima mentio est in libris Juris. Templorum parietes & tecta picturis ornari consuevisse, etiam
241 ante Urbem conditam, prodidit *Plinius Lib. XXXV. Cap. III.* Qui eodem *Libro Cap. X.*
C *Cornelium Primum* & *Actium Priscum* Honoris & Virtutis ædes *Vespasiano* restituenti pinxisse scribit: & *M. Ludium* Junonis templum apud *Ardeates* dignis picturis condecorasse. In templo *Mithræ* Solvensi Hilarus & Epicetus *picturam* labefactatam refici curarunt. Hanc eadem signa & symbola repræsentasse arbitror, quæ in nostris tabulis marmoreis visuntur.

In *Ægypto*, quo omnium deorum colluvies confluxit, *Mithram* cultum, non ast ambigendum: & testimonia *Socratis* ac *Sozomeni*, quæ jam retulimus, palam faciunt. *Persæ* hujus religionis magistri & principes fuere. De *Cretâ* insu-
D lâ dubitare nos jubet *Dionysius Petavius*, quamvis Epiphanius diserte scribat Hæresi XLII. *Epimenidem Mithræ cujusdam apud Cretenses idoli sacerdotem* fuisse. Eâ ratione ducitur doctissimus vir in *Notis ad* hunc *Epiphanii locum pag.* 81. quod id apud alium se legisse non meminerit. Barthius *in Animadv. ad Statium pag.* 247. jurat in verba Petavii, *qui nihil non legit*, & rejectâ voce *Mithra*, vel ex *mysta* corruptam putat, vel prorsus insititiam. Non ausim tam grandia eruditorum hominum nomina provocare; sed utique non video, cur opus fuerit plures scriptores in idem *Epiphanii* testimonium conspirasse.

E At *Erasmus* Athenis religionem & ministros *Mithræ* quærens, totâ viâ propalam aberravit. Chiliade IV. cent. VIII. num. 55. explicans adagium, *Mithragyrtes non Daduchus*, hæc habet: *is qui in functione quapiam sordidas, contemptasque partes agit, Mithragyrtes dicetur, Daduchus esse negabitur. Eoque Iphicrates Calliam μιθραγύρτην ὀ δαδοῦχον appellabat. Significans illum non fuisse initiatum sacris, sed tamen velle videri. Mithras apud Persas Sol dicitur; quem illi deorum summum judicant. Unde Mithragyrtæ dici videntur, qui obambulant cum simulatis mysteriis, & rudibus imponunt.* Scomma illud ab *Iphicrate* in *Calliam* jactum refert A-
F ristoteles *Lib. III. Rhetoric. Cap. II.* quod indicare neglexit *Erasmus*. At in textu *Græco Edit.*
242 *Græcolat. Paris. MDCXIX.* non est μιθραγύρτην, sed μητραγύρτην, quam vocem transtulit Antonius Riccobonus *Matragyrtam*, rectius, spectatâ ejus derivatione, quam alii, qui locis statim producendis *Metragyrtem* efferunt. Genus hominum hoc erat, qui magnæ *Matris*, unde nomen, mysteria circumferentes stipem cogebant. Ἀγύρτης enim est mendicus, qui circumit, & stipem petit. De his intelligendus *Aristoteles*. Qui *Athenis* frequentes erant & religiose habiti. *Metragyrtes*, ait Suidas pag. 159. Tom. II. *magnæ deorum Matri Rheæ, sive Cybele stipem cogebant.* Inde fabellam narrat de quodam *Metragyrte*, qui *Athenis* occisus, ob idque exortâ pestilentiâ, *Athenienses* in loco, ubi eum sustulerant, curiam ædificarunt, eamque magnæ Matri consecrarunt. Præferebant tabellam, fortasse icone deæ Matris pictam, ut simplicioribus sequestra divinitate imponerent, pinguioremque mercedem corraderent. Unde *Menander* Comicus in Aurigâ sacrorum hanc nundinationem adversatus ait:

Nullus mihi placet Deus foris vagans,
Anus sodalis quaslibet petens domos,
Aut Metragyrtes cum tabellâ.

Et *Antisthenes* repellebat Metragyrtes mendicantes festivâ irrisione dicens. *Non alo Matrem deorum, quam dii alunt.* Quæ recitat Clemens Alexandrinus *Admonit. ad Gentes pag.* 49. Edit. Paris. MDCXXIX. *Dionysium* regno pulsum sub extremum ætatis Metragyrtem egisse, refert Athenæus *Lib. XII. Cap. X.* ubi male, *Cereri stipem emendicando cogens*, vertit *Dalecampius* & *Casaubonus* non emendavit. Nam magnæ Matri, non *Cereri* eruscabant Metragyrtæ. Eadem de *Dionysio* habet Eustathius *Homer.* 1624. 10. Alii Ludimagistrum *Corinthi* egisse eum tradunt. Sed fieri potuit, ut hac arte dimissâ, sub extremum tantummodo vitæ, quod innuit *Athenæus*, inter Agyrtas deæ Matris stipendiis meruerit. Agyrtas hos eruscatores, qui cum mysteriis *Isidis* obambulabant, facetâ narratione describit *Appulejus Lib. IX. Metam. pag.* 181. Edit. Pricæi. *Ro-* 243
mæ quoque traductâ religione & sacris *Ideæ* Matris, Metragyrtæ *Phrygii* generis vir & mulier, qui ejus sacerdotio fungebantur, circulatorio ritu stipem cogebant, Deam cum tympanis per Urbem gestantes, uti narrat Halicarnasseus *Lib. II. pag.* 91. *Edit. Græcolat. Francof. MDLXXXVI.* notatque Historicus, ex *Romanis* indigenis neminem cum *Matriacis* (ita μητραγυρτοῦντες vertit ejus interpres *Sylburgius*, recte cum *Riccobono* retinens derivationem à *matre*) stipem collegisse, aut orgia *Phrygiæ* matris celebrasse ex decreto Senatus. Quod etiam lege XII. Tab. vetitum fuit: *Præter Ideæ Matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito.* At Julius Pollux in Onomastico Lib. III. Cap. II. in principio, *Metragyrtem* appellatum quoque ait initiatorem sacrorum deæ *Phrygiæ*, scilicet magnæ Matris, unde *Athenis* ejus sacrum *Maternum* dicebatur. Cum itaque *Athenis* fuerint *Metragyrtæ*, nec uspiam in Græciâ *Mithræ* sacra & religio Scriptoribus sint memorata (præter *Cretam*, quæ inter *Ægyptum* & Orientem posita inde cultum hauserat) plane lapsus est *Erasmus*, dum Mithragyrtas vidit in *Aristotele*. Porro *Iphicrates* ajebat Calliam non esse *Daduchum*, sed *Metragyrtem*, quia illud *honoratum* erat, subdit Philosophus Rhetor, *hoc inhonoratum*. *Daduchus* est *Tædifer*, qui nempe in sacris facem gestabat; eoque officio functum fuisse *Calliam* reperio apud Plutarchum *in Aristide pag.* 321. unde narratio *Aristotelis* illustrari poterit.

Mithram Solem dimittam, atque hanc dissertationem absolvam, ubi quæsiero, quo tandem tempore, *Christo* vero Sole tenebras gentilitatis discutiente, ipse *Mithra* templis & aris fuerit dejectus. At cùm ejus religionem apud *Romanos* plurimam celebremque tot congestis monumentis hucusque ostenderim, & nunc tempus, quo desiit, pergam retegere, rogabit aliquis, ecquando etiam cœperit? Opportunè occurrit *Plutarchus*, qui in Vitâ Pompei p. 631. Tom. I. *mysteria Mithræ primum Romanis monstrata* fuisse ait *à Piratis*, qui 244

è diversis Orientis partibus effusi, & direptionibus maria implentes, tandem ab ipso *Pompejo* debellati fuerunt. Bellum hoc Piraticum incidit in annum U. C. DCLXXXVII. Igitur primi omnium, opinor, *Alexandrini* impium cultum proscripsere. Nam ex *Socrate*, cujus verba pridem retuli, constat sub *Juliano* Imperatore, qui in *Perside* occubuit anno CCCLXIII, locum in quo Gentiles *Mithræ* mysteria peragebant, *jam inde à priscis temporibus vacuum & neglectum* repertum, à *Christianis* fuisse repurgatum. Non ita *Romæ*, ubi eodem tempore, sub *Christianis* Principibus, sacra *Mithriaca* publicè & palam fiebant. Nonius Victor & Aurelius Victor *tradiderunt Leontica*, *Constantio nono & Juliano II. Con.* scilicet anno CCCLVII, ejusque rei monumentum exposuerunt in marmore, quod extat apud *Gruterum pag.* 303. 1. Sequenti anno, *Datiano* & *Cereale Cons.* iidem Nonius & Aurelius *tradiderunt Patrica*, ut constat ex alio lapide *pag. eadem num.* 2. & iterum *Persica & Eliaca*, atque *ostenderunt Crifios*, pag. 1086. 4. Rursus in annum proximum *Eusebio & Lippatio Cons.* (corrige fastos, qui scribunt *Hipatium*, necPagius, aut alii id animadvertere) *tradiderunt Leontica*, pag. eadem num. 5. *Aurelius* hic *Victor* sacerdos erat *Mithræ*, ut alibi monui, nam in hoc saxo & altero *pag.* 303. superius indicato, signavit se tradidisse *Coracica anno tricesimo consecrationis suæ*, *Valente & Valentiniano Juniore primum Augg. Cons.* Hic annus notatur in fastis CCCLXXVI. quo patet adhuc viguisse insanias *Mithriacas*. Eodem anno Sextilius Agesilaus dicitur *Pater Patrum Dei Solis Invicti Mithræ* pag. 28. 2. & sequenti *Gratiano & Merobaude Cons.* Rufius Cejonius *Pater sacrorum Mithræ* num. 6. vocatur, & inferius *Persidicique Mithræ Antistes.* Sacrorum hæc nomina jam explanavi.

Ità pervincente diaboli nequitiâ, dum *Crucis* signum Imperatorum diademati præfulgeret, adhuc vexilla superstitionis palam in Urbe explicabantur. Integrum tandem triumphum *Christus*
245 egit, & *Mithram* profanaque mysteria depulit. Celebre est testimonium *S. Hieronymi* Epist. VII. ad Lætam, ubi hæc ait: *Ante paucos annos propinquus vester Gracchus, nobilitatem patriciam sonans nomine, cum Præfecturam gereret urbanam, nonne spelæum MITHRÆ, & omnia portentosa simulacra, quibus Corax, Gryphus Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius, Pater initiantur, subvertit, fregit, excussit?* Hùc referendus est locus *Prudentii* libro primo adversus Symmachum vers. 563

Jam quid Plebicolas percurram carmine Gracchos
Jure potestatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos, simulacra Deûm jussisse revelli,
Cumque suis pariter lictoribus, omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos.

Annus, quo Præfecturam Urbanam egit *Gracchus*, quærendus est, ut postremos subversæ superstitionis *Mithriacæ* casus venemur, & ultimam dissertationi nostræ manum imponamus. Baronius *ad Annum CCCLXXXIII. num.* 3. importune errorem in *Hieronymo* irrepsisse suspicatur, & loco Præfecturæ prætoriæ, urbanam esse positam. In Codice Theodosiano lex prima tit. ne in sua caussâ quis jud. data est *ad Gracchum P. P.* (nempe *Præfectum Prætorio*) *Kal. Decembris*, *Valente V. Valentiniano A A. Coss.* hoc est anno C. CCCLXXVI. Ad eundem simili titulo appellatum directa est lex 3. de quæstion. *Pridie. Non. Januar. Gratiano Aug. IV. & Merobaude Coss.* videlicet anno sequenti CCCLXXVII. Gothofredus in notis ad has leges Tom. I. pag. 93. & Tom. III. pag. 252. inscriptionem correxit, & *Gracchum P. V. Præfectum Urbis*, reposuit; quomodò etiam se habet *lex unica Cod. Justinian. eod. tit. ne quis in sua caus.* & concinunt recitata *Hieronymi* & *Prudentii* testimonia. Hincque collegit, excisa fuisse *Mithræ* simulacra altero ex præscriptis annis, & perperam id a *Baronio* referri in annum CCCLXXXIII. sexennii metachronismo. *Pagius* in sententiam *Gothofredi* concedit *in Crit. Baron. ad eundem annum num.* 5. At falluntur viri docti, & chronologiam confundunt. Quomodo enim fieri potuit, ut altero ex iisdem 246 annis Gracchus *specum Mithræ & portentosa simulacra*, *Coracem*, *Gryphum*, *Leonem* & cetera ab Hieronymo memorata, *subverterit*, *fregeritque*, si tunc eadem ipsa portenta, ex indicatis inscriptionibus, tradebantur, in ipso certe *Mithræ* specu, sacerdotesque ea profana sacra & titulos sui sacerdotii publicis monumentis consignabant? Quare in alium annum ducenda est Præfectura *Gracchi*, & *Mithræ* excidium. Quod ut clarius pateat, prius eam Præfecturam *Gracchi* in annos prædictos non incidisse demonstro. Anno CCCLXXVI. fuit Præfectus Urbi *Rufinus*, ut palam facit lex 3. Cod. Justin. de offic. Præf. Urb. eidem data *VI. Kal. Jul. Valente A. V. Valentiniano jun. Coss.* Quintus Consulatus *Valentis* & primus *Valentiniani* junioris conferuntur in dictum annum CCCLXXVI. iisdemque Consulibus lata est *lex prima Cod. Th. ne in sua caus.* quam *Gothofredus* vult directam ad Gracchum *Præfectum Urbi.* Nec sane duo Præfecti eodem anno esse poterant. Annus proximus excepit *Probianum* Præfectum Urbi, ad quem directa est lex 3. Cod. Th. tributa in ipsis spec. *XV. Kal. Octob. Gratiano A. IV. & Merobaude Coss.* qui in annum ipsum CCCLXXVII. Consules processerunt, ut diximus. Quamobrem non ante annum sequentem CCCLXXVIII. Præfecturam Urbanam gessit *Gracchus*; eo etenim signatur prædicta lex unic. ne quis in sua caus. expressis verbis, *ad Gracchum Præfectum Urbi*, *Kal. Dec. Valente IV. & Valentiniano II. Coss.* Quam subscriptionem cum viderit *Gothofredus*, miror, nihilominus Præfecturam *Gracchi* retrotulisse ad alium annum. *Profectò* apud *Panvinium* nullus notatur Præfectus Urbi hoc anno. Quare in locum hunc vacuum nil vetat quin reponamus *Gracchum.* At quoniam id ipsum quod de judicibus statuitur *in hac lege Codicis Justin. datâ anno CCCLXXVIII.* sancitum quoque reperitur in aliâ jam memoratâ antecedenti anno CCCLXXVI. vel hujus titulus & subscriptio emendanda venit, vel rectius dicendum, Imperatores legem jam latam rursus instaurasse post duos annos. Ne vero inanis sit inscriptio alterius legis tertiæ de quæst. *ad Gracchum P. P.*, quæ 247 hac ipsâ notâ extat *in Codice Just. leg.* 10. *de dignit.* editionis Contii, (nam Gothofredus habet P. V.) omnino arbitror, hoc anno CCCLXXVII. quo tradita est, *Gratiano IV.* & *Merobaude Coss.* Gracchum Præfecturam Prætorii administrasse, eandemque etiam gessisse anno antecedenti, quo scripta fuit lex prima jam memorata *ad Gracchum* P. P. scilicet *Præfectum Prætorio*, abjecta *Gothofredi* correctione. Quo munere defunctus exinde evectus est ad Urbanam Præfecturam, quæ *Romæ* honoribus omnibus & potestatibus illustrior habebatur. Atque ita tempora suo ordine digesta consistunt: leges in speciem pugnantes conciliantur: & *Gracchus* suis dignitatibus restituitur. Igitur A. C. CCCLXXVIII. & non antea, dejecta simulacra *Mithræ*, subversus specus, abolita sacra, & præterea Victoriæ ara, de qua celebris pugna inter D. *Ambrosium* & *Symmachum* exarsit, convulsa, aliaque gesta sunt à *Graccho* Præfecto Urbi, quæ memorantur *Hieronymo* & *Prudentio.*

Putaveram ad umbilicum rem perduxisse; sed aurem vellunt carmina D. *Paulini* superius mihi reci-

recitata, quæ hucusque firmatis labem aliquam inferre videntur. Poëma extremum, quo ea carmina continentur, recte conjicit illustris *Muratorius* in Præfatione, à *Paulino* fuisse elucubratum & inscriptum *Antonio*, A. C. CCCXCIV. aut CCCXCV. Cum vero inibi mentio sit *Invicti* seu Mithræ *spelæa sub atra* culti, haud verum erit, ejus sacra & specum ante septem & decem annos à *Graccho* fuisse subversa. Sed eo Poëmate, ut opinor, sanctus Vates potius proscindit Gentilium numina & errores, prout ab iis fingebantur & tradebantur, quàm velit ritus omnes, sacrificia, & ceremonias, quas describit, tunc viguisse, Quod cetera percurrenti conjectare licebit. Quamvis enim non sim nescius, ad hæc quoque tempora *Pauliniana* Christianos perinde ac Paganos, veluti duo reipublicæ membra, in Imperio *Romano* egisse: attamen istis ritus suos & religionem publice exercendi, si non in totum, saltem maxima ex parte jus fuerat sublatum, ut tot querelæ

A Gentilium scriptorum, & leges Principum, *Theodosii* potissimum, sub quo vel filiis hæc *Paulinus* scribebat, luculenter demonstrant. Cum igitur 248 certis testimoniis compererimus, spelæa *Mithræ* detrita, & mysteria interdicta à *Gracchho* fuisse anno CCCLXXVIII. nemo sibi persuaserit, ea adhuc anno CCCXCV. perseverasse. Quare *Paulinum* itâ loquutum fateri oportet, ut exprobraret quod factum fuerit, & impia religio doceret, non quia tunc fieret. Queritur *Muratorius*, se divinare non potuisse, quisnam fuerit ille *Antonius*, cui D. *Paulinus* Poëma suum inscribit. Reperio in Fastis *Antonium* cum *Syagrio* B Consulem ad annum CCCLXXXII. & in Codice *Theodosiano*, sæpius occurrit *Antonius* maximis in *Italiâ* & *Galliâ* functus muneribus & dignitatibus. Ad eum quoque quinque sunt datæ Epistolæ à Symmacho *Lib. I. ab Ep. LXXXIII.* Qui sane, prodente temporum ratione, non alius est ab hoc *Paulini* amico.

F I N I S.

E X C E R P T A
E X
BIBLIOTHEQUE CHOISIE
Tome XVII. pag. 168.

C TAUROBOLIO MATRIS *Deûm Magnæ* ID*aeae*. Post factum Romæ Taurobolium, hanc aram, in qua sculpta est inscriptio, *L. Æmilius Carpus* Lugduni erexit & dedicavit. Taurobolium vero suscepit *Æmilius* in honorem Cybeles, seu *Magnæ Deûm Matris*, cui Idææ cognomen à loco, in quo præcipue colebatur; nam *Cybelæ* omnia Taurobolia dicabantur, quod aliæ Inscriptiones docent. Porro nullum erat insanius sacrificium, apud Gentiles; etenim perfusi sanguine Tauri immolati, eo ritu quem graphice describit *Prudentius*, Hymno de S. Romano, in æternum renasci se credebant. Fiebat quoque ariete, quod *Criobolium*, & capra quod *Ægobolium* vocabant. Sed plura dicere supersedeo, nam Eruditi argumentum satis versarunt, & præcipue *Antonius van Dale*, quem nuper edidisse *Dissertationem de Tauroboliis* didici ex *Diariis Trevoltientibus*, mensis Augusti MDCCIII.

QUOD. FACTUM. EST. EX. IMPERIO. MATRIS. D*eae* DEUM. Litteram singulariam D adposite explicavi DEAE, fultus auctoritate *Arnobii* Lib. V. *Pinus illa sollemniter*, *quæ* Matris *infertur Sanctum* Deæ; nisi quis additam putaverit ex errore Marmorarii, ita ut idem significet ac vocabulum proximum DEUM, ut in primo versu. Formula illa EX. IMPERIO. in aliis etiam Inscri- D ptionibus reperitur, quæ eadem est ac alibi IUSSU. DEI. Significat, ut equidem arbitror, *imperium* factum à Deo quopiam, per somnium. Nam quod non una inscriptio solitarie habet EX. MONITU. DEI. idemque est ac EX. IMPERIO. in aliis clarius explicatum legimus SOMNIO. MONITUS. & IN. SOMNO. ADMONITUS. Illusus itaque per quietem *Æmilius* credidit sibi à *Cybele* imperatum Taurobolium, quod suscepit.

PRO. SALUTE. IMPERATORIS. CAESARIS. T. AELII. HADRIANI. AUGUSTI. PII. P. P. LIBERORUMQUE. EJUS. ET. STATUS. COLONIAE. LUGDUNENSIS. Nulla hæc egent explicatione. Scrupulum tantum tibi eximam. Petis abs me, quî fieri possit, ut *Romæ*, ubi hoc Taurobolium factum fuisse tecum existimo, aliquis de Colonia *Lugdunensi* cogitaverit? Scito *L. Æmilium*, ut statim ostendam, civem *Lugdunensem* fuisse; quare nihil mirum, quod pro patria civitate, etiam absens, Deorum præsidium advocaverit. Ceterum pro salute domûs Divinæ & Coloniæ *Lugdunensis*, aliud Taurobolium susceptum invenies in collectione Inscriptionum *Fleet-woodii* E pag. 13. ubi vocatur *Colonia Copia Claudia Augusta*, & pag. eadem: *pro salute Imp. Antonini Gordiani*, *proque statu civitatis Lactoratensis*.

L. AEMILIUS. CARPUS. IIIIII. AUG. *Sevir Augustalis* erat Æmilius, non sane Romæ, ubi Taurobolium fecit; quia collegium sevirûm Augustalium *Romæ* fuisse nusquam legitur; quamquam sodales *Augustales* erant sub *Tiberio* instituti. Igitur non alibi, quam in Colonia *Lugdunensi*, ubi Ara fuit dicata; si enim in alia Civitate, Inscriptio id signasset, ut fieri videmus in aliis. Lapis est apud nostrates *Forojulienses*: Q. CAEDIUS. P. F. PUP. SEXVIR. TERGEST. Patavinus: L. MAGIUS. PHILEAS. VI. VIR. AQUIL*eiæ*. Concordiensis: M. ARMONIO. M. L. ASTURAE. PATRONO. SEX. VIRO. FORO. CORNELI. De seviris Augustalibus non est cur verba faciam, cum doctissimi viri argumentum exhauserint; præsertim *Reinesius*, Card. *Norisius* & *Fabrettus*. *Carpus* cognomen erat etiam *Pinariæ* familiæ, ut in ejus nummis, apud *Ursinum*; in quibus *manus* depicta cernitur, nam *carpus* Græce est junctura brachii, quâ cum manu committitur.

F ITEM. DENDROPHORUS. Quotannis, statis diebus, in templum, seu Sanctuarium *Cybeles* Matris Deorum deferebatur arbor pinus, velleribus lanatis circumvoluta & violaceis coronis redimita; de quo ritu semel atque iterum meminit *Arnobius* Lib. V. Festum hoc in veteri Calendario, apud *Herwartum* & *Lambecium*, signatur his verbis: *arbor intrat*. Itaque à deferenda arbore nomen sumsit *Collegium Dendrophororum*, ex quibus unus erat, in Colonia Lugdunensi, Æmilius. *Dendrophori Matris Deûm* memorantur in lapide Romano apud *Reinesium* Classis I. num. 40. Exinde *Æmilium* nobilitate con-

conspicuum fuisse infero, nam Dendrophoros *Cybeles* procerum appellatione honestat, quamvis deridens, A *Commodianus*, hisce versibus:

Egregios proceres currum servare Cybellæ,
Quem traheret conducta manus, Megalensibus actis,
Arboris excissæ truncum portare per urbem.

Alii Dendrophori memorantur in saxis vetustis, qui *Collegio Centonariorum* & *Fabrûm* plerumque conjunguntur, eosque lignorum venditores putant Eruditi. Sed inter hos ne accenseam *Æmilium*, ipsa eorum vilis conditio dehortatur.

VIRES. EXCEPIT. ET. A. VATICANO. TRANSTVLIT. Vocabulum hoc *vires* duæ aliæ Inscriptiones præferunt. *Salmasius* ad Lampridium in Elagabalo, Cap. VII. putat *vires Tauri* esse cornua Tauri, nam vires in cornibus. *Sponius* significare ait *testes Tauri*, qui, ad imitationem sacerdotum *Cybeles* & *Attidis*, Tauro abscindebantur. Nominis explicationem probo, sed altius repeto imitationem abscissionis; ab ipso, scilicet, *Attide*. Quæ paucis illustrabo, cum librum celeberrimi Antiquarii ad manum non habeam, nec sciam, an quid præterea eam in rem adferat. Itaque vocabulum B *vires*, pro *virilibus* esse positum facile censeo. Ita vero detortum ne res turpicula proprio nomine legentium oculis exponeretur, imo etiam ne obscœna mysteria, quæ mox exponam, vulgarentur. Nam hujusmodi propudiosas cærimonias prodere Gentiles cum erubescerent, tenebris, vel secreto loco recondebant, aut alienis nominibus & confictis Symbolis velabant. Exempla non profero, cum Eruditis satis sint nota; quo statim sententia *Salmasii* convellitur. Quid enim opus erat novo & minus proprio vocabulo uti, cum caput & cornua Tauri nihil turpe, nihil occultandum præ se ferant? Ne vero quis dubitet, an virilia, quæ proprie sunt hominis, de brutis etiam dici possint, auctorem habeo *Plinium* Lib. XXIII. c. 1. *Utiliter etiam fovetur vino calido* virilitas *jumentis*. Consentit etiam *Arnobius*, qui eodem Lib. V. loquens de testibus arietinis ait: Virilitate *pignoris visâ* &c. Quid nonne ipse *Virgilius* Eclogâ VII. dixit Vir *gregis ipse caper?* Quod si *viros*, cum *Salmasio*, à viribus esse velimus, nusquam vires magis sunt, quam in testibus; quibus natura ita robur & vim masculam indidit, ut animalia, sine testibus, statim flaccescant & langueant, homoque non vir amplius, sed *semivir* & eviratus dicatur: quia, scilicet, caret viribus, unde *vir* nomen sumsit, si credimus *Lactantio* de Opificio Dei, C C. XII. Nec aliter quam pro testibus Tauri, accipiendæ sunt *vires*, in Taurobolicis Inscriptionibus, quod liquebit, si, nostram cum aliis comparando, animadverterimus Gentiles in Sacris Magnæ Matris, seu *Cybeles*, imitari voluisse casus *Attidis* & imaginem *tristium redintegrare gestorum*, ut eam in rem loquitur *Arnobius*. Ita pinus inserebatur in Templum, quia sub tali arbore *Attis* sibi virilia amputaverat; ad cujus exemplum, Galli Sacerdotes *Cybeles* se ipsos evirabant. Ita arbor inlata in Sanctuarium laneis colligabatur velleribus, quia *Cybele* deficientem *Attidem* lanis contexit. Alias omitto comparationes, quas idem Auctor persequitur. Taurobolia autem cum fierent in honorem *Cybeles* & *Attidis*, ut docent lapides taurobolici; si dicamus vires esse genitalia Tauri, omnia cum utriusque fatis mire congruent; non vero, si vires sint cornua Tauri, ut putavit *Salmasius*. Itaque Tauri, in Taurobolio mactati, *vires* abscissas noster Æmilius *excepit*, sicut Attidis virilia *desecta Deûm mater cum floribus collegit*, ut memorat *Arnobius*, loco laudato. In alia Inscriptione apud *Fleetwoodium* pag. XV, 2. dicuntur LOCO VIRES CONDITAE; hoc est, ut quidem omnino puto, in terram defossæ, eo in loco forsitan, ubi Ara erat ponenda & dedicanda. Id vero ad exemplum *Cybeles*, quæ collecta genitalia D *abscondenda mandavit terræ*, ut pergit narrare *Arnobius*; sed prius, quam terrâ tegeret, *lavit utique balsamis atque unxit*. Quo ritu, ut puto, fiebat consecratio, cujus meminit lapis Lactoratensis, apud eumdem collectorem p. XIII. 3. *Viator Sabini fil.* VIRES TAVRI, *quo propriè per Taurobolium publice factum fecit*, CONSECRAVIT. Igitur, qui Taurobolium fecerat, exsecta Tauri genitalia excipiebat, consecrabat & terræ mandabat. Quæ in omnibus Tauroboliis peracta arbitror, licet in omnibus Inscriptionibus non memorentur, quia ritus hujusmodi prodere, vel supervacaneum, quia satis vulgo noti; vel nefas, quod turpes essent, ut supra monui, existimabant Gentiles. Itaque *Æmilius*, facto Taurobolio, excepit *vires*, hoc est, genitalia Tauri, & à Vaticano transtulit in urbem *Lugdunensem*, ob eam causam, de qua postea; iisque terrâ conditis, aram inibi consecravit. Nam *Romæ* factum hoc Taurobolium pro certo habeo; nisi quis me doceat, *Lugduni* locum aliquem fuisse, qui *Vaticanus* appellaretur, sicuti & Capitolium in plerisque urbibus erat, ad exemplum *Romani*.

ARAM. ET BVCRANIVM. SVO. INPENDIO. CONSACRAVIT. Ita legendum, quamvis in lapide scriptum sit ARA, quod non semel in aliis Inscriptionibus occurrit; nam, apud Veteres, E M. *finale omitti solebat in scribendo, quia in pronunciando quodam modo non profertur*, inquit *Quintilianus* Lib. IX. c. 4. Sollemne erat, in hisce sacris, ut qui Taurobolium percepisset, aram etiam consecraret, ut plures Inscriptiones docent. In nostra hac Lugdunensi, simul cum Ara dicitur *Bucranium* consecratum, quæ vox est Græca, & *bovis*, seu tauri *caput* significat. Veteres mactatorum animalium capita exponebant, in signum facti sacrificii, quorum exinde sculptis imaginibus aram exornabant; quod præsertim observatum in aris taurobolicis, ut in nostra, in cujus fronte caput taurinum sculptum apparet. Hoc vero consecratum puto ab *Æmilio*, simul cum ara; non ipsummet caput Tauri, quod Româ *Lugdunum* translatum fuisse nequaquam fit vero simile.

SACERDOTE. Q. SAMMIO. SECVNDO. Consecrationi aræ præfuit sacerdos Q. Sammius. Legimus Taurobolium factum & aram positam, *permittente sacerdote Valerio Pancarpo*, pag. XI. 5. Fleetwoodii, *sacerdote Trajano Nondinio*, XIII. 3. *adsistentibus sacerdotibus*, XV. 2. in sacris Mithræ *aram positam, adstante sacerdote*, XIX. 4. & 5. *præsidentibus Bictorino Patre & Januario*.

AB. XV. VIRIS. OCCABO. ET. CORONA. EXORNATO. CVI. SANCTISSIMVS. F ORDO. LVGDVNENSIS. PERPETVITATEM. SACERDOTI. DECREVIT. In nulla ex recitatis Inscriptionibus, nec alibi legimus sacerdotem præsidentem seu Taurobolio, seu consecrationi aræ, honoribus fuisse decoratum, ut *Q. Sammius*, in hac nostra Lugdunensi. Quare in *Q. Sammio* causam aliquam peculiarem intervenisse credendum est. Suspicor tunc primum in urbem Lugdunensem *L. Æmilium* ritus & mysteria taurobolica invexisse, quod indicat translatio *virium*. Quæ nova sacra cum *Q. Sammius*, qui tunc sacerdotio fungebatur, auctoritate suâ adprobasset, & decreto sancivisset; ideo *Quindecimviri* sacris faciundis & *Decuriones Lugdunenses*, in grati animi testimonium, ob novam Religionem susceptam, in eum hujusmodi honores contulerunt. Sane nullum Taurobolium hoc antiquius invenimus, factum enim fuit anno Christi CLX. quare tunc primum inlatum *Lugdunum* facile est credere. Porro quod dixi Decuriones *Lugdunenses* Sammio perpetuitatem sacerdotii decrevisse,
non

A non vero XV. viros, ut tu quidem, epitheto illo *sanctissimus* fortasse suadente, arbitraris, omnino certum puto. Quamquam enim Collegium sacerdotum aliquando *ordo* vocatur, ut in lapide *Gruteriano pag.* CCCXIII. 3. sane ubi nomen Coloniæ, seu Civitatis est adjectum, semper *ordo* Decuriones significat. Infinita propemodum exempla possem adducere. Præterea & sensus orationis rem diversam demonstrat. Nec moror epitheton *sanctissimus*, illud enim personis, etiam non sacris, convenit, ex propria significatione vocabuli. Si vero exemplum in rem quæras, dabit idem *Gruterus* pag. CCCXCIII. 5. ORDO. SANCTISSIMVS. DECVRIONVM. & *Cicero I.* Catilinariâ, Senatum Romanum vocat *sanctissimum concilium*. Ceterum jus erat penes Decuriones decernendi perpetuitatem sacerdotii, uti & sacerdotes creandi; nam Coloniæ legibus *Romanis* utebantur, *Romæ* autem Comitiis tributis creari solitos Pontifices novimus. De Flaminico sacerdote, *consensu Decurionum* creato, lapis est apud *Gruterum* p. CCCCXXXVIII, 7. & *Cicero* in Miloniana memorat profectum Lanuvium, *ad Flaminem prodendum, quod erat Dictator Lanuvii Milo.* Nominatos à Decurionibus prodebat is magistratus, ait Card. *Norisius*, in Cenotaphia Pisana Diss. I. Cap. V. in fine.

B De OCCABO, quo exornatum *Q. Sammium* à XV. Viris refert nostra Inscriptio, pauca remanent dicenda. *Latio* ignotum est hoc vocabulum. *Græcis* significat *armillas circa brachium*, ut docet *Hesychius*. Ad luxum quidem & pompam tam viri quam mulieres, armillis aureis, argenteis & gemmatis ornabantur; sed cum armillæ donatæ ab alio, semper id factum in honoris argumentum. Armillis donatos milites ab Imperatoribus, in præmium virtutis, frequenter in saxis eruditis cernimus & apud Veteres Scriptores legimus. Reges *Persarum* legatis armillas dabant, ut intelligere est ex *Æliano* Var. Hist. Lib. I. c. 22. *Occabo* igitur sive armillis, fortasse aureis & pretiosis, donatus fuit *Q. Sammius*, ob peculiarem aliquam causam & meritum; quod sane non aliud nisi ob admissa & adprobata mysteria taurobolica, tunc ab *Æmilio* Lugdunum inlata. Idem de corona dicendum. Quamvis enim sacerdotes coronati sacris operarentur, *Sammium* tamen coronam, honorarii instar, accepisse, res ipsa demonstrat. Datas vero coronas, in præmium & ob merita, nemo est qui nesciat.

Putavit amicus eruditus, *Occabum* esse cultrum, quo Taurus in sacrificio immolabatur, illumque ipsum, qui sculptus cernitur in latere dextro nostri lapidis donatum *Sammio*, in signum facti Tauroboli. C Nam apud *Ducangium*, in Glossario Latinitatis, *occare* est sacrificare, quod, qui immolant animalia, ea *occent*, id est, secent ac scindant. Sed cum apud *Hesychium*, veram ac germanam *occabi* significationem habeamus, nequaquam ea deducenda est à vocabulo sequioris sæculi & è longinquo per derivationem petito; & auctor quidem Inscriptionis græcissare amavit, ut ex aliis *Græcanicis* vocibus apparet. In *Galliis* vero plura *Græca* vocabula fuisse usurpata, aliunde constat. Ceterum non ambigo cultrum inscriptum aræ illius figuram designare, quo fuerat mactatus Taurus. *Venabulum* appellat *Prudentius:*

*Hic * ut statuta est immolanda belua,*
Pectus sacrata dividunt venabula.

APP. ANNIO. ATILIO. BRADVA. T. CLOD. VIBIO. VARO. COS. Omnia hæc gesta sub his Consulibus, scilicet, anno U. C. 913. Æræ Vulgaris CLX. Antiquissima Inscriptio Taurobolica, quæ quidem nota esset, signata fuerat Coss. *Pollione* II. & *Appio* II. hoc est anno CLXXV. quam hæc nostra quindecim annorum ætate superat; atque hoc etiam titulo pretium ejus elucet. Præterea raritatem auget nota Consulum, quâ Fasti vulgares corriguntur & supplentur; præferunt enim APP. ANNIVM. BRADVAM. & T. VIBIVM. BARVM.

D L. D. D. D. Passim in saxis hæc formula occurrit, quæ legenda est, *locus datus Decurionum decreto*, locus, scilicet, statuendi aram.

CVJVS. MESONYCTIVM. FACTVM. EST. V. EID. DEC. Verba hæc sintne referenda ad tempus mediæ noctis, quo factum fuit Taurobolium; vel potius, quo significatum imperium Deûm Matris, per somnium, haud facile est divinatu. Sane in Taurobolicis Inscriptionibus, non tantum annum, sed diem quoque suscepti Taurobolii adnotatum observamus. At nocte peracta fuisse sacrificia taurobolica, nec usquam invenimus, nec credibile est: nam Diis Inferis sacrificia quidem noctu fiebant, de superis me legisse non memini; quidquid sit de mysteriis quibusdam, ut puta Bacchanalibus, Eleusiniis, & Bonæ Deæ. Præterea *Prudentius*, qui minutim Sacra Taurobolica describit, nihil habet de tempore nocturno, quod certe non tacuisset, ut horrorem nefarii sacrificii augeret. Imo de die factum manifesto indicat; nam Pontificem, suscepto Taurobolio, sanguine Tauri undequaque perfusum & inquinatum processisse narrat, ostentantem udum verticem & barbam & vittas madentes, quem omnes salutarent & adorarent eminus. Quæ nonnisi interdiu posse contingere facile intelligimus. Versus *Christiani* Poëta, apud ipsum, legere poteris. Insuper in Saxo *Lactoratensi*, quod supra produxi, Taurobolium dicitur † *publice factum*, non ergo inter profundæ noctis tenebras. Quare *mesonyctium* aptius omnino refero ad tempus, quo Mater Deûm *Æmilio* Taurobolium imperavit; siquidem sub mediam noctem à Diis somnia mitti credebantur, ut de *Romulo*, se per visum, ne Græcos versus faceret, admonente narrat *Horatius* Lib. I. Sat. X.

—— vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera.

Ovidius itidem tunc somnia vera esse testatur:

—— mediæ sub tempora noctis,
Tempore, quo cerni somnia vera solent.

Sensus igitur inscriptionis erit, *cujus* Matris Deûm *mesonyctium*, hoc est, apparitio, seu visio medinoctiana, ut ita dicam, *facta est V. Id. Decembris.* Cum videamus in saxis taurobolicis aliquando consignatum tempus suscepti Taurobolii, aliquando etiam consecrationis aræ; placuit *Æmilio* neutrum memoriæ tradere, sed tempus imperati per somnium Taurobolii. Causam vero alii quærant.

F Hæc habebam, quæ tibi offerrem, *Vir Ornatissime.* Plura fortasse & meliora à me exspectabas. Sed præter ingenium, quoque defuit, quo possem argumentum & spem tuam cum dignitate implere. Scis me in eo munere esse, quod jure suo sibi bonas horas postulat, & jam diu me ab hisce studiis discessionem facere coëgit. Præterea & librorum inopia, quâ hîc præcipue laboramus, penitiores eruditionis aditus ingredi prohibuit. Et sane, ob has difficultates, parum abfuit, quin lapidem è manibus abjicerem. Sed vicit humanitas tua, quæ me ad opus suscipiendum ita omni officiorum genere illexit, ut etiam insperata tentare compulerit. Quare si res male cessit & præter opinionem, quam de me liberaliorem ex amore concepisti, in te unum culpa est referenda. Quæcumque vero hæc sint, boni consulas, & conantem utcumque grato animo prosequaris. Vale. IN-

* *Vers.* 1029. *Hymni X. ubi Passio Romani.*
† Publice factum *peut signifier aussi fait aux despens, ou par ordre du Public.*

INDEX
Nominum & Rerum notabiliorum.

Bar-

Ignem


Num-


INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

E M E N D A N D A.

Pag. 32 lin. 2. leg. protrudentis. Pag. 54 lin. 34. leg. excerptorem.

F I N I S.





NICOLAI ALEMANNI
DE
LATERANENSIBUS PARIETINIS

Ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino

D. FRANCISCO CARD. BARBERINO

RESTITUTIS

DISSERTATIO HISTORICA,

Figuris Æneis Illustrata.

Ubi de Ædificio, ejusque loco, de Musivi Emblemate, atque ejus Historia disseritur, & inscripti imaginibus tituli expenduntur.

Editio Novissima, priori accuratior ac auctior.




LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS TYPOGRAPHUS LECTORI.

Me hancce Historicam Dissertationem NICOLAI ALEMANNI *de Lateranensibus Parietinis restitutis*, in quarto *Romæ* apud Hæredem *Bartholomæi Zannetti* M DC XXV. impressam, sub incudem de novo revocasse, & aliis rebus antiquis immiscuisse, non ingratum fore antiquitatis curiosis, spero; nam tam vetus ac celebre monumentum, in tenebris olim jacens in publico proponitur. In excudendo accurate vestigia Editionis *Romanæ* supra dictæ institimus, ita ut fere nullam mutationem subierit, nisi quod, nonsolum liber ipse, sed & simulachra ex archetypis expressa, de quibus in hac Dissertatione agitur, majorem nitidioremque formam acceperint. Insuper Auctoris Elogium ex *Jani Nicii Erythræi*, *Pinacotheca* Dissertationi huic præmisimus. Præterea Nomina quoque propria, aliaque memoratu digna Characteribus cursivis, ut in conspectum Lectoris primo intuitu caderent, imprimi curavimus. Paginas denique Editionis jamjam memoratæ ad marginem nostræ rejecimus, ut in evolvendis locis citatis usus majoris esset. Quo labore nostro diu multumque fruaris, ex animo precamur.



S. D. N.

VRBANO. VIII. PONT. MAX

VETUS. AC. CELEBRE

PONTIFICIÆ. AVTORITATIS

MONVMENTVM

JACENS. OLIM. IN. TENEBRIS

JAM. JAMQ. PERITVRVM

AB. ILLVSTRISS. FRANCISCO. S. R. E. DIAC. CARD

BARBERINO

ECCLESIASTICÆ. ANTIQVITATIS. INSTAVRATORE

REPARATVM. IN. PVBLICOQ. PROPOSITVM

NICOLAVS. ALEMANNVS


RECENSENS

D. D.

AUTOR LECTORI.



LERIQVE, Lector, qui non ita multis ante diebus in Laterano *viderunt tenues ædificiorum reliquias substructionibus stabiliri, & vacillans, ac penè ruinosum instaurari emblema vermiculatum, inelegans illud quidem, & imperitæ manus non tam opus, quàm rudimentum, meritò dubitare visi sunt sibi, an id esset operæ pretium. Ex iis profectò arbitror eos fuisse, qui vel nulla tangantur rerum antiquarum voluptate, vel rudioribus ineptæ artis lineamentis nihil pulchrum, dignumve contineri posse existiment. Hi videlicet &* Alcibiadis *planè admirabiles* Silenos *parvi æstimaturi sunt, quando prima illorum visa utcunque specie, penitus inspicere eos negligant. Eruditi sanè oculi sint iis oportet, qui priscas ejuscemodi tabulas intuentur. Novi equidem cùm ex nostris, tùm exteris, viros gravissimos, qui musivi ruditatem illam contemplati sint oculis minimè incuriosis, quodque in ea latet eximium, ac singulare de asserta* Carolo Magno *Imperii majestate non observarint modò, sed etiam optarint, ut ære publico monumentum repararetur, cui vel tempus ipsum, post octingentos eoque amplius annos, propter dignitatem pepercisset. Interim sua illi privata industria in publicum bonum conferri à se aliquid posse rati; opus, quod tanti fieri oportere putarent, aut coloribus sibi descripserunt, aut litteris posteritati commendarunt. Quid nostros hic ego dicam* Angelum Massarellum Thelesinum *Antistitem*, Onuphrium Panvinium, Pompejum Ugonium, &, *qui* Romæ *diu versati sunt ex* Hispania, Franciscum Penniam, Alphonsum Ciacconum, & *alios? Cum e* Galliis, *vel è* Germania *eruditus vir nullus* Romam *profectus sit, qui hujusce musivi spectaculum præterierit. Duos commemoro omnis antiquitatis curiosissimos juxta atque scientissimos* Marcum Welserum *Duumvirum Augustanum, cujus in Dissertatione testimonium extabit*, & Nicolaum Fabritium Peiresium, *cujus, ut audio, studium de hac imagine, deque aliis* Caroli Magni *non ita pervulgatis memoriis lucubrationes etiamsi antevenimus, cedimus tamen curis melioribus. Ego certè de* Carolo Magno, *etsi non jejunè, neque exiliter agam, ea tamen disputabo, quæ tabulæ fides, argumentum, ratioque tantùm postulabit. Summa verò Dissertationis hæc erit, ut de ædificio, ubi publicum id opus extat, pauca, & pro re nata; tum de musivi emblemate, atque ejus historia pluscula disseram; postremò inscriptos imaginibus titulos accuratiùs expendam, è quibus de* Caroli Magni *Patricia dignitate multa elici, multa de Imperii translati prima origine cognosci poterunt; quæ ad Clarorum Virorum jam diu evulgatos ea de re commentarios, vel confirmandos, vel illustrandos quantum faciant, facilè quivis intelliget. Sed præstat, Lector, antequam ad legendum appellas animum, ut eum imbuas ipso rei, de qua agimus, simulachro, quod ex archetypo tribus hisce tabellis expressum habes.*



ELO-

ELOGIUM AUCTORIS
Ex
JANI NICII ERYTHRÆI
Pinacotheca Imaginum Illustrium.


Nicolaus *Alemannus*, Græcis parentibus natus, a puero in collegium suæ nationis exceptus est, quod *Gregorius* XIII, pro sua patria in Christianos omnes caritate, in transmarinis regionibus naufragæ Catholicæ fidei, tanquam portum constituerat. Ubi a magistris Græcis & Latinis, optimis disciplinis eruditus, ingenii cum probitate conjuncti laude floruit. Dedit etiam cum aliis sociis, de more, militiæ Ecclesiasticæ nomen: & quoniam fortasse habebat in animo, in *Græciam* navigare, ibique vitæ suæ domicilium constituere, a Græco Episcopo in subdiaconorum ordinem ac numerum abscribi voluit: sed posteaquam a Latinis oris, opulentior illi spes effulgere visa est, ad id, unde secundus rebus suis flatus ostendebatur, vela dedit, & ad Latinorum castra transiit; ab eisque, reliquis sacris ordinibus initiatus est. Verum, confecto studiorum curriculo, cum esset in re tenui, & ad reliquum vitæ suæ statum constituendum, opes & amicitias sibi necessarias esse intelligeret, cœpit honestos aliquot viros, generis vel honoris cujuspiam splendore conspicuos, Græcas literas docere, Deoque propitio ad *Scipionis Cobellutii* amicitiam se contulit, qui tunc temporis *Paulo V.* a brevibus erat, *Græcæ*que Linguæ addiscendæ studio flagrabat. Quæ res maximum illi aditum ad id munus aperuit, quo functus est postea. Nam cum aliquis quæreretur, qui *Scipioni* Card. *Burghesio* in scribendis Latinis Epistolis operam daret, ejusque perquirendi provincia, a *Lanfranco Margotio* Cardinali, *Cobellutio* demandata esset, ille, veteribus suis amicis, æque ad id munus aptis, prætermissis, *Alemannum* elegit; qui quoniam, quod in scholis didicerat, nunquam ad usum contulerat, neque in verborum ac sententiarum gravitate in scribendo, neque ejus, qui scribebat, neque eorum ad quos scribebatur, honoris ac dignitatis gradum conservabat, minus ad id munus idoneus habebatur: ac sæpe auditus est queri *Lanfrancus*, quod ille, in epistolis, Latinis verbis Græca misceret, quo nihil fieri potuit ineptius. Sed non ita multo post accidit, ut *Balthasare Ansideo* mortuo, cui *Bibliothecæ Vaticanæ* custodia demandata fuerat, novus custos esset diligendus, neque tum quisquam ad rem aliquam, in qua aut honos aliquis esset aut potestas aut procuratio, nisi ex Card. *Burghesii* domo, sumeretur; nemo visus est in tota familia eo honore dignior *Alemanno*; nec injuria: nam propter egregiam excellentemque Græcarum Latinarumque rerum cognitionem, jure omnes id illi munus deberi fatebantur. Et sane ea in illo eruditio erat, quæ desideratur in eo, qui tot libris Græcis Latinisque evolvendis, notandis, curandisque præficitur. Neque homo studiosus, in tanta librorum omnium copia, sibi defuit, sed historiam sane doctam *Procopii*, & *de parietinis Lateranensibus* duos eruditissimos libros, in vulgus emisit. Jam vero, qui omnem suam operam & studium ad *Vaticanæ* sedis utilitatem decusque contulerat, honestum sibi & gloriosum esse duxit, animam, quæ semel Deo reddenda est, in Apostolorum principis ejusdemque religiosissimæ Ædis obsequio profundere. Cum enim ejus templi ara maxima, æneis columnis, ingenti magnitudine summoque artificio elaboratis, ad umbellam eidem impositam sustinendam exornanda esset, quo paria tanto oneri fundamenta jacerentur, necesse fuerat, alte circa aram terram effodere; cui operi ille custos est additus, ut videlicet daret operam, ne quis sacrilegus, vel quisquam alius, nimis curiose religiosus, quidquam ex illa humo, tot Martyrum cruore imbuta, sacrisque eorundem ossibus admista surriperet: sed cum illi muneri diligentius quam ejus salutis ratio pateretur incumberet, neque totos dies se loco moveret; accidit, ut vaporibus qui ex commota illa humo exhalabant, toto corpore conceptis, lethalem in tabem incurreret, ex eaque brevi moreretur.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro sacri Palatii Apostolici.
A. Episc. Hieracen. Vicesg.


Imprimatur.
Fr. Vincentius Martinellus Magister, & Socius Reverendiss. P. Fr. Nicolai Rodulfii, Ord. Præd. Sacri. Palatii Apostolici Magistri.

INDEX AUCTORUM.

DISSERTATIONIS SUMMA CAPITA.



N I-



TAB. I.


A

D

B

C

Ædium Prospectus.




Pedum Modulus.




E

ICHNOGRAPHIA TRICLINII LEONIANI.

A. *Tribunal, sive Apsis Triclinii primaria, quæ una integra superest, ut in sequenti tabula proponitur.*
B. *Apsis dextera solo æquata.*
C. *Apsis sinistra cuius parietinas exhibet secunda tabula.*
D. *Cubitorium, ubi Pontifici conviranti sternebatur.*
E. *Ianua Triclinii, qua patebat aditus in sacellum Sancti Laurentii, hodie Sancta Sanctorum.*





ORTHOGRAPHIA APSIDIS PRIMARIAE ET SINISTRAE.

Explicatio.

A. *Vestigia antiqui tecti displuviati.*


B. *Musivum Cameræ tactum olim flammis incendiorum Lateranensium.*


C. *Imaginum vultus variè temporum iniuria deformati.*

D. *Hiatus emblematis ante annos septuaginta omnino collapsi.*

E. *Hiatus tabellæ inscriptæ.*

F. *Apsidis sinistræ loculamentum semirutum.*





TRICLINII LEONIANI APSIS PRIMARIA RESTITUTA.

Explicatio.

A. *Vultus imaginum suppleti ex aliis eorumdem temporum.*

B. *Historia renovata ad exemplum ab Antiquariis olim exceptum cum deflueret.*

C. *Tabula nullis notata litteris exceptorum incuria.*

D. *Nomen Pontificis desideratur.*

E. *Inscriptas tabellæ acclamationes servavit Angelus Massarellus.*

F. *Ædificii descriptio verbis Anastasii Bibliothecarii.*

G. *Instaurati operis monumentum.*

1 # NICOLAI ALEMANNI
DE
LATERANENSIBUS
PARIETINIS RESTITUTIS
HISTORICA
DISSERTATIO.

Cap. I.

De Lateranensibus Parietinis aliorum opiniones.



ATERANUM, antiqua Pontificum *Romanorum* sedes, ecclesiasticis quondam fuit monumentis illustre, quæ paulatim vel temporum injuria collapsa sunt, vel novis cesserunt ædificiis. Unum ex illis, aut alterum hodie superesse videmus *Basilicam Lateranensem*, *Constantinianum Baptisterium*, & sancti *Laurentii Sacellum*, quod olim celebre fuit, ac etiamnum sanctissimum habetur. Extant, præter hæc, parietinæ, ac rudera magnarum ædium, quæ, cum longius aream excedant, qua *Sixtus V.* Pontifex Maximus suas ædificationes in *Laterano* solo circumscribi voluit, demolitionem quidem facile evaserunt; cum vero nomen earum,

2 nedum usus, atque præstantia passim apud omnes obsoleverit, ad hanc fermè diem neglectæ sunt, penitusque incultæ jacuerunt. Minime id quidem tulit Illustrissimus FRANCISCUS Cardinalis BARBERINUS, qui cum in iis ruderibus sepultas quodammodo videret insignium rerum memorias, Imperii *Romani* in Orientem translati, indeque in Occidentem reducti, publicæque pacis Urbi, ac universæ *Italiæ* restitutæ; ut primum cum dignitate fuit, hoc sui reparandæ antiquitatis ecclesiasticæ studii opus esse primum voluit, atque præcipuum. Quamquam ædificiorum molem jam ferè omninò prostratam non ex integro totam excitandam existimavit, ne vetustatis majestas novitate minueretur, vel tantis derogaretur monumentis fides & auctoritas, vel privatæ potius, ut fit, memoriæ posteris commendandæ, quàm restituendæ antiquitatis id studium videretur. Quamobrem ædificii partem, qua ea rerum præclararum historia continetur, ab interitu vindicare satius esse duxit. Itaque de suo quid addiderit, in altero consignari lapide jussit, in altero ædificatoris, loci, ususque ejus notitiam ex historiarum memoriis petitam incidi, utrumque demum veritatis, ac fidei documentum omnibus extare. Neque illa sacræ antiquitatis cura duntaxat, quæ viros Ecclesiasticos apprimè decet, ad hanc eum restaurationem

3 ædium induxit; sed etiam *Leonis IV.* sanctissimi Pontificis auctoritas, qui plenam dignitatis domum, rerumque illustrium, sartam tectam posteritati primus [1] conservavit. De ea tamen non una omnium fuit antiquariorum opinio; à *Carolo Magno* Rege *Francorum* exædificatam alii crediderunt, alii a *Leone III.* Pont. Max. Hi tamen ab

[Margin notes: Laterani hodierna facies. — Restauratoris studium. — Consilium. — Fides. — [1] Anast. in Leon. IV. — Aliorum opiniones.]

A aliis ejusdem *Leonis* ædificiis, hoc non satis commodè distinguunt; ac denique in ejus usu declarando non æquè omnes conveniunt. De qua tota controversia constabit, ubi de ædificiis à *Leone Tertio* Pontifice exstructis, vel restauratis constiterit, quæ, ex *Anastasio* Bibliothecario hic recensemus. *Leo III.* singulis Basilicæ *Lateranensis* porticibus, & *Constantini* Baptisterio tecta induxit nova, atque magnifica. In Vaticana etiam sancti *Petri* Basilica, præter contignationem, turrim etiam, gradusque tum primi aditus, atque vestibuli, tum partis templi dexteræ, ad pristinum decorem revocavit. Locum inter sacra

B sacerdotibus destinatum, quod Presbyterium appellamus, conditum ex marmore, cælato etiam opere exornavit. Restituit Ecclesiam sancti *Pauli* via *Ostiensi*, quæ terræ inusitato motu corruerat. Basilicæ *Liberianæ*, quæ est *ad Præsepe*, tectum laqueavit. In altero sancti *Andreæ* templo Aram majorem, in altero *Cata-Barbaræ*, hoc est prope *Barbaræ* nobilissimæ feminæ domum, in Exquiliis, tholum, & laquearia renovavit. *Macronam* Patriarchii *Lateranensis* jam jam 4
ruituram, substructionibus stabilivit, tectoque imposito, parietes marmoribus convestivit, illustravitque opere tessellato. Tecta, porticus, ornamenta refecit Ecclesiarum sanctæ *Anastasiæ*,

C sanctæ *Sabinæ*, sanctorum *Felicis* & *Adaucti*, aliarumque complurium, quas Bibliothecarius quidem numerat, quod ergo vero singillatim referam, nihil est; cum ædificium, de quo hic agimus, non reconcinnatum, sed integrè à *Leone* perfectum fuisse mox probaturus sim. Cumque in *Laterano* id esse videamus, alias *decimoquarto* lapide, via *Appia*, *Albæ*, *Ostiæ*, *Præneste*, *Ravennæ* ab eodem factas Ecclesiarum restaurationes licet præterire. Ergo in *Laterano* juxta Templum *Constantini Leo III.* Triclinium ædificavit, & undecim hinc inde concameravit tribunalibus,

D quorum primarium opere vermiculato, reliqua coloribus variavit, instravit marmoribus pavimentum, cænationes fecit, labrum in impluvio porphyreticum collocavit. Præterea ante *Basilicam Lateranensem* ad Septentriones *Triclinium* alterum posuit tribus duntaxat tribunalibus distinctum, sed opere, ornamentis, divitiis, totaque fabrica priore illo longe splendidius; nam aula perampla, marmorum incrustationibus, porphyreticis parilisque columnis locupletata, ita superiorum Pontificum Triclinia in *Lateranensi* Patriarchio fabricata superavit, ut *Magni* nomen 5
exinde tulerit. In iisdem Pontificum ædibus o-

E ratorium erexit, quod emblemate, & pictura decoravit, ac vasis ex argento, & auro, pretiosaque suppellectile auxit. Non piget alia *Leonis* ædificia recensere, quæ licet in campo *Laterano* ab

[Margin notes: Ædificia à Leone III. restaurata. — Ædes constructæ in Laterano. — In Vaticano & alibi.]

ab illo poſita non ſint, ad ea tamen explicanda, & quæ dicturi ſumus comprobanda, plurimum conferunt. Ad ſancti *Petri* in *Vaticano Triclinium* fecit *Lateranenſi* illi perſimile. Ejuſdemque Baſilicæ parte dextera *Xenodochium* cum cœnatione, & balneis condidit, peregrinorum, qui eò adventarent, publicæ commoditati. Balneas alias ibidem exſtruxit juxta *Columnam majorem*. In ora *Vaticani* collis extrema, ubi Naumachia fuit, ad portam ſuburbanam, quam *Angelicam* nuncupamus, præter ampliſſimum *Noſocomium*, ſancti *Petri* titulo dedicavit Eccleſiam. Cœnobium, & Baſilicam ſancti *Stephani* primi martyris locavit in *Gallæ* Patriciæ ſolo, unde ea ſtructura *Cata-Gallæ* nomen accepit. Templum ſanctæ *Suſannæ* ad *Thermas Diocletianas*, quod majores *inter duas domos* dixere, vetuſtate labefactatum omnino demolitus eſt, jactiſque rurſus amplioribus fundamentis, novum, atque magnificentius excitavit. Denique ſanctorum *Nerei*, & *Achillei* ædem, veteri dejecta, ſublimiore loco collocavit,
6 ne humiliore, in quo antea ſubſidebat, vicinarum obrueretur aquarum colluvie. In hoc *Leonis* ædificiorum indiculo licet illud ipſum, de quo quærimus, habeatur, operæ pretium tamen eſt, id apertius, certiſque rationibus indicare. Imo verò cum à nonnullis hæc ipſa domus *Carolo Magno* conditori adſcribatur, iſtorum primùm videre rationes, & quantum quæque valeat, erit operæ haud inanis.

CAP. II.

An Carolus Magnus *hujus fuerit autor ædificii.*

Caroli M. ſacra ædificia.

OBſcura minime ſunt, quamquam enumerari facile non poſſunt, eccleſiaſtica monumenta, quæ ubique terrarum exædificavit *Carolus* Imperator *Pipini* Regis filius. Hanc ejus in Deum, ac Sacerdotes pietatem, vel unica illa teſtatur Baſilica, quam *Aquiſgrani* Deiparæ Virgini, *opere*, ut [1] *Eginhardus* ait, *mirabili* conſtruxit; ad quam exornandam non illi ſatis fuerunt ſuæ ditionis provinciarum divitiæ, ſed ex longinquis terrarum orbis partibus ornamenta conquiſivit; columnas, marmora, coloratasque teſſellas magnis ſumptibus, atque labore *Roma*, *Ravenna*que, [2] *Adriani* Pontificis permiſſu, convexit. In *Italia* cum alibi, tum *Bononiæ* atque *Florentiæ* ſacrorum ejus ædificiorum ſuppetunt memoriæ. *Romæ* nulla veſtigia vidimus, vel à quoquam prodita fuiſſe legimus. Semel, iterum, ac tertiò votorum ſolvendorum, ac ſupplicandi gratia *Romam* ille profectus eſt, & è veſtigio inde receſſit; quartò cum *Leoni* vindicandæ dignitatis cauſa veniſſet, in Urbe totam exegit hiemem, quo eum tempore nihil ædificii molitum fuiſſe conſtat, Si quid verò cogitaſſet, non *Laterani*, non *Oſtienſi* via ([3] nam de Cœnobio inibi conſtruendo, non *Carolus*, ſed *Adrianus* Pontifex ea mente fuerat) non in agro *Verano*, vel *Seſſoriano*, ubi *Conſtantinus*, & alii retro Principes ſed in *Vaticano* ſuas *Carolum* ædificationes collocaturum fuiſſe res ipſa docet, ac Principis ingenium. *Nam colebat præ cæteris ſacris, & venerabilibus locis apud Romam*, inquit [4] Eginhardus, *Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ tam auri, quàm argenti, nec non & gemmarum ab illo congeſta eſt: multa & innumera Pontificibus munera miſſa: nec ille toto regni ſui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma ſua opera, ſuoque labore veteri polleret auctoritate; & Eccleſia ſancti Petri non ſolum per illum tuta, ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus, præ omnibus Eccle-*

7 An ejus aliquod Romæ.

1 Egin. in vit. Car.
2 Adrian. ep. 12.
3 apud Alcuin. epiſt. 83.
4 Egin. ibid.

A *ſiis, eſſet ornata, ac ditata.* Opes quidem ingentes haud dubie *Romam* miſit, ac detulit, ex quibus paucarum, ſed auguſtiorum memoria ſupereſt in hiſtoriis; [5] tabulæ ſcilicet ex argento, præcipuæ magnitudinis, ac ponderis, quæ *deſcriptionem urbis Conſtantinopolitanæ* continebat, eam ex teſtamento Baſilicæ *Vaticanæ* legavit; & [6] Crucis ex auro puriſſimo gemmis ornatæ, quam in *Lateranenſi* Eccleſia *Leoni III.* Pontifici obtulit, ac in Solemnibus litaniarum pompis Summis tantummodo Pontificibus præferri voluit. Infinita hujuſmodi donaria *Romæ Carolum* reliquiſſe ſcimus, ædificium verò, ne unum quidem. Quam-
B obrem jure quis [7] *Angelum Maſſarellum Theleſinum* Epiſcopum, & [8] *Alphonſum Ciacconum* viros alioqui ſtudioſos eccleſiaſticæ antiquitatis miretur, qui ædes haſce, de quibus diſputamus, *Caroli Magni* Aulam crediderunt, eamque aliorum quoque ſententiam eſſe *Ciacconus* affirmavit. Quibus autem rationibus in illam ſententiam venerint, ego certè non video, niſi quòd in ædium apſide *Caroli* effigies coloratis lapillis depicta ſit, nomenque in inſcriptione legatur. At ibidem *Leonis* quoque Pontificis nomen vultuſque conſpicitur; uter ergo alterum depinxerit, ædificiumque poſuerit, æque dubium eſt, ſi hanc ra-
C tionem ſequamur. Imo ſi vel hanc ſequamur rationem, nullo negotio conditori ædificium certò vindicabimus. Inſcriptio enim, quæ niſi curioſis oculis perſpici pridem nequibat, utpote quæ ſublimi, vicinaque contignatione collapſa, ab ima ruinarum congerie, non apta diſtantia ad hanc diem legebatur, ita ſe habet.

SANCTISSIMVS 9
D. N. LEO. PP.
D. N. CARVLO. REGI

Quis ergo cui fecerit, videt nimirum qui legit. Accedit eò, quòd eccleſiaſticæ rei antiquariæ pe-
D riti norunt conſueſſe *Romanos* Pontifices quando Baſilicarum ædificationes, aut refectiones curarent, cum ſuis, æqualium etiam Imperatorum, Regumque imagines in tribunalibus Eccleſiarum unà collocare. *Leonis IV.* ſuccurrit exemplum apud [9] Anaſtaſium Bibliothecarium; *Petri quoque Paulique pariter vultus, atque Andreæ in prænominatis tabulis ſimiliter ſplendent, atque coruſcant; inter quos ſanctiſſimi Quarti Leonis Præſulis, nec non & ſpecialis filii ſui Domni Imperatoris Lotharii, propter futuram memoriam, ſive mercedem, perſonæ Deo caræ per cuncta ſæcula venerandæ, depictæ ſunt.* Idem plane hoc in ædificio *Leonem III.*
E feciſſe nemo non videt; idemque ab illo ſæpe factitatum probare poſſemus, ſi ejuſdem monumenta, vel pars aliqua ſuppeteret eorum, quæ paulo ante numeravimus. Quippe, annos ab hinc fermè triginta, in Eccleſia ſanctæ *Suſannæ* ad *Thermas Diocletianas* vidimus in emblemate vermiculato haſce *Leonis*, *Caroli*que imagines, *Lateranenſibus* illis, vultu, habitu, coloribus plane ſimillimas.
Cæterum quis neſciat à *Leone III.* Pontifice, 10 non à *Carolo Magno*, ſanctæ *Suſannæ* templum in hanc, quam hodie videmus, ædificii amplitudinem redactum fuiſſe, ac tum etiam opere teſ-
F ſellato diſtinctum? *Ipſe verò præcipuus Pontifex*, 11 inquit [10] Anaſtaſius, *in titulo ſanctæ Suſannæ, ubi & Presbyter ordinatus fuerat, dum breviter deſtructus fuiſſet, & jam per longitana tempora, ipſæ parietinæ marcuiſſent, ob nimium amorem, ampliavit ædificium, & noviter in altum ſodiens firmiſſimum poſuit fundamentum, & eruta planitie mirificè excelſa ſuper ipſa fundamenta ædificavit Eccleſiam cum apſida ampliſſima, & cacumina mirifica de muſivo, atque cameram decoratam, ſeu presbyterium*

5 Carol. in Teſtam.
8
6 Anaſt. in Leon. III.
7 in Advers.
8 in Leon. III.
An hæc aula Caroli Magni.
Pontificum, & Principum imagines.
9 in Leon. III.
vide TAB. IV. Fig. I.
10 in Leon. III.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.




Fig. 6.



Fig. 7.





rium & pavimentum marmoribus pulchris ornavit. Verum etiam dextra, lævaque & porticus ejus cum columnis marmoreis construxit. Cacumina, inquit Anastasius, *mirifica de musivo*; nam imagines singulæ (novem eæ omnes erant) singulis in colli-

A bus eminebant, ut in hac tabella duas illas, quæ ad rem faciunt, repræsentavi. Denique inscriptio quæ in eadem Ecclesia legebatur, *Leonem III.* profert autorem.

DVDVM. HÆC. BEATÆ. SVSANNÆ. MART. AVLA
COANGVSTO. ET. TETRO. EXISTENS. LOCO. MARCVERAT
QVAM. DOMINVS. LEO. PP. III. A. FVNDAMENTIS. ERIGENS
ET. CONDENS. CORPVS. BEATÆ. FELICITATIS. MART
COMPTE. ÆDIFICANS. ORNAVIT. ATQ. DEDICAVIT

In ea, quam hic proposuimus, tabula *Leo* Pontifex ob *Caroli* Regis in se merita, mutuamque benevolentiam, effigiem ejus exprimendam curasse videtur; in *Lateranensi* autem ædificio causam quamobrem id fecerit, quæ longe gravior est,
12 statim exponemus, ubi prius easdem illas ædes *Leonem III.* parasse probaverimus.

CAP. III.

Ædificii hujus autor Leo III. *Pontifex.*

[1 in Leon. III.] [Leoniani Triclinii descriptio.] QUod hisce verbis testatur [1] Anastasius Bibliothecarius. *Fecit Leo in Patriarchio Lateranensi Triclinium majus super omnia triclinia, nominis sui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmissima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis stravit. Et diversis columnis tam porphyreticis, quamque albis, & sculptis cum vasis, & liliis simul positis decoravit. Cameram cum apsida de musivo, & alias duas apsidas, diversas historias pingens, marmorum incrustatione pariter in circuitu decoravit.* Quam [Descriptionis, & Parietinarum comparatio.] descriptionem, si cum singulis, quæ quidem supersunt, ædificii hujus partibus commiseris, nullus relinquetur de autore dubitandi locus. Ex *tribus* etenim illis *apsidibus*, primariam tessera versicolore etiam num nitere videmus; alterius, ad lævam, integrum apparet loculamentum; tertiæ, dextrorsum, non nisi vestigia. *Picturas* ex coloribus qui ultimus ibidem contemplatus fuit, [2] *Onuphrius* est *Panvinius*. [2 de sept. Eccles.] *Musivo* autem *decoratur & Camera*, ut *Anastasius* ait, hoc est, pars tribunalis interior testudinata; *& Apsis*, exterior illa videlicet, quæ ad utrosque hinc inde
13 parietes pertingit æqua, & plana. *Fundamenta* illa *firmissima* Pœnitentiarii *Lateranenses* olerum seminariis, hortoque penitus obruerunt: ea porro jacta olim sub publicæ viæ solum; ut inferior pars ædium ostendit, cujus columnæ ruinarum ruderibus consepultæ, cubitis vix hodie duobus extant è pavimento. Columnæ Pariæ sunt, quas Anastasius *albas* appellavit, *porphyreticæ* illæ, & *marmora* nunc desiderantur, quæ more suo *in exemplis* dixit, hoc est *exemplata*, diversarum scilicet rerum imaginibus cælato opere distincta. Ait denique *nominis sui magnitudine decoratam*; Quod *Leonis* vocabulum jam tum ædificium tulerit, quodque ibidem loco conspicuo, ut etiam num cernitur, in apsidis culmine *Leonis* [Pontificum nomina in ædificiis.] nomen fuerit inscriptum. Namque præter consuetudinem non est veterum Pontificum, ædificiis à se excitatis titulos indere, cum hodieque [* vide TAB. IV. pag. 4. Fig. 2.] legamus monogrammata * *Adriani* Primi, in Viminali ad sanctæ *Pudentianæ*. *Paschalis Primi* † trans [† Fig. 3.] *Tyberim* in Ecclesia sanctæ *Cæciliæ*, & in æde [‡ Fig. 4.] sanctæ *Praxedis* in Exquiliis. *Nicolai Primi* ‡ ad Amphitheatrum *Vespasiani* in Basilica sancti *Clementis*. Quin etiam in Christi Domini mono-
14 grammate à Pontificibus sua nonnunquam inserta sunt nomina, ut in Basilicæ Liberianæ arcu ma-

B jore à *Xysto III.* restaurato, atque his litteris * insignito, quæ identidem *Christi*, & *Xysti Papæ* nomen referunt. [* vide TAB. IV. pag. 4. Fig. 5.] Id *Leo III.* imitatus in fastigio tribunalis hanc coronidem †, *Christi* scilicet, & [† Fig. 6.] *Leonis Papæ* nomen imposuit. Quo quidem significare piissimi Pontifices voluerunt eas structuras à se quidem, sed Christi cum primis ope, ac ad ejus nominis gloriam, factas fuisse; quod idem cruce nomini sic apposita ‡ denotatum est in [‡ Fig. 7.] Ecclesia sanctorum *Nerei*, & *Achillei* ab eodem *Leone III.* quem [3] *Alphonsus Ciacconus IV.* fuisse [3 in Leon. III.] perperam opinatur; Nam *Anastasius* in *Leone III.* *Hic à Deo inspiratus venerabilis, & præclarus Pon-*
C *tifex*, inquit, *conspiciens Ecclesiam beatorum Martyrum Nerei, & Achillei præ nimia jam vetustate deficere, atque aquarum inundantia repleri, juxta eandem Ecclesiam noviter à fundamentis, in loco superiore, Ecclesiam construxit miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam.* Illius Templi conditor, tametsi Ecclesiasticæ patrem historiæ *Cæsarem Baronium* ejus Tituli Cardinalem non latuit, ut lapis ab eodem positus indicat; latuisse tamen videtur, hanc, quæ modo superest, non eam esse sanctorum *Nerei*, & *Achillei Basilicam*, in qua *Gregorius Magnus*, ut in eodem inscribitur 15
D lapide, homiliam habuerit; cum illud templum, *Anastasio* teste, liquidò pateat humiliore situm loco fuisse, cujus, post *Leonis III.* restaurationem, ne vestigia quidem appareant. Hæc de Pontificum titulis dum scribo, in æde sanctorum *Quatuor Coronatorum*, haud longe à *Laterano*, sacræ Martyrum effodiuntur memoriæ, & *Leonis IV.* olim restauratoris hæc inscriptio: ✠ EGO. LEO. FECI. ✠ pietate, qua fecerit, geminato christianæ salutis signo declaravit. At si quis in loculo illo plumbeo litterarum simplicitatem contempletur, apices nimirum nulla extantes aut incisos arte, nulla artificum industria
E fusos, aut cælatos; sed inelegantes, rudes, rudique stilo exaratos, videbit plane in iis sanctissimi Pontificis non tam vacillantem senio manum, quàm demissum modestia animum, nullam in titulo gloriam captantem, sed facti tantummodo fidem posteris, memoriamque commendantem. Quam antiquam, vereque christianam probitatem exprimit eò digniore imitatione Illustrissimus *Joannes Garsia* Cardinalis *Millinus*, quò in restaurandis eorumdem Martyrum monumentis ejus ostenditur profusior largitas, atque sine gloriosa ostentatione munificentia. Cæterum illud *Lateranense* ædificium, ex quo huc deflexims,
F à *Leone III.* fuisse contructum, non solum *Anastasii* asseveratione, comparatione structuræ, e- 16
jusque partium, ac denique tituli, nominisque inscriptione demonstratur; verum etiam *Leonis IV.* [Triclinium Leon. III. a Leone IV. reparatum.] testimonio, qui Prædecessoris sui adeo fuit nomini, gestisque ab eo rebus addictus; ut singulas illius ædificationes, quæ vitium fecissent, vel aliqua essent ex parte labefactatæ, summa diligentia reconcinnaverit. Verum de aliis disserere nihil interest, de hujus modo ædificii reparatione Anastasius Bibliothecarius: *Accubitum, quod Domi-*

minus Leo bonæ memoriæ Tertius Papa à fundamentis construxerat, & omnia ornamenta quæ ibi paraverat, præ nimia vetustate, & oblivione antecessorum Pontificum deleta erant, &c. *isdem beatissimus & summus Præsul Leo IV. cum gaudio, & nimia delectatione omnia ornamenta, sive alimenta, quæ inde deleta fuerant, noviter reparavit, & ad usum pristinum magnificè revocavit.* Denique illa *Caroli* Regis *Francorum* imago, quæ hoc in ædificio visitur, comprobare id luculentissime videtur. Quippe cum ex inscripto titulo *Leoni* cuipiam conditori domus, tribuenda sit, eamque Primo, vel Secundo *Leoni* nequeamus adscribere, quòd illorum *Caroli*que ætas id minime ferat; neque rursus, ædificium, quod à *Leone IV.* constat esse redintegratum, *Leoni V.* aliisque deinceps tanquam autoribus tribui possit; reliquum est, ut à *Leone III.* factum minime dubitemus. Is verò, quod & historia docet, & emblema illud præ se
17 fert, ope *Caroli* Magni in suæ dignitatis gradum restitutus, mutuam *Carolo* gratiam retulit, *Romanum* Imperium.

CAP. IV.

Ædificii hujus nomina, & usus.

QUamobrem ab ædificatore, locique amplitudine apud nonnullos hæc domus *Aulæ Leonianæ* nomen invenit. Verum *Anastasius* Bibliothecarius modo *Triclinium*, modo *Accubitum*, ut vidimus; appellavit. In antiquis autem Bibliothecæ Vaticanæ *libris Ritualibus*, ante annos fermè sexcentos, à *Benedicto Politico*, deinde à Cencio Camerario *Basilica Leoniana* nuncupata est. Non deerit ob id fortasse qui credat, ea nominum varietate, non unum idemque ædificium, sed plane diversa notari, præsertim cùm hoc, non tam Triclinium fuisse, quàm ædem sacris peragendis constitutam, Nomen, Apsides, sacræque ejus Imagines probare videantur. Verùm hæc quominus aptè Triclinio quadrent, nihil omnino prohibet. Non quidem *Basilicæ* vox; cum Basilicam, teste *Servio*, Cœnationem dici notum sit; Cœnatio vero est Triclinium; quod etiamsi [1] *Servius* falso neget, asserunt tamen *Fabius Quintilianus*, *Valerius Maximus*, *Suetonius Tranquillus*, [2] & *Marcus Vitruvius* cum de Triclinii conformatione agit, quæ à Basilica
18 ferè non distat, quippe cum in his [3] *quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debeat.* Accedit, quòd apud Christianos quæcunque paulò major, honestiorque domus dici Basilica consuevit. In sylvanis etiam Monachorum casis, atque Cœnobiorum ædificatiunculis, si qua reliquis esset amplior janua, eam βασιλικήν, *Basilicam*, sive *Regiam*, cum ab aliis, tum à [4] *Sophronio* vocatam invenies. Neque prohibent *Apsides*; quò etenim capaciora parabantur Triclinia, eò magis abundabant Tribunalibus. Sane imperiale fuit illud *Byzantii*, quod per quandam excellentiam *Tribunal* dictum est; in eo *novemdecim Accubita*, hoc est, *Apsides* fuisse, sanctus *Nicephorus* [5] *Constantinopolitanus* Patriarcha testatur, unde τῶ δέκα ἐννέα ἀκκυβίτων nomen accepit; cœnas ibi publicas (quas demum *Justinianus*, ut est apud [6] *Theophanem*, sustulit) Senatui, Populoque *Cæsares* dabant. *Hormisdæ* Augustalis domus Triclinium, ubi Severiani, & Catholici Præsules disputaturi, sub *Justiniano*, convenerunt, ab apsidum numero ἑπλάκογχον *septiconchum* vocavit *Innocentius* [7] *Maronianus* Quod enim in morem Concharum curvatum, sinuatumque esset, *Concham* dixere veteres Græci, & Latini, quare [8] *Pauli-*

Triclinium Basilica dicitur.

1 *Ad lib. 1. Æn.*

2 *Lib. 6. cap. 5.*

3 *Vitr. ib.*

4 *In Vit. M. Ægyp.*

Tricliniorum Apsides.

5 *In histor.*

6 *In Chro.*

7 *In Epist. ad Them.*

8 *In ep. ad Sev. 12.*

A *nus Nolanus* Antistes: *Totum verò*, inquit, *extra Concham Basilicæ spatium alto, & lacunato culmine geminis utrinque porticibus dilatatur.* Omnia 19
denique priscorum Pontificum Triclinia conchata, certisque partibus concamerata, & loculamentis distincta fuisse *Anastasius* perhibet. Neque *Imagines* denique prohibent; nam quod de iis objicitur, minus offendere animum debet, cum nostrorum ea modestia fuerit, & probitas majorum, ut singulis in locis extare monumenta vellent, quibus pietas excitaretur; & in Tricliniis non magis ore alimenta vitæ, quàm auribus, oculisque pietatem hauriendam curarent è
B piis acroamatis, atque pictura. Id sane spectavit *Zacharias* Pontifex, qui suo in Triclinio, ut [9] *Anastasius* prodit, orbis terrarum universi descriptionem sibi, posterioribusque Pontificibus delineaverat; se enim illosque monere officii voluit, sive alibi, sive super mensam, & inter pocula deponendam *Romanis* Pontificibus non esse illam, quæ eos tangit, omnium Ecclesiarum solicitudinem. Hujus vero Leonianæ Cœnationis imagines, quod facere ad rem maxime videtur, Christum referunt undecim Discipulis in Cœnaculo præsentem, & coram disserentem: quo, quid *Leo* innuerit, opportuno loco dicemus;
C præstat enim, ex antiquis scriptoribus, quis hujus fuerit usus Triclinii prius audire. Apparare publicè convivia certis celebrioribusque anni diebus, mos est Christianorum vetus, sanctorum virorum exemplo, & divinarum testimonio literarum approbatus. Sed ea principiò quidem ab 20
Ecclesiis, ac Templorum porticibus (ubi aliquando cœnatum fuit) submovit Christiana moderatio; certa deinde iis attribuit loca, in quibus decentius instruerentur: idque curavit non modo gravissimus Ecclesiasticorum ordo, sed etiam laicorum. Reges namque, & Imperatores convivia egerunt publica præcipuis Christi Do-
D mini festivitatibus, quas [10] *Georgius* enumerat Curopalates, in Tricliniis superbissimè ædificatis ornatisque: in iis fuit *Tribunal novemdecim Accubitorum*, de quo paulo ante memoravi, & laudatissimum illud *Justini Cæsaris*, à magnifico & plane regio apparatu [11] χρυσοῦ, *Aureum* appellatum. Modestissimè id fecerunt *Romani* Pontifices; à quibus subinde in Patriarchio *Lateranensi* Triclinia extructa sunt, numero quidem plura, sed magnitudine, pro convivarum frequentia, ornatu vero, qui Ecclesiasticis apprimè conveniret; conveniret autem etiam Principibus viris, Regibus, & Imperatoribus, quibus in Urbem religio-
E nis, & votorum ergo confluentibus cœnas dabant Pontifices. In hanc præcipuè rem *Leo III.* diligentiam videtur contulisse, ut honestius curaret Triclinium, quàm *Theodorus* Primus, & *Zacharias* Pontifices jam olim curavissent; quippe angustiores fuisse illas eorum cœnatiunculas, quam pro Imperatorum dignitate, minime dubium est; 21
cum earum comparatione, *majus super omnia Triclinia* Leonianum hoc celebret, prædicetque Bibliothecarius. Nimirum ob eam ædificii capacitatem excipiendis Regibus destinati, ætate *Jacobi Stephanesci*, ut mox dicam, *Regia* nuncupa-
F ri cæpit cænaculum *Leonianum*. Cum igitur Imperatoribus convivio accipiendis hoc *Leo* Triclinium designavisset, summo ejus loco, atque conspicuo Imperii utramque translationem depinxit, de qua statim, prout locus hic postulat, disseremus. Clerus verò, Clerique optimates hic convivari cum Pontificibus solebant Natali Christi Domini die. Verumtamen eo anni tempore Triclinium Boreali patens, atque apertum regioni vis frigorum, hiemisque fecit oppidò incommodum. Qui ergo paulo post *Leonem III.* fuere Pontifices *Gregorio*-

Tricliniorum imagines.

9 *in Zach.*

Publicorum usus Tricliniorum.

10. *De off. Pal. C. P.*

11. *Aust. Antiq. C. P.*

Triclinia Pontificum.

Triclinium Regibus excipiendis

Idem Ecclesiasticis accipiendis.

Triclinii Leoniani solitudo. *[12] in Sergio II.* gorius IV. Sergiusque II. ut Bibliothecarius [12] exponit, *In die Natalis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem ibidem minime epulabantur.* Fortasse neque Paschatis die, de quo modo narrabimus, quando nec dum frigorum molestiæ penitus sedatæ Pontificibus ætate gravioribus videri poterant. Commodiori proinde loco positum à *Gregorio IV.* cœnaculum facile mihi persuadeo; nisi omnino supervacaneum fuisse, nullumque habuisse usum credere velimus, quod ab illo paucis *[13] in Greg.* post Leonianum annis extructum idem [13] autor testatur. *Verum etiam fecit Gregorius in Patriar-*
22 *chio Lateranensi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum apsida de musivo; sed & alias apsidas duas dextra, lævaque positas, infra Paracellarium, variis historiis depictas.* Si infra *Paracellarium* Gregoriana cœnatio sita fuit, commodiori haud dubie loco fuit; cùm Patriachii diversis hinc inde circumsepta ædibus, & quasi consota, hibernis aptior esse posset conviviis. Siquidem *Paracellarium* adeo reconditum in Patriarchii penetra- *[14] Ibidem* libus fuit, ut *descensum*, inquit [14] Anastasius, *qui Paracellarium respicit, per quem antea homines, velut in nocte, ascendebant, & descendebant, ita noviter reformarit Gregorius, ut nulla inde transeuntes obscuritas ut ante, valeret præpedire.* Et subdit: *Alia nova adiecit*, nempe Triclinium, *in quibus tres caminatas fieri jussit*, ad frigoris nimirum vim depellendam; qua plane commoditate caruit *Leonis* hiemale Triclinium. Denique quàm temperatior hiberno tempore illa Triclinii, atque *Paracellarii* sedes fuerit, *Balnei* vicinitas declarat. *Renovavit imo*, inquit, *& Balneum, quod juxta Paracellarium situm est.* Quapropter, quod ad hoc attinet, cum longe opportunius *Gregorii* quàm *Leonis* cœnaculum fuerit, viginti totis annis, quibus *Gregorii*, atque *Sergii* Pontificatus ferè computantur, summa Leoniani Triclinii extitit infrequentia. *Vitium.* Eaque de causa, quod ædibus *[15] in Leon. IV.* diutius habitatorum assiduitate destitutis evenit, & credere par est, vitium fecit; nam *o-*
23 *mnia ornamenta*, inquit [15] Anastasius, *quæ ibi Domnus Leo bonæ memoriæ Tertius paraverat, præ nimia vetustate, & oblivione antecessorum Pontificum, deleta sunt.* Deleta autem erant *Leone IV.* Pontifice, hoc est, anno, ab ædificato Triclinio, sexagesimo; quo tempore si quis ædificii bene materiati (ut quidem Leonianum hoc fuisse testatur *Anastasius*) ætatem metiatur, plane *Restitutio.* videbit, eam non tam ætatis, quàm solitudinis, incuriæque fuisse labem. Restituta ergo sunt à *Leone IV.* non solum hujus Triclinii *ornamenta*, sed etiam *alimenta*, usus scilicet ille conviviorum antiquus die Christi Domini natalitio è Gregoriano Triclinio huc iterum revocatus. *Isdem verò*, ait Anastasius, *beatissimus, & summus Præsul Leo IV. cum gaudio, & nimia delectatione omnia ornamenta, sive alimenta, quæ inde deleta fuerant; noviter reparavit, & ad usum pristinum magnificè revocavit.* *Usus statis anni temporibus.* Eodem hoc in cœnaculo Paschatis primo, alteroque die, prandere solitos Pontifices accepimus. Primo quidem, ita parabatur mensa, ut more Christi consueto, in lectis *[16] in vita Ludo. Vic. Crassi.* tricliniaribus convivæ recumberent. *Thoris accubitati* ([16] Sugerius ait) *Agnum materialem sumunt.* Pontifici lectus sternebatur sub Tribunali, nempe summo Triclinii loco, cui ob id nomen *Cubitorio* fuit; hinc inde ad utramque apsidem discum- *[17] in Polit. [18] l. 2.* bebant Cardinales ad prandium vocati. Rem totam ex [17] *Benedicti* Politici, & [18] *Cencii* Camerarii ritualibus libris referre præstat. *Porrò au-*
24 *tem Basilica magna Leoniana, ubi hoc die in mane Domnus Papa comedit, circa mensam Pontificis præparata sunt undecim scamna pro quinque Presbyteris totidemque Diaconis Cardinalibus, & Primicerio. Ibi etiam lectus ipsius Pontificis solemniter est præparatus in figura undecim Apostolorum recumbentium circa mensam Christi. Transiens autem Pontifex per ipsam Basilicam intrat Cameram suam, ubi in scypho argenteo recepto, à Camerario, Presbyterio, eoque, sicut in Nativitate Domini, erogato, surgit & ducitur à magistro seneschalco, & Pincerna ad locum, qui dicitur Cubitorium.* *Situs.* Ex quibus, præter alia, illud quoque intelligimus, hoc *Leonis* Triclinium pro vestibulo ferè fuisse Pontificii cubiculi, & ex altero, paratum commodumque aditum in alterum patuisse, & ex Triclinio in Lateranensem Ecclesiam; quod, tum quæ infra dicemus, comprobant, tum ille Camerarii locus de secundæ diei Paschatis convivio: *Deinde Pontifex*, inquit, *ducitur, sicut hesterna die, ad convivium, quod etiam hodie in Basilica Leoniana, quæ est juxta Cameram celebratur, finitoque convivio descendit Ecclesiam Lateranensem.* Qua denique die Pontifex coronam, & infulas accipiebat, publicum ibidem exhibere Primoribus epulum con- *[19] in Vit. Innoc. III.* sueverat. Nam [19] Autor *Innocentii III.* æqualis, qui ejus vitam litteris commendavit; *Facta*, inquit, *laude ante Lateranense Palatium, postquam ascendit in domum majorem, quæ Leoniana vocatur, solemne convivium celebravit.* Et de *Bonifa-* *[20] in lib. de Coron. Bonif.* *cio* VIII. *Jacobus* Card. [20] *Stephanescus.*

Exsurgensque iterum modicam, paucamque per horam 25
Discubuit thalamo Princeps, qua Regia sese
Protendit, magnique Duces, totusque Senatus,
Et Reges, Proceresque aliis discumbere mensis;
Quique suo sedere loco: fulgebat ab auro.
Tota Domus.

Jure Leonianum Triclinium *Regiam* appellavit, etsi enim ad *Basilicæ* nomen, quo reliqua etiam Patriarchii Lateranensis Triclinia vocata sunt, alludere videtur, tamen ob amplitudinem, dignitatem, pulchritudinemque peculiari quadam ratione illud nomen obtinuit. Quandoquidem *Leonis, & aliorum Tricliniorum differentia.* *Theodori*, & *Zachariæ* Cœnacula humili, & sane plebejo vocabulo *Panetariæ*, teste *Cencio*, dicta fuere; atque in iis cœnare Pontifices consueverant sacro Cœnæ Domini die, quando non tam publica lætitia, quæ nulla tunc esse solet, quàm rituum ecclesiasticorum ordo postulare id videbatur.

CAP. V.

Alterum ejusdem Ædificii nomen, aliique usus.

SEcundum Leoniani Cœnaculi nomen est *Basilica*; quo nomine omnes Patriarchii Lateranensis ædes censebantur, in quibus aliquid solemnium religionum, ecclesiasticarumque cæremoniarum exerceretur, ob idque *Ecclesiæ* appellatio 26 tributa illis nonnunquam videtur. *Patriarchii Lateranen. Basilicæ.* Eæ porrò complures in Patriarchio fuerunt; *Basilica sancti Laurentii*, [1] in qua, velut in domestico sacrario, Reliquias sacras Pontifices recondidere, ut in publicis supplicationibus essent ad manus, atque paratæ. [2] Designatorum Episcoporum eadem fuit veluti palæstra, in qua eorum scientiæ, morum probitatis, regendique peritiæ, antequam sacris initiarentur, publicè fiebat experimentum. *Basilica sancti Gregorii* Vestiarium fuit, quam hodie *Cameram* vocant *paramentorum*; [3] in ea Cardinales, & reliqui Antistites, qui inter religiones Pontificibus præsto erant, sacra sumebant indumenta. Ex *Basilica sancti Sylvestri* Pontifices, omnisque ordo Ecclesiasticorum Procerum, Sanctorum reliquias [4] primum venerati, solemni pompa ad supplicationes prodibant. Hæc vero sancti *Sylvestri* non modo *Basilica*, ob eos, quos dixi ritus, sed etiam *Ecclesia* nuncupatur à *Cencio*

[1] Cenc. Cam. in Rit. *[2] Idem ibid.* *[3] Idem ibid.* *[4] Idem ibid.*

Leonis Triclinium cur Basilica. *Camerario.* Peculiari hac ergo ratione Leonianum Triclinium *Basilica* nominatum est, quòd die qua Palmaria celebramus (ea est Dominica *in ramis Palmarum*) in *Leonis* Triclinium Pontifex, universusque Ecclesiasticorum Senatus sacris indutus vestibus conveniebat, & ramos in Basilica sancti *Sylvestri* primùm omnium ab Acoluthis paratos, & à quopiam deinde ex Cardinalium ordine, solemni ritu, & precatione, more majo-
27 rum, sacratos Pontifex singulis distribuebat, pompamque supplicem Cleri, ordinumque omnium inde duci jubebat. E Leoniana Basilica sinistrorsum per scalas Patriarchii in porticum descendebatur Lateranensis Ecclesiæ, indeque pergebatur in presbyterium ad sacra ejus diei peragenda, *Palmæ*, inquit [5] Benedictus Politicus, *ab Acoluthis collectæ sunt in Basilica sancti Sylvestri, unus de Cardinalibus eas in Basilica sancti Laurentii in Palatio benedicit, quas Ostiarii portant in Basilicam Leonianam ad Pontificem. Indutis omnibus ordinibus Palatii, Pontifex expendit palmas, postea exeunt inde cum processione &c.* Tandem in Basilicis causas agitari, jus à Magistratu dici, negotia publica, privataque petractari solita, ob idque in Basilicis summo loco apsidas sinuatas, id est Tribunalia, Principibus, ac Magistratui constituta nemo nescit. Cæterum [6] litteris proditum est in hac Leoniana Basilica contra *Joannem* Archiepiscopum *Ravennatem* in jus olim adductum, frequenti Episcoporum, Cardinalium, atque Optimatum consessu, *Nicolaum I.* Pontificem sententiam tulisse. [7] Eadem etiam in Basilica *Rhothadi Suessonum* Episcopi causam ab eodem *Nicolao* cognitam legimus; quare hunc locum agendis negotiis, publicoque Senatui cogendo, quem hodie *Consistorium* appellant, à *Leone III.* & Successoribus destinatum dicere minime ego quidem dubitaverim. Siquidem *Leo* post
28 suum è *Germania* reditum, hujus Triclinii minime absolutis licet ornamentis, ut infra probabo, in eo tamen frequentes habuit conventus de sua, & Sicariorum controversia: *Cum multo gaudio, & lætitia*, inquit [8] Anastasius, *in Patriarchium Lateranense Leo introivit: & post aliquantos dies, fidelissimis Missis, qui cum eo venerunt in Pontificale obsequium, videlicet Hildivaldo, & Arno Reverendissimis Archiepiscopis; & Cuniberto, Berardo, Hattone, & Tesse Reverendissimis & sanctissimis Episcopis, nec non & Flacco electo Episcopo; verum etiam Helmogot, Rothegario, & Germano gloriosis Comitibus residentibus in Triclinio ipsius Domni Leonis Papæ, & per unam & amplius hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam militiam ad ipsum Pontificem habuissent, tam Paschalis, quamque Campulus cum sequacibus eorum, nihil habuerunt adversus eum quod dicerent.* Ea porrò *Nicolai I.* acta, conventum, locique apparatum *Anastasius* Bibliothecarius minutè describit, quem, cui vacat, legendum relinquimus. Res tamen ipsa non sinit, ut *Onuphrii Panvinii* opinionem hic ego dissimulem. Nam ille in Lateranensi Patriarchio cum memorari vulgò audierit *Aulam Concilii*, in qua *Leonis* inscriptum præterea nomen viderit, eam esse putavit, ubi duo illi conventus à *Nicolao* fuerint celebrati, eamque *Leonianam majorem* appellat, *minorem* verò hanc dicit, quam *Anastasius Leonis* fuisse *Triclinium majus super omnia Triclinia* narravit. Hæc autem è regione Latera-
29 nensis Ecclesiæ, illa vero parte sinistra sita fuit, de qua Panvinius [9]: *Hæc Aula*, inquit, *nostris temporibus Sala Concilii dicitur, quòd ibi, ut opinor, Eugenius IV. Concilium celebrare disposuerit, & novissimè Julius II. celebraverit. Antiquitus ab amplitudine, Casa major, vel ab Autore, Basilica Leoniana dicebatur; quam Leo Papa Tertius Pontificum Romanorum usui construxit, & exornavit, in qua diebus quibusdam solemnibus, ut Paschatis, & Natalis Domini, Romani Pontifices cum Cardinalibus prandere solemni ritu consueverant, &c. Hæc omnia innuere videtur oratio, quæ scripta est in Zophoro apsidæ majoris, in qua Deus oratur, ut protegat domum illam, & omnes in ea convivantes.* Quod hæc Aula nostra tempestate *Sala Concilii* dicta sit ob Synodum ab *Eugenio IV.* cogendam, vel a *Julio II.* ibidem coactam, parum hic refert, aut nihil. Tametsi ex antiquis Lateranensibus Synodis (de privatis Conventibus non loquor) nescio an in *Aula*, quam vulgus *Conciliarem* vocat, vel unam quidem *Panvinius* celebratam inveniat; quod enim ait de *Julii II.* Concilio, nisi privati aliqui congressus ibi facti sunt, Acta certè publica, quæ in lucem prodiere, agitata, perfectaque fuisse legimus [10] in Ecclesia Lateranensi. Quod verò in Leoniana Domo convenisse *Nicolaus* ab *Anastasio* dicatur, utique in Leoniana convenit, quam *Leo III.* ut paulo ante ostendimus, à fundamentis ædificavit, quam sui decoravit nominis magnitudine;
quam denique *Leo IV.* incultam neglectamque re- 30
stituit: nam illa Panviniana, etsi *Leonis* nomen inscriptum habuit, tamen instauratoris ille titulus fuit, non autoris. Atqui eam domum, si ob restaurationem, Leonianam appellatam velit, universum Lateranense Patriarchium Leonianum dicat oportet, cujus vix ullam partem inveniat, quæ à *Leone III.* *Anastasio* teste, refecta non sit. Fatetur *Panvinius* eam Aulam, *Casam majorem*, ob amplitudinem suo fortasse tempore nuncupatam fuisse, *Macronam*, græco, priscoque vocabulo ob insignem longitudinem ab *Anastasio* vocatam observo; quod non solùm ille in suo de Patriarchio Lateranensi commentario non animadvertit, sed *Macronæ* ne meminit quidem. Atqui tantum abest, ut *Leo III.* *Macronam*, vel aliam ejus partem construxerit, ut jam dudum vetustate ruinosam refecerit. *Macronam vero*, inquit [11] Anastasius, *ipsius Lateranensis Patriarchii, quæ extenditur à campo, & ultra imagines Apostolorum, quæ præ nimia vetustate ruitura erat, à fundamentis simul, & sarta tecta, nec non & Solarium ab imo usque ad summum noviter restauravit, & in melius firmissimis marmoribus stravit, atque Cameram ipsius Macronæ noviter fecit, & diversis historiis pictura mirificè decoravit.* Neque duas fingas tibi *Macronas*, quarum alteram pictura, alteram musivum illud quod *Panvinius* refert perornaret. Nam sanctæ *Praxedis* tribunal ex musivo elaboratum à *Paschale I.* quis est qui non videat? imo nec *Anastasius* inficiatur, 31
de eo tamen scripsit in hunc modum; *Apsidam verò ejusdem Ecclesiæ musivo opere exornatam variis decenter coloribus decoravit.* Scilicet pro musivo, *colores*, & *picturam* usurpavit. Neque verò quod à viris *Romanarum* antiquitatum peritis memini audire me, *Macronam* intelligas Ambulacrum perpetuum, ac fenestratum Patriarchii Lateranensis. Illud ab *Anastasio* hic appellari vides *Solarium*; quòd ad meridiem pertinens, Solique apertum, calorem, ac lumen amplissimis, atque frequentissimis fenestris opportunè ad hibernas deambulationes admittebat. Id *Solarium* cum vicina proximaque *Macrona* à *Leone III.* ut citato loco animadvertis, reconcinnatum fuit; *Solarium* verò tantùm à *Leone IV.* iterum reparatum fuisse idem testatur Anastasius. *Nam & Solarium, quod beatæ memoriæ Leo III. Papa construxerat, cum præ nimia vetustate fractis trabibus in ruinis cerneretur eversum, noviter pulchrius in meliorem speciem restauravit.* Quod denique *Panvinius* addit de

Altera ejusdem appellationis causa.

Panvinii lapsus.

Aliorum lapsus.

[5] *In Polit. Rit.*

[6] *Anastasius in Nicolao I.*

[7] *Idem ibid.*

[8] *In Leon. III.*

[9] *Lib. 4. de Basil. Lat c. 3. & 9.*

[10] *in Actis Concil.*

[11] *in Leon. III.*

in Pasc. I.

in Leon. IV.

de ejus Aulæ inſcriptione, & de conviviis in eadem celebrari ſolitis; In eam Aulam convivia tranſlata fortaſſe nonnunquam fuere ob loci capacitatem poſt *Leonis III.* imo etiam *Anaſtaſii* Bibliothecarii tempora. Nam cur Triclinio ampliſſimo in ædibus Lateranenſibus jam exiſtente, & à *Leone III.* quod *Panvinius* credit, conſtructo; cur, inquam, *Leo* idem ad vitandas *Theo-*
32 *dori*, & *Zachariæ* Tricliniorum anguſtias, hoc iis amplius, atque patentius exædificaſſet? Cur autem *Anaſtaſius* Cœnaculorum omnium Patriarchii maximum illud *Leonis* Cœnaculum appellaſſet, quando ab hoc *Panviniano* magnitudine longè multumque ſuperaretur? illa enim Aula *Panvinii* Triclinio *Leonis* major, & amplior altero tanto fuit. Sed tandem dirimamus, ſi libet, quæſtionem, & quaſi de facie utrumque diſcernamus ædificium. *Anaſtaſius Leonis* Triclinium tribus conſtare duntaxat apſidibus memorat, ſuum vero *Panvinius*, undecim: *Aula*, inquit, *ampla & ſpatioſa, quæ Concilii Sala hodie nominatur; quæ, præter apſidam majorem, ab utroque latere habet apſidulas decem.* Satis eſt, habemus quod liqueat. Ergo & illud male *Panvinius*, qui Leoniani Triclinii reſtaurationem, quam *Leonem IV.* curaſſe refert *Anaſtaſius*, ad hanc *Aulam Concilii* detorquet, de quo nos ſupra diſſeruimus.

(Panv. loc. cit.)

CAP. VI.

Duorum Leonis III. *Tricliniorum Lateranenſium diſtinctio.*

ILlud nonnihil quæſtionis habere videtur, quod de altero *Leonis* Triclinio Lateranenſi accepimus; nam quia Triclinium eſt, ac in Laterano, & à *Leone III.* collocatum, neſcio quid ſcrupuli,
33 & dubitationis in animo relinquit, niſi inter utrumque quid interſit, planè demonſtretur. Alterum ergo Triclinium ſic ab [1] *Anaſtaſio* deſcribitur: *Itemque fecit in Patriarchio Lateranenſi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum apſida de muſivo, ſed & alias apſidas decem dextra lævaque diverſis hiſtoriis depictas, habentes Apoſtolos Gentibus prædicantes, cohærentes Baſilicæ Conſtantinianæ In quo loco & accubita collocavit, & in medio Concham porphyreticam aquam fundentem; nec non & pavimentum ipſius marmoribus diverſis ſtravit.* Si quis hanc, & prioris Triclinii deſcriptionem commiſerit, ac diligentius compararit, tria in illo duntaxat Tribunalia, in hoc undecim extitiſſe comperiet. Hic præterea *Labrum* in ædium cavo deprehendet, quo primum illud Cœnaculum caruiſſe omninò novimus. Hoc deinde nullis, illud diverſis columnis ſuſtentabatur, vario ordine, præſtantique arte diſpoſitis. Denique ipſi videmus prioris Triclinii apſidas à Conſtantinianæ Baſilicæ lateribus longius diſtare; hujus verò ita vicinas fuiſſe, ut Lateranenſis Eccleſiæ parietibus adhæreſcerent. Hoc totum ex illa comparatione diſcrimen nullo negotio colligitur. Sed accedit eodem, quòd prioris illius Triclinii ſtructura, & fabrica ſublimis fuit, & ut *Græci* propriè vocant ἀνώγεως: poſterioris verò, ut iidem loquuntur, κατώγεως, hoc eſt, ſolo æqualis, & humilis, ac ut proprio *Romanis* vocabulo loci diffe-
34 rentiam exprimamus, hæc Cœnatio, illud Cœnaculum fuit. Nam Cencius Camerarius: *tranſiens*, inquit, *Pontifex per ipſam Baſilicam Leonianam intrat Cameram ſuam;* aſcendit proculdubio dixiſſet, niſi unum utriuſque pavimentum fuiſſet Baſilicæ Leonianæ, & Cubiculi Pontificii. Deinde Autorum, quos ſupra laudavimus, teſtimonio conſtat, ramos Palmarum in Clerum, Populumque à Summo Pontifice diſtribuendos è ſancti *Sylveſtri* in ſancti *Laurentii* Baſilicam, atque

(Alterum Leonis Triclinium Lateran. — [1] in Leon. III. — Utriuſque Triclinii comparatio. — Differentia à ſtructura. — In Rit.)

A inde in Leonianam, præſtolanti Pontifici æquo pede miniſtris eò accedentibus, delatos fuiſſe; hæ igitur Patriarchii Lateranenſis Baſilicæ æquali, perpetuoque ſitæ pavimento erant. Atqui ambas illas ſancti *Sylveſtri*, & ſancti *Laurentii* ſublimes fuiſſe, citra controverſiam eſt; quandoquidem hæc poſterior, quæ hodieque eſt integra, gradibus imminet, quos, *Scalam* vulgò *ſanctam*, appellant. Denique omnem eximit dubietatem Autor vitæ *Innocentii III.* qui, *facta*, inquit, *laude ante Lateranenſe Palatium, poſtquam aſcendit in domum majorem, quæ Leoniana vocatur, ſolemne convivium celebravit.* [2] Anaſtaſius etiam Biblio-
B thecarius: *Domum*, ait, *quæ dicitur Leoniana, beatiſſimus Præſul cum Epiſcopis*, &c. *conſcendit.* Prius ergo illud *Leonis* Triclinium ſublime fuit, poſterius autem humile fuiſſe res ipſa loquitur. Siquidem hujuſce pavimentum *marmoribus ſtratum*, & *in medio Concham porphyreticam aquam fundentem* habuiſſe narrat *Anaſtaſius*. Atqui certè 35
in prima, aut ſuperiore domus contignatione collocare hæc, univerſa Architecturæ diſciplina, & ædificandi ars prohibet, ſive coaxatione, ſive fornicibus conſtare velis eam ſtructuræ partem, in quam marmorum, & Conchæ pondus imponis, & aquarum perennitatem derivas. Subdialis
C ergo fons ille fuit, & in cavædio, cum cæteroqui pavimentum, in quo labrum porphyreticum eſt collocatum, ipſa fuerit humus, & ſolum; idque ita ratio convincit, ut nemo jam non videat. Præſertim cum alterum hoc *Leonis* Triclinium xenodochium eſſet, ejuſque amplitudo non majeſtati, & aquarum perennitas non deliciis, ſed confluentium peregrinorum commoditati parata forent. *In eo enim loco*, inquit Anaſtaſius, *accubita collocavit*, hoc eſt menſas & ſcamna, eaque fixa, ut in Xenodochiis, & diverſoriis aſſolet. Aquarum ille fons non ſolum Xenodochii miniſteriis, ſed hoſpitum etiam lavationibus deſtinatus erat, quibus peregrinorum obſequiis aſſidui olim fuere
D Pontifices, & in eoſdem pietatis ſpecimen præbuerunt. Hæc quæ Bibliothecarius paulò obſcurius expoſuit, alibi cum de peregrinorum Accubitu Vaticano à *Leone III.* ædificato agit, ita clarius narrat. *Fecit juxta eoſdem gradus Baſilicæ Principis Apoſtolorum domum à fundamentis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam; in qua etiam, & accubitus collocavit, & fecit juxta eandem domum pro ſubſidiis Chriſti pauperum, atque* 36
peregrinorum balneum à fundamentis mirificè decoratum. Hæc advenarum Triclinia magnis ſumptibus aperuerunt Pontifices, idque potiſſimum fecere prope celeberrimas Baſilicas Vaticanam, & Late-
E ranenſem, ad quas orationis cauſa ex toto terrarum orbe concurſus fuit peregrinorum, quos nimirum *Procopius* intelligit in ἀνεκδότοις, ubi ſedes eorum apud Divi *Petri* commemorat, & annonam à *Theodorico* eiſdem conſtitutam. Ex quo tempore factum eſt, ut ampliſſima ditiſſimaque Noſocomia non in Vaticano ſolùm, ſed etiam in Laterano hæſerint, loco minime illo quidem hodie frequenti. Quo tanto magis Pontificum *Romanorum* in exteros, egenteſque commendatur caritas, atque munificentia, quæ, poſt tanti temporis diuturnitatem, ac locorum, & ſedis mutationem, ne loco quidem moveri, ne dum aliqua
F ex parte minui potuit. Sed de duorum *Leonis* Tricliniorum Lateranenſium differentia ſatis.

([2] in Nicolao I. — A partibus. — Ab ejus uſu. — in Leon. III.)

CAP. VII.

Muſivum Triclinii à Leone III. *fuiſſe paratum.*

SEmiruti Lateranenſis ædificii conditorem, nomen, uſumque indicavimus. Quod ſupereſt, partitionem, Symmetriam, & exſtructionis ele-

37 elegantiam à nobis quis fortasse requirat, vel saltem ut de ornamentis, quæ *Anastasius* commemorat, aliquid disseramus, & an hibernum illud Triclinium fuerit, an æstivum, vel ad quas potissimum cœli regiones pertineret. De prospectu quidem cœnaculi, prout supra tulit occasio, disputavi. De ornatu verò, qui omnino deperiit, nec ad rem facit, nosse aliquid, ignorasseque perinde est. Ego certè Illustrissimi FRANCISCI Cardinalis BARBERINI sententiam laudare soleo, qui, ut omnis Ecclesiastica vetustas summo studio investigetur, suadet quidem; conservandam verò, colendamque eam tantum existimat, ex qua proficias. Quamobrem Triclinii partem solummodo, quam ille singulari, optimoque consilio duxit reparandam, nonnulla commentatione, si id tamen assequar, explanabo. Cum *Leonis III.* Triclinium à *Leone IV.* refectum fuisse constet, subit non levis animum suspicio, sit ne hoc illud opus vermiculatum, nec ne, quod *Leo III.* ante annos octingentos, & amplius pingi jusserit; nam insititii operis conditio adeo esse caduca videtur, ut tandiu perdurare potuisse vix credi queat. Imo si quod est picturæ genus, quod ætatem, ac temporis ferat injurias, tessellatum maximè, quàmque diutissimè ferre solet. Tulit hoc varias incendiorum Lateranensium injurias, quemadmodum semiustæ illæ indicant aureæ tessellæ, quas in tabula hic illic præ aliis ob id nigricare videmus.

Hoc esse Leonis musivum probatur.

A musivi natura.

38 Nam virides, rubræ, flavæ, candidæ suo quæque colore saturæ sunt, quibus, dum in fornace conflantur, pigmentum, quod præ se ferunt, penitus licet combibere. Non item aureis licet, quas superficie tenus opifices aureis folliculis tenuissimis tantùm convestiunt, vitroque statim illos obducunt, quò sint ab injuriis tutiores; at si quando vitrum ignis vim sentiat, facile cedere, creditumque sibi aurum prodere consuevit. Verum enimverò de *Leonis* musivi ætate nemo jure ambigat, quamdiu *Aquisgrani* superat (quod superare novimus) Basilicæ *Caroli* Imperatoris emblema. Sed *Romæ* longè vetustiorem est observare vermiculati operis antiquitatem. Extat *Adriani I.* qui *Leonem* in Pontificatu proximè præcessit, nobilis, atque elegantis manus tabula in Templo sanctæ *Pudentianæ*, omni ex parte integra, quæ præstantissimo internitet musivo ultra ejus ætatis modum, atque peritiam. Juxta Baptisterium *Constantini* Augusti emblemate relucet *Joannis IV.* Sacellum, qui annos ferè ducentos *Leone* est antiquior; eademque ætate Pontificatum gessit *Honorius I.* qui via *Nomentana* sanctæ *Agnetis* Ecclesiæ cameram, quæ etiamnum superest, opere segmentato perornavit. Via sacra in templo sanctorum *Cosmæ* & *Damiani* non ne videmus apsidem versicoloribus illustratam lapillis à *Felice IV.* qui

A musivis æqualibus.

A musivis vetustioribus.

39 tertio ante *Leonem* seculo floruit? longè hanc ætatem præcessit *Simplicius*, qui in sancti *Andreæ* Basilica (*Cata-Barbara* vocant) non solùm quas cernimus imagines tessella insititia distinxit, sed quem legimus etiam sui nominis, ac donationis titulum eodem opere descripsit. Vetustatem musivi Arcus majoris Ecclesiæ sancti *Pauli*, via *Ostiensi*, illa *Placidiæ* Augustæ, & *Leonis I.* inscripta nomina satis declarant. Quid plura? Musivum Arcus triumphalis, & Medianæ parietum Basilicæ Liberianæ in Exquiliis, non ne mille ducentorum fert annorum ætatem? nam *Sixti III.* titulum imminere adhuc quisque videt in Arcus fastigio. Sed si tempus, ait, non repugnat, certè *Leonis III.* priscorumque Pontificum modestia non permittit, ut factas ab iis credamus imagines, in quibus eorum effigies conspiciuntur. Scio hanc nonnullorum censoriam esse severitatem, qui omni titulorum, imaginum, & inscriptionum usui interdictum mo-

An suas Pontifices posuerint imagines.

A destiæ legibus volunt, & de majorum sanctitate, gravitateque probè, ac dignè sentire se putant, cum suas illos imagines vel pictas, vel fictas poni minimè passos fuisse contendunt; memoriæ verò clarorum virorum ad posteros derivandæ unum satis esse arbitrantur rectè factorum testimonium. Verùm enim verò Majores nostri probitate, & modestia insignes eam consuetudinem, ut parcè,
ita citra vituperationem usurpasse istis etiam Censoribus videri possunt. 40
Extant ad hanc diem imagines ad vivum expressæ, quas sibi posuerunt *Innocentius II.* in Basilica *Callistiana* sub *Janiculo*; *Paschalis Primus* trans *Tiberim* ad sanctæ *Cæciliæ*, B & ad sanctæ *Praxedis* in Exquiliis; *Gregorius IV.* in Basilicà sancti *Marci*; *Joannes IV.* ad sancti *Venantii* in Laterano; *Honorius I.* in Templo sanctæ *Agnetis* via *Nomentana*; *Felicis IV.* imago in æde sancti *Damiani* ad forum Boarium non ita multis ante annis collapsa, sub *Gregorii XIII.* persona, vultuque renovata est. Hæc quidem nos oculis spectamus: ex historiis verò testimonia proferre licet non pauca, neque privata; nam *Joannis VII.* exstructiones, cum adhuc *Romæ* extarent, ex ejus vultus pictura indigitare [3] *Anastasius* solebat: *Fecit vero & imagines*, inquit, *per diversas Ecclesias, quas quicumque nosse desiderat, in eis ejus* C *vultum depictum reperiet*; qui porrò ex longinqua vetustate ante hoc quindennium supererat, ex antiqua Vaticana Basilica, cum *Ciborio*, quod *Veronicam* appellabant, sublatus est. Gregorius Magnus, *dum adhuc viveret, suam similitudinem*, inquit [4] Joannes Diaconus, *depingi salubriter voluit, in qua posset à suis Monachis non pro elationis gloria, sed pro cognitæ districtionis cautela frequentius intueri, ubi hujusmodi distichon ipse dictavit.*

3 in Joan. VII.

4 Vit. Gregor. lib. 4. c. 84.

Christe potens Domine nostri largitor honoris
Indultum officium solita pietate guberna.

41 Neque *Paulinus Nolanus* Antistes ægrè fert, quòd ejus imaginem *Severus* statuerit in Baptisterio, sed D quòd uno in loco, atque eodem cum *Martino* viro sanctissimo statuerit. *Quæ ergo societas*, inquit *lumini, & tenebris, hoc est nobis, & Martino? evenit ut peccator justo compositus magis sordeat, & peccatore collatus magis justus elucescat.* In quam sententiam pro sua modestia, animique demissione hoc edidit carmen;

Epist. ad Sev. 12.


Abluitis quicunque animas, & membra lavacris
Cernite propositas, ad bona facta vias.
Adstat perfectæ Martinus regula vitæ.
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati:
Exemplar Sanctis ille sit, iste reis.

E Porrò Pontificum, Episcoporum, ac Principum effigies in Ecclesiarum tribunalibus cum sanctorum depingere virorum vultibus perinde erat, ac in Diptychorum albo post horum vocabula, illorum quoque nomina subnectere, ac inter missarum religiones, in frequenti populorum conventu publicè recitare. Nam, si quando res ita tulisset, quorum è Diptychis nomina, eorumdem è parietibus abradebantur imagines. *Deinde abstulerunt*, inquit [5] Anastasius, *de Diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus ubi esse poterant auferentes*, *id est*
Cyri, *Sergii*, *Pauli*, *Pyrrhi*, *Petri*, *per quos error* 42
F *orthodoxæ fidei usque nunc pullulavit.* Conjecturas arguimus, quibus musivi Leoniani fides minui, & in suspicionem recentioris ætatis adduci posse videbatur; suis id etiam rationibus statuere æquè est facile. Quandoquidem ex duabus *Leonis III.* *Carolique Magni* simulachrorum inscriptionibus integra quidem altera suppetit, alteram, cujus extremæ partes exesæ, ac penè dimidiatæ relictæ nobis sunt, *Angelus Massarellus* plenam, totamque ita sua ætate legit, excepitque

5 in Agathone.

Idem suis rationibus probatur.

BEA-



TAB. V.



DOCENTE OMNES GENTES VAPTIZANTES EOS IN NO
PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI ET C.


Fig. 2.
R
COSTA
NTI
NV
S

BEATE. PETRE. DONA
VITAM. LEONI. PP. ET BICTO-
RIAM. CARVLO. REGI. DONA

Quod, illis superstitibus, inscriptum affirmare tam rationi consentaneum est, quàm absurdum fuerit vitam, triumphosque demortuis peroptare. Præterquam quod vel altera illa inscriptio.

SANCTISSIMVS. D. N. LEO. PP
D. N. CARVLO. REGI

hoc idem apud eum convincere potest, qui vel levem antiquitatis notitiam habeat. Cur autem *Dominum nostrum* eum appelles, qui tibi jam dudum non sit, ejusque loco tibi sit alter? *Gregorius IV.* qui decimo post *Leonem* anno Pontifex fuit, hanc illius ætatis consuetudinem comprobat inscriptione, quam viventi *Levitæ* Ædiles in sancti
43 *Marci* Basilica posuerunt, & hodieque legimus

SANCTISSIMVS. D. N. GREGORIVS. PP

Vasta tholi firmo sistunt fundamine fulcra,
Quæ Salamoniaco fulgent sub sydere ritu.
Hæc tibi, proque tuo patefecit Præsul honore
Gregorius, Marce, eximio cui nomine Quartus.
Tu quoque posce Deum vivendi tempora longa
Donet, & ad cœli post funus sydera ducat.

A Præterea quadratum illud insigne, quo *Leonis*, *Carolique* redimita videmus capita, indicium est minime dubium, utrique tum vitam suppeditavisse, cum Triclinio fastigium, & picturæ, ornamentisque suprema manus imponebatur. Quamquam enim vita etiam perfunctis id genus ornamenti adhibitum nonnunquam fuisse paulò post demonstrabo, id tamen contigit, usurpatumque raro est; contra verò iis, qui in vita essent, totam ejus ritus rationem accommodatam fuisse *Joannis* Diaconi, & sexcentis priscarum imaginum testimoniis confirmari potest. Quod reliquum est; cum de Lateranensi hoc toto ædificio, deque e-
B jus musivo, ac utriusque Conditore habeamus quod liqueat; historiam ex ultima illorum temporum vetustate petitam, quam nullus antiquitatis *Romanæ* sive sacræ, sive profanæ indagator deprehendit, neque qui omnem Laterani priscam evolvit memoriam *Onuphrius Panvinius* observavit, Illustrissimus Cardinalis BARBERINVS lapidi incisam publicè proponi jussit, quò & res ipsa indu- 44
bitatum haberet testimonium, & reliqua ædificii pars, quam excitare religio fuit, saltem hoc uno in lapide appareret, & æternæ posterorum memoriæ conservaretur.

LEO. PAPA. III
FECIT. IN. PATRIARCHIO. LATERANENSI
TRICLINIVM
MAIVS. SVPER. OMNIA. TRICLINIA
NOMINIS. SVI. MAGNITVDINE. DECORATVM
PONENS. IN. EO. FVNDAMENTA. FIRMISSIMA
ET. IN. CIRCVITV. LAMINIS. MARMOREIS. ORNAVIT
ATQVE. MARMORIBVS. IN. EXEMPLIS. STRAVIT
ET. DIVERSIS. COLVMNIS. TAM. PROPHYRETICIS
QVAMQVE. ALBIS. ET. SCVLPTIS
CVM. VASIS. ET. LILIIS. SIMVL. POSITIS
DECORAVIT
CAMERAM. CVM. APSIDA. DE. MVSIVO
ET. ALIAS. DVAS. APSIDAS
DIVERSAS. HISTORIAS. PINGENS
MARMORVM. INCRVSTATIONE. PARITER. IN. CIRCVITV
DECORAVIT
EX. ANASTASIO. BIBLIOTHECARIO

45

CAP. VIII.

Cameræ Musivum quid præ se ferat.

A UT de Leoniani Cœnaculi emblemate, quid maxime referat scire, existimareque possimus; ædificatoris consilium investigemus oportet; cùm pro arbitratu cuique suo ejusmodi parare ædificiorum ornamenta liceat. *Zacharias* [1] Pontifex Triclinium à se in Laterano collocatum universarum christiani orbis Provinciarum tabulis convestivit, ea, quam paulò ante dixi, de causa. Iis in [2] porticibus, quas *Ptochia* Græci dicunt, ubi egentes publicè alebantur; pauperum
B greges, alimenta, ministrorum obsequia *Adrianus I.* exprimi jussit. In amplissimo [3] Xenodochio Lateranensi Apostolos Gentibus prædicantes *Leoni III.* pingere libuit, ut exteri advenæ suarum quique regionum magistros, & prima fidei Christianæ apud suos exordia, *Romæ* vel inter epulas, contemplarentur. Ergo in Triclinio conviviis Pontificum, & Imperatorum designato partæ suo tempore publicæ pacis, Imperiique translati monumenta, & quandam tum gestorum faciem subdere obtutibus *Leo* voluit. Partæ quidem pacis monumentum in ipso Tribunali ita constituit. *

Varia Tricliniorum ornamenta.

1 Anast. in Zacch. 2 Idem in Adrian. I. 3 Idem in Leon. III.

* vid. TAB. V. Pag. 18. Fig. 1.

A Notum vero est, & omnium, vel *Græcorum*, vel 46
Latinorum historiis celebre piaculum, quo turbulenti homines in virum sanctissimum, atque innocentissimum, *Romanus* Populus in civem suum, Ecclesiastici ordinis facilè principes in *Leonem* Pontificem Maximum perpetrarunt, unde exorta 47
inter *Romanos* dissidia, & cum in Urbe, tum in universa *Italia* turbata pax publica. Ad quam componendam *Albinus Flaccus*, vir summæ apud *Carolum Magnum* autoritatis, gravissimis olim verbis eundem inflammavit. [4] *Ecce in te solo tota salus Ecclesiarum Christi inclinata recumbit. Tu vindex scelerum, tu rector errantium, tu consolator mœ-*
B *rentium, tu exaltatio bonorum. Non ne Romana in Sede, ubi religio maxima pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla emerserunt? ipsi cordibus suis excœcati excœcaverunt caput proprium. Nec ibi timor Dei, nec sapientia, nec caritas esse videtur. Quid boni ibi esse poterit, ubi nihil horum trium invenitur? Si timor Dei esset in eis, non auderent; si sapientia, non voluissent; si caritas, nequaquam fecissent. Tempora sunt periculosa olim ab ipsa Veritate prædicta, quia refrigescet caritas multorum. Nullatenus capitis cura omittenda est. Levius est pedes dolere, quàm caput. Componatur PAX cum pu-*

Pax Ecc. Rom. reddita.

4 Albin. epist. 11.

pulo nefando, si fieri potest. Relinquantur aliquantulum minæ, ne obdurati fugiant: sed in spe retineantur, donec salubri consilio ad PACEM revocentur. Scelus porro illud nefarium in *Leonem* editum, quod *Flaccus* innuit, licet ab [5] *Anastasio* Bibliothecario vicino illorum temporum scriptore luculenter narratum sit, citò tamen, facileque ut credant, adduci se minime quidam patiuntur, sed quidvis potius actum existimant, quàm effossos

48 oculos, vel præcisam ei linguam fuisse, qui post acerbum illum casum, tenuerit diuturnissimum Pontificatum. Scilicet [6] *Philippo Mornæo*, & istis catholicæ fidei desertoribus maxima videtur pietas perduellium illorum facinus minuere, modò ne vel in sanctissimi Pontificis commendationem, vel in liberatoris Dei cedat gloriam tanti sceleris immanitas. *Conspirarant*, inquit [7] Joachimus Camerarius, *in Leonem Pontificem quidam, & capto jusserant oculos erui. Quibus tamen hoc negotium datum fuerat, ii cruentos quidem vulnerando oculos fecerunt, sed pepercerunt luminibus Pontificis. Itaque visus ei ademptus non est. De quo fabulam postea sparserunt quidam, visum Pontifici divinitus restitutum fuisse.* Sed non desunt *Leonis* æquales, vel *Græci*, vel *Latini* testes veritatis. [8] *Theophanes* rem gestam sic exposuit: οἱ τῆς ῥώμης συγγενεῖς τοῦ μακαριωτάτου πάπα Ἀδριανοῦ συγκινήσαντες τὸν λαὸν ἐστασίασαν κατὰ λέοντος τοῦ πάπα, καὶ κρατήσαντες ἐτύφλωσαν αὐτόν. Quæ ita Bibliothecarius convertit. *Romæ, cognati bonæ memoriæ Adriani Papæ commoventes populum tumultuati sunt contra Leonem Papam, & tenentes excæcaverunt eum.* Quod vero *Theophanes* de aspectu eidem Pontifici restituto dicere prætermisit, addit *Anastasius*, suo tamen illo scribendi genere ambiguo, & minime accurato; *Non tamen penitus lumen ejus extinguere potuerunt*; dicere voluit, *Non tamen in posterum tempus*, sive *in perpetuum*, *lumen ejus extinguere po-*

49 *tuerunt*; ne vel à *Theophane*, quem interpretatur discedere, vel sibi alioqui non constare videatur. *Theophanes* enim, penitus exstinctum *Leoni* lumen ait; ipse verò, eidem, paulò post, divinitus restitutum [9] narrat. *Carolus Magnus* scelus in Ecclesia *Romana* nunquam antea auditum, iis haud dubie nunciis acceptum, qui *Româ* nec uni, nec incerti ad se tanquam *Romanorum* Patricium, Urbis patronum, Ecclesiæque *Romanæ* Defensorem subinde, crebriusque publicis, privatisque litteris perferebantur, cum ad alios perscripsit, tum ad *Albinum Flaccum* præceptorem suum: *Quid verò*, Flaccus [10] ait, *in eo actum sit, qui Rector præfatæ sedis fuerat, mihi veneranda bonitas vestra innotescere curavit.* Statimque subdit quemadmodum *Caroli* litteris acceperat: Romanos *cordibus suis excæcatos excæcasse caput proprium*, hoc est Pontificem Maximum. [11] Eginhardus rem eamdem ita persequitur. *Romani Leonem multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt.* Idem *Albinus Flaccus* in carmine de *Leonis* ad *Carolum* profectione.

Pontificem expulsum Romana à sede Leonem
Civibus à propriis, & tot tolerasse recenset
Verbera commemorans, extinctum lumine vultum
Narrat, & abscissam liquido de gutture linguam:
Nunc medicante Deo sanatum, & ab omnibus istis
Esse malis.

50 Et statim infra.

Exquirit Carolus casus, auditque laborum
Diversos, sceleris populi impia facta stupescit,
Miratur geminas jam dudum luce fenestras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,

A

Truncatamque loqui miratur forcipe linguam
Alter in alterius configunt lumina vultus.

[12] Autor Annalium Francorum: *Leo Papa dum cum litania processurus de Lateranis ad Ecclesiam beati Laurentii, quæ ad Craticulam vocatur, equo sedens pergeret, in insidias à Romanis positas juxta eandem Basilicam incidit: ubi equo dejectus, & erutis oculis*, ut aliquibus visum est, *lingua quoque amputata, nudus ac semivivus in platea relictus est.* Si, ut docti viri non dubitant, *Albini*, *Eginhardi*, & *Caroli* hic Autor est æqualis, quis non videat adscititiam esse illam vocem, *ut aliquibus visum est*, quam ex libri margine desumptam nescio quis ad orationis, & historiæ filum attexuit? Si verò tantis

B

viris ætate posterior est, derogare iis fidem non potest, quorum, ob ætatem, præjudicata est autoritas. Si *Zonaram* [13] *Mornæus*, nuperum sanè scriptorem proferat, is non solùm *Theophanis* eodem ætatis præjudicio exploditur, sed falsi etiam redarguitur; ut qui ab autoris fide discesserit, quem penè describere solet. Sed si *Romanorum* in eo facto consilium exquirimus, id tale fuit, ut *Leonem* Pontificem de ea, quam ipsi minime ferrent, dominatione deturbarent lege *Persicæ* crudelitatis, quæ jam dudum in Imperio *Romano* 51
inoleverat, quave per eosdem illos dies *Irene* Augusta *Constantino* filio imperii collegæ oculorum

C

visum ademerat, ut aditum ad eam dignitatem in posterum filio præcluderet. *Leoni* præterea linguam *Romani* præciderunt, cujus censoria facundia perditos mores suos, vivendique licentiam increpari sentiebant; nam ob eam dicendi vehementiam [14] *Sermocinatoris* nomen *Leonem* invenisse accepimus. His licet indignis modis à Populo *Romano* acceptus *Leo*, tamen in repræsentanda hoc in Triclinio PACE, ad quam sibi, Ecclesiæque suæ, ac universæ *Italiæ* restituendam *Carolum* Regem ipse coram permovit, christiana cum primis usus est modestia. Nam impiam in se *Ro-*

D

manorum conjurationem, *Paschalis* Primicerii, Campulique Sacellarii insidias, sicariorum impetum, inter sacras religiones strictos in se mucrones, publicè, & in conspectum Populi *Romani* proponere, præterquàm quòd exacerbare mentem facinorosorum hominum poterat, qui suam impietatem perpetuæ posterorum memoriæ commendari viderent; animum etiam affectum olim injuria non omnino vacuum indignationis prodidisset; à qua tam longe fuit *Leo* vir sanctus, ut non modo parricidii crimen sicariis, sed conjurationis autoribus vitam etiam, licèt *Carolo Magno* reclamante condonaverit; ut ob id à *Theophane* meri- 52

E

tò φιλάνθρωπος sit appellatus. Quare facinus adversariorum tam horrendum, vel reportatam à se victoriam invidiæ plenam in tabulis, qui Gentilium mos fuit, exprimendam minime duxit; ex Euangelii autem armamentario deprompta triumphi tessera, in tranquillissimæ pacis imagine, qua nullus offenderetur, & in exemplo Christi Domini, ita expressit exercitæ in se crudelitatis memoriam, ut magis ornatum, quàm historiam impiè in se commissorum quæsisse videatur. Ergo cum in Triclinio à se nuper extructo id fieri deberet, Christum Dominum pacis autorem post nu-

F

perum laniatum redivivum, PACEM discipulis in cœnaculo nunciantem proposuit. Quem sanè ad modum ipse post effossos oculos, post linguam præcisam, post diram denique parricidarum immanitatem, quasi ad vitam revocatus, qui in se sæviissent, ad pacem non adducit modò, verùm ad mensas vocat & convivia, quibus eò magis fœdera pacis inter se stabilirentur. Quod à se, tum animi magnitudine, gravitateque, tum bona, publicaque fide factum, ut demonstraret, eodem illo signo, quo Syngraphas, actaque publica

---

Marginal notes:

5 in Leon. III.

An Leoni eruti sunt oculi.

6 de Hist. Pap.

7 ad Chronol. sancti Niceph.

8 Theoph. in Chron.

9 in Leon. III.

10 apud Albin. epist. 11.

11 Egin. in Vit. Car. Mag.

12 ad ann. 799.

13 Ibidem

14 Romuald. Salern. Chron.

Leonis modestiæ monumentum.

ca confirmare, communireque solebat, has pacis publicæ tabulas confirmavit, atque communivit. Est enim *Leonis III.* Pontificis signum id quod in Apsidis hemicyclo legis GLORIA IN
53 EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS; moris quippe fuit antiquorum Patrum ex divinis litteris excerptas voces familiares habere, ac omni in negotio usurpare, quibus vel ad Deum excitaretur animus, vel officii moneretur sui, vel Dei nunquam oblivisci assuesceret, quod omnes ad hanc diem servant *Romani* Pontifices. *Ignatii* sanctissimi martyris consuetum illud fuisse carmen ab [16] *Areopagita Dionysio* accepimus: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *meus amor crucifixus est*, & *Joannis Chrysostomi* [17] illud fertur: Δόξα σοι Κύριε ἕνεκα πάντων, *Gloria tibi Domine propter omnia.* Has inter se, & Deum nuncias voces, quasi sacras, sanctasque majores habuerunt, & si quid ratum firmumque esse vellent, eo inscripto, subscriptoque signo, ita à se haberi declarabant. Cum *Leo III.* in conspectum *Caroli Magni* auxilium imploraturus venisset, illa prima ejus, ut *Anastasius* [18] ait, vox fuit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis;* nempe se summis licèt affectum injuriis, nuncium pacis non bellorum, aut dissidiorum adesse sanctissimè affirmavit. Præclara sane vox, quæ una *Leonis* vitæ totius præconium esse queat; neque enim tot adversis exagitatus, & ad terram penitus afflictus animus ad tantam erigi magnitudinem potuisset, nisi veluti fundamento firmissimo adolescentiæ, ac universæ vitæ
54 sanctitate optimè constitutus fuisset. Quo quidem facto quemadmodum anteactæ vitæ majorem *Leo* splendorem attulit, ita Deus Opt. Max. vitæ ejus, atque incolumitatis patrocinium sic suscepisse visus est, ut restaurato oculorum lumine, restitutaque loquendi facultate, non tam sacrilegas perduellionum manus redarguerit, quàm impium detexerit animum, quo adversus hominem innocentissimum falsas conflare accusationes sunt ausi. Itaque virum Deo gratum majores adeò venerati sunt, ut ad ejus monumentum aram Deo (quem cultum antiquitus iis tantùm, qui in Sanctorum numerum adscriberentur, adhibere fas fuit) in sacra Vaticana *Petri* Basilica exstruxerint, & cum sanctitate paribus *Leone I. II.* & *IV.* uno in loco eum condi, colique voluerint, quod à *Paschale II.* inscriptus lapidi titulus hic docet.

Leonis signum.

16 Divin. Nomin. cap. 4.

17 in ejus Vit.

18 in Leon. III.

Leo III. inter Sanctos.

SVB. HOC. ALTARE. SVNT. CORPORA SS. LEONVM. I. II. III. ET. IIII. PONTIFICVM. ET. CONFESSORVM

Reliqua in hac tabula non minimam antiquitatis ecclesiasticæ notitiam continent, pallia, loratæ tunicæ, vestes litteratæ, gesticulationes digitorum, alia; quæ cum hujus loci non tam propria, quàm aliarum veterum tabularum communia videantur, ad libros, quos de eodem argumento scribimus, reijci nunc à nobis, æqui bonique lector consulat.

Cap. IX. 55

Dexteræ Partis Apsidis Musivum quid repræsentet.

Quod parte Apsidis dextera relucet musivum recentioris quidem manus est imitatio, quæ tamen opus exprimit illud antiquum, quod *Leo III.* in conspectu olim posuerat. Id porro ante annos amplius septuaginta decidisse, ex eo conjicere mihi videor, quòd ille casus non *Panvinii* modò diligentiam antevertit, sed etiam *Angeli Massarelli* curiosi antiquitatis indagatoris, qui sinistræ partis imagine, ac inscriptionibus providè conservatis, dexteræ hujusce, ne vestigia quidem nobis reliquit; vixit ille *Julio III.* Pontifice, cui, & duobus ejus successoribus *Marcello II.* & *Paulo IV.* fuit à secretis, eandemque operam Concilii *Tridentini* Patribus summa cum laude navavit, ac demum *Thelesinam* rexit Ecclesiam. Sed qui eum antecesserunt Ecclesiasticæ antiquitatis curatores, laude illi quidem dignissimi, hanc hujus musivi partem suo tempore labantem exceperunt, optimaque fide delineandam curarunt.

Pars musivi suppleta.

Hoc ejus imaginis exemplum, quod unicum nobis, ac toti posteritati relinquebatur, Illustrissimus Cardinalis Barberinvs, non sine divino nutu, post diuturnam indagationem nactus est, quod lapis ab illo positus ita profitetur, ac monet. 56

vide TAB. V. pag. 18. Fig. 2.

FRANCISCVS 57
S. AGATHÆ. DIAC. CARDINALIS
BARBERINVS
TRICLINII. A. LEONE. III. ROM. PONT. CONSTRVCTI
A. LEONE. IV. SVCCESSORE
SEXAGESIMO. POST. ANNO. REPARATI
NOSTRA. TANDEM. ÆTATE. PENE. DIRVTI
PARTEM. HANC. ILLVSTRIOREM
IN. QVA
VTRAQVE. IMPERII. ROMANI. TRANSLATIO
REDDITAQVE. VRBI. PAX. PVBLICA. CONTINETVR
PARIETIBVS. HINC. INDE. SVFFVLSIT.
CAMERÆ. MVSIVVM. RESTAVRAVIT
LABANSQVE. OLIM. DEXTERVM. APSIDIS. EMBLEMA
ANTIQVARIORVM. DILIGENTIA. COLORIBVS. EXCEPTVM.
PENITVS. DEINDE. COLLAPSVM
AD. PRISCVM. EXEMPLVM
SVMMA. FIDE
EX. MVSIVO. RESTITVIT.

Planè si quid minus vel studio antiquitatis, vel autoritate tanti Cardinalis fuisset, de singulari vetustatis monumento actum jam esset. Itaque publici operis memoriam, incredibili studio perquisitam, summa felicitate inventam, in Vaticanam Bibliothecam inferri jussit, ne restaurati hujus operis testimonium, vel fides ab exteris, posterisque aliquando desideraretur. Hanc minime pœni- 58

nitendam Antiquarii operam contulerunt in eam Apſidis partem, quæ omnino defluxerat, reſtituendam. *Leo* autem Pontifex neſcio quid hiſtoriæ ſuperiorum temporum hoc loco repetivit, & cum ſuo Pontificatu, rerumque ſuarum eventu commiſit; quòd utraque reſpondere ſibi mutua quadam, cùm perſonarum, tùm negociorum ſimilitudine viderentur, ac proinde imagines, quæ ea referrent, è regione collocatas, eò faciliùs ex hiſtoriæ convenientia comparari, atque luculentiùs intelligi alteram ex altera poſſe ſperavit. Geminæ quippe tabulæ ſunt, altera dextrorſum, ſiniſtrorſum altera collocata. Tres in utraque tabula perſonæ; aliæ nituntur genibus, duo pro tribunali ſedent, Chriſtus videlicet parte dextera, ſiniſtra *Petrus* Apoſtolorum princeps; ſuus utrique Pontifex hinc, inde Imperator ſubmittit genua; *Chriſto Sylveſter*, & *Conſtantinus*; *Petro Leo*, & *Carolus*. Horum pro ſua quiſque conditione ab illis ſumit inſignia; Imperatores vexilla; Pontificum alter ſinu claves, alter pallium accipit. Scilicet imaginum illarum autor ſic intelligi voluit: ab utroque illo Imperatore Pontifices eos divino nutu in dignitatem aſſertos; *Leonem*que *III.* ita à *Carolo Magno* in integrum eſſe reſtitutum, quemadmodum poſtliminio revoca-

59 tum à *Conſtantino* Imperatore *Sylveſtrum*. Contrà, Imperatores, iiſdem Pontificibus, Imperium obtinuiſſe: *Conſtantinum* quidem, poſtquam à *Sylveſtro* ſalutari eſt fonte initiatus, in Imperio confirmatum, deſignatumque divinitus Eccleſiæ Chriſtianæ defenſorem; *Carolum* verò ſecundùm Deum à *Petro* Apoſtolorum maximo, hoc eſt Eccleſia *Romana*, Cæſarem renunciatum, & vindicem cooptatum fuiſſe. Hæc videlicet illarum continet tabularum hiſtoria. Nimirum à conſilio *Leonis*, nedum ab hiſtoriæ veritate longè is abit, qui, *Sylveſtri* Pontificis titulo jamdudum vetuſtate corrupto, vel ex uno illo clavium, quas gerit, indicio, argumentum accipere certiſſimum ſibi videtur, ut in *Sylveſtri* imagine, non illum ſed *Petrum* intelligat. Nec animadvertit quantum in hac tabula providi autoris ſolertiam offendat, qui *Petrum*, quem in Apſidis loculamento clavium compotem inter Apoſtolos pinxerit, hic eundem, quaſi Imperatore *Conſtantino*, in eam clavium poſſeſſionem miſſum oſtendat. Hæc quidem ex ipſa tabula deſumere licet. Sed aliunde intelligat, qui de hac *Sylveſtri* imagine aliter ſentit, quàm abſurdum *Petro* habitum imponat, quàm remotum ab eo tempore, quo traditas ſibi à *Chriſto* Domino claves accepit, quàm alienum à dignitate, quàm ab autoritate abhorrens. E-

60 tenim qui Eccleſiaſticæ habet antiquitatis vel *Græcæ*, vel *Romanæ* qualemcunque peritiam, latere non poteſt, in priſcis majorum iconibus non publicis tantùm, quas modo conſentaneo pingi conſueviſſe dubium non eſt, ſed neque in privatis reperiri unquam poſſe, *Petrum* ſacra illa indutum penula, quam modò *Planetam*, modò *Caſulam* appellant. Quid verò de Apoſtolorum principe dico, quod de alio quocunque ordinis Apoſtolici viro comminiſci, nedum credere in univerſa illa prima, & proxima antiquitate poſſe inveniri, tam incredibile eſt, tam ineptum, quàm quod ineptiſſimum; Quid multa? Quid longius petita? in Leoniano hoc ipſo emblemate (quod in vetuſtioribus tabulis nuſquam repertum iri affirmare non dubito) *Petrum* videre eſt, *orario*,

Dexteræ, & ſiniſtræ tabulæ per comparationem declaratio.

Sylveſtri Papæ imago non Petri.

Apoſtoli nunquam planetati.

A ſive *mappa*, quod *Pallium* dicitur, amictum, idque graviſſima de cauſa, quam ſtatim [1] explicabo. Atqui ſub eo Pallio non ne vides Apoſtolicam penulam à *Leone* depictam? Cur hic tandem *Petro* indumentum id negaſſet, quod in altera tabula conceſſiſſet, atque majorum exemplo, receptoque ritu concedi poſſe intellexiſſet? Præſertim cum ibi quod præter hiſtoriam, ut dixi, ac præter dignitatem erat; hic ad rem, ut mox diſſeram, facere maximè videretur, atque opportuniſſimum foret? Quotus verò quiſque eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ cenſor, ac rituum inſtitutor, qui primum ſummumque ſacrorum Antiſtitem, 61

B quem *Areopagita Dionyſius Hierophantam* appellavit, veſtibus induere, ſucceſſorum, vel Miniſtrorum Hierarchiæ licere putet? atque iis demum veſtibus, quæ ſacræ eo præſertim nomine habentur ac inſtituto, quia ad Hierophantæ indumentorum ſimilitudinem factæ, & certo modo, rituque variatæ, ejus ſucceſſoribus, atque miniſtris Hierarchiæ, dignitatis ergo, accommodatæ ſunt? Cæterùm in libris Eccleſiaſticarum Antiquitatum id fusè probamus. Clavium inſigne (id enim movet, qui aliter ſentit de *Sylveſtri* hac imagine) poſt *Petrum* Apoſtolum, omnibus conceſſit antiquitas *Petri* ſucceſſoribus;

C præter hoc enim *Leonis III.* muſivum, & *Victoris II.* ac *Alexandri* identidem II. numiſmata, quæ olim *Alphonſus Ciaconus* protulit; celeberrimum illud ſuppeditat à Card. *Baronio* editum, quod, ex univerſa eccleſiaſtica nummorum vetuſtate, ſi quidem *Leonis* Magni, ut eximius vir ille putavit, eſſe probaretur, cui compararem, planè nihil haberem. Quæ mea tamen de illo ſententia ſit, [2] infra loco dicam opportuno. Cæ- 62
terùm nullum tam ineptum conjectorem, aut ineruditum numiſmatum interpretem eſſe arbitror, qui credat *Petri* potius dignitatem, quàm

D Pontificum Maximorum, & Eccleſiæ *Romanæ* præſtantiam iis numiſmatum inſignibus denotari; cum nihil referat, utrum ſignorum indiciis, an verborum teſtimoniis id declarare malis. Infinita verò ſunt Patrum teſtimonia, quibus *Petri* claves *Romanis* Pontificibus vindicantur. Ad rem modò eſt *Theodori Studitæ* illa *Leonis III.* æqualis ſui, & altera *Paſchalis I.* ejus ſucceſſoris compellatio, quæ *Græcis* vocibus *Latinas* horum numiſmatum imagines declarat. Ἄκουε κλειδοῦχε τῆς οὐρανῶν βασιλείας, πέτρα τῆς πίστεως, ἐφ' ἧ ᾠκοδόμηται ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, Πέτρος γὰρ σὺ τὸν Πέτρου θρόνον κοσμῶν καὶ διέπων. *Audi claviger Regni cœlorum,*

E *Petra fidei, ſuper qua fundata eſt Eccleſia Catholica; Petrus enim tu es, qui Petri ſedem ornas, & gubernas.* Τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, οὗ σὺ τὰς κλεῖς ἐδέξω πρὸς αὐτοῦ διὰ μέσου τοῦ τῶν ἀποστόλων προστάτου, καὶ τῶν ἀμοιβαδὸν μέχρι τοῦ προηγησαμένου τὴν ἱερωτάτην σου κεφαλήν. *Chriſti Euangelium, cujus claves ab eodem Chriſto tu accepiſti per Apoſtolorum Antiſtitem, & per eos, qui ſucceſſivè, ad tuum uſque Anteceſſorem, ſacratiſſimum tuum caput præceſſerunt.* & de Romana Eccleſia idem pronunciavit: Κορυφαϊκὸς θρόνος, ἐν ᾧ ὁ Χριστὸς ἔθηκε τὰς κλεῖς τῆς πίστεως. *Primaria ſedes, in qua Chriſtus Dominus poſuit claves fidei.* Sed de his alibi opportunior locus erit,

F ac plenior diſputatio. Nunc autem factum Pontificis cum Pontificis facto comparemus, & hanc *Leonis* tabulam, cum *Simplicii* hac inſcriptione 63
committamus, quæ in foribus Baſilicæ antiquæ Vaticanæ legebatur.

[1] Vide cap. ſeq.

Pontifices clavigeri.

TAB. VI. pag. 24. Fig. 1.2.3.

[2] inf. c. 12.

Theodor. Stud. in epiſt. ad Leon. iii.

Idem ad Paſch. I.

Ibidem.

QVI. REGNI. CLAVES. ET. CVRAM. TRADIT. OVILIS
QVI. COELI. TERRÆQVE. PETRO. COMMISIT. AVENAS
VT. RESERET. CLAVSIS. VT. SOLVAT. VINCLA. LIGATIS
SIMPLICIO. NVNC. IPSE. DEDIT. SACRA. IVRA. TENERE

Il-

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.



Fig. 5.



Constantini Imp. imago.

Illud non minimam hic movet admirationem, quòd *Leo Constantinum* Imperatorem, quasi sua ætate superstitem, quadrato illo ut vocant *diademate*, modò id appellare sic liceat, insigniverit. Enim verò ex *Joannis* [3] Diaconi sententia vulgò passim illud insigne sic accipitur, *ut viventis*, quemadmodum ille loquitur, *sit indicium.* Quare non temerè antiquitatis ecclesiasticæ periti, clarorum virorum ætatis, ac vitæ argumenta inde desumere videntur. Verùm id tutè cautèque faciendum ego quidem semper existimavi, & *Leonis III.* hoc factum impensè monet. Nam si penitius rem libet inspicere, non tam prisci ritus rationem *Joannes* Diaconus perpendit, quàm usum, qui ut plurimum in tabulis extaret, & ad quem illud insigne frequentius, ac penè quotidie usurparetur, exposuit. Nos paucis perpendamus. Cedò priscam mihi tabulam privati hominis, vel feminæ iis ornatam insignibus; unam cedò, aut alteram. Nec privati hominis dico, quales ex trivio sunt, & ex infima plebe, quibus
64 nemo, ne sibi quidem ipsi ponunt imagines; sed primariæ nobilitatis, Equestris ordinis; Senatores, Patricios; & ex feminis da *Lucinarum* aliquam, da *Blesillas*, *Paulas*, eas, quæ sua in Pontifices *Romanos* largitate, in Clerum munificentia hujuscemodi imaginum monumenta sint promeritæ. Horum quidem effigies reperire haud erit difficile, ita tamen insignitas, ut quæritur, nullam penitus inveniemus. Nec enim ille quibuscunque adhibebatur ornatus, sed iis modò (si priscas tabulas observamus) qui cum dignitate essent, ac imperio; Pontificibus Maximis, Episcopis, nonnunquam Monachorum Præsulibus, Imperatoribus, ac Regibus, qui cum potestate populis præessent. Tametsi non imperii, vel dignitatis insigne id fuit, veluti Principibus coronæ sunt, & sacrorum Antistitibus infulæ, vel tiaræ; sed tessera vitæ, ac morum, qui eos gradumque eorum maximè deceret. Decere autem τ̃ ἄρχοντα τελείαν ἔχειν τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν *eum, qui aliis imperat, perfectam habere moralem virtutem*, nostri quidem omnes sensere; [4] *Aristoteles* verò etiam demonstravit. Cæterum virtutem ferè universam in quatuor veluti cardinibus verti omnes consentiunt, quos verò prudentes, fortes, justos, ac temperantes esse constat, eos τετραγώνους *quadratos* tum exteri, tum nostri sapientes nuncupaverunt; [5] *Methodius Martyr*, qui χερσίτε, νόωτε τετραγώνοις, *actione vitæ, & consilio quadratos* dixit; [6] *Alexandrinus Clemens*, qui de hoc fusè, multisque disputavit; [7] *Origenes Adamantius*, qui Arcæ ligna quadrata de christianis sapientibus accepit; [8] *Ambrosius Mediolanensis* Antistes, qui *Origenis* sententiam est secutus; *Gregorius* [9] *Nyssenus*, qui hunc de quadrato homine christiano locum, cùm *Moysis* vitam enarraret, luculenter tractavit; denique *Augustinus* [10], ejusque adstipulator *Gregorius* [11] Magnus: *Illum qui*, ut ipse ait, *quadrari negligeret, indignum planè putavit, qui christiano nomine censeretur. Christianus*, inquit, *in omni tentatione sua non cadit; nam quadratum lapidem quacunque verteris, stat; sic ergo quadramini ad omnes tentationes parati.* Ergo populo christiano Præfectis, quos quædam instituti, atque consuetudinis perfecta ratio deceret ad benè, beatèque vivendum, illud affigere symbolum majores, hac potissimum de causa, consueverant? ecclesiasticis quidem passim, ac frequentissimè, non item laicis Principibus, quibus, qui ante *Leonem III.* id attribuerit, autorem, quem proferam, habeo neminem. Quamobrem *Ingobertus* in præclara, omnibusque ornamentis instructa *Caroli Magni* tabula, quam infra tertiodecimo capite opportuno loco proferam, à quadrato, quidem insigni, utpotè proprio Sacerdotum, ut in *Ecclesiasticis* nostris docemus, abstinuit; illum autem virtutum quaternionem, vel τετρακτὸν, ut ipse nominavit, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem, ac Temperantiam, expressis singularum imaginibus, *Carolo* Regi ad caput 66
apposuit, subscriptoque carmine cur eæ potissimum imagunculæ appictæ forent, quidve maximè referrent, declaravit.

Rex cœli Dominus solita pietate redundans
Hunc Carolum Regem terræ dilexit herilem.
Tanti ergo officii ut compos valuisset haberi,
Tetracty implevit Virtutum quatuor alma.
Imminet hæc capiti de vertice cuncta refundens,
Denique se primum, tunc omnia ritè gubernat
Prudenter, Justè, Moderatè, Fortiter atque.

Cum igitur quadratum illud insigne non tam superstitis vitæ, quàm perfectæ, atque omnibus numeris absolutæ argumentum, & indicium esset, minimè mirum videri debet, si id *Leo* tribuit *Constantino* Imperatori aptè ad dignitatem, aptè ad eam, quæ dignitati conveniret, morum, vitæque perfectio. Quin & cautè *Leonem* id fecisse videre mihi videor, cùm Ecclesia *Romana*, ac omnes Occidentis populi ab illa de *Constantini* vitæ sanctitate sententia semper abstinuerint, quæ Orientalibus olim arrisit. Nec interest, quòd apud *Siculos Constantini* Templum aliquando fuerit, cum à *Græcis* positum id esse constet. Neque etiam, quòd una, aut altera *Constantini* imago *Romæ* orbiculari diademate, & sanctitatis titulo insignis reperta sit: nam Imperatorum, Re- 67
gumque eam fuisse consuetudinem demonstravimus, ubi ad Ἀνέκδοτα *Procopii*, *Justiniani* sanctimoniam iis confirmari argumentis minime posse ostendimus. Nam non modò *Sanctum*, sed & *Sanctissimum*, & *Divinissimum*, & *nostra Divinitas*, *nostrum Numen*, & quid non usurparunt olim Imperatores? Orbiculari autem figura ornatæ extant etiamnum *Romæ Salomonis* imagines in Sacello sancti *Sylvestri* ad sanctorum Quatuor Coronatorum ædem; cum verò in Ecclesia christiana honore, qui sanctis debetur, cultum fuisse quis dicat? Vides denique in utraque hac tabula dignitatis ecclesiasticæ modum, formamque, ad præscripta Canonum, servatam; ut honestiore loco sint Pontifices, secundum ab iis gradum teneant Imperatores. Quem sanè modum inde ab Apostolorum temporibus definitum esse, qui eos audivit *Ignatius* Martyr sanctissimus testatum reliquit: Τίμα, φησιν, υἱὲ τ̃ Θεὸν, ϗ Βασιλέα. Ἐγὼ δὲ φημι τίμα μὲν τ̃ Θεὸν ὡς αἴτιον τ̃ ὅλων ϗ κύριον, Επίσκοπον ἢ ὡς ἀρχιερέα Θεȣ̃ εἰκόνα φορȣ̃ντα, κτ̀ μὲν τὸ ἄρχειν, Θεȣ̃, κατὰ ἢ τὸ ἱερατεύειν, Χριςȣ̃. Μετὰ ἢ τȣ̃τον τιμᾶν χρὴ ϗ Βασιλέα. *Honora, inquit, Deum & Regem. Ego verò dico, Honora Deum, ut omnium autorem, & Dominum; Episcopum verò, ut principem Sacerdotum imaginem Dei ferentem; Dei quidem, propter principatum, Christi verò, propter sacerdotium.. Post eum verò honorare oportet & Regem.* Cum verò duplex sit prisca loci constituendi ratio ecclesiastica, ut alibi disputavimus, *Leo III.* nón quæ passim in antiquis cernitur imaginibus, & Hæreticis de *Petri Paulique* dignitate dubitandi occasio fuit; sed *Romanam* retinuit, quam ipse ut cum maximè observavit, non solùm hic in utriusque Imperii tabulis, ac in testudine Cameræ, ubi *Petrus* alieno quàm in vetustis musivis stat loco; sed etiam in aliis Ecclesiarum iconibus, quas cum posuisse novimus. In æde sanctæ *Susannæ* ita sanctorum vultus effigiesque collocavit; medium, *Christum Dominum*; Dexteros, *Virginem Matrem*, *Petrum Apostolum*, *Susannam Virginem*, *se ipse*; Sinistros, *sanctum Paulum Apostolum*, *Caium Papam*, *Gabi-*

Quadratum insigne quid significet.

Vulgi opinio expenditur.

Autoris sententia.

Constantini quadratum insigne.

Ecclesiasticorum prælatio.

Diversa Prælationis ratio. 68

65

[3] in Vit. Greg. M. lib. 4 c. 84.
[4] Polit. lib. 1.
[5] lib. de Virgin.
[6] libris Strom.
[7] hom. 2. in Gen.
[8] lib. de Noe, & arca.
[9] libr. de Vit. perf.
[10] in Psal. 86.
[11] in Ezec. hom. 21.

binum Presbyterum, *Carolum Magnum*. Quæ locorum disponendorum ratio, licèt à nonnullis etiam *Romanis* Pontificibus servata sit, alteram tamen illam frequentiorem fuisse, & antiquiorem, in iis libris demonstramus, quos *de Ecclesiastica Prælatione* conscripsimus. Eam interim rationem (dum ii limantur libri) hoc in * lapide contemplare; qui eadem illa *Leonis* ætate *Ticini* in Basilica sancti *Michaelis* à *Longobardorum* Regibus cœlatus est, ad eam planè actionis, atque negotii similitudinem, ad quam hæ ambæ depictæ sunt à *Leone* tabulæ; ut hic tempora, ingenium, consuetudinemque facilè comparare possis: & ex inscriptione lapidis titulum nostræ hujusce tabulæ, qui exceptoris incuria deperiit, conjicere, ac propemodum supplere queas.

* vide TAB. VI. pag. 24. Fig. 4.

69

CAP. X.

Sinistræ partis musivum quid denotet.

DE Imperio *Romano* à *Græcis* ad *Gallos*, *Leonis III.* Pontificis Max. autoritate, translato, tam explorata, tam gravia veterum habentur apud virum clarissimum Cardinalem *Bellarminum* [1] testimonia, ut in rem tanti momenti, ad eludendam Hæreticorum pertinaciam, neque esse, neque desiderari majora queant. Hic autem en tibi rem plublico testatam monumento †; quod unum, si omnia, quæ eximius vir ille in medium adduxit, desideraremus, instar omnium esse possit.

1 *lib. 1. de Transl. Imp.*

Imperii translati monumentum.

† vide TAB. VI. pag. 24. Fig. 5.

70 Id, ut præfatus sum, plerique ante nos viri gravissimi non otiosè sunt contemplati; ex quibus *Marcus Welserus* cum abhinc annos fermè quadraginta *Romæ*, sapientum olim hominum more, peregrinaretur, ita oculis, ac animo id perlustrare solebat, ut exemplum summa diligentia, ac fide sibi describendum curaverit, doctisque viris passim ejus videndi copiam fecerit. Vidit, præter alios, *Jacobus Gretserus*: *Qui*, *Romæ*, ait, *in Aula Leoniana extat ex opere vermiculato imago sancti Petri Pallium tribuens Leoni III. Pontifici*, *& Imperium Carolo Magno. Sedet sanctus Petrus in solio*, *dextra dat Leoni Orarium*, *sinistra porrigit vexillum Carolo genibus flexo*, *insigne Imperii. Ipse quoque sanctus Petrus Orarium habet. Has imagines bona fide ex archetypo expressas vidimus beneficio Marci Welseri II viri Augustani.* Quamquam verò dubium non est, *Caroli Magni* simulachrum à *Leone*, more majorum, illatum fuisse in Basilicam *Juliam*, *labratis* Cæsarum imaginibus, quæ quondam in Provincias mittebantur, destinatam; hoc tamen in Triclinio ejus fortassis collocatæ causam *Leo* indicandam curavit. Nam videtur nescio quid arcani hæc tabula continere; in qua *Carolum* genu submittentem vides, *Leonem* duplici insignem pallio, *Petrum* Apostolum rei nescio cujus autorem, & pro tribunali sedentem arbitrum, ac vindicem; Inscriptiones demum, ac titulos plures, atque tanti negotii velut interpretes. Quæ singula ut explicatius evolvamus, res ipsa cum primis requirere videtur.

Consilium monumenti statuendi.

71

lib. 2. de Cruc. cap. 59.

Qui *Leonis III.* casum memoria tenet, videt planè hic ejus restitutionem, *Carolum*que Imperatorem inauguratum, Ecclesiæ autem *Romanæ* in utraque re autoritatem, suis ut ajunt, coloribus delineari. Etenim restitutionem *Leo* suam, & *Sylvestri* Pontificis diversis quidem signis, non alienis tamen à *Romanorum* Pontificum, & *Petri* successorum præstantia, *clavibus*, *pallio*que denotavit. Quæ siquidem potestas argumento clavium antiquitus intelligebatur, hæc posterioribus deinde seculis *pallii* quoque agnoscebatur veluti expressa, propriaque imagine. Certè *pallium*, *Leonis* ætate, ad *Petri* Apostolorum Principis dignitatem, quæ eadem Pontificis Maximi est, significandam, adeo fuit accommodatum insigne, ut Monachis, cùm ex præscripto legum cœnobicarum silentii religione tenebantur, si fortè *Petrus* commorandus silentio fuisset, *Pallii* signo, ac gesticulatione iis legibus ita exprimebatur. *Pro signo sancti Petri*, Lex ait, *manum dexteram ab humero dextero deorsum usque in finem pectoris trahe*, *eo modo de sinistro ad dexterum*, *propter similitudinem pallii*; *addens hoc*, *ut manu cava coronam in capite simules.* Nimirum æquè appositum *pallii* fuit indicium ad *Petrum* Apostolorum antesignanum indigitandum, ac *tonsuræ* signum, quàm à *Petro* in universum Clerum manasse nemo nescit. Hinc ritus ille patrum vetustissimus, ut licèt in Pontificum Maximorum litteris, inde à *Leonis III.* tempore, una *Petri*, *Pauli*que dignitas, potestas, autoritasque celebretur; Pallia tamen quæ primariis dabantur Provinciarum Antistitibus, *de Principis Apostolorum corpore* duntaxat, non de *Pauli* collegæ monumento sumerentur; 73 quò illa, quam Pallium denotat, plena potestas, ex uno *Petro*, quasi suo fonte, in alios derivari intelligeretur. Quamobrem ne religionis tantùm, ac pietatis ergo Pallia *de corpore sancti Petri* desumi crederentur, *Gregorius* Magnus tum *Leandro* Antistiti, tum aliis, *de beati Petri Apostoli Sede*, hoc est, Ecclesia *Romana*, Pallia transmittere se profitetur. Hoc ergo apprimè convenienti, aptoque Pallii argumento in *Petri* sedem restitutum se *Leo* declaravit; atque ita restitutum, ut altero, quo, Pontificum ritu, amictus est pallio, nunquam sua se Ecclesia ejectum, privatumque fuisse probet. *Caroli* vero consecrationem non ex solemnibus cæremoniis, quæ in angusta tabula ob oculos poni haud facilè poterant, sed è vexillo, & imperatorio paludamento, coronaque indicavit. Religiones tamen illas, quibus initiatus est *Carolus* Imperator, luculentiùs quàm quisquam Latinus scriptor æqualis memoriæ commendavit [2] *Theophanes*, qui à *Leone* Papa *Carolum* affirmat oleo perunctum *a capite usque ad pedes*, & ornatum *Imperatoria veste*, atque *corona.* Quæ quidem duo postrema insignia Imperii hæc etiam exhibet imago. Quod verò ait *Carolum* tam profusè, splendidèque delibutum, græco ejus ætatis loquendi genere ritum significavit, qui *Græcis* non 74 eadem, atque *Romanis* ratione usurpabatur. Illi, caput solummodò, *Romani*, suis Imperatoribus etiam brachia, humeros, scapulas, & quidquid sedes virium, ac roboris esse videtur, sacris oblinire unguentis consueverunt. Nisi fortè uberiorem, quàm hodie sit, *Leo* ritum olim habuerit; vel *Gallorum*, ut reor, consuetudine cumulaverit, qui præterea pectus & tergum, & manuum volas, & brachiorum suffragines suis Regibus, inde à *Clodovæi* tempore, deliniunt. Græculus schismaticus *Theophanis* sententiam, consuetudinemque Latinam minimè assecutus, nescio quid in facto *Leonis*, *Romano*que ritu hebraicæ superstitionis ridere videtur.

72 Restitutio Leonis III.

Pallii significatio.

lib. Reg. Monach. ex Bibl. Palat.

Duplex Leonis pallium.

Caroli inauguratio.

2 *in Chron.*

Unctio.

. . . . . . τὸν Κάρουλον ὁ Λέων
Ἀναγορεύει κράντορα τῆς παλαιτέρας Ῥώμης,
Καὶ στέφος περιτίθησιν ὡς οἱ ῥωμαίων νόμοι.
Οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων,
Ἐκ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει.
Οὐκ οἶδα τίσι λογισμοῖς, ἢ ποίαις ἐπινοίαις.

Constant. Manass. in Chron.

Tum verò Carolum Leo Romæ veteris Imperatorem renunciat; *neque tantùm corona caput ejus*, *more Romano*, *cingit*; *verùm etiam legibus Judæorum usus*, *à capite ad pedes oleo totum perungit. Quod quibus ex causis*, *ac rationibus factum fuerit*, *equidem scire nequeo.* Quasi verò usum Reges oleo perfundendi *Græci* ex profana aliqua palæstra, non è sacris *Hebræorum*, ac *Samueli* a Deo traditis cæremo-

75 moniis acceperint. Non ne videt Græcos, ut *Codinus Georgius* asseverat, solemnem illam, ad Imperatorum unctionem, usurpasse, terque geminasse acclamationem Ἅγιος, *Sanctus*; &, quemadmodum olim *Hebræi*, Reges *Unctos*, & *Christos* vocavere, sic à gentilibus suis Cæsares *Sanctos* nominari; quin & orbiculari diademate donari, quod Sanctis more majorum impertimur? Quorum alterum prorsus devitavit *Romana* modestia. Diadema verò, vel omninò Cæsaribus negavit, vel, quod *Leonem* in hac tabula fecisse videmus, quadratum concessit. *Carolum*, dum iniret imperium, sacro perfusum unguento à *Leone III. Claudius Rangolius* ea ratione negavit, quòd, ut *Gallorum* Reges solent, delibutus jam antea fuisset, quòdque de eo nihil *Eginhardus*, nihil Annalium *Francorum* Autor meminerint. At *Theophanis* illam narrationem non modò sua probavit versione Bibliothecarius, sed ea etiam, quam de Pontificibus edidit, historia. *Ludovicus* verò II. *Caroli* pronepos suo magis magisque testimonio confirmavit: *Francorum*, inquit, *Principes primo Reges, deinde Imperatores dicti sunt, ii duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt; in qua etiam Carolus Magnus abavus noster unctione ejusmodi per Summum Pontificem delibutus, primus ex gente, & genalogia nostra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus, & Christus Domini factus est.*

in lib. off. Pal. — *ad 1. lib. Reg. c. 9.* — *in Leon. III.* — *in epist. ad Basil. Imp.*

76 Ad reliqua quæ tum solemni peracta cum cæremonia sunt, addit Autor illorum temporum æqualis *à Leone Pontifice, post laudes dictas, Carolum, more antiquorum Principum, adoratum fuisse*; idemque carmine Poëta memoravit, qui *Arnolpho* Imperatore floruit:

Autor Annal. Franc. — Adoratio.

Post laudes, igitur dictas, & Summus eundem
Præsul adoravit, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis.

Hic porro ille Regum adorandorum mos est, quem *Samuel*, autore Deo, primus invexit, & posteris imitandum reliquit; nam primum *Hebræorum* Regem constituturus *tulit lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum.* Ita plane *Leo Carolum* Cæsarem, ut ii Autores autumant, *adoravit*. Qui enim *adorare*, idem esse quod *deosculari*, seu libato osculo salutare, non intelligit, is enim verò græcæ, latinæque omnis eruditionis rudis sit oportet; quem vel illa inerudita *Caroli* Magni ætas (ne longiùs abeamus) docere id possit. Siquidem *Tarasius* Patriarcha *Constantino*, & *Irenæ* Imperatoribus ita προσκυνεῖν ex ipsa vocis notatione est interpretatus; ita *Albinus Flaccus Anastasii* illud de *Carolo*, & *Leone*, *pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt*, carmine extulit:

lib. 1. Reg. cap. 9. — *in epist. ad Impp.* — *In Leon. III.* — *In Carm. de Leon.*

Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum, & placida oscula libans.

77 Imperatoris autem adorandi, salutandique non unus modus, *Procopio* teste, vel dignitas fuit. Pectus, Patricii, hoc est Cæsaris, seu Reipublicæ patres; cæteri manus, pedes pro dignitate deosculabantur. Augusti ora, faciemque osculo prosequendi facultatem, libertatemque non unus habuit Pontifex Maximus, sed quivis sacrorum Antistes. *Ambrosius* enim *Mediolanensis* Episcopus *Maximi* ad osculum assurgentis osculum respuit, quòd ab eo, præter Episcopi dignitatem, in Prætorio; & inter *Consistorianos* audiretur. *Quid*, ait, *oscularis eum, quem non agnoveris? si enim me agnovisses, non hoc loco audires.* Hæc in iis de *Ecclesiastica Prælatione* libris uberiùs disputamus. Igitur cum totam illam rituum celebritatem, ac inaugurandi Cæsaris pompam hujus, ut dixi, tabulæ angustiæ minimè caperent, *Leo* rei totius veluti summam fecit, eamque subscripta acclamatione, qua *Carolum* à Senatu Populoque *Romano* renunciari Cæsarem jussit, denotandam curavit. Conceptis illis verbis, vocibusque solemnibus personare adhuc historias audimus: *Carolo piissimo Augusto, à Deo coronato, magno, pacifico, Imperatori Romanorum vita, & victoria.* Quamquam iis populi plausibus *Leoni* Pontifici Maximo tantæ rei autori acclamatum, atque eundem & *Carolum Petro* Apostolo, in cujus templo ea peracta sunt, devotos publicè fuisse, & verosimile est, & inscriptio perspicuè testatur:

In Vita Justin. — *5. lib. ep. 27.* — Populi acclamationes. — *Autor Annal. Franc. Anast. in Leon. III.*

BEATE. PETRE. DONA VITAM. LEONI. PP. ET. BICTORIAM. CARVLO. REGI. DONA 78

Restat hujus emblematis tertia pars, atque illa quidem præcipua, ex qua nimirum, & restituendi *Leonis*, & inaugurandi *Caroli* Augusti intelligas autorem. Quis nesciat *Caroli* Magni opera *Leonem III.* ad pristinum gradum fuisse revocatum? Cui nam ex recentioribus Hæreticis facilè persuaseris Imperii *Romani* dignitatem non ex Senatus consulto, vel Populi, Plebisque scito decretam *Carolo* fuisse? Hic tamen *Petrus* sedet suæ utrique autor amplitudinis, & gradus, alteri pallium; alteri vexillum tradens. Tradere quidem autoritate sua facile videri poterat, qui ita pro tribunali sedet; verùm ut id expressiùs denotaretur, tabulæ magister addidit autoritatis insignia, palliumque ab humero suspendit, & claves in sinu reposuit. Hisce utraque potestas, notata quomodo sit, paucis jam explico. Sed ante alia non ut in scenicis machinis *Petrum* è cœlo delapsum hic tam vario symbolorum apparatu introduci à *Leone* credere fas est, cum illa non tam *Petri* effigies, quàm simulachrum, & quod vocant Hieroglyphicum Ecclesiæ *Romanæ* sit, quæ nullo aut pingi aptiùs, aut exprimi luculentiùs, quam *Petri* Apostoli signo queat. Familiare id, & aliis Pontificibus fuit. Ante *Leonem Stephanus III.* suo, & Ecclesiæ *Romanæ* nomine *Pipinum Romanorum* Patricium contra *Longobardos* in *Italiam* evocaturus, *Petrum* Apostolum in concionem inducit, qui ea omnia faciat, dicatque, quæ ipse Pontifex in eam rem coram disseruisset. Nam Urbis periculum *Petrus* narrat, ejus defendendæ curam à *Pipino* susceptam memorat, ni periclitanti Ecclesiæ præsto sit minas intentat, denique sibi, & *Stephano* Pontifici, & Ecclesiæ *Romanæ* causam esse communem dicit tota illa oratione, ut statim epigrapha declarat: *Petrus vocatus Apostolus à Jesu Christo, & per me omnis Dei Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, atque ejusdem almæ Ecclesiæ Stephanus Præsul, Gratia, pax, & virtus ad eruendam eandem sanctam Dei Ecclesiam, & ejus Romanum populum mihi commissum de manibus persequentium, plenius ministretur à Domino nostro vobis viris Excellentissimis Pipino, Carolo, & Carolomanno tribus Regibus, &c.* Ad eum planè modum *Leo* hic *Petrum* inducit. Ac ne de Ecclesiæ *Romanæ*, sub eo symbolo repræsentandæ consilio quicquam dubitaretur, certum id *Leo* fecit novo illo, & planè inusitato vestium apparatu. Nam *pallium*, hoc est sacrum illud amiculum crucibus insigne consuetis *Petri* vestibus injecit; quod & majorum consuetudini, & sacris, ut supra disserui, religionibus minime consentaneum est, si *Petri* personam, dignitátemque spectemus; valde verò consentaneum, si Ecclesiæ *Romanæ* id esse intelligas simulachrum, & concinnandorum rationem symbolorum perpendas, in quibus vel disparia dissentaneaque conjungi solent in unam rei arcanæ significationem. Itaque *Petri* imago, Apo-

Autoritas restituendi Leonem, & inaugurandi Carolum. — 79 — *apud Bar. Ann. 755.* — Petrus hieroglyphicum Eccles. Rom. — Cur Petro pallium. — 80

postolorum more, interius quidem tunicata, exterius verò penulata est; contra quam ejus exempla (quod non est dissimulandum) *Franciscus Penia*, & *Angelus Massarellus*, viri antiquitatis ecclesiasticæ consulti, nobis exhibuerunt; qui *Petrum* tunicatum solummodò proponunt. Fucum utrique fortasse fecit unus idemque ille albus tunicæ, penulæque color, qui, quasi per hujus tabulæ densam vetustatis caliginem, magis magisque perstringit oculos. Rubra tamen tunicæ lora, penulæque rubra littera sic albis internitent lapillis, ut antiquitatis peritos illa vestium differentia latere minime potuerit, imo suis quamque insignibus distinguere spectanti cuique licuerit; ut enim tunica litterata, ita lorata penula esse nequit. Egent sanè veteres imagines plenissimo lumine, ut commodè probèque perspiciantur, id est antiquitatis ecclesiasticæ varia, multiplicique notitia, & historia; quibus si careas, allucineris necesse est, ut qui tabulas neque in suo, neque in bono lumine contemplantur. Proposuit igitur *Leo* penulatam, tunicatamque imaginem, & utroque amictu, ad Apostolorum con-
81 suetudinem, albatam, ut *Petrum* ostenderet; *pallio* autem, hoc est, sacro illo humerorum redimiculo amicivit, ut in *Petro*, *Romanam* Ecclesiam intelligendam esse moneremur. Nam præterquàm quòd *pallii* deferendi, aliisque impartiendi potestas penes *Romanam* Ecclesiam, Pontifices inquam Maximos tantùm est; præterea nemo sacrum illud indumentum Antistiti *Romano*; dum initiatur (nimirum nec dum restituitur) imponere potest, nisi qui deferendi pallii facultatem habeat, quam in eum finem *Ostiensi* Episcopo à *Marco* Papa factam olim accepimus. Quemadmodum autem unus Ecclesiasticorum ordo legitimum, summumque Antistitis creandi jus habet, ita & ejecti restituendi integram potestatem. Et si enim *Carolus* dum *Leo* in suum gradum revocabatur, nefariorum hominum turbas compescuit, pervicaciamque superavit, Cleri tamen *Romani* calculo, sententiaque *Leo* in suam est dignitatem assertus. *Amplectens*, inquit Anastasius, *præfatus Venerabilis Pontifex* (Leo III.) *sancta Christi quatuor Euangelia, coram omnibus ascendit in ambonem, & sub jurejurando clara voce dixit. Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto omnes Archiepiscopi, & Abbates, & cuncti Clerici litania facta, laudes dederunt Deo, atque Dei Genitrici semperque Virgini Mariæ Do-*
82 *minæ nostræ; & beato Petro Apostolorum Principi, omnibusque Sanctis Dei.* Nam iis laudibus, quas *Litanias* vocat *Anastasius*, repetito ad singula Sanctorum nomina intercalari illo carmine, *Tu illum adjuva*, Pontificis redintegratio, seu restitutio, more majorum, non secus ac electio cumulari consueverat. Nam cum Restitutio quædam sit Electionis instauratio, non magis ritibus iisdem, atque religionibus celebrabatur, quàm eorum calculo, & autoritate, penes quos esset Electio. Quod & in *Symmachi* Papæ restitutione factitatum narrat [3] Bibliothecarius. *Beatus*, inquit, *Symmachus congregavit Episcopos centum & quindecim, & facta Synodo, purgatur à crimine falso &c. Tunc ab omnibus Episcopis, & Presbyteris, & Diaconibus, & omni Clero, vel plebe redintegratur Sedi Apostolicæ Symmachus, ut cum gloria apud beatum Petrum sederet præsul.* Non ergo sua *Carolus* autoritate *Leonem* restituit. Sed cum divino planè nutu hæc supersit priscorum imago temporum, ac tum gestorum simplex veraque historia, eam contemplentur, [4] qui ementitam, ac prorsus umbratilem synodum in medium pro-

Anast. in Marc. Papa.

Jus restituendi Pontifices.

In Leon. III.

[3] *In Symmacho.*

[4] *Goldast. Ration. Constit. Imp.*

A ferunt, in qua Pontificum electionem, *Romanæ*que Sedis ordinationem *Adrianus I. Carolo* permisisse dicitur. Neque enim hic *Carolum* deprehendent pro tribunali jura Ecclesiasticis dantem, gradum, sedemque *Leoni* decernentem: quin ex hac tabula illius synodi detegent imposturam. *Ab Adriano Pontifice jus illud Carolo Augusto concessum* affirmatur. Scilicet *Adrianus Carolo* Epi- 83
scoporum ordinationes tum concessisset, cum easdem ab Orientis Imperatoribus (ut extremo capite dicam) in *Calabria*, *Sicilia*que occupatas tam severè repetebat, ut eos, nisi parerent, sacris, templisque prohibiturum se minaretur. Sed
B ex hac una tabula modò sufficiat argumenta depromere. Ergo ab *Adriano* Pontifice jus illud *Carolo* Augusto concessum in Pseudosynodo affirmatur. *Carolo Augusto?* Quis nesciat longè post *Adriani* mortem eum Augustum fuisse salutatum? sed sit ita sanè. Quid subditur? *Augusto tum dignitatem Patriciatus collatam fuisse.* At *Carolum* jam Cæsarem non sumpsisse, sed ut par erat, deposuisse *Patricii* nomen à scriptoribus illius ætatis accepimus. *Ac deinde*, inquit Francorum Autor Annalium, & *Ado* Viennensis, *omisso Patricii nomine, Imperator & Augustus est appellatus.* Addit præterea commentitium illud Decretum;
C *Factam Carolo potestatem ordinandi Patriciatum.* Creandi Patricios fortasse dicere voluit, ut *Goldastus* interpretatur; si *Carolo* Imperatori facta ea facultas fuit: nugatorium planè fingis Imperatorem, qui ea pridem potestate caruerit: si *Carolo* Patricio; inauditum est in omni memoria Reipublicæ *Romanæ*, ut à solo Patricio Patricii constituerentur. Verùm impostor ille non solùm ignorare videtur quis ordo, quæ dignitas fuerit illa Patriciatus; sed etiam qualem attulerit *Carolo* 84
autoritatem cùm *Romæ*, tum in *Italia*; de qua re mox disseram. Quis verò *Theodoricum Niemum*,
D *Melchiorem Goldastum*, *Philippum Mornæum*, aliosque non miretur, qui has nugas tanti esse ponderis credunt? Verùm esto, concedatur tanta Decreti illius indignitas, restituerit, si ita vis, *Carolus Leonem* suo jure, sua autoritate, munusque hoc suum obierit summa cum dignitate, majestateque. Quid verò? Tantæ dignitatis, tantæ autoritatis nullam *Leo* rationem habuit? nullum hac in imagine vestigium expressit? Contrà verò atque oportebat omnia fecit; honestiori se ipse loco constituit, *Carolo* minus honestum reliquit; genibus eum niti voluit; in subscriptis acclamationibus, illo posthabito, primos sibi ipse plausus aucupavit; in inscriptione verò æquè
E sibi, ac *Carolo* Dominii titulum inscripsit, qui tanquam servus Imperatoris, ut [5] *Mornæus* ait, *Carolum* post renunciationem adoravit. Siccine prima statim occasione observatum Synodi amplissimum illud, ac honorificentissimum decretum? Vidit hæc *Carolus* præsens, ex æquo animo tulit? Ergo ne ad cassum privilegium, superatis Alpibus, *Romam* accurrit? Sed quid ego de *Leone* restituto *Romanæ* Ecclesiæ autoritate disputo? Nonne *Carolum* Magnum eadem autoritate Cæsarem fuisse constitutum hæc loquitur imago? Accipit ille vexillum ab Ecclesia *Romana*, vel si 85
F dicere mavis, à *Petro*; utrumvis autem dixeris, res, ut exposui, redit eodem. Venerabundus genu flectit, tantò enim se gerit submissius, quantò superiorem agnoscit potestatem, ex qua Imperialis potentia in se derivatur. Nimirum superiorem eam potestatem tergeminæ indicio clavis autor imaginis, quoad fieri potuit, luculentissimè declaravit. Majores etenim nostri, qui, in tabulis, *Petri* potestatem unius interdum clavis symbolo satis indicasse visi sunt sibi, eodem plerumque geminato symbolo, ligandi, solvendique jus,

Morn. Histor. Pap.

[5] *Histor. Pap.*

Autoritas creandi Imperatores.



TAB. VII.



Fig. 1.

Fig. 3.





Fig. 4.





Fig. 2.



jus, quod ea potestas complectitur, explicatiùs significaverunt; quo triplicato jus idem plenissimum, amplissimumque ternarii ratione denotari voluerunt. Iconum ejuscemodi pingendarum exemplum reddo ex Vaticano Codice manu descripto sexcentesimo nonagesimo nono, cujus antiquitatem membranarum, librique forma quadrata, quadrati apices testantur, ritus verò vetustatem Christiani, seu Christini græci Scriptoris testimonium, imo *Græciæ* universæ consuetudo, quam ille secutus est, comprobat. Is verò Autor Imperatore *Justino* seniore scripsit; eam scribendi amat varietatem, ut quidquid oratione disputat, id coloribus expressum legentibus ob oculos proponat;
86 quare totus imaginum ille ejus plenus est liber.
Triplici ergo clave cum amplissimam *Petri* potestatem majores denotaverint *, quid præter geminum illud ligandi, solvendique jus, ulterius innuerunt? Scilicet senserunt potestatem illam, quæ ad continendam in officio Christianorum Rempublicam *Petro* concessa est, jure suo longè latèque manare, extendique, cum opus est,
87 ad civilem quoque statum temperandum; qui tum optimè temperatus, ordinatusque putatur, cum ne latum quidem unguem à pietate discedit, qua una, & uno animorum bono civile omne negotium metitur christiana religio. Tertia igitur clavis munus est illud, quod ex ligandi, atque solvendi jure consequitur, nempe secularia ad spiritualia dirigendi autoritas. Quamobrem aptissimè ad rem præsentem clavis *Petro* appingitur triplex, quippe qui suam illam potestatem converterit ad temperandum Imperium, quod, ut duobus postremis capitibus dicetur, ab avita pietate desciverat, Ecclesiamque *Romanam* religionis Magistram, cui præsidio esse debuerat, armis, bonorumque spoliatione oppugnabat. Nonne vides uno hoc in emblemate quàm accuratè id *Leo* servaverit, ut illius factum ad hanc sententiam eò faciliùs interpretere? In apsidis concha duplicem *Petro* in læva clavem dedit, scilicet potestatis indicem; hic verò triplicem, ubi ad ejusdem potestatis regulam Imperium dirigentem illum introducit. Hoc eodem modo *Petri* depictas imagines sub *Ottone* Magno, cum à *Joanne XII.* Pontifice *Romano* ad *Germanos* translatum est Imperium, testatur *Ottonis II.* in eodem Imperio primi successoris sepulchrum, cujus hoc
88 musivum † olim ad introitum, [6] ut *Ditmarus* ait, *orientalis Paradisi*, hoc est atrii Templi Vaticani veteris extabat, nosque vidimus; hodie verò in crypta Confessionis sancti *Petri* integrum asservatur.
89 Nempe duo illa hujus tempestatis Hæreticorum placita una *Leonis III.* tabula, quam modò explicavimus redarguit: *Carolum* eligendorum Pontificum, Apostolicæque Sedis ordinandæ jus habuisse, ac Imperium *Romanum* à *Leone III.* nequaquam accepisse. Sed uberius de hoc infra dicam.

* Vide TAB. VII. Fig. 1.

† Vide TAB. VII. Fig. 2.

6 Chron. lib. 3.

CAP. XI.

Inscriptio Caroli *imaginis explicatur.*

Ritus solemnes, quibus est inauguratus *Carolus* Augustus, commodius quàm *Leo III.* in exigua tabula, scriptores exposuerunt; traditi verò jus Imperii æquè in historiis contineri videtur, atque in ea brevissima inscriptione:

D. N. CARVLO. REGI

Hanc enim detorquere ad *Caroli* Patricii *Romanorum*, *Francorumque*, & *Longobardorum* Regis dignitates non licet; quas ille partim *Adriani* Pontificis arbitrio jam dudum obtinuerat, partim generis successione à *Pipino* patre multos ante annos acceperat, partim armorum contentione longè ante *Leonis* Pontificatum acquisierat. Hæc verò tabula, nisi nos oculi fallunt, nuperam *Caroli* dignitatem refert, hoc est *Leonianæ* restitutionis, cui hoc in emblemate componitur & comparatur, prorsus æqualem. Res erit exploratior, si singulas inscriptionis partes 90
perpendamus ad eas *Caroli* dignitates. Principiò quidem Regis nomen Patricio non quadrat, cum ad illud in *Italia* penitus abolendum, Patricii, ut statim demonstrabo, ab Imperatoribus fuerint designati. Tantum abest, ut [1] *Francisci Junii*, ac aliorum vera sit sententia, qui *Romanorum* Patricium, *Dominum*, seu *Regem* fuisse *Romanorum* commenti sunt; vèl [2] *Goldasti*, qui *Caroli* Patriciatum Imperatoriæ Majestati exæquavit. Nam de nostris taceo, qui non tam *Caroli* Patriciatus propria, quàm Patriciorum ordinis communia in medium proferunt. Omnes denique illam *Caroli* dignitatem quasi alio cœlo natam circumspiciunt, & alba an atra sit edicere non satis queunt. Sed erant olim, quod nemo nescit, in Republica *Romana* Patricii, qui cum reliquo *Senatu* æquo jure viverent. *Constantini* verò Magni lege, si qua *Zosimo* [3] fides, proximi majestati Cæsaris facti sunt, ac Senatoribus, Præfectisque Prætorio gradu, sententiaque in Senatu dicenda prælati. Quæ hujus ordinis excellentia ad *Justiniani* usque dominationem (si *Procopio* [4] credimus) ac diu post integra perduravit. Ab *Justiniani* fermè tempore, nisi fortasse prius, quod quidem modò non succurrit, dignitati addita est præfectura provinciarum. Qui eo carerent munere provinciæ, ac in urbe, & Senatu præsentes adessent, *Præsentales* Patricii, ut est 91
apud [5] *Cassiodorum* vocabantur. Qui præfecturam gerebant, pro suarum quique provinciarum more, ac lege nuncupari consueverant, Proconsules *Africæ*, *Italiæ* Exarchi, *Siciliæ* Strategi, Prætores Orientis, & aliarum regionum Moderatores, Comites, Duces, Præfecti. Verùm cum eas non nunquam præfecturas obirent, qui ex Patriciorum gradu non essent; Patricii, ne quid supremæ in Senatu dignitati suæ derogatum videretur suarum titulis præfecturarum ordinis quoque nomen præponendum curarunt. Quare passim apud *Gregorium* Magnum, *Nicephorum Constantinopolitanum*, *Theophanem Isaurum*, *Paulum Diaconum*, aliosque ea nomenclaturæ forma occurrit: *Patricius* & Exarchus Italiæ, *Patricius* & Prætor Orientis, *Patricius* & Proconsul Africæ, *Patricius* & Strategus *Siciliæ*; cujusmodi exemplum est illud: *Theophylactus Cubicularius, Patricius & Exarchus Italiæ*, apud *Anastasium* in *Joanne VI. Scholasticus Cubicularius, Patricius & Exarchus Italiæ* apud eundem in *Constantino*, & apud [6] *Paulum Diaconum*. Sed demum (quæ est inanis hominum ambitio) neglecto Præfecturæ nomine licet honestissimo, Patricii solummodò provinciarum dici maluerunt. Hinc in Imperio illa Præfectorum omnium similis eademque nomenclatio: Narses *Patricius in Italia* apud [7] *Justinianum*, Salomon *Patricius Africæ* apud [8] *Victorem Tunnensem*, Priscus *Patricius Orientis* apud [9] *Gregorium* Magnum, Gennadius [10] *Patricius*, & Venantius [11] *Patricius* ab eodem salutantur, dissimulato nomine *Africæ* & *Siciliæ*, ubi hic Strategum, ille Proconsulem gerebat, Smaragdus *Patricius Ravennæ* apud *Paulum* [12] *Diaconum*, Daniel *Patricius de Sicilia* in *Francorum* [13] Annalibus, Michael *Patricius Phrygiæ* apud [14] Autorem aliorum *Franciæ* Annalium, Dynamius *Patricius Galliarum* apud [15] *Gregorium* Magnum inscribitur, quem *Gregorius Turonensis* Rectorem *Massiliæ*, & Provinciæ novit, [16] Arrigius *Patricius de Gallia*, & [17] Asclepiodotus *Patricius Gallorum* ab eo-

Patricius non est Rex.

1 de transl. Imp. cont. Bellarm.

2 in Apol. adv. Gretser.

Patriciorum dignitas.

3 lib. 2. hist.

4. in Anec.

Differentia.

5 Cassiod. Var. lib. 8. epist. 9.

Patricii Præfecti provinciis.

6 de gest. Longobar. lib. 6 c. 11.

7 in Dipl. apud Cujacium, & Velser.

92

8 in Chro.

9 lib. 2. epist. 51.

10 lib. 10. epist. 44.

11 lib. 10. epist. 45.

12 de gest. Long. lib. 4. cap. 8.

13 ad ann. 799.

14 apud Gretf. con. Junium.

15 lib. 2. epist. 33.

16 lib. 5. ep. 57.

17 lib. 12. epist. 17.

Inscriptionis scopus.

eodem *Gregorio Magno* vocantur *Dynamii* in ea-
dem præfectura succeſſores, apud [18] *Paulum Dia-*
conum Amalus, ſive Amatus *Patricius Provinciæ*,
qui Guntramo Francorum Regi parebat. Ac ne a-
liarum civitatum, & provinciarum infinitos nu-
merem, Urbanos memoro. Apud [19] eundem
Diaconum Gregorius *Patricius Romanus* is dici-
tur, qui tum Dux etiam nominabatur, apud
[20] *Hericum* Monachum Voluſianus *Urbis Patricius*
hoc eſt Præſes, & in veteri [21] lapide TERTVL-
LVS. DEI. GRATIA. ROMANÆ. VRBIS.
PATRICIVS ideſt Præfectus: Autor lapidis mo-
re ſui ſeculi loquitur; ille tamen *Tertulli* non eſt,
cum una hujus, & illorum *Caſſinenſium* ſit impo-
ſtura Privilegiorum, quæ [22] alibi exploſimus.
93 Denique *Suidas* cum Patricios πατέρας τȣ̃ κοινȣ̃
Communis patres definit, non *Præſentales* Patricios,
quorum nuda dignitas fuit, ſed *Præfectorios* intel-
ligit, quorum munus erat provincialibus jus di-
cere, & præſtare populis præſidium. Porrò ſub
Juſtiniano (quod dicere cœperam) in *Italia* o-
dioſo Regis nomine audacia *Gothorum*, atque ty-
rannide Imperatoribus facto, poſt eos debel-
latos, *Beliſarius* primùm, deinde *Narſes* Pa-
tricii & Ducis exercitus titulo inſignes, ut
ejus temporis hiſtorici referunt, *Italiam* rexe-
re. Exinde in provinciam miſſi ſunt *Exarchi*,
qui eo demum abrogato nomine, *Patricii*,
(quæ jam Imperii lex erat) ſunt appellati. Ita-
que Patricia dignitas, licèt Regiæ proxima,
longo intervallo tamen proxima fuit; cum &
titulo, & inſignibus, & dominatione Regum ca-
reret. Nam provinciæ, cui Patricius præerat,
quaſi Prætor Præfectuſque ad Cæſaris nutum
moderabatur, ac in officio populos iis, quas
Auguſtus præſcripſiſſet legibus, continebat, ar-
miſque ab hoſtibus tuebatur. Inde eſt quòd
cum Defenſorem, ac Patronum ſuarum pro-
vinciarum, & Urbis *Pipinum Stephanus III.* &
Adrianus I. Carolum Magnum cooptarent, promp-
to illo, paratoque *Patricii* nomine, quod tum
in *Italia* ex Imperii conſuetudine uſurpabatur,
eos appellaverunt. Quamobrem *Carolum Romæ*
Imperatorem jam renunciatum Patricii nomen
94 depoſuiſſe autores illorum temporum æquales,
quos paulò ante laudavi, in *Francorum* annalibus
narraverunt; *Ac deinde*, inquiunt, *omiſſo Patri-*
cii nomine Imperator, ac Auguſtus eſt appellatus.
Idque eò factum eſt, quod Cæſariani Miniſtri ti-
tulus illum, qui jam Cæſar eſſet, dedeceret.
Quid ergo iis Imperatoribus amabò in mentem
veniſſet, quos *Goldaſtus* [23] aſſeverat de inſtaurando
Patricii nomine cogitaſſe, cum id *Carolus Magnus*
ſtatim ut Imperator fuit, reſpuerit, ac rejecerit?
Quid itidem Patriciatum *Goldaſtus* [24] Imperato-
riæ Majeſtati *inſeparabiliter annexum*, *& perpetui*
privilegii, *& legis æternæ beneficium eſſe* prædicat?
Quaſi ſummum ſit hero privilegium, ac benefi-
cium ſi ſervus appelletur, *Chremeti* ſi *Davus* in
ſcena dicatur. Quamquam *Romæ*, ac in Ponti-
ficum ditione univerſa non illa *Carolo*, quæ pri-
dem Cæſarianis Patriciis, ſumma rerum poteſtas
Prætoria fuit; ſed tutelaris tantummodo, ac ut
ita dicam, præſidiaria, quod *Carolus* ipſe titulo-
rum ſui Patriciatus forma declaravit, quam regiis
literis poſt *Francorum*, & *Longobardorum* Regis
nomen prænotare hunc in modum ſolebat: *Caro-*
lus gratia Dei Rex Francorum, *& Longobardorum*,
ac Patricius Romanorum Defenſor ſanctæ Dei Eccle-
ſiæ. Hoc ſcilicet *Caroli* Patriciatus erat munus
certum, proprium, ac univerſum; Eccleſiæ *Ro-*
manæ præſto eſſe, eidemque domi, foriſque pa-
95 cem, tranquillitatemque publicam turbatam vin-
dicare, vindicatamque tueri. Nec dubium, cum
in iiſdem litterarum epigraphis *Patricii* nomen ita

18 *de geſt. Long. lib. 3. cap 2.*
19 *de geſt. Long. lib. 4. cap. 14.*
20 *lib. 6. vit. S. Germani.*
21 *apud I. Dart. in Exert in Bar.*
22 *in Not. ad. Ænei. Procop.*
Patricii, & Regis diverſitas.
Patricii, & Imperat. differentia.
23 *adver. Gretſer.*
24 *ibidem*
Patricii Romanorum poteſtas.

plerumque diſſimulet, ut id in uno illo *Defenſo-*
ris titulo comprehendat, atque concludat: [25] *Ca-*
rolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum,
ac Defenſor ſanctæ Dei Eccleſiæ. Quare *Paulus I.*
Pipinum à *Stephano III.* deceſſore ſuo creatum *Ro-*
manorum Patricium, appellare *Defenſorem Roma-*
num conſueverat [26]: *Menſe*, inquit, *Auguſti*,
die ſeptima decima, *introduximus corpus beati Ste-*
phani Martyris atque Pontificis, *tempore Conſtan-*
tini, *& Leonis Auguſtorum*, *& Pipini excellen-*
tiſſimi Regis Francorum, *& Defenſoris Romani*,
Indictione quartadecima. Sed ad *Caroli* titulorum
normam redeo, quam hic unam mihi propo-
ſui. Neque *Defenſorem Carolus* ſolutum ſe ſcri-
bit, ac liberum, ut integrum ſibi foret eam
defenſionis provinciam ſuſcipere pro arbitratu,
vel ſuo conſilio negligere; quandoquidem ſa-
cramenti religionem, qua ſe ſe ea de cauſa Pon-
tificibus, Eccleſiæque *Romanæ* obſtrinxerat, a-
gnoſcit ac profitetur, ubi ſe *Defenſorem devo-*
tum in libello Capitulorum prænotat: *Ego Ca-*
rolus gratia Dei, *ejuſque miſericordia donante Rex*,
& Rector Regni Francorum, *& Devotus*, *ſanctæ*
Dei Eccleſiæ Defenſor, *humiliſque adjutor.* Qui-
bus verò nominibus, quove ſacramento *Devotus*
eſſet, aperuit, cum ad *Elipandum* ſcribens, *Fi-*
lium Eccleſiæ hoc eſt *Romanæ*, ſe nuncupavit: *Ca-*
rolus gratia Dei Rex Francorum Longobardorum, *ac* 96
Patricius Romanorum, *Filius & Defenſor ſanctæ*
Dei Eccleſiæ. Neque enim pietatis, ut fit, ac
religionis ergo *Filium* ſe dixit; quippe qui, ut
ejus appellationis, quam vehementer ambivit,
compos fieret, *Leonem III.* etiam atque etiam
per Legatum efflagitaverit: [27] *Et paterna*, in-
quit, *pietate nos in filium ſibi adoptaret dilectio-*
nis pacificam unanimitatem. Quid? ut ſe pa-
terna voluntate *Leo* proſequeretur, ac filium
appellaret? Non erat tanti, ut tam gravem *Ca-*
rolus adornaret, expediretque Legationem, uti
nomen id ſibi à *Leone* beneficii loco concedere-
tur, quod ex domeſtica conſuetudine à *Romanis*
Pontificibus ne vel infimæ quidem plebis homun-
cioni negabatur. Sed ſi attendimus animum, *A-*
doptari filius, diſertis verbis expetiit. *Adoptari*
vero? Idque ab Eccleſiaſtico viro, à ſacrorum
Antiſtite, cui ex præſcripto canonum eſſe ne-
queunt natura liberi? Liceat hic penitius *Caroli*
Patriciatum inſpicere, ac ejus rationem, condi-
tionemque in lucem proferre. Cum *adoptari fi-*
lius à *Leone Carolus* petit, rem petit minimè no-
vam, ſi vel ejus ætatis morem, vel *Pipini* paren-
tis exemplum animadvertimus. *Pipinus* quidem
Patricius Romanorum à *Stephano III.* declaratus,
non ſemel FILIVS ADOPTIVVS in iis [28] lit-
teris appellatus eſt, quas *Petri* Apoſtoli perſonam
inducens, ad eundem *Pipinum*, obſeſſa à *Lon-*
gobardis Roma, perſcripſit. Ex more autem 97
vetuſtiſſimo ea tempeſtate adſciſcebantur cum à
privatis hominibus, tum à Regibus, provincia-
rumque dominis auxiliares viri fortes, bellica vir-
tute, & præclarorum gloria facinorum inſignes,
qui privatam familiarum, vel publicam Regno-
rum, ac provinciarum rem tuerentur, ſi quod
vel ab hoſtibus aliquando eſſet, vel à civibus ti-
meretur periculum. Ita ſibi filium [29] *Zeno* Im-
perator adoptavit *Theodoricum* Regem *Gothorum*,
[29] *Theodoricus* Regem *Herulorum*, [30] *Juſtinus* Im-
perator *Eutharicum Cillicam*, alii vero alios bello
& armis expertos. *Neque enim erat dignus ado-*
ptari (ut [31] Caſſiodorus ait) *niſi qui fortiſſimus*
mereretur agnoſci, *& qui ſe prius vellet mori*, *quam*
aliquid aſperum videre patribus infligi. Quare aſci-
ſcebantur data ultro citroque fide certis quibuſ-
dam ritibus, ut eſt in formula [32] *Theodorico* Regi
Gothorum ſolemni: *Filium te præſenti munere pro-*
crea-

25 *ad Offam Reg. ad Homer. apud Alchin. epiſt. 83. 85. & alibi.*
26 *apud Baron. ann. 761.*
27 *epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.*
Caroli Patriciatus qualis.
28 *apud Baron. ann. 755.*
29 *Jornand. de reb. Getic.*
30 *Caſſiod. Var. lib. 4. ep. 2.*
31 *Idem Var. lib. 8. ep. 1.*
32 *Var. lib. 4. ep. 2.*
33 *ibidem.*

creamus, ut competenter per arma nascaris qui bellicosus esse dignosceris; damus tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum, ac statim de juramento, ac fide subdit: *Ille à te devotionem petit, qui te magis defensare disponit.* Quod ita innuit Venantius [33] Fortunatus:

33 *lib. 6. carm. 7.*
34 *Var. lib. 4. ep. 2. Var. lib. 8. ep. 1. & 9.*
35 *de reb. Getic.*

Utque fidelis ei sit gens armata, per arma
Jurat, jure suo se quoque lege ligat.

Qui vero ita adoptarentur, *Filii per arma* (ut legere est apud [34] *Cassiodorum*, atque [35] *Jornandem*)
98 in posterum vocabantur, & ob juramentum defensionis gratia factum, *Defensores Devoti.* Nimirum ad ejusmodi sacramentum *Adriano* Pontifici dictum *Carolus* haud dubie respexit, cum se litteris Regiis *Filium sanctæ Dei Ecclesiæ*, *Ecclesiæ Defensorem*, ac *Defensorem Devotum* inscripsit. Tria enim hæc *Romæ Carolus* præstitit: *Filii* pietatem Pontifici professus est, Ecclesiæ *Defensionem* in se recepit, in eamque rem se ipse, data *Adriano* fide, *Devovit.* Quæ singula comprehendit ea Legatio, quam pro petitione Patriciatus *Romam Carolus* destinavit. Nam extincto *Adriano* Pontifice, quam ab illo acceperat Patriciam dignitatem, & Ecclesiæ Filii nomen sibi confirmari à *Leone III.* successore per *Angebertum* Legatum petiit, suamque vicissim, hoc est, Filii ac defensoris fidem Pontifici spopondit, & Ecclesiæ tutelam. [36] *Illique* (Angeberto) *injunximus*, inquit, *ut ex collatione mutua* (cum Leone Pontifice ad quem scribit) *conferatis quidquid ad Patriciatus nostri firmitatem necessarium intelligeretis. Sicut enim cum Beatissimo Prædecessore vestro sanctè paternitatis pactum inii, sic cum Beatitudine vestra ejusdem fidei, & charitatis inviolabile fœdus statuere desidero. Quatenus Apostolicæ Sanctitatis Vestræ, divina donante gratia, Sanctorum advocatis precibus, me utique Apostolica benedictio consequatur; & sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostra semper devotione defendatur.*

Patriciatus Caroli confirmatio.

36 *epist. 84. ad Leon. apud Alcuin.*

Nam ut sibi redintegraretur *Romanus* Patriciatus,
99 qui, *Adriano* mox vita functo, inanis jam erat, ac planè nullus, duas ejusdem olim sibi concessi proponit *Leoni* conditiones, *fidei* alteram, alteram *defensionis. Fidei*, inquit, *inviolabile fœdus statuere desidero:* hoc est *paternitatis pactum*, ut ait, quod cum *Adriano* inierat, nimirum *adoptionis.* ad quam ipse *Carolus* in *Adriani* Pontificis epitaphio respexit:

[37] *Nomina jungo simul, titulis clarissime, nostra,*
Adrianus, Carolus, Rex ego, tuque Pater.

37 *apud Alcuin. car. 217.*

Nam à Pontifice qua Provinciarum Domino, non propagandæ sobolis causa, sed ditionis defendendæ, adoptatus est de more *filius per arma.* Quemadmodum [38] *Stephanus III.* ad eundem *Carolum*, *Pipinum* & *Carolomannum*: *Vos*, ait, ADOPTIVOS *habeo* FILIOS *ad* DEFENDENDUM *de manibus adversariorum hanc Romanam civitatem.* Etenim universum illud *paternitatis pactum*, & *fidei fœdus* in eo tandem, ut ipse *Carolus* hic ait, vertebatur, *Quatenus Sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes nostra semper devotione defendatur. Caroli* ergo Patriciatus quantuscumque erat, hujusmodi erat, ut nihil nisi Ecclesiæ *Romanæ* patrocinium, ac defensionem, eamque sacramento devotam contineret. Cur igitur à *Caroli* Patriciatu Defensoris munus distinguit [39] *Goldastus* atque hoc illum Ecclesiæ impendisse contendit, illo verò *Romanis* jus dixisse comminiscitur? Certè *Carolus* Patriciatum à *Leone* renovari sibi ea
100 tantum repostulat: *Quatenus*, inquit, *sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes nostra semper devotione defendatur.* Pipinus itidem *Defensor Romanus* à *Paulo I.* ut dixi, vocatus est, qui *Romanorum* æquè fuit *Patricius.* Mirum illud fortasse videatur, quòd *Carolus* sibi petat instaurari Patriciatum, qui semper

38 *apud Baron. ann. 755.*

Patricius Rom. & Defensor Eccl. idem.

39 *in Ratione Const. Imp.*

A integer ei relinquebatur, cui semel in *Romana* Republica obtigisset; *Nam mox ut datus fuerit Patriciatus, in vitæ tempus reliquum* (Theodoricus [40] Rex ait) *homini fit coævus, ornatus individuus, cingulum fidele, quod nescit ante deserere, quàm de mundo homines exire contingat.* Nempe illud verissimum est, atque hinc magis ac magis comprobatur, quod paulò ante disputavi, *Carolum Romanorum* Patricium fuisse renunciatum, non tam ut in Senatum adlectus in albo Patrum, seu Patriciorum conscriberetur, quàm ut *Romanorum Defensor* designaretur, designaretur autem consueto, vulgatoque illo *Patricii* nomine, quo tum in Imperio
B Præsides provinciarum, quorum partes erant provinciales defendere, vulgo passim, & ex Imperii consuetudine nominabantur. Quæ igitur autoritas, quodve munus esset *Caroli Romanorum* Patricii, ipse sua legatione, suique Patriciatus titulis declaravit. Declaravit porrò & alio facto; quandoquidem *Carolus* in *Italia* duobus clarus nominibus fuit Regis & Patricii; ejus enim ditionis universæ, ex qua *Longobardos* expulit, alteram partem Pontificibus olim possessoribus cessisse, restituisseque 101 illum novimus; alteram, belli jure, suo adjunxisse imperio. In hac quidem *Longobardorum Rex* dici voluit, in illa *Patricius*, atque *Defensor*
C potuit quidem, *Rex* autem esse, vel dici, nec potuit, nec voluit. Atque eam ob rem *Patricii Romanorum* titulum *Regis Longobardorum* titulo ubique postposuit; neque enim Regiæ majestati Patricii gradum comparandum putavit. Quod si *Romanorum Patricius*, *Rex* (ut isti credunt) *Romanorum* fuisset, nulla prorsus dignitate, nulla ratione *Longobardico* Regno Regnum *Romanorum Carolus* posthabuisset. Præsertim cum diu ante quàm *Longobardos* profligaret, *Romanorum* Patricius à *Stephano III.* nominatus esset. Nam ad suppetias Urbi ferendas *Pipinum* patrem, amboſque ejus liberos similiter, unoque nomine *Stephanus* evocavit, litterisque
D hanc præfixit epigrapham. [41] *Dominis excellentissimis Pipino, Carolo, & Carolomanno nostris Romanis Patriciis.* Quæ cum ita sint, tantum abest, ut *Carolus* Magnus, quà *Patricius*, *Rex* Romanorum esset, aut Rempublicam cum potestate gereret, aut Pontificum provinciis, urbibusque moderaretur, ut earum clientelam, quam solam Patriciatus nomine contineri demonstravimus, ab *Adriano I.* concessam sibi, *Leonem III.* successorem rogaret, ut ratam firmamque esse sibi nihilominus vellet; quòd illam sciret à *Romani* Pontificis nutu pendere, & pro ejus arbitrio 102
E æque sibi, Regibusque *Francorum*, atque cuilibet Christianorum Principum committi posse, prout quisque rebus Ecclesiæ *Romanæ*, vel bono religionis publico studere maximè videretur. Quare post *Gallorum* Reges demandata ea nonnunquam provincia fuit Regibus *Italiæ*, *Castellæ*, *Sueviæ*, *Siciliæ*; quorum nisi me fallit memoria, postremi fuere *Conradinus*, & *Ludovici* Regis sanctissimi frater *Carolus Andegavus*, quod ejus hic argenteus nummus prodit *, in quo SENATOR VRBIS *Carolus* inscribitur; quia posterioribus deinde seculis *Romanorum* Patricii (ut ex lege *Nicolai III.* liquet, quam modò profe-
F ram) Urbis SENATORES, RECTORES, ac etiam CAPITANEI sunt appellati. Quorum potentia cùm plerumque in Pontificum Maximorum, & Cardinalium comitiis opprimeretur potius Ecclesia *Romana*, quàm ex vetere, primoque instituto, ut par erat, defenderetur; *Nicolaus III.* Urbis patrocinium & administrationem, ab iis, ad minorum gentium Præsides, ut hodie videmus, hac lege traduxit. [42] *De fratrum nostrorum consilio, hac irrefragabili, & in perpetuum va-*

40 *Variar. lib. 6. formul. 2.*

Patricius Rom. minor quam Rex Longobard.

41 *apud Baron. ann. 755.*

* Vide TAB. VII. Fig. 3. pag. 35.

42 *cap. Fundamenta. de Elect. in Sext.*

valitura conſtitutione ſancimus : ut quandocumque & quotieſcumque SENATORIS *electio* , *vel alterius quocumque nomine cenſeatur* , *qui quocumque modo* , 103 *vel quocumque titulo ipſius Urbis debeat præeſſe regimini*, *in poſterum imminebit :* NVLLVS IMPERATOR , SEV REX ROMANORVM, AVT ALIVS IMPERATOR , VEL REX, PRINCEPS , MARCHIO , DVX , AVT BARO, *vel quicumque alterius notabilis præeminentiæ* , *potentiæ* , *ſeu poteſtatis*, *excellentiæ*, *vel dignitatis exiſtat frater* , *filius*, *vel nepos eorum*, *ad tempus*, *vel in perpetuum*, *ſeu quivis alius*, *ultra annale ſpatium*, *quovis modo* , *colore*, *vel cauſa*, *per ſe*, *vel per aliam perſonam quomodolibet ſubmittenda*, *in* SENATOREM, CAPITANEVM, PATRICIVM , AVT RECTOREM , *vel ad ejuſdem Urbis regimen*, *ſeu officium nominetur*, *eligatur*, *ſeu aliàs aſſumatur abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali*, *per ipſius Sedis litteras conceſſionem licentiæ hujuſmodi ſpecialiter exprimentes.* Sive igitur ampliſſimam Patriciorum Imperialium , hoc eſt *Italiæ* Exarchorum poteſtatem , juriſdictionemque ſpectemus , ſive hanc , quam modo declaravimus *Caroli* Patriciatus longè minorem dignitatem ; qua tandem ratione *Carolo Romanorum* Patricio DOMINI , REGISque tituli , quos illa celebrat inſcriptio, congruant? vel ille, quem tabula exhibet, habitus, veſteſque conveniant? *Romanorum* ſiquidem Patriciis, velut hodie Urbis Senatori, talarem fuiſſe amictum, *chlamydem*, *tunicamque* ſcimus ; quas cum in ea dignitate eſſet, *Carolum Leonis III.* rogatu induiſſe, teſtis [43] Eginhardus. *Peregrina verò indumenta*, inquit, *quamvis pulcherrima reſpuebat* , *nec unquam eis indui pa-* 104 *tiebatur ; excepto quòd Romæ ſemel Adriano Pontifice petente*, *& iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante*, *longa tunica*, *& chlamyde amictus*, *& calceis Romano more formatis*, *induebatur.* Eum fuiſſe Patriciorum habitum, *Athalaricus* Rex apud [44] *Caſſiodorum* teſtatur. Hic verò ubi tunicam longam, ubi chlamydem vides? Certè paludamentum vides imperatorium indumento ſuperjectum *Francico*, *Carolo* Regi, ut paulò poſt dicam , conſueto, & familiari. At cum *Francorum*, & *Longobardorum* Principe, ait, non ne *Regis* nomen bene conſentit? ſed conſentit illud ſolummodo ; nam *Dominum noſtrum* (quæ altera inſcriptionis pars eſt) *Romæ* externo Regi quis inſcribat? ſcilicet externi tum etiam fuere *Longobardorum* Regum , cum reliquam *Romanorum* Pontificum ditionem per ſummum ſcelus occupabant ; quibus demum exactis *Carolus* victor , etſi *Longobardorum* , non tamen ob id vocari , ut dixi, *Romanorum* Rex voluit, aut potuit. Tum quòd recuperatas Eccleſiæ *Romanæ* Provincias *Adriano* Pontifici reſtituit ; tum etiam quòd à *Longobardorum* Regibus , quorum in Regno ille ſucceſſit , etſi *Roma* obſidione preſſa, nunquam tamen oppreſſa fuit imperio. *Francorum* autem Reges , qua Eccleſiæ Defenſores, ac *Romanorum* Patricii (nam extra hoc quidem no-105 men, nihil rei *Gallis* fuit cum *Romanis*) tantum abeſt , ut Romæ *Domini noſtri* dici vellent , ut ne cuperent quidem, etſi aliqua id ratione potuiſſent , quippe qui viderent Patriciis id , ut expoſui , minimè convenire ; domi verò uſum ejus tituli nullum ipſi haberent , quemadmodum & eorum *Capitula* , quas leges nuncupamus, & Nomiſmata , & *Caroli Calvi* de cudendis nummis conſtitutio probat. Nam ſiquando D. N. REGEM in actis, tabuliſque *Francorum* legi contingat , quod quidem contingit raro ; privatorum tabellionum id obſequium eſt potius, quàm ejus reipublicæ, aut Principum conſuetudo, quæ planè contraria domeſticis verbis , & nativo ſenſu in iis *Capitulis* exprimitur. Ob nullam ergo

Patricio Rom. nec inſcriptio nec habitus convenit.

[43] *in Vit. Car.*

[44] *Var. lib. 8. epiſt. 9.*

Neque Regi Longobardorum.

Neque Regi Francorum.

A trium illarum dignitatum , ſed nova & penitus peculiari de cauſa *Carolus* dici *Dominus Noſter* tum primùm cœpit , cum illa ſcilicet tranſlata in eum dignitas fuit , propter quam à *Romanis*, atque adeò etiam à Pontificibus Maximis Imperatores veteri quodam uſu *Domini noſtri* appellari, ſalutarique conſueverunt. Quamobrem *Theophanes* [45] non quidem antea , ſed ab *Caroli* Cæſaris renuntiatione γινομένης τῆς ῥώμης ἀπ' ἐκείνου καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγκων , *in Francorum* , hoc eſt Caroli , *poteſtatem deveniſſe Romam* exiſtimavit ; de qua tamen ſententia mox dicam enucleatè. *Romanorum* ergo more recepto , *Romano* Principi tum primùm creato inſcriptum à *Leo-* B *ne III.* eſt : D. N. CARVLO REGI. Cur autem ab *Imperatoris* nomine hic temperatum ſit, 106 tertiodecimo capite diſputabimus. Sed de hac inſcriptione ſatis.

Convenit Carolo Imperatori.

[45] *In Chron.*

Cap. XII.

Inſcriptio Leonis *Imaginis exponitur.*

Age nunc alteram videamus, quæ eſt:

SCSSIMVS. D. N. LEO. PAPA

ut illa *Carolum*, hæc ita *Leonem Dominum Noſtrum* indigitat. Quis iſte Dominorum Duum-C viratus urbanus ? dicet fortaſſe quiſpiam , qui infenſo animo , atque inimico audit *Romanorum* Pontificum civilem dominationem, quam *temporalem* appellant ; niſi forte frigida illa , atque jejuna calumnia , pictoris vitio factum id arbitretur. Verùm dum antiquas perluſtro majorum imagines , æquè me nihil detinere ſolet , atque ſolertiſſima illorum diligentia , ſive rerum hiſtoriam , ſive rituum obſervantiam , ſive pondera veritatis examino. Ea omnia , licet rudibus expreſſa lineamentis , admirabile quid habent in receſſu, modo hæc eruditis oculis intueare ; nam eminent , & apparent eò magis , quò minus op-D primuntur artis induſtria. Vide hic Apoſtolos in teſtudine tribunalis, *Petrum* oram pallii ſublegentem, reliquos palliis ſuffarcinatos ; fortaſſe ridebis artificem dignitatis imperitum ; at ſi quam refert hiſtoriam animadvertas , peritiſſimum di- 107 cas. Scilicet ad iter accinctos , ſuccinctoſque, jamque carpentes viam Apoſtolos depinxit, ubi illud Chriſti Domini audierunt celeuſma EVNTES DOCETE, quod in tabulæ appendice notavit. Vide præterea duum Imperatorum *Conſtantini*, & *Caroli* tam diſſimiles coronas ; neque enim ad pictoris libidinem , ſed ad diverſi ſeculi conſuetudinem, ut mox diſſeram , illa eſt varie-E tas. Vide denique inſcriptum *Carolo* Imperatori REGIS titulum ; in quo quis non oſcitantem arguat artificem? Attamen data eſt opera, ut paulò poſt dicam, ne aliter illa ſonaret epigrapha. Nemo igitur eam ἀκρίβειαν, exactamque diligentiam in *Leonis* titulo neglectam fuiſſe putet, qui hanc in reliquis hujuſce tabulæ partibus tam accuratè, religioſèque ſervatam videat. Nec dubium, cum *Leonis III.* tempeſtate , ac diu poſt , antiquiſſimum , ac præſtantiſſimum Ædilium Levitarum Collegium perduraverit , quorum munus fuit ſacris ædificiis faciundis præeſſe , utque cum dignitate , ritèque fierent ita curare , ut publico F nominum ſuorum teſtimonio lapidibus inciſo procurationem verbis ſolemnibus profiteri tenerentur. *Damaſi* Pontificis Levita Ædilis in Cœmeterio Vaticano , quod aggere cinxerat , carmen , quo rem totam narrat, ita claudit :

HÆC. CVRAVIT. MERCVRIVS. LEVITA. FIDELIS

Leonis III. Levita Ædilis in ſacello , quod, ante Sixtianam demolitionem, ponè Triclinium, de 108 quo agimus, extabat, hunc in modum inſcripſit.

CV-

Titulus D. N.

Imaginum antiquarum ἀκρίβεια.

Levitarum Ædilium cura.

CVRANTE. N. LEBITA. PETRI.
AD. HONOREM. ARCHANGELORVM
LEO. TERTIVS. PAPA. FIERI. IVSSIT

Ad portas æneas Patriarchii Lateranensis Levita *Cœlestini III.* suam ita testatus est diligentiam.

INCARNATIONIS. DOMINICÆ. ∞C XCVI.
PONTIFICATVS. VERO. DOMINI. COELESTINI. PAPÆ. III.
ANNO. VI. CENCIO. CAMERARIO. MINISTRANTE
HOC. OPVS. FACTVM. EST.

Ergo Levitarum Ædilium Collegium ejus tituli formam conceptis, consultisque verbis opportunè ad rem, ita dictasse, ut in Triclinio hodie legitur, minimè dubitamus. Cæterum antiquus, ut paulo ante attigi, *Romanorum* mos est, atque adeò proprius, Principes, quorum in ditione, legitimaque potestate essent, *Dominos nostros* nuncupare, & inscribere. Sic olim Imperatores *Romanos* nationes, populique omnes, *Dominos orbis terrarum*, salutabant; singulæ verò Provinciæ, *Dominos nostros*, suos, inquam, profitebantur. Post Cæsares vel Gentiles, vel Christianos, ita *Romani* venerati sunt *Gotthos* Reges, *Theodoricum*, *Athalaricum*, *Theodatum*, ac reliquos, quorum adhuc supersunt inscriptiones, & nomismata. Eadem ra-

Pontifices Rom. DD. NN.

109 tione, eodemque more Pontifices Maximos, *Dominos suos*, nuncupare tum cœpit Senatus, Populusque *Romanus*, cùm Urbe Pontifices suo, plenoque jure, ac dominatu primùm potiti sunt. Potiti sunt autem cum à fidei desertore *Leone Isaurico* discedens Senatus *Romanus* sacramentum (teste [1] *Anastasio*) dixit *Gregorio II.* Quamquam impius Imperator, ut à Pontificis fide Senatum, Populumque *Romanum* abduceret, classem instruxit, quam ad ostia Tyberina priusquàm appelleret, divino nutu, quemadmodum [2] *Theophanes* narrat Adriaticum Pelagus, Ecclesiæ *Romanæ* velut injuriarum ultor, absorbuit. Neque ita tamen sedatæ procellæ sunt, quibus civile hoc imperium *Romanorum* Pontificum jactatum est per id tempus, sub altero *Gregorio*, *Zacharia*, & *Stephano III.* qui *Francorum* auxilium præsidiumque imploraturus ad *Pipinum* Regem in *Gallias* perrexit. Is primum arma *Longobardorum* ab Urbe, & à reliqua Pontificum ditione avertit, *Carolus* deinde filius tranquillissimam pacem *Adriano I.* peperit, qui procul ab omnibus turbis, *Romam*, ut decessores inde à *Gregorio II.* Pontifice, plena dominatione tenuit. Tenuit *Leo* quoque *III.* successor integro quadriennio. Tum civium conjurata manus Pontificiæ dominationis pertæsa, *Leoni* vim intulit; *Carolus* verò Magnus,

110 qui tandiu laudabitur, dum memoria Pontificum *Romanorum* manebit, non modò paratam defectionem coërcuit, ac Senatum, populumque *Romanum* ad debitam *Leoni* fidem pellexit, induxitque; sed vetus etiam Pontificum in Urbe dominium ita stabilivit, ut ex eo tempore (ante id enim ego quidem hoc nondum observavi) *Romani* Pontifices tanquam Urbis jam Domini, cum in titulis, tum in acclamationibus, audire cœperint, *Domini nostri.* Sanè post illud tempus, extat in æde sancti *Marci* tessellatum opus *Gregorii IV.* qui paulò post *Leonem III.* Pontificatum cepit, ibidemque legis hanc epigrapham

SCSSIMVS. D. N. GREGORIVS. PP.

Et in antiquis Ritualibus, tum Pontificibus, tum Augustis acclamatur *D. N. Papæ vita. D. N. Imperatori vita & victoria.* Quod ex decreto *Leonis* usurpatum deinde fuisse, facilè ex hujus tabulæ, & *Benedicti* Politici testimonio potest in-

[1] in Greg. II.

[2] in Chron.

A telligi. Sed committamus cum *Leonis* emblemate vermiculato hoc nomisma †. in cujus altera facie simulachrum restituti *Leonis* sub imagine *Petri*, in aversa, ejus nomen, Dominiique titulum æque luculentum videre licet, atque in hac tabula incorruptum habemus. Neque *Baronio* [3] ecclesiasticæ antiquitatis peritissimo, cui alioqui plurimum tribuo, assentiri facilè possum, aut *Lælio Pasqualino*, qui *Baronio* ejus fuit autor sententiæ, ut crederet *Leonis I.* esse illud nomisma. Nam quarto illo, quo *Leo* Magnus floruit, tribusque posterioribus seculis, ita Cæsares *Italiæ* universæ, & Urbi moderati sunt, ut Pontificibus

† Vide TAB. VII. Fig. 4. Pag. 33.

111

[3] Tom. 6. ad ann. 461.

B Maximis, præter ecclesiasticam, nihil civilis jurisdictionis permiserint; tantum abest, ut urbanæ dominationis ergò *Domini nostri* à Senatu Populoque sint appellati, aut ab illis hoc titulo causa nomismata fuerint. Si titulos, quos Magno *Leoni* populus, vel sibi ipse posuerit, aliunde (quandoquidem *Leoniani* minimè suppetunt) nosse certò volumus, facilè intelligemus è *Xysti III.* ejus antecessoris, vel successoris *Hilari* titulorum exemplo, indeque eliciemus *Leonis*, atque adeò ejus tempestatis consuetudinem. *Xystus* in arcu majore Basilicæ Liberianæ, quam olim restauraverat, scribi jussit ex musivo:

Antiqui Pontific. Rom. tituli.

C XYSTVS. EPISCOPVS. PLEBI. DEI.

Hilarus epistylio ædiculæ sancti *Joannis* Baptistæ, quam in Baptisterio *Constantiniano* condidit, inscripsit hunc titulum:

HILARVS. EPISCOPVS. SANCTÆ. PLEBI. DEI

ædiculæ januas æneas argento ita cælavit.

IN. HONOREM. BEATI. IOANNIS. BAPTISTÆ
HILARVS. EPISCOPVS. DEI. FAMVLVS. OFFERT

In altero verò sancti *Joannis* Euangelistæ sacello, 112
quod è regione illius est:

LITERATORI. SVO. BEATO. IOANNI. EVANGELISTÆ
D HILARVS. EPISCOPVS. FAMVLVS. CHRISTI.

En quantum abhorret hujus nomismatis epigrapha à Magni *Leonis* tempore, ac more. Nec minus abest ab usu ætatis *Leonis II.* eandem enim tum perdurasse, quæ antiquitus *Romæ* fuerat, civilis jurisdictionis, administrandæque Reipublicæ formam, *Agathonis* testimonio liquet, qui, ad *Constantinum Pogonatum* Cæsarem Legatos Synodi *Constantinopolitanæ* Præsides se destinare ait: *de hac servili vestri Serenissimi principatus Romana urbe.* Unus ergo omnium *Leonum* facile antiquissimus, cui nomisma illud attribui queat, *Leo* est *III.*

Titulus, & nomisma Leonis III.

E consentitque historia, ac hujus tabulæ titulus, si cum nummi titulo comparetur. Hic nobis [4] *Theophanem* nescio quis objiciat, qui ne tum quidem, hoc est, *Leonis III.* tempestate, in Pontificum *Romanorum*, sed in *Francorum* potestatem, ut paulò ante memoravi, Urbem devenisse narrat. At id confirmare sua [5] Bibliothecarius interpretatione, à qua penitus illam sententiam exclusit, minimè quidem voluit; quippe cui optimè de administratione statuque Reipublicæ *Romanæ* constaret, & ante oculos ipsa tum res versaretur.

[4] in Chron.

[5] in Hist.

Nisi

Nisi *Theophanem* sic accipias; quemadmodum
113 [6] *Paulus Diaconus* apud *Carolum* Magnum, *Civi-*
6 *in Ded. Fest. Pomp.* *tatem vestram Romuleam* dixit, quæ scilicet in illius tutela esset, ut demonstravimus, atque præsidio. Nam tabulæ quas *Carolus Adriano* confecerat, ac *Leoni* confirmarat, haud ita privatæ, ignotæque fuerunt, ut tantos ejus temporis scriptores latere potuerint. At verò *Romam* Pontificum Maximorum imperio, legibusque tum paruisse, si quidem aliis affirmantibus credere non libet, saltem iis, quorum res intererat, credatur; [7] *Carolo* Magno, qui, ut superiore capite declaratum est & quartodecimo fusius dicetur, *Romanorum* Patriciatum, id est Urbis Præfecturam per Legatos, à *Romano* Pontifice petiit, fidemque eidem spopondit suam. Credatur [8] *Ludovico* filio, qui *Paschali I. Leonis III.* successori ratam *Caroli* patris concessionem habens; *Concedo*, inquit, *sicut à prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis, & disposuistis Civitatem Romanam cum Ducatu suo*, &c. [9] Credatur *Constantino Porphyrogenneto*, qui filium imperii successorem monet, ne *Romam* suæ ditionis finibus contineri putet, quæ δεσπόζεται κυρίως παρά τινος τοῦ κατὰ καιρὸν Πάπα: *ab eo Antistite, qui in Pontificatu per tempus succederet, jure Dominii teneretur.* Hoc ergo nomine *Leo III.* cùm in nomismate, tum in emblemate D. N. inscribitur, *Carolus* verò, quà Cæsar publicè renunciatus. Ad quem planè modum uterque *Romæ Pater* à Poëta ejus ætatis nuncupatur:

Dominium Pontificis Rom.

7 *Epi. 84. ad Leon. apud Alcuin.*

8 *in Const. de priv. B. Pet.*

9 *de Them. lib. 2.*

114 *O quanto premitur Roma dolore*
Præclaris subitò Patribus orba;

Et infra *duo Lumina* vocantur:

Luge, Roma, tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo Lumina luge.

Præstat hic integrum dare carmen, & huic disputationi conveniens, & haud invenustum, si scribentis ætatem spectes. Iis certè minimè ingratum fore puto, qui nova priscorum temporum monumenta ex Vaticana Bibliotheca expetunt.

Cæsar tantus eras, quantus & orbis,
At nunc in modico clauderis antro.
Post te quisque sciat se ruiturum,
Et quòd nulla mori gloria tollat.
Florens Imperii gloria quondam
Desolata suo Cæsare marcet,
Hanc ultra speciem non habitura,
Quam tecum moriens occuluisti.
O quanto premitur Roma dolore,
Præclaris subitò Patribus orba.
Nunc Auguste tuo funere languet,
Infirmata pii morte Leonis.
Leges à senibus Patribus actas,
Quas elapsa diu raserat ætas,
Omnes, ut fuerant, ipse reformans,
Romanis studuit reddere causis.
Tu longinqua satis Regna, locosque
115 *Quos nullus potuit flectere Cæsar,*
Romanos onerans viribus arcus,
Ad civile decus excoluisti.
Quæ te non doluit, Cæsar, obisse,
Vel quæ non timuit patria vivum?
Sed quæ te timuit patria vivum,
Hæc te nunc doluit, Cæsar, obisse.
Nam sic lenis eras jam superatis,
Et sic indomitis gentibus asper,
Ut qui non doluit, jure timeret;
Et qui non timuit, jure doleret.
Luge, Roma, tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo Lumina luge.
Arcus frange tuos, sicque triumphum,
Et te, Roma, tuis hostibus offer.

Quid? Num ad rebellionem *Romanos* incitat? Id
A verò neque *Romanorum* fidem, neque Poëtæ modestiam decebat, qui non tam magnam *Caroli* laudem, quin majorem *Ludovici* successoris vituperationem hic exaggerasset, si quid ad Imperium, quod tum *Ludovicus* susceperat, *Roma* pertinuisset. Num potius innuit quod res est? ita videlicet *Romano* Pontifici integrum fuisse Defensorem sibi quærere quem vellet, ut ubi Defensor *Carolo* virtute par non suppeteret, suo jure, suaque libertate uti, & abuti sic posset, ut se hostibus offerre nulla invidia, nulla injuria, nulla denique violata lege vel fide posset. Scilicet Au- 116
tor præter tutelarem in Urbe *Caroli* potestatem,
B de qua supra disputatum est, aliam agnoscit nullam. Idque, ut demonstravi, munus erat Patricii *Romanorum*, hoc est, (quid enim isti frustra distinguunt?) Defensoris Ecclesiæ *Romanæ*, ejusque jurium, civitatum, ac provinciarum, quæ in ditione *Romanorum* Pontificum essent. Quas etenim victorias, quos triumphos Urbi, ac *Romanis Carolum* peperisse hic Autor affirmat, iisdem Ecclesiam *Romanam* ornasse ait *Ingobertus Caroli* scriba:

Ad dextram Armigeri prætendunt arma ministri,
Ecclesiam Christi invictus Defensor in ævum
Armipotens magnis queis ornet sæpe triumphis.

C Armis quippe *Carolus* debellavit, qui domi, forisque Ecclesiæ *Romanæ*, Pontificumque dominatum, & ditionem turbatum ibant; atque hæc fuit *Caroli Romanorum* Patricii summa triumphorum. Ex rebus à *Leone* gestis illud insigne nobis Poëta notatum reliquit, quòd

Leges à senibus Patribus actas
Romanis studuit reddere causis.

Egregium sanè opus, quod in eruditorum animis ingens sui desiderium commoveat. Ni fortè *Anselmi* illa, quæ in Bibliothecis habetur, Canonum Collectio ab hac Leoniana, ita ut est integra, manarit. Planè ad unam utraque formam
D concinnata fuisse mihi videtur. Nam in altera, 117
quæ superest, sive *Anselmi*, sive *Leonis* eam dicere mavis, id observes, quod memoria dignum Poëta censuit: *Leges* Ecclesiasticas per certa capita *Romanis causis redditas*; singulas nimirum singulis appositas, tributasque; quod ante *Leonem* fecisse primum Joannem Patriarcham *Constantinopolitanum* [10] alibi diximus. Ejus Canonum Collectionis, nuper *Hidelberga*, insignis codex, exesus licet, ac dimidiatus, adlatus huc est, venerandæ antiquitatis illustre sanè monumentum.

10 *in Not. ad Procop.*

E

CAP. XIII.

Quæ dicta sunt quinque habere difficultates videntur.

Veterum hujus generis monimentorum fides ex tribus his fermè constat, si cohæreant singula, si temporibus respondeant, si ab historia habeant testimonium. Hæc verò etiam si satis, ni fallor, explicata sunt; Imperii tamen translati controversia plena cum sit invidiæ, quæ sicuti videre contemnit veritatem, ita singula perspicere solet, quibus veritas impugnetur; quinque in hac tabula reperio causas, iis maximè opportunas, qui contradicendi libertate suo
F veluti jure utuntur. Unam, quòd de Imperio hic mentio fit nulla, imo nec Imperatoris nomen extet, quo tamen *Carolum* fuisse tum salutatum, 118
cum Augustus renunciatus est, nemo Historicorum non asseverat. Alteram, quòd signum id, quod in manum *Carolo* traditur, si cujus est, Patriciæ certè est argumentum dignitatis, de vexillo quippe à *Leone III.* ad *Carolum* Patricium missο Autores meminerunt. Tertiam, quòd nihil cum Cæsare inaugurato ille facere videtur ornatus,

Rationes contra tabulam Translationis Imp.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta. tus, quem præfefert mufivi delineatio. Quartam, quòd ad cujufvis magis, quàm ad *Caroli* fimilitudinem ea accedit imago, cui *Caroli* inditum nomen hic eft. Quinta. Quintam, quòd Leonianum Triclinium longè ante abfolutum fuit, quàm à *Romanis Leo* ejiceretur, quàm proficifceretur in *Germaniam*, quàm denique *Carolum* donaret Imperio. Nam publici conventus, qui, ftatim poft *Leonis* reditum è *Saxonia*; de ejus caufa habiti funt, hic, tefte [1] Bibliothecario, funt habiti. *Poft aliquos dies*, inquit *fideliffimis Miffis, qui cum Leone venerunt in Pontificale obfequium, videlicet Hildevaldo*, & *Arno Reverendiffimis Archiepifcopis*, &c. *refidentibus in Triclinio ipfius Domini Leonis Papæ*, & *per unam*, & *amplius hebdomadam inquirentibus*, &c. Earum, fi placet, caufarum quantum quæque valeat, quantumque vera fit unaquæque, videamus. Ante conditum fuiffe Triclinium (ut de poftrema primùm caufa dicamus) quam *Carolus* renunciaretur Imperator, minimè inficias imus; ornamenta tamen Cœnaculi perfecta negamus, antequàm *Carolus Romam* veniret, ac Cæfar appellaretur. Siquidem omnia penè ædificia à *Leone III. Romæ* inchoata, ob factam à *Pafchale*, & *Campulo* in eum conjurationem, imperfecta fuiffe relicta, idem Bibliothecarius affirmat; ac ne de Triclinio dubitandi locus remaneret, nominatim Patriarchii meminit extructionum: [2] *Hic autem*, inquit, *venerabilis*, & *fanctiffimus Præful, dum in Catholica*, & *Apoftolica Romana Ecclefia per ordinem ecclefiafticum degeret*, & *ritum orthodoxæ fidei teneret, atque ex omni parte tam per diverfas Ecclefias, quàmque in Patriarchio, in amplis ædificiis conftruens, comptè ornaret*, conjuratorum factione, infidiifque petitur ad necem. Exornari ergo ædes cœperant, cùm, inopinato illo cafu, *Roma Leo* excedere coactus eft; ac primum in *Spoletanum* agrum ad *Vinigifum* Ducem, deinde ad *Carolum* Regem *Francorum* in *Germaniam* confugere: quo toto tempore cum Triclinium, tum reliqua *Leonis* ædificia penè in fqualore jacuerunt. Sed quid de Triclinio? cùm Ecclefia fanctæ *Sufannæ*, cujus (ut apud [3] *Anaftafium* narrationis ordo declarat) longè ante cœpta extructio fuerat, poft acceptum à *Carolo* imperium, fit abfoluta? Quippe *Carolum* corona, paludamento, totoque indutum imperatorio ornatu *Leo III.* in ejus templi Apfide (quod [4] diximus, nec repetere piget) ex mufivo depinxit. Prætèrquàm quòd, ante Campulanam illam conjurationem, nulla extiterunt in *Leonem Caroli* merita, nulla confuetudinis, vel amicitiæ caufa, quam ob rem in Bafilicis, in Lateranenfi Patriarchio eidem à *Leone* publicè ftatuerentur imagines, nedum infignibus imperii decorarentur, vel infcriptione Cæfari folùm, ut oftendimus, debita cohoneftarentur. Verùm fi ante *Romanorum* in *Leonem* confpirationem perfecta hujufce Triclinii ornamenta contendis, cedò alterum *Leonis* exilium, alteram reftitutionem, quam hac in tabula expreffam demonftres. Itaque ficut ex *Anaftafii* conftat hiftoria conventus adverfus conjuratos in Triclinio Leoniano fuiffe celebratos; ita, quod modò dicebam, Triclinii ornamentis, poft *Leonem* reftitutum, *Carolum*que Imperatorem defignatum, fupremam manum impofitam fuiffe, cum ejufdem *Anaftafii* teftimonium, tum ipfa ratio convincit. Deinde *Caroli* fimilitudinem (is enim locus erat poftremo proximus contra ea, quæ difputamus) tam expreffam, tam veram, ac vivam exigimus à Pictoribus, qui, *Carolo* Imperatore, & *Leone* Pontifice, hoc eft ætate non adeò culta folertique, vixerunt? idque in opere teffellato? Scio diffimilem planè iftius effe *Caroli*

Margin notes: 1 *in Leon. III.* — Ad quintam rationem. — 119 — Triclinium Leonis quando perfectum. — 2 *in Leon. III.* — 3 *in Leon. III.* — 4 *fup. c. 2.* — 120 — Ad quartam rationem.

A vultum, quem *Turpinus* defcribit: fed autorem illum, qui *Turpini* mentitus eft nomen, plenum effe fabularum, res nota jam dumdum eft, atque apud omnes pervulgata. 121 Sed quid ille de *Caroli* fpecie, & habitu? [5] *Longitudo ejus*, inquit, *octo pedum, fuorum fcilicet, qui erant longiffimi; facies ejus palmum*, & *dimidium habebat in longitudine; barba unum palmum; nafus circiter dimidium;* & *frons ejus erat unius pedis.* De ftatura quod ait; imponet, ut reor, nemini, cum hodieque fuperet haftile *Caroli* Magni ad ejus olim ftaturam exactum, quemadmodum litteræ ex argento infcriptæ declarant: B KARLVS. IMPR. IVSSIT. CVBITV. ISTV. FACERE. IVXTA. MENSVRAM SVAM. Haftile verò, ut [6] qui viderunt, ac menfi funt affirmant, infolens ac vaftum continet planè nihil. Faciem autem, (fi qua eft humani corporis commenfuratio) planè prodigiofam, ac monftrofam narrat, nifi fortè rictum equinum, non vultum humanum defcribit; quamquam & belluinum roftrum jufta non careat partium competentia. Hic tamen palmo, ac præterea femipalmo faciem, pede frontem, femipalmo nafum metitur. Sive autem palmo, ac pede Gigantis, quem delineare videtur, five C fuo *Turpinus* giganteam illam vaftitatem metiatur, menfura eft minimè confentanea, nec ad fymmetriæ rationem modulata. *Eginhardus* diverfa, & omninò contraria de fui Principis forma refert, huic verò imagini convenientiffima. [7] *Corpore*, inquit, *fuit amplo atque robufto, ftatura eminenti, quæ tamen juftam non excederet, nam feptem fuorum pedum proceritatem ejus conftat habuiffe figuram.* 122 *Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, nafo paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta* & *hilari.* Penè ad vivum expreffa videmus omnia in hoc fimulachro, alteroque illo, quod ex fanctæ *Sufannæ* tribunali defumptum fupra, fecundo capite, D propofuimus; in quo tamen corporis ftatura, membrorumque amplitudo, ac robur ipfa imaginis conftitutione, fituque magis magifque prodatur, & appareat. Caniciem, & fi quid aliud eft ultimæ fenectutis indicium, in imagine primo ftatim imperii anno depicta, hoc eft, quarto & decimo ante diem *Caroli* vitæ fupremum, fruftra requiris. Barbam denique *Turpinus*; Eft ne autem quod de *Caroli* barba rectè referre poffit, qui omnia perperam, de facie narravit? [8] *Marcus Velferus* vir clariffimus *Carolum* promififfe barbam negavit, protulitque hoc *Leonis* emblema, & E monetam, in qua *Caroli* effigies puro eft mento. Proferimus nos idem illud Ecclefiæ fanctæ *Sufannæ* mufivum; proferimus *Ingoberti Caroli* Imperatoris Scribæ tabulam, in qua herum ille fuum mento rafo *Romanorum* Imperatorum ritu, vel detonfo, nobis exhibuit * in fronte Bibliorum, quæ 123 juffu *Caroli*, regio planè apparatu, fua ipfe manu exaravit, quod, præter alia, fic præfatur.

Hæc namque invenies præfenti pafcua libro
Quem tibi, quemque tuis, Rex Karolus ore ferenus 124
Offert, Chrifte, tuufque cliens, & *corde fidelis.*
Ejus ad imperium devoti pectoris artus
Ingobertus eram referens, & *Scriba fidelis,*
F *Graphidas Aufonios æquans, fuperanfque tenore:*

Præftat & imaginis defcriptionem hic addere, quam *Ingobertus* in eodem Bibliorum Codice, qui in facrario Bafilicæ fancti *Pauli* via *Oftienfi* fervatur, carmine fic expreffit.

Rex cæli Dominus folita pietate redundans
Hunc Karolum Regem terræ dilexit herilem.
Tanti ergo officii ut compos valuiffet haberi,
Tetracty implevit virtutum quatuor alma.
Imminet hæc capiti de vertice cuncta refundens.
Denique fe primum, tunc omnia ritè gubernat
Pru-

Margin notes: Caroli M. forma. — 5 *de geft. Caroli M. cap.* 20. — Statura. — 6 *Marquar. Freher. de ftatura Car. M.* — Facies. — 7 *in vit. Car. M.* — Barba. — 8 *apud Freher. loc. cit.* — * Vide TAB. VIII. Fig. 1.

Prudenter, justè, moderatè, fortiter atque.
Hinc inde Angelico septus tutamine sacro,
Hostibus ut cunctis, exultet pace, repulsis.
Ad dextram armigeri prætendunt arma ministri
Ecclesiam Christi invictus defensor in ævum
Armipotens magnis queis ornet sæpe triumphis.
Nobilis ad lævam conjux de more venustat,
Qua insignis proles in regnum ritè paretur.

Ad tertiam rationem.

De vestitu *Caroli* tertio loco objiciebatur; illum
minimè imperatorium videri. Si quidem reli-
quum dicis vestimenti ornatum, calceos, tibialia,
tunicam; haud ego quidem negaverim; memi-
125 nisse tamen oportet, non ex condicto, vel diu
ante meditato apparatu celebratam *Caroli* inaugu-
rationem fuisse, sed inscio, ac nihil tale opinan-
ti Imperiale paludamentum à *Leone* injectum, &
impositam capiti coronam. Subita hæc pompa,
improvisumque spectaculum uno omnium scri-
ptorum narratur consensu. An est qui tum veste
indutum non patria *Carolum* ostendere possit? qui
exteriorum ita respuisse dicitur amictum, ut vel
Romanum, *Romæ*, à Summis Pontificibus roga-
tus, vix admitteret. [9] *Vestitu*, inquit Eginhar-
dus, *patrio*, *hoc est Francico utebatur*, &c. *pere-
grina verò indumenta*, *quamvis pulcherrima*, *respue-
bat*, *nec unquam eis indui patiebatur : excepto quòd
Romæ semel Adriano Pontifice petente*, *& iterum
Leone ejus successore supplicante*, *longa tunica*, *& chla-
myde amictus*, *& calceis Romano more formatis*,
induebatur. Quamobrem vestis illa reliqua, præ-
ter paludamentum, & Augustalem coronam, to-
ta *Francica* est, & *Carolo* consueta ac familiaris,
quam ita describit Eginhardus. [10] *Ad corpus ca-
misiam lineam*, *& fœminalia linea induebatur: dein-
de tunicam*, *quæ limbo serico ambiebatur*, *& tibia-
lia: tum fasciolis crura*, *& pedes calciamentis con-
stringebat*: *& ex pellibus lutrinis thorace confecto*,
*humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto a-
mictus*, *& gladio semper accinctus*, *cujus capulus ac
baltheus*, *aut aureus*, *aut argenteus erat: aliquoties
& gemmato ense utebatur : quod tamen non nisi in
præcipuis solemnitatibus*, *vel si quando exterarum*
126 *gentium legati venissent*, *faciebat.* Vides hic tuni-
cam prætextam quidem, non tamen talarem,
qualem *Romanorum* Patriciorum fuisse ostendi-
mus; *Carolum*que adhuc Patricium *Leonis* rogatu
induisse *Eginhardus* narravit. Crura præterea vi-
des fasciolis involuta, quod & in altera *Caroli* è
templo sanctæ *Susannæ* deprompta imagine licet
observare; ex quo *Eginhardi* loco *Pompeum Ugo-
nium*, & *Angelum Massarellum* errore lapsos faci-
le intelligas, qui fasciolas, cum, ex candore de
armis acceperint, armatum *Carolum* ex his ima-
ginibus nobis exhibuerunt. Sed hodieque tibia-
lia sub genu, ne defluant, brevioribus fasciis nos
astringimus, veteres longioribus, perpetuisque,
à talis ad genua, crura convestiebant, crurales
eæ fasciæ dicebantur. De *Caroli* Magni corona
[11] Eginhardus: *Diademate*, ait, *ex auro & gem-
mis ornatus incedebat*; ejus formam [12] *Ingobertus*
coloribus quidem delineavit, sed hujus longè dis-
similem. Regum illa est nimirum propria, hæc
Imperatoria, qualis inde à *Leone Daco*, aliisque
deinceps Augustis *Illyriis* inolevit, *Macedonum*
scilicet *Causia*, quam regio diademate ornatam
[13] *Athenæus* dicit, [14] *Plutarchus* verò Καυσίαν διαδηματηφόρον appellat, cassidi persimilem, ob eam-
que figuram Καισαρίκιον περικεφαλαίαν *galeam Cæ-
sarianam* [15] Theophanes vocat, quæ cum supe-
riore parte contecta sit, *Regnum Epanoclistum* [16] à
Bibliothecario nuncupatur; ad idque coronæ ge-
127 nus alludit [17] *Sugerius*, ubi stemma Pontificium
describit: *Phrygium*, *ornamentum Imperiale instar
galeæ circulo aureo concinnatum.* Ejusmodi vide-
mus hic *Caroli* diadema; neque enim dubium est

Caroli M. vestis patria.

9 *in vit. Car.*

10 *Ibidem.*

Tunica.

Fasciæ.

Corona.

11 *in vit. Car.*

12 *sup. hoc cap.*

13 *Dipn. lib. 12.*

14 *in Anton.*

15 *in Chron.*

16 *in vit. Pont. passim.*

17 *in vit. Lud. Crass.*

A *Leonem III.* coronam, qua *Carolus* donandus,
ac Cæsar designandus erat, talem planè curavis-
se, uti tum erat mos & ingenium, qualem scilicet
ejus seculi, ac tempestatis Augustorum reddunt
nomismata, quæ omnium manibus teruntur *Leo-
nis Isauri*, *Constantini Copronymi*, *Leonis* qui pro-
ximè imperavit, *Constantini Irenæ* filii, *Nicepho-
ri Logothetæ*, & *Michaelis Rangabis*, quorum co-
ronæ forma cum hac si conferatur, tam consimi-
lis est, quàm esse potest. *Constatinus* porrò Ma-
gnus cujusmodi sit usus corona, non illius nummi
modò; sed altera hujus etiam emblematis pars o-
stendit; ut somniare prorsus videatur, qui [18] *cum*
B *ipso Constantinianeo stemmate Leonem Pontificem jus
Imperii in Carolum transtulisse* affirmat ex [19] Er-
moldo Nigello

Tum jubet afferri gemmis, auroque coronam
Quæ Constantini Cæsaris ante fuit.

Nam si, dum *Ermoldus* adhuc latitat, ejus licet
sententiam ex uno illo, quod profertur carmine,
elicere: *QVÆ* Poëtarum more usurpavit, cum
dicere oportuisset, *qualis* fuit *Constantini* corona,
hoc est ornatu, splendore, dignitate planè Impe- 128
rialis. Sed quis fœdius labitur Anonymus hic,
qui Corona olim à *Constantino* Pontificibus con-
cessa *Carolum* redimitum affirmat, an [20] *Franci-*
C *scus Junius*, qui *Romanos* Pontifices per id tem-
poris gestasse, & ad hanc ferme diem retinere
Clodovei Francorum Regis diadema contendit? *Il-
la ipsa*, inquit, *corona illud Regnum*, *quod hodie
imponitur capiti Pontificis*, *eadem est*, *quam Ana-
stasius Imperator Clodoveo dedit*, *& Clodoveus Pon-
tifici.* Unde id *Junius* habeat, si quæras; [21] *Si-
gibertum* profert, qui ait, *Ipse verò*, *Rex Clodo-
veus misit Romam sancto Petro coronam cum gem-
mis*, *quæ Regnum appellari solet. Regnum* autem
dici Pontificum diadema cum *Junius* legerit, ho-
monymia lapsus est planè pueriliter. *Regnum* ve-
rò *Clodoveus Romam* misit quidem, sed beato *Pe-*
D *tro* misit, non *Hormisdæ* Pontifici, quod scili-
cet ad Aram Vaticanam religionis ergò suspen-
deretur, non quo Pontifices coronarentur. Ad
Aram porrò illam non *Clodovei* tantùm, sed in-
numeras Regum, & Imperatorum coronas de-
pendisse novit, qui *Anastasii*, & aliorum legit
historias. Sed eo consilio *Junius*, quæ modò Pon-
tificum est corona, *Clodovei* fuisse demonstrare
adnititur, ut Imperii dignitatem in *Carolum* non
à *Leone* Pontifice, sed à *Clodoveo Francorum* Re-
ge derivatam ostendat. Nam *Clodoveus* ab *Ana-
stasio* Augusto (sic ille ratiocinatur) quemadmo-
dum Imperatoris nomine, ita & corona donatus
E est. Non simplici illa quidem, ac unius coro- 129
namenti, qualis est Regum; sed coronamenti
triplicis, sicut est Imperatorum. Quod, inquit,
planè indicat Pontificum *Romanorum* tiara, quam
illis dono misit *Clodoveus.* Sed vide quid sani sit
in *Junii* hac ratiocinatione. Primò quidem (ut
dixi) *Clodoveus* coronam sancto *Petro*, more ma-
jorum, dicavit. Deinde tiaram triplicis corona-
menti ex Pontificibus primus gestavit, ante an-
nos, non amplius, ducentos quinquaginta, *Urba-
nus V.* duplicis verò *Bonifacius VIII.* nam supe-
riorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus,
ac monumentis unius coronamenti, & *Romæ* cer-
F nimus, & [22] *Sugerius* describit: *Capiti ejus* (In-
nocentii IV.) *phrygium*, *ornamentum Imperiale*,
instar galeæ, *circulo aureo concinnatum imponunt.*
Præterea tergeminam Augustorum coronam nul-
la (post Cæsarum memoriam) dant æra, lapi-
des, anaglypha, signa, vel monumenta. Demum
esto, corona Imperatoria, ac ea planè, quam sibi
Junius fingit, *Clodoveum Anastasius* sit impartitus;
non statim ille *Romanorum* fuit Imperator justus
ac ordinarius, ut ita dicam, sed honorarius. Ho-
no-

18 *Anonym. de Donat. Const.*

19 *apud eund. Anonym.*

20 *de transl. Imp. cont. Bellarm.*

21 *in Chron.*

22 *Ibidem.*

TAB. VIII.












norarios autem Imperatores titulo tenus, aut veste, jurisdictione autem, vel autoritate nudos, ac vacuos, non unum, aut alterum invenias. Post *Anastasium* enim, qui *Clodoveum* fecit, *Justinianus* Augustus *Aretham Saracenorum* Ducem,
130 [23] Imperatorem nominavit. [24] *Bulgarorum* Principes ita ab Orientis Imperatoribus tum maximè dicti sunt, cùm ejus nominis honor (ut paulò post dicam) Occidentis Imperatoribus invidebatur. Cultum verò Cæsareum *Lazorum* Regibus concessum olim fuisse memorat [24] *Agathias*; idem & [25] *Bulgaris* deinde habitus honor; idemque à *Juliano* Augusto, ut [26] *Zosimus* scribit, *Procopio* consanguineo suo, qui post *Juliani* cædem vestem Imperatoriam deposuit. Ad hunc fermè modum imperatorium nomen, mundumque ab *Anastasio* Cæsare traditum *Clodoveus* obtinuit. De *Caroli* vexillo proximo capite disputabimus. Hic verò ex comparatione cum signo, quod in altera tabula *Constantinus* præfert, quò id *Caroli* spectet, quisque facilè potest intelligere. Nam ad vexillum *Carolo* Patricio in *Gallias* à *Leone* transmissum nemo prudens hoc referat; nisi verò omnia hic absona, extra modum, extra tempus, extra historiam depicta quis existimet. Siquidem Urbis vexillum quinquennio ante *Leonis* restitutionem *Carolus* accepit; accepit autem non *Romæ*, non in suburbio ad aram Principis Apostolorum, non de manu Pontificis, sed alicubi trans Alpes à Pontificiis Legatis; accepit denique non cum Populus *Romanus* VITAM, ut hic legis, LEONI. PP precabatur, sed cum à primoribus
131 Reipublicæ in ejus vitam conspirabatur. Quinta restat causa, quam primo loco proposui, ea nos ipso monumenti titulo anxius urgere videtur, in quo Imperatoris quidem minimè, Regis autem non semel inscriptum nomen apparet. Regis, ac Imperatoris nominum discrimen nonnullum aliquando quidem fuisse, aliquando verò nullum fuisse statim intelligetur. Post translatum autem à *Leone* Pontifice ad *Gallos* Imperium *Romanum*, tantam *Carolo*, ejusque successoribus Imperatoris titulus invidiam conflavit, quanta in litteris *Ludovici* junioris ad *Basilium* Imperatorem *Græcorum*, & in Legatione *Luitprandi* legitur. Ita ut Occidentis Imperatores non nisi ῥῆγας, id est *Reges* appellandos *Græci* contenderint; se verò solos βασιλέας; adeò vel sono ejus vocis assueverant, vel notionem non animadvertebant. Neque enim græcè βασιλεὺς est Imperator; quod neque *Lacedæmones*, neque *Athenienses* abnuunt, neque vetus *Græcia* universa. Quare qui olim imperium tenuerunt *Romani* Principes in *Græcis* inscriptionibus, ac nomismatis αὐτοκράτορες quàm βασιλεῖς, à *Græcis* dici maluerunt. Sed aliter post *Constantinum* usus obtinuit, quando αὐτοκράτορος nomen, rariùs audiri, ac non nisi in Cæsarum fermè Diplomatis, à Christianis verò, præsertim Ecclesiasticis, omninò posthaberi cœpit, ob eam quam præ se fert arrogantiam, βα-
132 σιλέως autem titulus usurpari, qui & domestica Christianorum consuetudine probaretur, & divinarum usu litterarum ac penè testimonio, ab omni procul fastu esse videretur. Cæterùm Imperatores Regum nomine denotatos fuisse, ex Latinis profanarum litterarum monumentis probare difficile non est; imo tam facile, ut in jocis ipsis hujus rei testimonium invenias; testimonium verò æquè luculentum, ac usitatum dicendi genus, unde jocus desumptus est: *Mirabile fortasse videatur*, inquit [27] Trebellius, *si quæ origo imperii Regilliani fuerit, declaretur; Militari enim joco regna promeruit. Nam cum milites quidam cum eo cœnarent, astitit Valerianus Tribunus, qui diceret, Regiliani nomen unde credimus dictum? Alius continuò: Credimus, quòd à regno. Tum is qui aderat Scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare & dicere. Rex, regis, regi, Regillianus. Milites ut est hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt. Ergo potest rex esse? item alius: Ergo potest nos regere? item alius: Deus tibi regis nomen imposuit. Quid multa? His dictis; cum alià die mane processisset, à principiis Imperator est salutatus.* Eandem vocis acceptionem Ethnicis in usu fuisse docere ex Christianis potest *Tertullianus*, qui non solùm in iis libris, quos ad [28] nostros edidit, publica pro Imperatoribus suscepta vota, eorumque Consecrationes, *Regnum solemnia*, & *Reges in cœlum receptos* dixit; sed in ipsis etiam ad [29] Nationes conscriptis monumentis id observavit. In Christianorum autem historiis, passim 133
Regis nomen Imperatoribus accommodatur, nec apud *Rufinum* tantùm *Romanorum* ecclesiasticæ historiæ scriptorum antiquissimum, qui Græcum ipsum βασιλέως nomen, quo *Eusebius* Imperatores *Romanos* semper appellavit, *Regem* sæpe convertit; sed etiam apud *Anastasium*, & alios posteriorum seculorum autores *Caroli* Magni ætate ferè conjunctos. Mitto alios, en tibi *Leo III.* qui in altera hujusce musivi tabula *Constantini* Imperatoris imagini inscribi jussit: R. CONSTANTINVS. Quamquam, ut de *Carolo* ipso Imperatore dicamus; *Albinus Flaccus* in iis epistolis, quas ad illum scribit, sæpissimè eundem Regem, eundemque Imperatorem uno orationis contextu nominat. [30] *Matthæus* autem *Vestmonasteriensis* insignia *Carolo* Imperatori à *Leone* concessa, *Regalia* vocat, quæ *Anastasius* ex Theophane, *Imperialia* convertit. *A Domno Papa Leone purpura regali induitur, corona aurea capiti ejus imponitur, & regale sceptrum ei in manibus datur.* Quemadmodum *Constantini* Imperatoris habitum, *Regium*, [31] Victor appellavit. Quis præterea nescit *Carolo* Magno *Regis* nomen multò magis, quàm *Imperatoris* gloriosum fuisse, quòd hoc illi dies una, plebisque favor pepererit, illud verò secum unà natum, à majoribus acceptum, infinitis deinde exterarum gentium victoriis, atque triumphis proprium, suumque fecerit? Præterquàm quòd ab 134
Imperatoris nomine *Carolus* aliquando abhorruit, tum modestia singulari, tum etiam *Græcorum* invidia. *Romæ Imperatoris*, inquit [32] Eginhardus, *& Augusti nomen accepit: quod primò tantùm aversatus est, ut affirmaret se eo die, quamvis præcipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Invidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras Legationes, & in epistolis fratres eos appellando.* Sanè *Caroli* modestia *Leonem*, qui eos in Triclinio titulos inscripsit, minimè latebat; imo Pontifex ita inscripsit, ut *Carolo* placere, atque ex ejus animi sententia omninò esse noverat. Neque enim hic primus, vel unus est *Caroli* titulus, à quo, ille, jam dudum imperium adeptus, *Augusti*, vel *Imperatoris* nomen exclusit. *Principem*, tantummodo in ea Basilica poni jussit, quam, post acceptos Imperii fasces, exornavit, dedicavitque, & in qua sibi monumentum collocavit. *Erat in eadem Basilica*, inquit [33] Eginhardus, *in margine coronæ, quæ inter superiores, & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, Sinopide scriptum; continens quis autor esset ejusdem templi, cujus in extremo versu legebatur*, PRINCEPS. CAROLVS. Nummos denique, ab accepto *Romanorum* Imperio, simplici *Romanorum Regis* nomine cudi *Carolus* jussit. Magnam eorum copiam nummorum, ante hoc quindennium, effodi vidimus ex 135

Marginal notes: [23] *Procop. lib. 1. Bell. Pers.* [24] *Luitpr. in Legat.* [24] *Histor. lib. 2.* [25] *Jo. Curopal. in Tzemisc.* [26] *Histor. lib. 4.* — Ad secundam rationem. De Caroli vexillo. — Ad primam rationem. — De Imperatoris, & Regis nominibus. — Imperatoribus tributum Regis nomen. — [27] *in Regilliano.* — [28] *De Spect. c. 30. Ad Uxor. lib. 2. cap. 6.* [29] *ad Nat. lib. 1. c. 10. lib. 2. c. 10.* — [30] *in Floribus.* — [31] *in Constant.* — [32] *in vit. Car.* — [33] *in vit. Car.*



* Vide TAB. VIII. Fig. 2. pag. 46.
34 cap. 1.

eo *Leonis III.* Triclinio Vaticano *, quod (ut ordo hiſtoriæ apud Bibliothecarium demonſtrat) *Carolo* jam pridem renunciato Imperatore, ad gradus Baſilicæ Principis Apoſtolorum, à *Leone* conditum [34] ſupra memoravimus. Neque in rem ſuam nummi inſcriptionem *Franciſco Junio*, iiſque trahere licebit, qui *Caroli* Patriciatum de Rege *Romanorum* accipiunt; quantùm enim à Regia, nedum ab Imperatoria majeſtate Patriciorum dignitas, gradus, nomenque diſtaret, liquidiùs, quam ad hanc diem diſputatum ſit, indicavimus.

CAP. XIV.

An jus, & Autoritatem Imperii transferendi hæc tabula contineat.

TRanſlationem quidem Imperii hoc, ut oſtendimus, emblema undique exhibet, ſive primam ejus faciem intueare, ſive titulos inſcriptos, acclamationeſque perpendas, ſive cum altera eidem mutuò reſpondente imagine conferas, quæ *Conſtantini* reddit Imperium; utramque enim *Leo*, veluti παραλλήλους, inter ſe comparavit.

136 Jus transferendi Imperium in hac tabula.
1 cap. 10.

Non ſolùm autem tranſlatum Imperium, ſed ejusdem transferendi jus, autoritatemque, ſi animum advertamus, illud triplicis clavis hieroglyphicum, de quo [1] ſupra diſſeruimus, & ſtatim uberiùs dicam; quin & nuda ipſa illis inſignibus imago per ſe ſe refert, ac penè loquitur. Contemplentur tabulam qui *Carolum* Magnum, vel armorum contentione, vel hæreditario jure, vel Senatus Populique *Romani* ſuffragio Imperium *Romanorum* iniiſſe contendunt. Unum prorſus agnoſcit tabula *Leonis*, & *Caroli* dignitatis autorem *Petrum* Apoſtolorum Principem, *Romanam*, inquam, Eccleſiam. Imperii faſces ſi aliunde *Carolus* accepiſſet, quid hoc *Leonis* monumento incredibilius? imo quid excogitari ambitioſius, vel pictura exprimi audacius, vel *Carolo*, Populoque *Romano* proponi turpius ob oculos potuiſſet? Quàm graviter *Leo Caroli* animum offendiſſet, cujus ampliſſima, eaque recentiſſima in illum extabant beneficia? Quàm perniciosè invidiam, odiaque Populi *Romani* in ſe concitaſſet, quocum in gratiam tum primùm redierat? Quàm leviter denique alienum factum ſibi, Eccleſiæque *Romanæ* adſcripſiſſet, idque publicè, ac tam alieno ſui Pontificatus tempore? Putamus Senatum, Populumque *Romanum* ab hoc monumento, quo Reipublicæ libertas, autoritas, imperium, tam apertè, tam graviter læderetur,

137 manus abſtinere voluiſſe, aut potuiſſe, quando ad excutiendam Pontificum dominationem, non ſolùm extincto jam *Leone*, ſuburbii mœnia, [2] quæ ille poſuerat, disjecit, ac funditus evertit; ſed etiam eidem vivo manus nefarias injicere non dubitavit? Hic fortaſſe [3] *Junius* ad argutias illas ſuas, acumenque confugiat: *Leo Carolum* creavit Imperatorem *ſigno*, *non facto*; Imperii contulit *inſignia*, *non Imperium*. Si quo autem modo *Carolum Leo* Imperatorem *facto* creavit, id ut *partiaria cauſa* fecit, non aliter ac quilibet è Senatu *Romano*. *Leo*, inquit, ut quilibet è Senatu? Non ne audit Senatum, Urbemque univerſam hic acclamantem *Leoni*? Sed acclamatur, inquit, *Leoni* tanquam Senatus, Populique primario. Cedò quo potiſſimum nomine, quo titulo fuit *Leo* Reipublicæ *Romanæ* primarius; id quidem diſſimulare planè non licet, quod ipſa ſtatim prodet inſcriptio, de qua [4] ſupra pluribus. In ea enim *Leonem* Populus *Romanus* DOMINVM NOSTRVM, ſuum ſcilicet, appellat. Ita ne ergo *Dominum* in ſubditorum ordinem redigat, ut cauſam *Junius* partiariam dicat? Non ita ſanè *Carolus Magnus*, qui uni *Romano* Pontifici acceptum refert Imperium, neque eam rem ad Senatum, Populumque *Romanum* quicquam attinuiſſe, vel verbis aliquando indicavit, vel facto docuit.

2 *Anaſt. in Leon. IV.*
Sententia F. Junii de jure Imp. transferendi.
3 *adv. Bellar. cap. 4.*
4 *cap. 12.*

Diviſio diſputationis, & argumentorum.

Quod ut manifeſtiſſimè conſtet, argumenta cum ex iis cauſis, quæ Imperii tranſlationem anteceſſerunt, tum ex conjunctis, tum demum ex iis, quæ ſunt conſecutæ, deſumam. Faciam id verò breviſſimè; neque *Caroli* propinquorum

138 memorias tranſiliam; quòd unum illorum teſtimonium, ad rem hic conficiendam, mea quidem, & bonorum ſententia ſatis videatur, ac inſtar omnium. Quis enim Imperii tranſlati rationem, formamque nos veriùs doceat, quàm qui primi ex Pontificum autoritate Imperatores fuere?

I. locus argumentorum ex iis, quæ præceſſerunt. tranſl.

Principiò quidem pono quod eſt veriſſimum; *Romanum*, hoc eſt, Chriſtianorum Imperium duo illa in primis complecti, ſummam inter Chriſtianos omnes Principes dignitatem, à quibus Cæſar quaſi Pater Patriæ ſuſpicitur; & Eccleſiæ Defenſionem, quam illi quidem ceu Primipili, Cæſar verò tanquam Legionum Imperator ſuſcipere tenetur. Atqui *Carolus* Magnus ab uno *Leone III. Romano* Pontifice, & ſummum jus dignitatis, & Eccleſiæ tuendæ munus accepit; tota igitur, univerſaque Imperii tranſlati cauſa *Leo* fuit.

Unde Pont. Rom. jus transferendi Imp.
5 *cap. 10.*

Id quod in tabula exprimere autor non prætermiſit; quem enim admodum pallio *Petrum* amicivit, ut Eccleſiæ *Romanæ* in *Leone* reſtituendo autoritatem ob oculos ſtatueret; ita jus inaugurandi *Carolum* Imperatorem tergemina clave, ut [5] ſupra declaratum eſt, indicavit. Clavis namque duplex, ligandi ſcilicet, ſolvendique

139 autoritas penes alios eſt etiam Eccleſiarum Antiſtites: facultas verò ſecularia ad religionis amuſſim dirigendi, Rerumque publicarum ſtatum temperandi, & ad Chriſtianæ pietatis cenſuram Regna, & Imperia moderandi, Apoſtolica planè eſt, & ſumma Eccleſiaſtica poteſtas. Quæ, ut [6] ſupra expoſui, licèt à ligandi, ſolvendique poteſtate proficiſcatur; illi tamen jure ſolummodo convenit, qui unus omnium eſt Pater, Cenſor religionis, ac benè, beatèque vivendi Magiſter. Is ergo cum *Romanus* ſit Pontifex, ejus ſanè fuerunt partes, ad regendum Imperium, quod à religione jam aberrarat, & pietatis præceptoribus *Romanis* Pontificibus bellum indixerat, hominem deſignare, qui, & religionis, & Eccleſiæ *Romanæ* religionis magiſtræ cauſa, omnia vellet. Hæc autem cura non Senatum, Populumque, ſed Pontificem *Romanum* tangebat religionis arbitrum.

6 *cap. 10.*

Prima cauſa antecedens tranſl. Imp.
7 *Epiſc. ad Baſil. Imp.*

Eam porro fuiſſe originem, unde *Carolus*, ejuſque filii, ac nepotes *Romanum* adepti ſunt Imperium, *Ludovicus* Junior *Caroli* pronepos à majoribus, non ſecus ac Imperium, per manus accepit, teſtatumque reliquit. [7] *Propter orthodoxiam*, inquit, *regimen Imperii Romani ſuſcepimus*, *Græci verò propter cacodoxiam Romanorum Imperatores exiſtere ceſſaverunt.* Paulò verò ante dixerat: *Porrò ſi calumniaris Romanum Pontificem quod geſſerit, calumniari poteris, & Samuel, quòd ſpreto Saule, quem ipſe unxerat, David in Regem ungere non renuerit. Verùm ſuper hoc ſi eſt qui*

140 *ſummo Pontifici ſaltem unum faciat muttum, congruo profectò illius non carebit reſponſo.* Primò quidem, ait, quòd Eccleſiæ *Romanæ* periclitanti ferre ſuppetias abnuerint *Græcorum* Imperatores; deinde quòd *Romanos* Pontifices ipſi vexarint, & oppreſſerint. *Verùm hæc*, inquit, *Pontifices*, *quæ extrinſecus agebantur facilè parvipenderunt, niſi & intrinſecus, quæ per diverſas hæreſes perimere conantium molimina deprehenderunt. Unde merito Apoſtatis* Græcis *deſertis*, *adhæſerunt genti* Francorum *adhærenti Deo*, *& ipſius regni fructus facienti.* Cum igitur non nudum Imperii nomen, ac dignitatis vacuum *Carolo* Magno collatum à

Leo-

Leoni fuerit, sed quod *Græci* Cæsares, antequam eo spoliarentur, obtinebant; integræ Imperatoriæ dignitatis causam integram fuisse Ecclesiam *Romanam* liquet: *Ex qua*, idem [8] Ludovicus ait, *regnandi prius, & postmodum imperandi autoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes, primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, ii duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt.* Cum verò ex crimine violatæ religionis (ut Imperator palam Imperatori exprobrat) Imperium *Carolo* decretum sit à *Leone*, eam totam causam juris fuisse Pontificii, ad Senatum verò, Populumque *Romanum* nihil omninò pertinuisse, nemo non videt. Quod & Sacramentum à *Carolo* Magno, ejusque in Im-

8 *Ibidem.*

141 perio successoribus non Senatui, sed Pontifici *Romano* dictum comprobat; comprobat Imperii confirmatio, quam ab uno Pontifice Maximo *Lodovicus Caroli* Magni filius, posterique petierunt; de quibus modò disseram; nam de *Romanæ* Ecclesiæ Defensione, quæ altera ratiocinationis pars erat, antea dicamus. Ad Imperii fastigium *Carolus* eodem planè est evectus consilio, quo Patricius pridem fuerat à Pontificibus constitutus. Scilicet ut Ecclesiæ *Romanæ* partim Barbarorum incursionibus, partim Hæreticorum perfidia periclitanti, armis, ope, patrocinioque Caroli *filii per arma*, [9] ut dixi, jam tum *adoptati* consuleretur. Quem ergo antea *Patricium Defensorem Ecclesiæ* quæsiverant Pontifices, eundem *Cæsarem Ecclesiæ Defensorem* Leo postmodum habuit, rituque solemni publicè renunciavit. Atqui totam posterioris designationis causam Pontificem fuisse non ambiget, cui constiterit eundem totam fuisse causam *Caroli* quoque Patriciatus. Petiit ille, extincto jam *Adriano*, eam sibi renovari Præfecturam: à quo vero? Legationem ea de re gravissimam, plenamque desiderii *Romam* destinavit: ad quem autem? Ut ea sibi dignitas, quàm ardentissimè ambiebat concederetur; *pactum* promisit, *fœdus* proposuit, *fidem* spopondit: at cui tandem? Num Senatui, Populoque *Romano?* certè ubi de re tanta *Carolus* egit cum *Leone*

Secunda causa antecedens transl. Imp.

9 *cap.* 11.

Patriciatus, & Imper. transl. idem autor.

142 Pontifice, adeo nullam præ illo rationem civium *Romanorum* duxit, ducendamque intellexit, ut in ea Legatione ne nomen quidem illorum admiserit, quin omnem ex ea Senatus, Populique *Romani* memoriam abjecerit; [10] *Illique* (Angeberto) *injunximus*, inquit, *ut ex collatione mutua* (cum Leone Pontifice ad quem scribit) *conferatis quidquid ad Patriciatus nostri firmitatem necessarium intelligeretis. Sicut enim cum beatissimo prædecessore vestro sanctæ paternitatis pactum inii, sic cum Beatitudine vestra ejusdem fidei, & charitatis inviolabile fœdus statuere desidero. Quatenus Apostolicæ sanctitatis vestræ, divina donante gratia, Sanctorum advocatis precibus, me utique Apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostra semper devotione defendatur.* Extollat hic Patriciam *Caroli* dignitatem [11] *Junius* plena quantum libet manu, & majestati exæquet Regiæ, vel Imperatoriæ [12] *Goldastus* insolubili nexu conjungat: quidquid maximum de ea dicturi sunt, totum pendere *Carolus* affirmabit ex una causa, *Leone* Pontifice Maximo. Inde est, quòd cum suæ *Carolus* dignitatis munus, officiumque denotat *Patricium* se ipse *Romanorum* appellat; cum verò dignitatis originem explicat, quæ tota ex fœdere, pactoque cum Pontifice inito manabat, à quo & in liberi locum adoptatus fuerat, *Pontificis*, vel *Ecclesiæ Filium*, non item Senatus, Populique *Romani*, se nominat. Neque Populus *Romanus* unquam dicere ausus est, *Stephanus* verò Pontifex jure, meritoque di-

10 *epist.* 84. *ad Leon. apud Alcuin.*

11 *adv. Bellarm.*

12 *advers. Gretser.*

143 xit FILIOS MEOS ADOPTIVOS *Pipinum*,

A liberosque ejus *Carolum*, & *Carolomannum*, cum ad illos jam tum *Romanorum* Patricios Triumviros perscribebat. Quoniam verò non unus *Carolus* Magnus, sed parens, fraterque Patricii *Romanorum* fuere, cedò ex his unum, qui suæ hujusce dignitatis confirmationem, vel à Senatu, Populoque *Romano* petierit, vel à singulis quibusque tunc in Pontificatu succedentibus *Romanis* Episcopis non acceperit? Fidem quam *Leoni Carolus* in ea Legatione obtulit, eandem [13] *Stephano III. Pipinus* dedit, [14] *Paulo I.* confirmavit, [15] *Stephano IV. Carolus*, & *Carolomannus* professi sunt. Quibus ille: *Recordamini peto excellentissimi*

Patriciatus confirmatio à Pont. Rom.

13 *Annal. Franc. & ep.* 1. *&* 2.

14 *epist.* 1. 20 28.

15 *epist. ad eosdem.*

B *filii, quomodo vobis fideliter dicere visus est præfatus vester Dominus, ac Genitor, promittens in vestris animabus Deo, & beato Petro, atque ejus Vicario antefato sanctæ recordationis prædecessori nostro domino Stephano Papæ, firmiter vos debere permanere erga sanctæ Ecclesiæ fidelitatem, atque omnium Apostolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam caritatem. Et postmodum prædecessori nostro domino Paulo Papæ, eadem vos una cum eodem vestro genitore certum est plerumque per Missos, & scripta promisisse; & post decessum antefati sanctæ memoriæ patris vestri, & vos ipsi sæpius tam per vestros Missos, quamque per litteras, simulque & per Sergium*

C *fidelissimum Nomenclatorem, & per alios nostros Missos nobis spopondistis, in eadem vos vestra promissione, sicut genitor vester, circa sanctam Dei Ecclesiam, & nostram fidelitatem esse perseveraturos.* 144
[16] Adriano denique I. eandem *Carolus* fidem, *ad sancti Petri Confessionem*, ratam firmamque habuit. Scilicet quibus acceptam Patriciatus dignitatem referebant, iis & sacramentum *Pipinus*, liberique ejus dixerunt; non Senatui, Populoque, sed Ecclesiæ *Romanæ*, *Deo*, inquit, *& beato Petro, atque ejus Vicariis & nobis.* Quod iidem Pontifices suis ad eosdem Patricios epistolis sæpe sæpius inculcant, illudque juramentum *fidelitatis* appel-

16 *epist.* 30. *&* 32.

D lant. In quam sententiam Carolus ad Leonem, [17] *Relectis*, ait, *excellentiæ vestræ litteris, & audita Decretali Chartula, valde, ut fateor, gavisi sumus, seu in electionis unanimitate, seu in humilitatis nostræ obedientia, & in promissionis ad vos fidelitate. Ad nos* perperam habent libri *Parisiis* editi, quos ex ea *Stephani IV.* epistolà corrigere licet. Nam *Carolus* qua *Romanus* Patricius, hoc est, Urbis Præfectus, & Ecclesiæ *Romanæ* Defensor *obedientiam*, & *fidelitatem* Pontifici profitebatur. Quàm importunè igitur [18] isti nobis occinunt Populi *Romani* acclamationes, & [19] *Goldastus* illud *Ottonis Frisingensis: Ipse verò* Carolus

17 *epist.* 84. *ad Leon. apud Alcuin.*

18 *Junius loc. cit.*

19 *Ration. con. Imp.*

E Magnus *acclamante populo universo Patricius Romanorum appellatur.* Acclamatum quidem est à Populo, sed *Adriani* factum ille modò probavit; quam etenim autoritatem in eo facto Populus, atque Senatus habuit, qui *Carolo* ipso teste, nullam habuit? Vide quid in eam rem Senatus conferre potuit, qui tum à *Leone III.* in diversas factiones recedebat, cum *Leo Carolum* Patricium, 145
& Ecclesiæ *Romanæ* Defensorem renunciavit. Qua ille una renunciatione fretus (nihil enim ad sui Patriciatus stabilitatem requiri præterea sentiebat) tandem *Romam* venit, & (quod Patricii munus erat) rebellionem cohibuit, ac perduel-

F les *Leoni* subjecit. Duæ autem eodem tempore de Patriciatu *Romano* Legationes altera Pontificia, Regia altera ultro citroque commearunt. *Carolus*, ne *Adriano* Pontifice jam vita functo, alteri Patriciatus à successore decerneretur, instaurari sibi eam dignitatem per *Angebertum* à *Leone* petebat. *Leo* rursus ut rebelles *Romanos* in officio contineret, *Carolo* Patriciatum ultro confirmabat; missis ad eum clavibus Confessionis sancti *Petri*, Urbisque vexillo. Quorum insignium duo-

Carolo M. cur claves, & vexillum mittitur.

duorum altero quidem Civilis, altero verò Ecclesiasticæ rei defendendæ facultas *Carolo* deferebatur. Neque enim claves illæ (quod clarissimorum [20] virorum pace dixerim) hujusmodi erant, quales *eulogiæ*, & *benedictionis* gratia *Gregorius* Magnus Regibus, Principibus feminis, atque adeo etiam amicis mittit; sed quibus templi Vaticani aptabantur fores, vel quibus *Petri* monumenti adyta, & penetralia servabantur. Hasce, & munera, quibus *Leo Carolum* prosecutus est, disertè distinguunt autores; disertèque omnes non *eulogias* vocant, sed *claves Confessionis sancti Petri*, easque tum maximè missas affirmant, cum *Caroli* patrocinium implorabatur. Perspecta res erit, si ejus originem, fontemque aperiamus. Nam si ad ea interpretamenta nostri confugiunt, ut cavillos solvant Hæreticorum, qui per *Claves*, atque *Vexillum Carolo* concessum Urbis dominium volunt; hos nihil æquè, ut ipsa rei veritas eludit, quam nudè, sincereque proponimus. Post excussam à *Gregorio II.* Pontifice *Leonis Isauri* Imperatoris Hæretici dominationem, *Gregorius III.* successor primus exterorum Principum auxilia, & societatem quæsivit sibi, & Ecclesiæ *Romanæ*. Quæsivit autem à *Carolo Martello* per binas Legationes, quibus ei *Urbanam Præfecturam* obtulit, & *Defensionem* ab eodem exegit. Illam quàm liberaliter *Gregorius* polliceretur, hanc quàm ardenter expeteret, ita declaravit, ut nihil tam dignum, tam sanctum *Romæ* haberi *Carolus Martellus* intelligeret, quod non sub ejus præsidio esse *Gregorius* vellet, quando *Confessionis sancti Petri claves* in illius manus ultro conjiceret. [21] *Conjuro te* (inquit Gregorius Pontifex) *per Deum vivum, & verum, & per ipsas sacratissimas claves Confessionis beati Petri, quas vobis ad regimen direximus, ut velocius sub nimia festinatione sentiamus, post Deum, tuam consolationem ad nostram Defensionem.* Hæc quidem in secunda Legatione; primæ autem, quæ intercidit, ita sententiam, qui vidit Autor, expressit. *Eo tempore bis à Romana Sede sancti Petri Apostoli beatus Papa Gregorius claves venerandi sepulchri cum vinculis sancti Petri, & muneribus magnis & infinitis, & Legationem (quod antea nullis auditum, aut visum temporibus fuit) memorato Principi destinavit: eo pacto patrato; ut à parte Imperatoris recederet, & ut Romanum Consulatum præfato Principi Carolo sanciret.* *Consulatum* vocavit Patriciam dignitatem, & civilem Urbis administrationem, quam *Regimen* superiore epistola dixit. Quod *Regimen* Carolo Magno cum *Leo III.* instauraret, ad *Claves* addidit *Vexillum*, ut eò distinctius, & Ditionis, & Religionis tutelam eidem à se demandatam ostenderet. En tibi rem sua luce clarissimam. Claves ergo Adyti Vaticani missæ sunt; ut *Carolo* quidem *Martello* Ecclesiæ *Romanæ* tuendæ negotium daretur, *Carolo* autem Magno confirmaretur. Quale enim in Urbe dominium *Carolus Martellus* unquam exercuit? susceptam tamen ab illo Eccleclesiæ *Romanæ* defensionem, fœdusque initum cum *Gregorio III. Græcorum*, *Latinorum*que historiæ, datæque ad eum epistolæ loquuntur. Cæterùm in hac tabula Urbis vexillum *Carolus* Augustus accipit, quòd & si Patricii nomen, cum *Cæsar* declararetur, deposuit; Defensoris tamen officium retinuit, ad idque sacramentum Ecclesiæ *Romanæ* dixit. Secundum hoc causarum genus est, quo Pontificis *Romani* plenam Imperii transferendi autoritatem intelligimus; juramentum à *Carolo*, ejusque in Principatu successoribus non Senatui, sed Ecclesiæ *Romanæ* datum. Hic ego non mirer esse quemquam, [22] qui sibi persuadeat à *Carolo* Magno nullum Pontificibus *Romanis* dictum fuisse jusjurandum, credatque commentitium esse quod *Caroli* nomine circumfertur? Hoc qui existimat, non videt, vel non videre se simulat illam *Caroli* de petitione Patriciatus Legationem, quam hic crebrius inculcare cogimur. [23] *Sicut enim*, inquit ille, *cum beatissimo prædecessore vestro sanctè Paternitatis pactum inii, sic cum beatitudine vestra ejusdem fidei, & charitatis inviolabile fœdus statuere desidero.* Esse verò *pactum*, vel *fœdus* posse putamus, in quo fides non intercedat, aut religio? [24] *Adrianus I. Carolo* sæpe in mentem revocat Aram Vaticanam, & Principis Apostolorum penetrale, ubi pacta inierant; [25] *Paulus I.* [26] *Stephanus III.* & [27] *IV.* factæ Deo, & beato *Petro* pollicitationis *Pipinum*, liberosque ejus admonent; quam qui violaverit, eidem sacris omnibus interdictum volunt. Equidem non inficior complures fuisse Reges, ac Principes Christianos Ecclesiæ *Romanæ* Defensores, qui ad id nulla pacti, vel fœderis, sed sola benevolentiæ, ac ultroneæ pietatis lege tenerentur. Verùm, qui Defensionem Ecclesiæ *Romanæ* cum Patriciatu conjunctam suscipiebant, ii certis pactionibus agebant cum *Romano* Pontifice, eidemque se sacramento obstringebant; quod ex illa *Caroli* Magni Legatione, & ex *Ludovici*, & *Caroli Calvi* fratrum juramento intelligis. [28] *Mundeburdem autem, & Defensionem*, inquiunt, *sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariter conservabimus: In hoc ut Romani Pontifices nobis debitum honorem conservent, sicut eorum antecessores nostris antecessoribus conservaverunt. Sic me Deus adjuvet, & isti sancti.* *Honor*, quem sibi majorum exemplo conservari petunt, est *Carolo Martello* delatum à *Gregorio III. Regimen* Urbis, seu *Consulatus*, de quo modò dicebam. Conditiones enim, quibus Pontifices Maximi Ecclesiæ *Romanæ* Defensionem *Francorum* Regibus concrediderunt; civilis cum *Romæ*, tum in Pontificia ditione administratio fuit, certa forma, atque ratione, præscripta. Quæ cum honestissima fuerit amplissimaque, in eam nonnullos adduxit sententiam, ut crederent *Carolum* Magnum *Romæ*, ac in reliquis Pontificum Provinciis rerum potitum fuisse; cum tamen in Pontificum ditione *Carolus* alienæ dominationis vicarius fuerit. Ad quod probandum, & si reliqua (quæ hujus loci non sunt) desideraremus, una hæc juramentorum religio, ac forma satis superque esse posset. *Pipinus* liberique ejus ambo pacta, conventaque cum *Stephano III.* quo jurejurando sanxerint, utraque ejusdem Pontificis evocatio plena terroris indicat. [29] *Considerate*, inquit, *dilectissimi, & omnino percogitate (per Deum vivum vos conjuro) quoniam post Deum, & ejus Principem Apostolorum; nostræ omnium Romanorum animæ in vobis pendent; & si perire (quod absit) eas contigerit, pensate in cujus animam respiciat id peccatum. Certè enim omnino credite Christianissimi, si nobis aliqua evenerit calamitas (quod absit) periclitandi, vos de omnibus ante tribunal Dei eritis reddituri rationem, &c. Ne si amplius neglexeritis nos eruendum, nobis irruat calamitas pereundi, & vobis pertineat ad magnum detrimentum, & peccatum, atque condemnationem in præsenti, & æterna vita, quia vobis animas omnium nostrorum Romanorum tradidimus.* [30] Id severiùs in altera evocatione, in qua *Petrum* Apostolum dicentem inducit: *Ecce, filii carissimi, prædicans admonui vos. Sin autem (quod non credimus) aliquam posueritis moram, aut adinventionem, minimè velociter hanc nostram adimplendam adhortationem ad liberandam hanc meam civitatem Romanam, & populum in ea commorantem, & sanctam Dei Apostolicam Ecclesiam à Domino mihi commissam, simul & ejus Præsulem;* SCIATIS. VOS. EX. AVTORITATE. SANCTÆ. ET. VNICÆ. TRI-

Margin notes (left):
20 Bellarm. de transl. l. 1. c. 13. Baron. ad ann. 796.
146
21 epist. ad Carol. Martell.
147 Append. ad Greg. Turon. c. 180.
II. locus argumentorum ex causis conjunctis.
148
22 Goldast. in Ration. Const. Imp.

Margin notes (right):
23 epist. 84. ad Leon. apud Alcuin.
Patriciorum Juramentum.
24 epist. 30. & 32.
25 epist. 20. & 28.
26 epist. 1. & 2.
27 epist. 1.
149
28 cap. 33. Edit. Sirmund.
Pontificum pacta cum Patriciis.
150
29 epist. 1.
30 epist. 2.

TRINITATIS. PER. GRATIAM. APOSTOLATVS. QVÆ. DATA. EST. MIHI. A. CHRISTO. DOMINO. VOS. ALIENARI. PRO. TRANSGRESSIONE. NOSTRÆ. ADHORTATIONIS. A. REGNO. DEI. ET. VITA. ÆTERNA. Eandem Anathematis sententiam *Stephanus IV.* in *Carolum*, fratremque ejus *Carolomannum* pronunciavit, quò
151 illos à conjugio cum *Desiderii Longobardorum* Regis, Ecclesiæ *Romanæ* crudelissimi hostis filia deterreret. [31] *Si quis vestrum*, ait, (*quod non optamus*) *contra hujusmodi nostræ conjurationis, atque exhortationis seriem agere præsumpserit*, SCIAT. SE. AVTORITATE. DOMINI. MEI. B. PETRI. PRINCIPIS. APOSTOLORVM. ANATHEMATIS. VINCVLO. ESSE. INNODATVM. ET. A. REGNO. DEI. ALIENVM. ATQVE. CVM. DIABOLO. ATQVE. EIVS. ATROCISSIMIS. POMPIS. ET. CÆTERIS. IMPIIS. ÆTERNIS. INCENDIIS. CONCREMANDVM. DEPVTATVM. Quæso, quæ hæc est obsecratio, inquies, plena execrationis, & minarum? Quin illud mirare maximè; *Pipinum*, & *Carolum Francorum* Reges ad periculosa belli certamina è remotissimis provinciis, aliena de causa, ære, militeque suo venire, atque ad tantum impendium, & discrimen acerbissimis minis trahi. Id eò scilicet, quòd præter *Romani* Patriciatus honores, & commoda, quibus *Caroli*, & *Francorum* Regum in *Romanam* Ecclesiam meritum compensabatur, iidem sacramento tenerentur, iis planè verbis concepto, quibus hodie Reges, ac Principes se obligare, deque se mutuis armis tuendo cavere inter se consueverunt. Audi syngrapham, atque conditiones, in quas *Carolus* juraverat, à [32] *Stephano IV.* eidem productas: *Excellentiam vestram oportet meminisse, ita* VOS.
152 BEATO. PETRO. ET. PRÆFATO. VICARIO. EIVS. (Stephano III.) VEL. EIVS. SVCCESSORIBVS. SPOPONDISSE. SE. AMICIS. NOSTRIS. AMICOS. ESSE. ET. SE. INIMICIS. INIMICOS; *sicut & nos in eadem sponsione firmiter dignoscimur permanere.* Par ergo, & mutua hæc erat Pontificum, atque Regum *Francorum* inter se stabilita defensio. Nec *Stephano III.* tantùm, qui primus cum *Pipino*, & *Carolo* Magno his conditionibus egit; sed reliquis etiam *Leonis III.* præcessoribus datum id fuit sacramentum. *Leoni* quidem per [33] *Angebertum* Legatum *Carolus* ipse fidem suam præstitit. Acceptum ab eodem jusjurandum non unis litteris [34] *Adrianus I.* memoriæ posteritatis commendavit; idemque cum cæteris antecessoribus minimè neglectum fuisse *Stephanus IV.* ostendit. [35] *Recordamini peto excellentissimi filii, quomodo vobis fideliter dicere visus est præfatus vester Dominus, ac Genitor, promittens in vestris animabus Deo, & beato Petro, atque ejus Vicario antefato sanctæ recordationis prædecessori nostro domino Stephano Papæ, firmiter vos debere permanere erga sanctæ Ecclesiæ fidelitatem, atque omnium Apostolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam caritatem: & postmodum prædecessori nostro domino Paulo Papæ, eadem vos una cum eodem vestro Genitore, certum est, plerumque per Missos, & scripta promisisse, & post decessum antefati sanctæ memoriæ patris vestri, & vos ipsi sæpius tam per vestros Missos, quamque per litteras, simulque, & per Sergium fi-*
153 *delissimum nostrum Nomenclatorem, & per alios nostros Missos nobis spopondistis, in eadem vos vestra promissione, sicut Genitor vester, circa sanctam Dei Ecclesiam, & nostram fidelitatem esse perseveraturos.* Jam quæso in his omnibus tabulis inter *Pipinum*, liberosque ejus, ac inter tot Pontifices instauratis firmatisque Senatum *Romanum*, ejusque autoritatem, vel memoriam omnibus vestigiis (si quæ vel levissima *Junius* odoratur) indaget. In iis certè *Pipinus*, *Carolus*, & si quis alius, cum Pontificibus tantùm rem egerunt, Ecclesiæ *Romanæ* pacta jurarunt, beato *Petro*, atque ejus successoribus sacramentum dixerunt. Quid Senatui, cum Ecclesia *Romana*, cum *Petro*, cum Pontificibus? Jam verò neque illud prætereundum videtur, quòd juramentorum religionem mutuis benevolentiæ declarationibus ii cumulare solerent, inter quos fœdus sanciebatur, ut hoc magis ratum, gratum, sanctumque haberetur. Ea verò tempestate singularis id erat argumentum amoris, ut fœderatorum liberi certis ritibus vicissim in familias reciperentur. Quare Carolus Martellus [36] *princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luitprandum direxit, ut ejus (juxta morem) capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus genitori remisit.* Hinc illa minimè ante hac usurpata consuetudo, ut *Francorum* Regum liberi à Pontificibus Maximis ad sacrum Baptismatis lavacrum in filiorum locum sumerentur. *Stephanus III.* ita sibi *Pipini* filium adscivit; 154
eodem ritu à *Paulo I.* ut adoptaretur filia, quam tum *Pipinus* susceperat, in Urbem à patre mittitur. Misit & *Carolus* Magnus filium, quem *Adrianus I.* arrogavit. Unde Pontifice *Romano*, quo *Compatre* uteteretur, ille quidem nullo non tempore, nullo non in loco gloriabatur, hic verò idem aliquando de se nomen prædicavit [37] apud orientis Imperatores. His ne unquam studiis egerunt cum Senatu *Romano Francorum* Reges? Contrà verò, vide in illos fœdere, & amicitia conjunctos mutuam Pontificum caritatem. Nam ab hoc tempore (quod antea nunquam auditum est) *Gallorum* Reges [38] ECCLESIÆ ROMANÆ FILII ADOPTIVI allecti sunt, atque solemni ejus ætatis ritu, quem undecimo capite indicavi, ac modò proponam, sunt instituti. Claves adyti Vaticani nullis unquam Christianis Principibus creditas illi à [39] *Gregorio III.* deinde ab aliis Pontificibus acceperunt. [40] *Ecclesia sanctæ Petronillæ* in Vaticano *pro laude, æternaque memoria nominis Pipini consecrata est* à Paulo I. Eaque causa fuit (quæ viros doctos hodie latet) cur eam Basilicam *Francorum* Reges tam sanctè coluerint, ut post longissimi temporis diuturnitatem *Ludovicus XI.* illam instaurari jusserit; *Henricus* verò *IV.* ejusdem jus, quod *Patronatus* appellant, à *Clemente VIII.* Pontifice sibi confirmandum curaverit. Bonum sanè factum, ut in Ara sanctæ *Petronillæ*, quæ nunc ex magnifico templo una in Vaticano reliqua est, & *Pipini* æterna memoria vigeat, & Pontificum in *Francorum* Reges Defensores, atque Urbis Præfectos, immortale studiorum vicissitudinis monumentum perduret. Neque verò, dum de sacramento quærimus, quod Pontificibus Maximis dici ab Imperatoribus consuevit, ab re quis esse putet quæ de *Pipini*, & *Caroli* Urbis Patriciorum juramento disputamus. Unum enim idemque fuit. Quemadmodum autem *Romanorum* Patricii, ac Cæsaris eadem fuit instituendorum ratio, Ecclesiæ scilicet *Romanæ* defensio; ita par fuit illorum jurandi forma, ac ritus idem. Imo, post *Carolum* Magnum, nemo suscepit Imperii fasces, nisi prius Ecclesiæ *Romanæ filius*, hoc est, *Defensor* idem sit declaratus. Habent id veteres libri Rituales. In vestibulo enim templi Vaticani antequam ad inaugurationis celebritatem Cæsar ingrediatur: *Quærit ab eo Domnus Papa ter, si vult habere pacem cum Ecclesia, eoque ter respondente Volo, Domnus Papa dicit, Et ego do tibi pacem sicut Christus dedit* 155

Margin notes: Studia inter Pont. & Franc. Reges fœderatores. — Patricii Rom. & Imperatoris idem juramentum.

31 epist. 1.
32 epist. 1.
33 epist. 84. sup. cit.
34 epist. 30. & 32.
35 Ibidem.
36 Paul. Diac. lib. 6. c. 53.
37 epist. Synod. ad Const. & Iren.
38 Step. iii. epist. 2.
39 in epist. ad Car. Mart.
40 in epist. 51. Pauli I.
Cerem. apud Cenc. Cam.

Discipulis suis; osculaturque frontem ejus, ac mentum (rasus enim esse debet) & ambas genas, postremò os. Tunc surgens Domnus Papa ter quærit ab eo si vult esse FILIVS ECCLESIÆ. *quo ter respondente, Volo; Domnus Papa dicit, & ego te recipio, ut* FILIVM ECCLESIÆ. *& mittit eum*
156 *sub manto, & ille osculatur pectus Domni Papæ.* Hæc illa est Patricii *Romanorum* solemnis, ac celebris adoptatio, quam toties *Pipino*, & *Carolo* Magno *Stephanus III.* ob oculos proponit; quam sibi *Carolus* ab *Adriano I.* concessam affirmat; quam idem à *Leone III.* ut undecimo capite dixi, summis votis, summoque opere flagitat; quam denique ecclesiastico more vides expressam ex ea Laicorum Principum consuetudine, quam ex *Theodorici* formula ibidem attulimus. Antequam verò Patricius *Romanorum* hunc in modum à Pontifice adoptaretur filius, vel Augustus crearetur, jurare conceptis, consultisque jam inde à *Carolo* Magno verbis consuevit. Quod Juramentum non veteres modò, sed recentiores etiam Rituales libri præscribunt. Ejus autem sententiam, verba, ac penè formulam *Carolus* in frequentissimo *Francorum* Conventu hæredibus suis, ac in Imperio successoribus testamento legavit: [41] *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres Fratres curam, & Defensionem sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis postea suscepta est, ut eum cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant.* Eat nunc *Melchior Goldastus*, & modò *Caroli* Magni sacramentum revocet in dubium; modò *unum* dicat *esse jusiurandum, quod Pontifici Romano, & Præposito, & Capitulo Ecclesiæ Aquisgra-*
157 *nensis præstari ab Imperatoribus solet in unctione, & coronatione Aquisgranensi.* Scilicet Præpositus ille *Carolum* Magnum, vel reliquos Cæsares filios adoptivos adscivit, appellavitque, *Aquisgrani* Patricios constituit, suis Provinciis præfecit, dum sibi ab hostibus periculum fuit, ad suppetias sibi ferendas accivit, cunctantibus, vel minatus est, vel sacris interdixit, vel datæ religionis reos declaravit. Venio ad ultimum genus causarum, quæ, ut initio proposui, translationem Imperii sunt consecutæ. His *Carolus* eò luculentiùs *Romani* Pontificis autoritatem ostendit, quò successores ipse suos inde petere docuit Imperium. Eas enim tabulas, quibus tripartitum Imperium filiis relinquebat, à *Leone III.* confirmandas eum curasse litteris proditum est. *Conventum* (inquit [42] Autor Annalium Francorum) *habuit Imperator cum primoribus, & optimatibus Francorum de pace constituenda, & observanda inter filios suos, & divisione facienda in tres partes, ut sciret unusquisque illorum, quam partem regere deberet, si, patre mortuo, superstitem esse contingeret. De hac partitione, & Testamentum factum, & jurejurando ab optimatibus Francorum confirmatum, & Constitutiones, pacis conservandæ causa, factæ: atque hæc omnia litteris mandata sunt, & Leoni Papæ, ut ipse sua manu subscriberet per Eginhardum missa. Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit.* Hoc testamentum variè nostros,
158 ac adversarios interpretari video. Est qui [43] existimet *de Imperio nullam in eo mentionem haberi*, ne fortassis hæreditario jure ad posteros pervenisse videatur, vel à *Carolo* constitutum de Imperii successione fuisse, quæ à Pontificis arbitrio penderet. At statim initio tabularum: [44] *Post nostrum*, Carolus ait, *ab hac mortalitate discessum hujus à Deo conservandi Regni, & Imperii nostri hæredes relinquere, si sic divina majestas annuerit, optamus.* & mox: *Divisiones verò a Deo consecra-*

III. locus argumentorum ex iis, quæ transl. sunt consecuta.

[41] *in testament. Car.*

[42] *ad ann.* 806.

[43] *Baron. ad ann.* 608.

[44] *in test. Car. M.*

A *ti, & conservandi Imperii, vel Regni nostri tales facere placuit, ut Aquitaniam, &c.* Nam ut olim *Constantinus* Magnus tribus liberis *Constantio*, *Constanti*, atque *Constantino* Imperium certa partitione legavit; ita *Carolum*, *Pipinum*, & *Ludovicum* filios *Carolus* Magnus Imperii successores nominavit; prioribus tamen illis duobus extinctis, *Ludovicum, qui solus* (ut [45] Eginhardus ait) *filiorum Hildegardis superaverat, congregatis Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, & Imperialis nominis hæredem constituit.* Qua verò id autoritate fecit? ea, quam per *Eginhardum* Legatum (quod Autor illorum tempo-

B rum æqualis narrat) à *Leone* Pontifice Maximo impetrarat. Hic *Junius* atque *Mornæus* illas *Caroli* testamenti tabulas ad *Romanum* Pontificem ideo missas contendunt, ut a *Leone III.* tanquam à teste solummodò consignarentur. Scilicet erat bonorum hominum, fideque dignorum ea tum in *Galliis* penuria, ut *Carolo* trans Alpes locuples unus testis quærendus fuerit. At disertè Autor: 159
Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. ASSENSVS Pontificis Maximi requirebatur, & MANVS; ut *Caroli* Magni Testamentum, in quo successores Imperii designabantur, pondus, atque monumentum haberet. Ve-

C rùm si de *Caroli* facto, atque sententia in re tam clara inter istos ambigitur; domi est interpres *Caroli* filius *Ludovicus*, qui facto suo parentis factum declaravit: imo in Imperii nova successione servavit, quod à patre unicè observandum acceperat; nimirùm ne inconsulto *Romano* Pontifice de Imperio quicquam statueretur. Is etenim *Ludovicus* parentis exemplo tribus liberis universam suorum partitur Regnorum ditionem, ex quibus duos creavit Reges, *Lotharium* tantummodo Augustum appellavit. *Conventum*, inquit [46] Autor, *Aquisgrani habuit, in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit & nominis, atque imperii sui*

D *socium sibi constituit: cæteros Reges appellatos unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit.* Sed nihil hic, inquit, de illo Pontificis *assensu*, vel *manu*. Audi testem locupletissimum, *Agobardum* Archiepiscopum *Lugdunensem*, qui rem tam veram narrat, quàm in aures narrat *Ludovici* autoris, qui fecit: [47] *Cæteris filiis vestris designastis partes Regni vestri, sed ut unum Regnum esset non tria, prætulistis eum illis, quem participem Nominis ve-*
stri fecistis; ac deinde gesta scribere mandastis scri- 160
pta signare & roborare, & consortem Nominis vestri factum Romam misistis à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda. Probata verò,

E *firmataque* fuisse, eidem alibi repetit Agobardus.[48] *Si enim quod vestra voluntate, & potestate, cum consensu totius Imperii vestri factum est, & postea in Apostolica Sede roboratum, hoc vult* Gregorius IV. *in pristinum reducere statum, satis rationabilis, & oportunus est ejus adventus.* Nimirum ait *Agobardus*, nullo jure, ob exorta tum domi diffidia, à *Ludovico Lotharium* filium Imperio privandum, qui Pontificis calculo Imperium obtineret. Sed hæc plus etiam satis ad rem præsentem. Illud unum relinquitur, ut de Imperii transferendi causis promissum faciamus.

[45] *in vit. Car. M.*

[46] *Annal. Fr. ann.* 817.

[47] *Agobardus Lugdunen. ad Ludovic. Imper. de divis. Imp.*

[48] *Idem ad eund. de Compar. utriusq. Regim.*

F

CAP. XV.

An hujus tabulæ inscriptiones translati Imperii causas indicent.

QVi restitutionem *Leonis* Maximi, & *Caroli* Imperatoris renunciationem una eademque in tabula conjunctas videt, cumque titulum legit:

SCSSIMVS. D. N. LEO. PAPA
D. N. CARVLO. REGI

haud

Causa à Theophane allata.

1 in Chron.

haud temerè sibi persuadeat gratiæ *Carolo* referendæ causa, eundem à *Leone* Pontifice auctum fuisse Imperii dignitate. Certè id [1] *Theophanes*
161 disertis verbis asseveravit: Ὁ δὲ τὸν Κάρουλον ἀμειβόμενος ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα ῥωμαίων *Leo vicem Carolo recompensans coronavit eum in Imperatorem Romanorum.* Quod, qui Pontificum facta non æquo expendunt animo, non tam justam Imperii transportandi causam fuisse dicent, ut non privatum potiùs officium, quàm publicum bonum resipere ea videatur. Verùm neminem negaturum arbitror, ei, qui Reipublicæ patrem e supremo periculo ereptum, in integrum restituerit, summos in Republica honores deberi, atque adeò augustissimum Imperii gradum, si dum Imperii moderator idoneus quæritur, ipse virtute, animi magnitudine, pietate denique Imperio se dignum ostendat. Id *Theophanes* approbavit, & concessæ *Carolo* dignitatis occasionem existimavit convenientissimam.

Causæ, quas habuerunt Pontifices Rom.

Verùm transferendi causas Imperii tres potissimùm habuit *Leo*, habuerunt ejus prædecessores inde à *Gregorio II.* Quòd Orientis Imperatores pessum religionem dedissent; quòd Pontificum Maximorum neglecta defensione, hostes evasissent; quòd jura Ecclesiæ *Romanæ* per scelus occupassent. Jam singula videamus; quæ superiore capite solùm innuimus.

2 in epist. ad eundem.

I. causa transferendi Imperii.

Religionis crimen [2] *Ludovicus* Augustus *Basilio Macedoni* exprobravit. *Sicut nos Christiani*, inquit, *per fidem Christi Abrahæ semen existimus, & Judæi per perfidiam Abrahæ filii esse desierunt; ita quoque nos propter orthodoxiam, idest, bonam opinio-*
162 *nem, regimen Imperii Romani suscepimus: Græci verò propter cacodoxiam, videlicet, malam opinionem Romanorum Imperatores existere cessaverunt.* Et quamvis Iconomachi Cæsares in *Romanos* Antistites, ut res ipsa probavit, odio fuerint hostili; non insidiæ tamen, non bonorum Ecclesiæ direptiones (de quibus dicam) non bellorum incendia, ita, ut violatæ religionis piaculum permovit Pontifices, quò imperium illis de manibus eriperent.

3 Ibidem.

[3] *Porrò si calumnieris* (inquit Ludovicus) *Romanum Pontificem quòd gesserit, calumniari poteris, & Samuel, quod spreto Saule, quem ipse unxerat, David in regem ungere non renuerit*, &c. *Et si quæ à vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris, profectò invenies, unde illos justè non valeas redarguere. Verùm hæc illi, quæ extrinsecus agebantur facilè parvipenderunt, nisi & intrinsecus, quæ per diversas hæreses perimere conantium molimina deprehenderunt. Unde meritò Apostatis desertis adhæserunt genti adhærenti Deo, & ipsius regni fructus facienti.* Neque, à recta fidei sententia aberrantes licèt *Græcorum* Cæsares Ecclesia *Romana* statim proscripsit, vel deseruit; sed modò libertate litterarum, mòdò Legationum auctoritate, mòdò publicis Synodorum congressionibus ab errore illos deterrere, & ad veritatem allicere studuit annos perpetuos quinque, & septuaginta. *Italiæ* verò populos tum primùm defectionem parantes, quoad licuit, in officio continuit; tandem *Gregorius II.* ubi *Leonis* Augusti
163 sensit pertinaciam, & exercitatam impietatem, *Romanum* Senatum, *Italiam*que sacramento liberavit. *Gregorii* factum, quod hodie Catholicæ fidei desertores adeò detestantur, summa cum

4 in Chron.

ejus laude *Theophanes* [4] homo *Græcus*, idemque sanctus narravit. Γρηγόριος ὁ πανίερος, καὶ ἀποστολικὸς ἀνὴρ, καὶ Πέτρου τοῦ κορυφαίου σύνθρονος, λόγῳ, καὶ πράξει διαλάμπων, ἀπέστησε Ῥώμην καὶ Ἰταλίαν, καὶ πάντα τὰ ἑσπέρια τῆς τε πολιτικῆς, καὶ ἐκκλησιαστικῆς ὑπακοῆς Λέοντος, καὶ τῆς ὑπ' αὐτὸν βασιλείας. *Gregorius Sanctissimus, & Apostolicus vir, Petri Coryphæi consessor, verbo & opere illustris, Romæ, Italiæ, ac totius Occidentis ordines cum Civiles, tum Ecclesiasticos à Leonis obedientia, imperioque abduxit.*

II. causa transferendi Imp.

Quòd verò, inde à *Leone Isaurico*, Imperatores Orientis inimicitias Pontificibus denunciarint, apertoque odio in eos sævierint, iis litteris, quas ad Basilium *Macedonem* dedit *Ludovicus* Augustus significat, ejusque rei testimoniis plenas esse *Græcorum* historias affirmat. *Leo Isauricus* illas jactare minas solebat: Ἀποστελῶ ἐν ῥώμῃ, καὶ τοῦ ἁγίου Πέτρου τὴν εἰκόνα καταλύσω, ἀλλὰ καὶ Γρηγόριον τὸν ἐκεῖσε ἀρχιερέα δεδεμένον ἀνακομίσω. *Romam mittam, & imaginem sancti Petri confringam; sed & Gregorium illic Pontificem in vinculis adduci curabo.* in epist. Greg. II.

Curavit quidem, ut [5] *Theophanes* innuit, & [6] *Anastasius* pluribus exposuit; sed cum res illi haud è sententia successisset, in Pontificem armatam classem instruxit, quam *Gregorius* Catholicorum *Italiæ* populorum armis fretus planè contempsit. [7] *Scis*, inquit, *Romam, imperium tuum ulcisci non posse, nisi fortè solam Urbem propter adjacens illi mare, & navigia; sed si ad quatuor, & viginti stadia Roma fuerit egressus Papa, nihil tuas minas extimescit.* 164

5 in Chron. 6 in vit. Greg. II. 7 Greg. II. ad Leon. Imp.

Quod non de Cæmeteriorum latebris (ut docti viri opinantur) *Gregorius* dixit, sed de *Beneventani* Ducis præsidio, de quo in epistola meminit, quam ad *Carolum Martellum* dedit; & in hac ipsa ad *Leonem* declarat; *Ad quatuor*, inquit, *& viginti stadia secedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex; tum tu vade, ventos persequere.* Sed quid de aliis Pontificibus dico? Cum *Leone III.* non ne *Nicephorus* Imperator Patriarchæ *Constantinopolitano* amicitiam interdixit, neve ad eundem, ut [8] *Theophanes* ait, Συνοδικὰς de *sua fide*, ac religione daret epistolas? 8 in Chron.

Quid Augustos religionis desertores commemoro? Non ne *Leo III.* contra sceleratorum conjurationem *Irenæ* pientissimæ alioqui Imperatricis opem imploravit, nec obtinuit? quod nisi *Græci* ipsi narrarent, vix de tam pia femina crederemus:

Ὁ δὲ σημάνας ἐν γραφῇ ταῦτα τῇ βασιλίδι, Const. Manass. in Chron.
Ἐπικουρίας τε τυχεῖν ἐκ ταύτης ἱκετεύσας,
Ὡς ἔγνω πάντα μάταια τεχνώμενος, καὶ πράττων,
Καὶ γράφων, τὸ λεγόμενον, ἐπιχειρῶν εἰς ὕδωρ,
Καὶ πανταχόθεν ἀπογνοὺς, προσφεύγει τῷ Καρούλῳ.

Tum ille re tota mox Constantinopoli nunciata, opem sibi ferri postulat. Ubi frustra se omnia moliri, & agere animadvertit, & in aqua (ceu proverbio dicitur) litteras exarare; ab omni parte re desparata, ad Carolum confugit. Nec quicquam profuit quod 165
paulò ante *Irenæ*, ac *Constantino* filio, *Caroli* erga *Romanam* Ecclesiam munificentiæ, & atque pietatis exemplum *Adrianus* Pontifex proposuerat. [9] *Filius*, inquit, *& spiritualis compater noster Dominus Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum nostris obtemperans monitis, atque adimplens in omnibus voluntates, omnis Hesperiæ, occiduæque partis barbaras nationes sub suis prosternens conculcavit pedibus, omnipotentatum illarum domans, & suo subjiciens regno adunavit. Unde per sua laboriosa certamina eidem Dei Apostoli Ecclesiæ ob nimium amorem plura dona perpertuo obtulit possidenda, tam provincias, quàm civitates, seu castra, & cætera territoria, immo & Patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Apostolo restituit, cujus & jure esse dignoscebantur. Sed & aurum, atque argentum quotidie pro luminariorum concinnatione, seu alimoniis pauperum non desinit offerendo; quatenus ejus Regalis memoria non derelinquatur in sæculum sæculi.*

9 in epist. ad eosd.

Hæc adeò nihil *Irenem* permoverunt, ut paulò post *Theodotum Longobardorum* Regem, qui, autore [10] *Theophane*, catholica pietate deserta, ad *Leonem Isauricum Byzantium* confugerat, in *Italiam* remiserit contra *Carolum* Ecclesiæ *Romanæ* Defensorem. 10 in Chron.

III. causa transferendi Imperii.

Jura denique Ecclesiæ *Romanæ* cum sacra, tum civilia, quæ

11 in epist. ad eosd. quæ Imperatores occupaſſent, à *Conſtantino*, &
Irene Adrianus I. repetiit. [11] *Sicut antiquitus*,
166 inquit, *ab Orthodoxis Imperatoribus, ſeu à cæteris
Chriſtianis fidelibus oblata, atque conceſſa ſunt patrimonia
beati Petri Apoſtolorum Principis fautoris veſtri,
in integrum nobis reſtituere dignemini pro luminariorum
concinnationibus eidem Dei Eccleſiæ, atque alimoniis
pauperum. Immo & conſecrationes Archiepiſcoporum,
ſeu Epiſcoporum, ſicut olitana conſtat
traditio, noſtræ Diœceſis exiſtentes penitus canonice
ſanctæ Romanæ noſtræ reſtituantur Eccleſiæ.* Nam
cum omnia Patriarchæ *Conſtantinopolitani* cauſa
vellent orientis Cæſares, nihil prætermittebant,
quod ad ejus amplificandam dignitatem facere videretur;
utque eidem, cui nulla pridem, vel
exigua provincia fuerat, Diœceſis eſſet quàm ampliſſima
ditioni ejus adjungendum curarunt quidquid
ex finitimis *Romanorum* Pontificum provinciis
detraxiſſent. Principiò quidem vicinas ademerunt
Thraciæ urbes olim in albo Diœceſis *Romanæ*
deſcriptas, deinde *Theſſaliæ*, tum *Peloponneſi*,
poſtea *Illyrici*, demum *Siciliæ*, & *Calabriæ*;
de quibus alibi diſputamus. Cenſum autem,
qui in annos ſingulos Eccleſiæ *Romanæ* ab Imperatoribus
antiquitus pendebatur, in Cæſarianum
ærarium inferre *Leo Iſauricus* Iconomachorum an-
12 in Chron. teſignanus, ut [12] *Theophanes* ait, nefas non habuit.
τὰ λεγόμενα πατριμόνια τῶν ἁγίων, καὶ Κορυφαίων
ἀποςόλων τῶν ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ ῥώμῃ τιμωμένων
ταῖς ἐκκλησίαις ἔκπαλαι ἐκτελούμενα χρυσίου τάλαντα
γ' ἥμισυ τῷ δημοσίῳ λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξεν. *Appellata*
167 *Patrimonia ſanctorum Principum Apoſtolorum, qui
apud veterem Romam in veneratione ſunt, illorum
Eccleſiis jam olim perſolvi ſolita auri talenta tria,
& ſemis ærario publico ſolvi juſſit.* Quod ſcelus
tale fuit, ut non liberalitate majorum ſuorum, &
beneficentia *Romanam* Eccleſiam privarit, ſed nominibus
fraudarit, debitaque pecunia. Neque
enim munificentiæ, vel ſtipis nomine, quam *eleemoſynam*
dicunt, ea pecuniæ ſumma Pontificibus
ex ærario publico erogabatur. Etenim *Adrianus*
Patrimonii nomine illam repetit, *Theophanes*
verò, ut à largitione eò magis diſtinguat,
Romano vocabulo notat, quo in rationibus ærarii,
ac tabulis Imperatorum cenſebatur, & omnium
uſu, atque conſenſu vocabatur τὰ λεγόμενα
PATRIMONIA. Quis deinde benignæ,
& ultroneæ largitatis ſummam decernat, vel qualitatem
imperet, vel tempus conſtituat? At Imperatores
Orientis ſingulis annis, Talenta tria &
ſemis, auri, non argenti, non æris numerare
Pontificibus tenebantur. Tenebantur inquam;
quis enim pro ſtipe, quam beneficii loco accipit,
ſi arbitrio quo datur, eodem negetur, largitori
minas intentet? *Adrianus* verò Pontifex *Conſtantinum*
Imperatorem repetundarum lege teneri affirmat,
eidemque non reddenti *Patrimonia*, pro-
13 in epist. ad Car. M. ſcriptionem interminat. [13] *De Patrimoniis*, inquit,
*iterum increpantes Conſtantinum Auguſtum
commonemus, ut ſi noluerit ea ſanctæ noſtræ Romanæ
Eccleſiæ reſtituere, hæreticum eum pro hujuſmodi er-*
168 *roris perſeverentia eſſe decernemus.* Sed cujuſmodi
hæc fuerint Patrimonia, nemo ſanè dubitabit,
qui hodieque *Patrimonium beati Petri in Thuſcia*
veteri more appellari noverit, ut & alia complura
in Pontificum *Romanorum* cenſu numerata *Ludovicus
Pius*, *Otto* Magnus Imperatores ex uſu
antiquiſſimo nuncupaverunt *Patrimonium Beneventanum*,
Patrimonium Salernitanum, *Patrimonium
Nepolitanum*, *Patrimonium Calabriæ ſuperioris*,
14 lib. 6. cap. 10. *& inferioris*, *Patrimonium Siciliæ*. & [14] Paulus
Diaconus *Patrimonium* Eccleſiæ Romanæ *in Coccius
Alpibus* memorat ab *Ariperto* Pontificibus reſtitutum,
à *Luitprando* confirmatum. Quæ cum
ἔκπαλαι *ab antiquo* ſolvi conſueviſſe dicat *Theopha-*


A *nes*, antiquitatem longiſſimam, & penè ultimam
Chriſtianorum Cæſarum indigitare videtur. Quis
enim in aliquo antiquitatis gradu reponat eam ætatem,
quæ tempus non ſuperet, vel ſaltem exæquet
quadringentorum annorum? Totidem porro
ſunt anni, ex quo Chriſtum Auguſti colere
cœperunt ad *Leonis Iſaurici* ſacrilegum peculatum.
Patrimonia porro ab illo extorta, non
Ravennæ Exarchatus, non *Ciſpadanæ*, *Tranſpadanæque*
Civitates ſunt, quæ ad *Ravennatem* Præfecturam
pertinebant; tum quòd *Cæſarianis* inde
ejectis Prætoribus, Præfectiſque (ut [15] *Gregorius* 15 in epist. ad eund.
II. eundem *Leonem* certiorem fecit) *Longobardo-*
B *rum* Reges cenſum ærariumque ſibi auxerant eorum 169
urbium acceſſione; tum etiam quòd poſt recuperata
à *Carolo*, reſtitutaque Pontificibus ea oppida;
Patrimonia nihilominus à *Conſtantino*, & *Irene*
Auguſtis exegit *Adrianus*. Hæc igitur nec *Adriano*
tum, nec poſtea ſucceſſoribus repoſita *Nicolaus
I.* ſeptuageſimo poſt anno à *Michaele* Imperatore
repetens ſingillatim nominat: [16] *Præterea Ca-* 16 in epist. ad eund.
labritanum, inquit, *Patrimonium, & Siculum, quæque
noſtræ Eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidendo
obtinuit, & diſponendo per familiares ſuos regere ſtuduit,
conceſſionibus reddantur.* Quæ quidem eſt cauſa
quamobrem *Leo Iſauricus*, cum in *Gregorium II.*
C Pontificem exarſit, non alios Imperii *Romani* populos,
niſi *Siculos*, *Calabroſque* capite cenſuit
φόρους κεφαλικοὺς τῷ τρίτῳ μέρει Σικελίας, καὶ Καλαβρείας
τοῦ λαοῦ ἐπέθηκε. *Tributum*, inquit [17] Theo- 17 in Chron.
phanes, *impoſuit in capita tertiæ partis populorum
Siciliæ, atque Calabriæ.* Ita enim Eccleſiæ *Romanæ*
Patrimonia, quæ nondum in *Longobardorum*
poteſtatem veniſſent, ſed ipſe in ſua teneret,
vexare libuit, ubi ipſum non licuit ulciſci Pontificem
pro ſui animi ſententia. Tria namque *Theophanes*
enumerat, quæ impius religionis perduellis
in *Gregorium* molitus eſt, armatam claſſem,
D capitationem hanc, & detractionem tributorum,
quæ olim Cæſares *Romanis* Pontificibus pendebant
pro patrimoniis in utraque *Calabria*, atque
Sicilia; *Talenta* nimirum *tria*, *& ſemis*, hoc eſt
(ut Talentorum calculum ſubducit [18] Theopha- 170
nes) *libras auri tercentum quinquaginta*, quæ, ad 18 ibid. in Nicephoro.
noſtram rationem, conficiunt ſummam triginta
quinque millium aureorum in annos ſingulos.
Hæc quidem pro illis; pro aliis autem Patrimoniis
diverſos numeravere cenſus Imperatores Orientis.
Numeravere autem per Præſides Provinciarum,
ut ex Magni *Gregorii* epiſtolis intelligitur.
Ludovicus verò *Pius* inter cætera quæ
E Pontificibus reſtituit. [19] *Nec non*, inquit, *& 19 Decr. diſt. 63.
cenſum, & penſiones quæ annuatim in palatium Regis
Longobardorum inferri* ſolebant; quas nimirum
Exarchi Præfectique Provinciarum Imperatoris
nomine *Romanæ* ſolvebant Eccleſiæ. His ampliſſimis
tributis, ac cenſibus ad eam ſtatim opulentiam
venerant *Romanæ* Diœceſis Eccleſiæ,
quam *Liberius* Pontifex coram *Conſtantio Conſtantini*
Magni filio contra *Epitectum Centumcellenſem*
Epiſcopum magnificentiſſimè profeſſus eſt. Nam
ille, ut à Concilio, quod *Liberius Alexandriæ*
pro *Athanaſii* cauſa congendum affirmabat, eundem
deterreret: invito *Conſtantio* Imperatore,
F ajebat (quem locum *Chriſtophorſonus* parum aſſecutus
videtur) ex publico haud conceſſum iri
copiam commeatus. Negavit *Liberius* Imperatoris
ope, atque divitiis indigere ſe, ut Eccleſiarum
ſuæ Diœceſis Epiſcopos terra, marique
ſuſtentaret, & *Alexandriæ* ſoſpites exponeret. 20 Theodoret. lib. 2. c. 16.
[20] Οὐ χρείαν ἔχει τὰ ἐκκλησιαςικὰ δημοσίου δρόμου. αἱ
γὰρ ἐκκλησίαι ἱκαναί εἰσι, καὶ πέραν τῆς θαλάσσης διαπέμψασθαι 171
τοῖς ἑαυτῶν ἐπισκόποις. *Ad Eccleſiaſticas*,
inquit, *res perficiendas nulla publicorum Veredariorum
neceſſitas eſt; nam ſatis facultatum habent Eccle-*

clesiæ, ut vel ad transmarinas oras suos Episcopos prætervehant. Sed alius erit de his disputandi locus; id enim tantùm hic dicere volui, Patrimonia Ecclesiæ *Romanæ*, quæ, teste *Theophane*, in suam rem converterat *Leo Isauricus*, à Pontificibus suo, bonoque jure olim exacta, illaque occupantes sacris interdictos, imperioque ab iisdem spoliatos fuisse. Contrà verò, ad supremam Christianæ Reipublicæ dignitatem *Carolum* Magnum evectum, quòd alias provincias suis armis vindicatas, & eas, quæ Patrimoniorum nomine censebantur, exceptis quæ in *Siciliæ*, atque *Calabriæ* Provinciis essent, Pontificibus reddiderit. Ad quæ recuperanda licet ipse jam penè castra moveret, suaderetque id *Leo III.* Tamen vir sanctissimus jurium Ecclesiæ suæ jacturam pati potius habuit; quam ullam Imperii in Oriente benè constituendi operam prætermittere, tantum abest, ut odio, aut favore *Carolum* Augustum consalutandum curaverit. Nam *Carolus*, ut [21] *Theophanes* est autor, βουληθεὶς κατὰ Σικελίας στόλῳ παρατάξασθαι, μετεβλήθη, ζευχθῆναι μᾶλλον εἰρήνῃ βουληθεὶς προθύμεις εἰς τοῦτο πέμψας τῷ ἐπιόντι χρόνῳ. *classem*

A *contra Siciliam ducere cogitans, tamen ab eo consilio discessit, nuptiasque Irenæ petiit per legatos, quos eam ob rem sequenti anno ad illam destinavit.* Et paulo post: ἔφθασαν οἱ ἀποσταλέντες παρὰ Καρούλου, καὶ τοῦ πάπα Λέοντος ἀποκρισιάριοι πρὸς τὴν Εἰρήνην αἰτούμενοι ζευχθῆναι αὐτὴν τῷ Καρούλῳ πρὸς γάμον, καὶ ἑνῶσαι τὰ ἑῷα, καὶ ἑσπέρια. *Advenerunt*, inquit, *missi à Carolo, & Leone Pontifice Legati ad Irenem, qui eam cum Carolo jungi Matrimonio petebant, ut Orientis, & Occidentis Respublicæ unirentur.* Sed *Leonis*, & *Caroli* consilium impeditum, ait, penitusque abjectum artibus *Aetii* Eunuchi, qui *Leoni* fratri ambiebat Imperium. Quamobrem
B de *Siculo* Patrimonio, quòd neque tum à *Carolo*, neque postea à successoribus recuperatum est, illud *Ottonis* Magni benè convenit, ubi destinat Ecclesiæ *Romanæ* Patrimonium Siciliæ, *Si Deus*, inquit, *nostris illud tradiderit manibus.* Ob hæc igitur adempta Patrimonia, hostilemque animum, & hæresis notam, quos *Adrianus I.* ab Ecclesiæ communione submovere constituerat Imperatores Orientis, hos *Leo* successor jure, ac merito spoliavit Imperio. 172


F I N I S.

INDEX RERUM.




 Pa-

FINIS.









ANTIQ
ITALIÆ

TOM. VII
[illegible] I